MYSTERIUM FIDEI

DE AUGUSTISSIMO


CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI

SACRIFICIO ATQUE SACRAMENTO



Ex polyptycho H. et J. Van Eyck de Agno Mystico.

1. Adam. — 2. Eva tenens pomum — 3. Sacrificia Abel et Cain. — 4. Abel a Cain occisus — 5. Agni cruor calice receptus, cum fonte septenarii sacramentorum, medias inter turmas Prophetarum aliorumque Sanctorum Veteris Legis, Apostolorum, Pontificum atque Doctorum Novae Legis, Martyrum, Virginum hic conspicitur. — 6. — Probabiliter Christus Pontifex conspiciendus infra, ad Elevationem XXIII. — 7. Beata Virgo Maria assidens Summo Sacerdoti. — 8. Sanctus Joannes Baptista, testimonium perhibens. — 9. Angeli cantantes hymnos — 10 Angeli pulsantes organa. — 11 Christi milites — 12 Justi judices — 13 Eremitae sancti — 14 Peregrini sancti duce sancto Christophoro.



ALTARE AGNI

Peccatum ex protoparentibus in universum genus hominum propagatum abluit Agnus sanguine suo, quem in calice eucharistico collectum dedit Ecclesiae, sedens ipse in supernis sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Retroaltare ecclesiae cathedralis Gandavensis.

MYSTERIUM FIDEI

DE AUGUSTISSIMO

CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI

SACRIFICIO ATQUE SACRAMENTO

ELUCIDATIONES L
IN TRES LIBROS DISTINCTAE

AUCTORE

Mauritio de la TAILLE, S. J.

NUPER IN UNIVERSITATE CATHOLICA ANDEGAVENSI
NUNC IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA DE URBE
SACRAE THEOLOGIAE LECTORE

Missae sacrificium... est... dominicae passionis... repraesentatio atque simul... oblatio.

B. PETRUS CANISIUS.

PARISIIS

APUD GABRIEL BEAUCHESNE
VIA DICTA DE RENNES, 117

MCMXXI

PRAEFATIO

Cur sacrificium priusquam sacramentum corporis ac sanguinis dominici exposuerim; cur sacrificium a Domino oblatum, ante sacrificium cottidie a nobis in Ecclesia celebrari solitum; cur proinde coenae proprietatem, ante institutionem missae: facile, credo, perspectum erit cuilibet consideranti, quae sit habitudo ad sacrificium in manducatione hostiae, quae in nostra missa ad illud quod Christus prius peregit in coena quam diceret: Hoc facite. *Hinc excusatum me crediderim facile apud omnes quod ordinem in scholis usitatum non tenuerim, sed explorationi meae, natura rerum duce, alium praestituerim cursum et tramitem.*

Majorem admirationem habebit, quod nusquam praesentiae reali Christi in eucharistia, data opera, institerim vindicandae; sed tantummodo, occasione data, ex quibusdam locutionibus Patrum umbram aliquam difficultatis depulerim. Attamen, praeterquam quod non omnia suscepi tractanda quae ad eucharistiam pertinerent, sed plerumque omissis locis apologeticis me converti ad eos unde theologicam lucem acciperet fides quaerens intellectum, aliae gravioresque rationes non defuere, cur opus non assumerem a tot tantisque theologis jam abunde navatum. Imprimis resultare mihi videbatur satis realitas praesentiae dominicae ex omnibus quae in decursu totius tractatus allegata atque disputata sunt, maxime circa sacrificium sive Domini sive Ecclesiae. Accedit quod revera non potest nisi frivole negari constantem fuisse hac de re, jam inde a primo saeculo, Ecclesiae fidem. Quis hodie exegeticis cavillationibus novatorum sexti decimi saeculi assentiatur? immo protestantes, vel maxime (ut aiunt) liberales, eo devenerunt ut praesentiam realem in sacris literis traditam faterentur, praesertim a Paulo apostolo (ut suo loco commonebimus). Istud autem theologo sufficit : siquidem theologiae proprie dictae fontes sunt revelationis divinae documenta; quorum si quis negaverit auctoritatem, non ad eum fit sermo theologicus, qui semper dirigitur ad credentes. Credentium tamen bono consulens sacra doctrina etiam incumbit solvendis rationibus, « si quas inducit contra fidem » adversarius qui « nihil credat eorum quae « divinitus revelantur » (I S. 1, 8). Quare et persecuti sumus illos qui, dum recte interpretantur Paulum, alienam ejus mentem volunt a mente Domini; sicut et rem cum illis habuimus qui, circa materiam nostri sacrificii, contrariam opinati sunt Ecclesiae praesentis doctrinam doctrinae Ecclesiae antiquioris.

In exponenda doctrina, plerumque tractavi seorsim quid diceret adumbra-

retve Scriptura, quid expressius traderent Patres doctoresque nostri : quorum si nimias videar concatenasse sententias, facile mihi ignoscet, quicumque sentit non theologi partes esse, ut sua inventa in medium proferat, sed ut ea quae a Patribus ac doctoribus demum addidicerit, referat sincere, polita modo atque ordinata, et, si opus est, distincta. Mediaevalium autem quorumdam hominum, cum Occidentalium tum Orientalium, non ita primariorum, aut etiam schismate infectorum, ea mente adduxi aliquando placita atque effata, non ut fidem facerent tanquam authentici fidei magistri, sed ut doctrinae antiquitus sibi a majoribus traditae testimonium aliquod redderent historicum. Interim laudes delatas forte unius vel alterius scriptis, puta Nicolai Cabasilae, noli ducere nimias, cum vix ullae forent homine dignae, si tanta circa Ecclesiae unitatem claruisset sollicitudine ac sollertia, quanta circa sacramenta fidei. Quare nec sibi visi sunt catholici theologi, retroactis saeculis, in commendatione foetuum ejus culpabiles, sed potius commendabiles, juxta Moysis sensum : Quis tribuat ut omnis populus prophetet ? *et apostoli Pauli :* Dum omni modo... Christus annuntietur.

Equidem, non tam disputandi gratia, quam elucidandi, scripsi ; neque id rursus, ob acuenda ingenia aut eruditionis laude decoranda, sed ut aedificetur fides, et ditescat intellectus fidei, ad percipiendam omnem utilitatem doni Dei : in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia : ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt, in ipso. (Eph. 1^{6}).

Est enim theologia scientia quaedam speculativa veritatis revelatae, sed eatenus revelatae, quatenus conduceret ad finem fovendae pietatis. Quare Paulus apostolus illam nominat agnitionem veritatis quae secundum pietatem est (Tit. 1^{1}). *Nec proinde locum sibi vindicat in theologia ullum, si quid pietati fovendae est ineptum. Interea quanquam rerum summe nobis ad profectum praestantium ac valentium, scientia tamen est theologia : et quidem scientia proprie dicta, quae est ordinata cognitio, ex suis principiis pendens, et connexas habens inter se partes cohaerentesque, organici cujusdam corporis instar. Quare nulla theologiae pars, nulla alicujus provinciae theologicae particula, sine sua comparte ac commembro potest totaliter explorari aut solide muniri. Quod exprobrant quidem theologiae quidam parum methodi argumentativae gnari : quasi inde in systemata rueremus. Pereant utique systemata, quae sunt, ut quidam scripsit aequissime, « ruina theologiae » (Cardinalis **Billot**,* De Ecclesiae Sacramentis [4], I, 426). *At aliud est systema, aliud corpus doctrinae. Corpus doctrinae est cohaerens utique, sicut veritas cohaerens est : cujus nullum elementum potest cum altero pugnare, et, si in necessariis versemur, nullum sine jactura alterius pessumdari potest : adeo ut totum convellas, si vel unum*

lapidem moveas. Ubi summa laus est veritatis, nec ullum falsitatis praejudicium. At systema aliud est : non ex principiis disciplinae (qui in theologia articuli sunt fidei) deductum, ac inferens sub se conclusiones multiplices, ex quarum complexu exsurgat novum notitiae incrementum et partus : verum hypothetica quaedam rerum explicatio, cui demonstrari non competit, nec esse demonstrationis principium, sed suppeditare tantum rebus formam cujusdam ordinis atque concentus a mente artificiati, cujus ope possint facile componi atque coaptari commode. Quae methodus si in scientiis physico-mathematicis utilis est, immo necessaria, ubi relationes quantitativae demum inter mensurabiles agentium naturalium effectus indagantur, non autem investigantur rerum aut virium essentiae, quae proinde, conventione facta, eo habitu donantur symbolico, qui pro tempore et adjunctis melius respondeat fini intento : certe in theologia aliter res habet, ubi proprie quaeritur quid sit, vel quomodo se habeat secundum se, illud circa quod est fides. Nulla igitur theologia est, quin systemata respuat, requirat autem articulationem complexionemque organicam : cujusmodi si in hoc libro repereris, scias me non poenitere ; immo confitentem habes reum, adeo ut non putem posse ullam libri partem ei esse plene perspectam qui non legerit totum. Itaque, sicut a te, prudens lector, veniam peto pro multis quibus laborat defectibus opus examini tuo subjectum, sic deprecor enixe criticos ne me velint condemnare nisi auditum toleranter ab exordio usque ad clausulam. Omnem autem particulam, sicut et summam totius operis, submitto incunctanter judicio cum universi episcopatus tum Romani pontificis maxime.

Angedavi, die 19° Martis 1915, in festo sancti Joseph.

AUCTOR.

POST-SCRIPTUM

Vixdum opus confectum erat, cum ad castra bellica me spiritualis cura militum divertit. Quo factum est ut scriptis quae interim prodirent, non possem, quantum oporteret, erudiri. Attamen notabitur hic diatriba Domini R. H. Connolly, O. S. B., *anno* 1916 *edita in* Texts and Studies, *vol.* 8, *n.* 4, *sub titulo* The So-Called Egyptian Order and derived documents ; *ex qua haec duo maxime constitere :*

Primo, *opusculum (A), primitus graece conscriptum, cui pro sua versione coptica et arabica (deficiente textu originali) assignatum est aetate nostra nomen* Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae (*vel etiam, pro versione aethiopica,* Constitutiones Ecclesiae Aethiopicae), *cujus etiam partes quaedam notabiles exhibentur latino sermone in* Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum Reliquiis[1] *editis ab* Hauler (*Lipsiae,* 1900), *quod quidem opusculum nos saepe saepius in trina sua forma allegabamus, revera nihil aliud esse quam* Hippolyti Ἀποστολικὴ Παράδοσις, *quae censebatur deperdita.*

1. Integra inscriptio libri est : *Didascaliae Apostolorum Fragmenta Veronensia Latina. Accedunt Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum Reliquiae.* Attenditur solum in praesente pars illa *Reliquiarum* quae a pagina 101, l. 31, decurrit usque ad finem libri.

Secundo, *ex illo opere esse derivatos* Canones Hippolyti *(B) qui feruntur, a corruptore quodam et interpolatore longe juniore compilatos.*

Hinc, sicut augetur in immensum valor et auctoritas ipsius A, cujus tenore nobis exhibetur liturgia, non dicam Ecclesiae Romanae, sed tamen romana quaedam ineuntis tertii saeculi, sic non parum vilificatur B, cui ceterum nonnisi rarissime alludebamus.

Postquam suas conclusiones efformarat proprio marte Connolly atque confirmarat, advertit easdem esse in Alsatia jam anno 1910 *elaboratas atque evulgatas ab* E. Schwartz, Ueber die pseudoapostolischen Kirchenordnungen, *in* Schriften der wissenschaftlichen Gesellschaft in Strassburg, *n.* 6.

Alia quae forte occurrent ex novissimis fontibus depromenda, suo loco passim adnotabuntur.

Ex exercitu Canadensis Dominii transmarino, die 11° *Febr.* 1919,
in festo Apparitionis Virginis Immaculatae.

*
* *

Quod si miraris, amice lector, quam longa interposita sit mora edendi librum, scias factum esse iniquitate temporum ut tentaminibus bene multis nihil proficeretur, donec concrederetur negotium typographis Bisuntinis officinae cui nomen Imprimerie de l'Est ; *quorum tandem opera confectum est, Deo favente.*

Romae, die 27° *Januar.* 1921.

Praeter Reverendum Dominum A. Landgraf, S. Th. D., alumnum Collegii Germanici in Urbe, et sodalem meum carissimum, Patrem G. Salet, S. J., quorum uterque in apparanda editione operam mihi navavit strenuam simul ac perutilem, non possum quin gratias reddam amplissimas viro egregio, Patri A. d'Alès, S. J., in Instituto Catholico Parisiensi Sacrae Theologiae lectori, qui non solum censoris munere amice functus est, sed etiam, exemplo caritatis insigni, mendis typographicis integrum opus sua manu depurgavit.

ABBREVIATIONES

QUIBUS UTEBAR, HAE SUNT

A. H. *Analecta Hymnica Medii Aevi*, ed. G. M. Dreves, S. J., et C. Blume, S. J., accedente H. M. Bannister, tom. 1-55, 1896-1915.

B. Brightman, *Liturgies eastern and western*. Vol. 1. *Eastern liturgies*, 1896.

C.S.C.O. *Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium*, accurantibus L. B. Chabot, etc.

D. H. Denzinger. *Enchiridion Symbolorum* etc. [10], ed. Bannwart.

D. A. C. *Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie*. Dom Cabrol et Dom Leclercq.

D. B. *Dictionary of the Bible*, edited by J. Hastings.

D. T. C. *Dictionnaire de Théologie Catholique*. A. Vacant. E. Mangenot.

F. D. *Didascalia et Constitutiones Apostolicae*, ed. Funk, 1906.

F. P. *Patres Apostolici* [2], 1901, ed. Funk.

J. T. S. *Journal of Theological Studies.*

L. B. Le Brun, *Explication... de la Messe*, 1777-1778.

P. G. *Patrologia Graeca*, accurante J. P. Migne.

P. L. *Patrologia Latina*, accurante J. P. Migne.

P. O. *Patrologia Orientalis*. R. Graffin et F. Nau.

P. S. *Patrologia Syriaca*. R. Graffin.

R. Renaudot. *Collectio liturgiarum Orientalium.*

R. S. R. *Recherches de Science Religieuse.*

S. Th. 1 S. 1, 1, 1m. Sanctus Thomas, *Summa Theologica*, 1a pars, quaestio 1, articulus 1, ad 1m quod objicitur. Quibus aliae accedunt abbreviationes usitatae apud commentatores Sancti Doctoris.

T. a. S. *Texts and Studies. Contributions to biblical and patristic literature.* J. Armitage-Robinson.

T. u. U. *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur.* O. v. Gebhardt, Adolf Harnack, Carl Schmidt.

ELUCIDATIONUM SERIES

I. *Debetur Deo sacrificium latreuticum et propitiatorium ; cujus oblatio potest differre realiter ab immolatione, nec potest non differre realiter a divina acceptatione et humana participatione.*

II. *Passio Christi fuit sacrificium proprie dictum, nullo veri sacrificii carens elemento, aut invisibili aut visibili.*

III. *Christum in coena sacerdotaliter obtulisse suum corpus ad cruentam passionis immolationem, persuadetur primo ex narratione coenae in se considerata.*

IV. *Persuadetur idem ex narratione coenae collata cum figuris foederis mosaici et paschatis legalis.*

V. *Persuadetur etiam ex narratione coenae collata cum Epistola ad Hebraeos sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech enarrante.*

VI. *Suadetur tandem ex comparatione inter coenam et promissionem eucharistiae.*

VII. *Confirmatur ex triplici coenae circumstantia.*

VIII. *Illustratur exhinc doctrina Patrum et Theologorum de habitudine Christi ad obligationem moriendi.*

IX. *Concluditur quaenam sit unitas ex coena et passione ; quaenam ex apparente sacrificio panis vel vini, et reali sacrificio corporis atque sanguinis Christi ; quaenam doctrinae de veritate sacrificii eucharistici, cum doctrina de realitate dominicae praesentiae.*

X. *Illustratur illud historia ac doctrina Concilii Tridentini.*

XI. *Non sine ratione congrua valde Christus in coena factus est particeps cibi atque potus eucharistici.*

XII. *Oblatum in coena et redditum in passione sacrificium Christi consummationem aliquam accepit in resurrectione et ascensione, perseveratque in aeternum, ut constat ex Scriptura, Patribus et ratione theologica.*

XIII. *Cum statu illo victimali connexa apparet dignitas quae Christo competit altaris aeterna.*

XIV. *Cohaeret et traditum nobis dogma de intercessione Christi perpetua.*

XV. *Hinc judicari facile potest de diversis sententiis ad sacrificium coeleste spectantibus.*

XVI. *Instituit celebrandum a nobis Christus ritum eucharisticum.*

XVII. *Cui veram indidit rationem sacrificii a nobis in terris offerendi coelestis.*

XVIII. *Minime per duo saecula Patres latuit in celebratione eucharistica corpus et sanguinem Christi Deo a nobis offerri.*

XIX. *Fusius apud posteriores Patres et Theologos constat ipsam passionis hostiam offerri Deo a nobis in commemoratione quadam sacramentali passionis.*

XX. *Quo etiam pertinet, quod cibus eucharisticus est exhibitus a Patribus ut participatio sacrificii cruenti.*

XXI. *Similiter perspexere Patres et Doc-*

tores offerri in missa ipsum sacrificium coeleste.

XXII. *Consequenter intellexere participari in communione eucharistica ipsum coeleste sacrificium.*

XXIII. *Quanquam est sacerdos omnium nostrorum sacrificiorum Christus, tamen nullam elicit ipse respectu singulorum oblationem novam.*

XXIV. *Variis modis peccatur contra rectam sacrificii eucharistici aestimationem, dum aut communio intra elementa constitutiva sacrificii ingeritur, aut censetur Christus nulla in nostro sacrificio affectus proprietate victimali intrinseca, aut per nostram litationem putatur tali proprietate affici.*

XXV. *Fructus ex opere operato sacrificii exponitur in quo situs sit; distinguitur a fructu ex opere operato sacramentorum; et ostenditur unde sit finitus.*

XXVI. *Praecipuum locum in offerendo obtinet Ecclesia, atque in valore sacrificii regulando Ecclesiae devotio.*

XXVII. *Cumulative conferunt ad illum valorem mensurandum sacerdos celebrans, fidelis stipem dans, et populus adstans.*

XXVIII. *Unde habes quomodo computari possit fructus missae; quidve sentiendum sit de obligatione celebrandi tot missas quot sint accepta stipendia.*

XXIX. *Fidelibus vivis obvenit fructus missae et per modum veluti proprii quaestus et per modum suffragii. Fidelibus autem defunctis hoc altero certe modo.*

XXX. *Nequaquam potest offerri sacrificium ex parte infidelium, aliorumve quovis modo extra visibilem Ecclesiae societatem versantium.*

XXXI. *Potest tamen rite offerri pro vivis istiusmodi omnibus per modum suffragii, et prodesse illis respective omnibus ex opere operato.*

XXXII. *Pro catechumenis defunctis licet offerre specialiter. Quod etiamsi non liceat pro defunctis acatholicis, tamen his potest (positis ponendis) succurri per sacrificium missae communiter. Pro excommunicatis autem resipiscentibus, post mortem absolutis, potest offerri et specialiter et publice.*

XXXIII. *Fructum fert missa sacerdotis ab Ecclesia praecisi aut exauctorati, non tamen sine Ecclesiae opera.*

XXXIV. *Perficitur sacrificium consecratione sola. Respectu autem consecrationis faciendae nulla gaudet efficacia aut necessitate epiclesis; quanquam sapienter est instituta et locum habet aptum.*

XXXV. *Jure meritoque sanctus Thomas in consecratione sanguinis formalia reputavit verba quaedam demonstrationi sanguinis annexa. Aliunde Scotus recte sensit, praeter verba formalia, alia requiri narrativa, sine quibus nec illa sinceram formae rationem apud nos haberent. Praeter verba autem formalia et narrativa, non constat utrum necne alia sint necessario usurpanda interpellativa.*

XXXVI. *Eucharistia est sacramentum communionis ad Christum.*

XXXVII. *Eucharistia est sacramentum communionis ad Ecclesiam.*

XXXVIII. *Eucharistia est sacramentum nostrae resurrectionis.*

XXXIX. *In eucharistia* SIGNUM TANTUM *est aliquid permanens compositum ex speciebus et verbis.*

XL. *In eucharistia corpus Christi veram habet rationem* REI ET SIGNI.

XLI. RES TANTUM, *in nos per eucharistiam inducta, est quaedam participatio gratiae Christi, quae est absolute summa.*

XLII. *Non minus quam in aliis sacramentis causat in eucharistia* SIGNUM TANTUM *veritatem ejus quod significatur respectu* REI ET SIGNI.

XLIII. SIGNUM TANTUM *nullam habet immediatam causalitatem aut significationem respectu* REI TANTUM.

XLIV. *Ex indole eucharistiae sacrificati salvatur et formalis unitas sacramenti in speciebus duabus, et in singulis integritas.*

XLV. *Est unum, secundum rem, eucharistiae sacramentum per omnes temporum ac locorum differentias, quanquam apparenter plurale.*

XLVI. *Baptismus eo demum incorporat hominem Christo, quod continet votum eucharistiae. Inde sequuntur varia discrimina inter eucharistiam et baptismum, quoad* REM ET SACRAMENTUM, *quoad* REM TANTUM, *et quoad usum sacramenti.*

XLVII. *Neque reliqua sacramenta dant gratiam sanctificantem nisi ex quodam voto eucharistiae; neque ipsa eucharistia sine aliis sacramentis administris.*

XLVIII. *Non est per omnia similis causalitas instrumentalis respectu gratiae sanctificantis in eucharistia et in ceteris sacramentis ; sed horum causalitas se habet ad causalitatem illius ut ad perfectivam dispositiva.*

XLIX. *Eucharistia, sive corporaliter manducata, sive saltem percepta in voto, est necessaria, necessitate medii, omnibus hominibus ad salutem.*

L. *Ad reddendam rationem praesentiae realis Christi in eucharistia, est admittenda ejusmodi conversio, qua panis nullatenus in nihilum reducatur, corpus Christi nullatenus aut producatur aut adducatur, aut quicquam patiatur ; sed tota actio conversiva recipiatur in substantia panis, quae ita positive mutetur in corpus Christi immutatum, ut verus sit nexus ex parte rei inter desitionem panis et praesentiam corporis Christi : pane scilicet desinente in corpus. Qua ex genuina transsubstantiationis ratione sequuntur quaecumque circa Christi praesentiam et conditionem, circa conservationem specierum ac corruptionem, philosophari sobrie possunt.*

LIBER I

DE SACRIFICIO DOMINICO

Elucidatio I.

Debetur Deo sacrificium latreuticum et propitiatorium; cujus oblatio potest differre realiter ab immolatione, nec potest non differre realiter a divina acceptatione et humana participatione.

CAPUT I.

DE SACRIFICIO IN GENERE.

Priusquam ad illustrandum sacrificium corporis et sanguinis Christi perveniamus, necesse est quaedam de natura sacrificii in genere spectati, praemittere. Quapropter dicendum erit primo de ratione sacrificii *latreutica*, secundo de ratione ejus *propitiatoria*. Postquam vero de *oblatione* sacrificii actum erit, deveniendum ad ejus *participationem*.

§ 1. De ratione sacrificii latreutica.

Duobus assertis continetur doctrina de oblatione sacrificii ut latreutici[1] : 1º deberi Deo invisibilem quamdam nostri oblationem internam ejusmodi quae ad nullum alium dirigi possit eadem sine piaculo grandi ; 2º externe et sensibiliter esse eamdem significandam.

Sectio I. — Primum assertum.

Omnia propter Deum sunt facta assequendum eo modo quo singulorum naturae convenit. Rationabilia autem prae ceteris Deum cognitione participant, immo, Deo ita statuente, possidebunt, si tamen digna fuerint ; ad hocque a Deo et moventur et adjuvantur et perducuntur. Consentaneum igitur est merito atque juri summae boni-

1. Multi recentiores censent coli primario per sacrificii latriam Deum ut dominum vitæ et mortis ; quod sic intellegunt, ut debeat quidem homo (quantum per seipsum stet) ad agnoscendum supremum illud dominium Dei se destruere et morti tradere ; quod tamen quia non liceat, ideo substituat pro se homo alias res, animatas vel inanimatas, destruendas in honorem Dei.

Sic Lugo (*De sacram. euchar.*, disp. 19, sect. 1, n. 5) : « Sacrificium esse protestationem, qua « homo profitetur se habere totum suum esse a « Deo, et ideo dignum esse Deum in cujus hono- « rem et cultum idem esse et eadem vita consu- « matur, et destruatur; quod quia regulariter non « licet, offertur pro vita propria vita seu entitas « alterius rei, protestando eodem modo nostram « vitam oblaturos, si liceret et oporteret. » Quam juxta explicationem sacrificium, ut latreuticum, non significaret aliquid ex sese hominem perficiens, sed in deterius adducens. Positio autem illa nec rationi satisfacit (quippe quia citra peccati suppositionem nulla inflictio mali habet rationem illam perfectivam, quæ virtuti omni inesse debet : est autem religio, tamquam justitiæ pars, una ex virtutibus moralibus), nec testimonio ullo Patrum comprobari potest, quanquam advocatur aliquando in istum sensum Eusebius Caesariensis (*Demonstr. Evangel.* l. I, c. 10. P. L. 84-85), sed immerito : cum is sacrificii rationem non latreuticam aut eucharisticam solum, sed utique propitiatoriam atque piacularem expendat, ad quam pertinet, ut videbimus, ut pro poena mortis, non solum temporalis, sed et æternæ, mortificatio seu occisio animantis rependatur. Quare nos, duce utentes sancto Thoma, non rationem sacrificii latreutici vitæ hominum inimicam expoliemus, sed amicam, rati cultum sensibilem adhiberi ab hominibus, secundum se, non ideo ut per vitæ existentiæve amissionem a Deo, qui est ipsum Esse subsistens perfectionemque vivendi omnem obtinet, elongentur, sed omnino « quia per hujusmodi actus proficimus in « Deum » (3 Cg. 119, § 3). Per prius igitur, in enodanda quæstione de sacrificio, spectari debet Deus ut finis noster, seu ut summa Bonitas, perfectiva rerum omnium. Acutam crisim lugoniani placiti circa affectum nosmetipsos destruendi in honorem Dei, vide apud Zachariam Pasqualigo, *De sacrificio novae Legis*, quaest. 6, n. 5. Romae 1707, t. 1, p. 6.

tatis[1] (seu causae primae cui finis nullus praelucet, sed ipsa est finis ultimus), ut factorem suum, provisorem beatoremque homo illo cultu interno prosequatur, quo decet eum colere Summum Bonum, a quo sunt omnia bona ; nec ulla, nisi ad ipsum ordinata, sunt bona ; in ipsoque cumulantur, qui est solus bonus, et ipsa una omnium bonorum bonitas.

Quare sanctus Thomas : « Inter alia « quae ad latriam pertinent, singulare vi« detur esse sacrificium ; ...exterius autem « sacrificium repraesentativum est interio« ris veri sacrificii, secundum quod mens « humana seipsam Deo offert. OFFERT « AUTEM SE MENS NOSTRA DEO, SCILICET « QUASI SUAE CREATIONIS PRINCIPIO, QUA« SI SUAE OPERATIONIS AUCTORI, QUASI « SUAE BEATITUDINIS FINI ; quae quidem « conveniunt soli summo rerum principio. « Ostensum est autem [enim?] supra quod « animae rationalis causa creatrix solus « Deus summus est ; ipse enim [etiam ?] « solus hominis voluntatem potest incli« nare ad quodcumque voluerit, ut supra « ostensum est. Patet etiam ex superiori« bus, quod in ejus solius fruitione ulti« ma hominis consistit felicitas[2] » (3 Cg. 120, § 7).

Quod igitur se totum Deo dedat, mancipet atque submittat, primum est hominis maximumque officium, cui nomen imponitur latria.

Quia autem divina Bonitas principium est diffusivum totius boni ad nos derivati, consentaneum latriae est ut recognoscantur, gratiis actis, beneficia a Deo in nos collata. Quare omnis latria secum fert eucharistiam.

Praeterea, cum sit eadem Bonitas prima unus fons unde exspectari possit summum bonum ceteraque bona ad ipsum adipiscendum conducibilia, quicumque se devovet summo bono prosequendo, eo ipso expetere se perhibet auxilia Dei atque dona : quae eo convenientius illi obtingent, quod liberalitate non se sinit vinci Deus. Unde sanctorum est effatum : « Quanto « aliquis se arctius Deo adstrinxerit[3] et « liberaliorem erga summam majestatem « se praestiterit, tanto eum in se libera« liorem etiam experietur, et ipse in dies « magis idoneus erit ad gratias et dona « spiritualia uberiora recipienda » (S. Ignatius de Loyola, *Constitutiones Societatis Jesu*, P. 3, c. 1, § 22). Quare omni latria etiam involvitur quaedam impetratio.

SECTIO II. — SECUNDUM ASSERTUM.

Jam vero, pro natura nostra, praesenteque rerum conditione, ubi nonnisi per sensus et sensuum organa homo aut capit

1. Ut cetera officia, ita potissimum officium latriæ, ultimo refunditur, non in omnipotentiam divinam, qua Deus tenet omnia in esse, sed in BONITATEM seu AMABILITATEM subsistentem, quae omnia vocat ad se, postulans jure suo omnem amorem, ita ut si quis Deum non appetat, is a bono avertetur et in malum se vertat. Utique prius etiam ad interventum divinae voluntatis, legem ullam libere statuentis, quaestio oritur, cur debeamus voluntati divinae, si imperet, obsequi. Porro responsio est : quia Deus est ipsa Bonitas, ex sese digna quae ametur, atque superametur. Fundamentum igitur totius officii est MERITUM DIVINAE BONITATIS. At vero quia amabilitas in Deo est ipse amor (cum sit Deus actus purus amoris, nec proinde moveatur amabili, sed sit ipsum amabile), ideo fit ut nec falsus sit sermo quo dicitur fundamentum primum totius obligationis esse voluntas illa, non libera, sed naturalis et necessaria, qua se Deus vult, seu amat suam bonitatem. Nihilominus tamen sicut latriae, ita ceterorum officiorum ratio ultima et primaria non ex ordine agentium petitur, sed ex ordine finium. Est enim finis prima causarum, clavisque totius ordinis moralis. Similiterque videmus in politico vel domestico ordine omnem rationem dependentiae profluere ex exigentia BONI COMMUNIS, cujus quicumque habet curam et sollicitudinem, veluti sibi a natura demandatam, eo ipso praeest.

2. Expressior forte etiam sermo est sancti Doctoris *in Psalm.* 28[3] : « Dominus voluit sibi « offerri ista, non propter se, quia ipse dixit » *Numquid manducabo carnes taurorum*, sed UT « COGNOSCAMUS EUM PRINCIPIUM OMNIUM BO« NORUM NOSTRORUM, ET FINEM IN QUEM OMNIA « SUNT REFERENDA : et ideo nulli licet offerre « sacrificium nisi Deo. Deus enim est finis, et « nihil possumus ei addere : et ideo debemus eum « glorificare, ut omnia quae facimus in ejus glo« riam faciamus. »

3. « Conjungi magis cum Deo ac liberalem « se in eum exhibere, est se totum immobiliter « divino servitio mancipare » (*ibid.* Declaratio T). Intellegit sanctus Pater : per vota religionis. Qualem analogiam habeant vota ad sacrificia, infra perpendetur in Elucidatione VIII.

aliquid mente aut exercet, necessarium prorsus fuit ut primordiale istud latriae officium sensibilibus quibusdam ritibus indueretur ad dominium summum Dei absolutamque nostram dependentiam significandam aptis, secundum quod monet sanctus Thomas : « QUIA VERO CONNATU« RALE EST HOMINI UT PER SENSUS COGNI« TIONEM ACCIPIAT, ET DIFFICILLIMUM EST « SENSIBILIA TRANSCENDERE, provisum est « divinitus homini ut etiam in sensibilibus « rebus divinorum ei commemoratio fieret, « ut per hoc hominis intentio magis revo« caretur ad divina, cujus mens non est « valida ad divina in seipsis contemplanda. « Et propter hoc instituta sunt SENSIBILIA « SACRIFICIA, quae homo Deo offert, non « propter hoc quod Deus eis indigeat, « sed UT REPRAESENTETUR HOMINI QUOD « SEIPSUM ET OMNIA SUA DEBET REFERRE « IN IPSUM SICUT IN FINEM et sicut in « creatorem et gubernatorem et dominum « universorum » (3 Cg. 119, § 1).

Praeterea aequum omnino est, ut, cum ex parte animi, tum ex parte corporis, homo singularem hanc suam ad Deum relationem et ratam habeat et profiteatur ; quare decuit ut esset ritus quidam corporalis ad ipsam opere comprobandam accommodatus, « ut scilicet homo Deo serviat secun« dum illud totum quod ex Deo habet, id « est non solum mente, sed etiam corpore », sicut de oratione vocali agens, ait sanctus Thomas (2-2, 83, 12, c).

Praeterea non solivagum homo animal est, sed ad societatem, eamque non unius generis, natum, cujus et auctor, et legislator, et opitulator, et consummator Deus est Optimus Maximus. Quare et socialem prae se ferat necesse est characterem noster Dei cultus, nec socialis esse poterit aut publicus, nisi externis testificationibus signatus atque munitus [1]. Respondet igitur sacrificium visibile et exigentiae psychologicae praesentis nostrae conditionis, et debito morali nostrae naturae erga Deum, et necessitati cuidam sociali.

Omni ex parte proinde oportuit, ut homo, in sensibilia, jam certe post lapsum [2], provolutus atque demersus, de sensibilibus

1. Hoc tantum titulo, et in cultu quidem tantum sociali, id est domestico aut publico, requiri potuit ex jure naturae legitimus minister legitimave ritus institutio. Jam vero sub lege praesente non justificamur aut accepti sumus Deo, nisi in quantum societatem inimus corporis Christi, quae est Ecclesia ; quare omne sacrificium nostrum nunc de jure divino publicum est, nomine totius Ecclesiae celebratum. Recte igitur Vasquez : « Quamvis in lege scripta, « imo apud plerasque nationes, instituta fuerint « peculiaria signa quae pro sacrificiis omnibus « esse deberent, tum etiam peculiares homines « ad hoc munus destinati et electi, cum tamen « ad adorationem et alios cultus religiosos des« tinari non consueverint ; tamen SACRIFICIUM « SUAPTE NATURA HAEC DUO NON POSTULAT, « quia jure naturali, quo sacrificium introductum « est, cuilibet permitteretur Deum hoc etiam « genere cultus honorare, ac proinde eligere sibi « signum aliquod, quod ex se idoneum esset ad « colendum Deum hoc modo, praesertim vero « si homines more gentium non in civitatibus « et oppidis, sed quisque per se habitaret ; quam« diu ergo huic licentiae et permissioni juris « naturalis jure aliquo divino aut humano non « derogaretur, quisque per se quovis signo ad id « idoneo sacrificare posset, atque adeo vera ratio « sacrificii sine tali institutione publica repe« riri. » (In 3^am^ p^em^ disp. 220, c. 3, n. 20). Similia Suarez late pertractat in tractatu *De Eucharistia* (disp. 75, sect. 3), et obiter in tractatu *De Incarnatione* (Pars I, disp. 46, sect. 1, n. 1). Favetque sanctus Thomas : ante legem, inquit, « erant quaedam ceremoniae non quidem ex « auctoritate alicujus legis determinatae, sed « solum secundum voluntatem et devotionem « hominum Deum colentium » (1-2, 102, 1, c.). Rursusque : « Sacrificia et holocausta offerebant « antiqui ante legem ex quadam devotione pro« priae voluntatis, secundum quod eis videba« tur conveniens, ut in rebus quas a Deo acce« perant, et quas in reverentiam divinam offere« bant, protestarentur se colere Deum, qui est « omnium principium et finis » (ibid. ad 1^m^) Sin autem cultus exercetur socialis, necesse est ut publica auctoritate polleat, qui pro republica agat.

2. Utrum in omni conditione humanae naturae requireretur sacrificium disputari potest. In primaevo scilicet innocentiae et beatitatis statu, locum fuisse sacrificiis externis negare videtur sanctus Augustinus, dum scribit : « Exponere « nos oportet quomodo sit accipiendum quod « dictum est, *sicut diebus pristinis, et sicut annis* « *prioribus.* Fortassis enim tempus illud comme« morat quo primi homines in paradiso fuerunt. « Tunc enim puri atque integri ab omni sorde « ac labe peccati SE IPSOS Deo mundissimas hos« tias offerebant » (*Civ. Dei*, 20-26. P.L. 41, 700-701) ; id est, sine signorum ope. Consentire Augustino videtur sanctus Thomas, dum sacrificia inter sacramenta recenset (4 D. 2, 1, 1, 3, c, fi), sacramenta autem ab illo statu

Deum coleret, et singularem suam in primam causam, omnipotentem rectorem, finemque ultimum Deum, reverentiam, obedientiam, tendentiam, cultui cuidam externo mandaret exhibendam singulari. Recteque Petrus Venerabilis : « Cumque Deo sacrificare « cessaverit [mundus], et ipse Dei esse « cessabit » (*Tract. contr. Petrobr.* P.L. 189, 793).

Unde colligitur, quantum sit facinus et sacrilegium alteri cuipiam praeter verum Deum sacrificium offerre, quod idem est ac si creaturae Creatoris dignitas adjudicaretur, vel in civitate humana privato cuipiam deferretur honor summae majestatis proprius. Ad rem sanctus Thomas : « Hoc « etiam videmus in omni republica obser« vari, quod summum rectorem aliquo « signo singulari honorant, quod cuicum« que alteri deferretur, esset crimen laesae « majestatis. Et ideo in lege divina sta« tuitur poena mortis his qui divinum « honorem aliis exhibent » (2-2, 85, 2). Excepto autem illo uno divini honoris signo, reliqua venerationis aut obsequii testimonia aliis etiam praeter Deum, puta sanctis, exhiberi eadem possunt. Quare Augustinus : « Populus autem christia« nus memorias martyrum religiosa solem« nitate concelebrat,... ita tamen ut nulli « martyrum, sed ipsi Deo martyrum, « quamvis in memoriis martyrum, consti« tuamus altaria. Quis enim antistitum « in locis sanctorum corporum assistens « altari, aliquando dixit : offerimus tibi, « Petre, aut Paule, aut Cypriane ? Sed « quod offertur, offertur Deo qui martyres « coronavit, apud memorias eorum quos « coronavit... COLIMUS ERGO MARTYRES EO « CULTU DILECTIONIS ET SOCIETATIS, QUO « ET IN HAC VITA COLUNTUR SANCTI HOMI« NES DEI, QUORUM COR AD TALEM PRO « EVANGELICA VERITATE PASSIONEM PARA« TUM ESSE SENTIMUS... At illo cultu, quae « graece latreia dicitur, latine uno verbo « dici non potest, cum sit quaedam proprie « divinitati debita servitus, nec colimus, « nec colendum docemus, nisi unum « Deum » (*Contra Faustum*, l. 20, c. 21, P.L. 42, 384-385).

Dare igitur dona et munera [1] de bonis suis Deo, AD NULLUM FINEM ALIUM PRAETER TESTIFICATIONEM ATQUE SIGNIFICATIONEM INTERNAE SUAE DEDITIONIS, homo jam ab exordiis suae creationis, natura duce, aut etiam ipso Deo auctore, consuevit, ut patet in oblationibus, quas de pecu-

arcet (3 S. 61, 2). Non tamen desunt theologi qui sacrificia illi etiam statui congrua aut etiam necessaria judicaverint. Inter quos forte recensendus est Suarez, qui ejusmodi argumentis congruentiam sacramentorum ad illud tempus vindicat (*De sacramentis in genere*, disp. 3, sect. 3, n. 4) quibus etiam sacrificiorum utilitas commonstretur. Certe Vasquez (in 3am pem, disp. 130, c. 1, n. 3) quosdam tacitis nominibus commemorat suos coaetaneos, quibus arriserit deberi Deo etiam ab Adamo et posteris ejus insontibus sacrificiorum oblationes. In qua se esse sententia aperte profitetur Billuart (in 3 S. 61, 2, in responsione ad. obj. 3m). Nobis autem videtur satius tenendum cum Augustino et sancto Thoma nullum IN STATU PRIMAEVAE ELEVATIONIS futurum fuisse sacrificium, propter summam qua tunc gauderet homo eminentiam spiritus supra corporalia. At IN STATU NATURAE PURAE INSONTIS (quo noster praesens status, si naturalia tantum consideres, longe deterior est, ut in tractatu *de Gratia*, Deo favente, ostendemus) rectius forsan senseris, propter majorem spiritus cum sensibus permixtionem futurum fuisse necessarium sacrificium latreuticum.

1. Apposite M. J. Lagrange (*Etudes sur les religions sémitiques*, 1903, p. 249) : « On rencontre « toujours dans le sacrifice l'idée d'une offran« de... C'est le seul concept qui groupe les sacri« fices sanglants et les sacrifices non sanglants.» Idem quoad substantiam in editione 2, 1905, p. 266 et 270.

Ceterum vix intellegitur quomodo nobis christianis possit istud esse dubium, cum, vel omisso Vetere Testamento, habeamus auctoritatem et Christi (*Matth.*, 5^{23} : *Si ergo offers munus tuum ad altare* etc. — *Matth.*, 23^{19} : *Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum ?* — *Matth.*, 8^{4} : *Offer munus quod praecepit Moyses*), et Apostoli (*Hebr.*, 6^{1} : *Omnis namque pontifex ...constituitur ...ut offerat dona* etc. — *Hebr.*, 8^{3-4} : *Ad offerendum munera et hostias constituitur... essent qui offerrent secundum legem munera*, cf. 9^{9} et 11^{4}; quibus omnibus Novi Testamenti locis et de sacrificiis agitur, et pro voce *munus* aut *donum* semper habetur in graeco δῶρον), et sanctorum Patrum jam inde a Clemente Romano, et Liturgiarum nostrarum omnium, quibus dona et munera de divinis donis ac datis Deo reddita praedicantur (vide infra, Elucid. XVIII - XXI).

dibus gregis Abel et de fructibus terrae Cain Deo sacrabat [1].

Quae res, ut deinceps patuit in oleo effuso, vino libato, pane proposito, thure incenso, reliquisque ejusmodi, EO FIEBANT DEO SACRAE, QUOD SECRETAE AB ALIIS REBUS, ATQUE AB USIBUS PROFANIS REMOTAE, SUBTRAHEBANTUR ADEO DOMINIO HUMANO, UT TRANSFERRENTUR IN DEI DOMINIUM PROPRIUM ET QUASI PERSONALE, VELUTI IN DIVINOS USUS CONSUMENDAE [2].

Cui oblationi accessit (ex ipsa natura rei) nomen sacrificium. « Sacrificium enim, « inquit Gulielmus Parisiensis, est « munus quod offerendo sacrum fit,... et « hoc est proprie sacrificare, ipsum scilicet « munus offerendo sacrum facere » (*De Legibus*, c. 24. Opera omnia, Paris. 1674, t. 1, p. 72).

Constat igitur, SINE ACTUALI DATIONE MUNERIS EXTERNI NULLAM FIERI PRAESENTEM SACRIFICATIONEM : quanquam non absolvitur sacrificium dono visibili, sed potissimum invisibili internoque. Quo supposito, aptam dicendus est tradidisse sacrificii definitionem S. Augustinus, quam ab eo acceperunt scholastici, ut sanctus Thomas (2-2, 85, 2; 3 S. 22, 2, c; 3 S. 82, 4, c. et passim) rerumque liturgicarum periti, ut Durandus Mimatensis (*Rationale divinorum officiorum*, lib. 1, cap. 9, n. 2) ; quae sic habet : « *Sacrificium* « *ergo visibile invisibilis sacrificii sacra-* « *mentum, id est sacrum signum, est* » (*Civit. Dei*, l. 10, c. 5. P. L. 41, 282)[3]. Duo haec definitio elementa complectitur : unum rationem habens signi, alterum significati. Significatur nostra interna deditio ; significat vero res facta sacra, seu munus a nobis profectum [4]. Utrumque elementum concurrit ad integrandum verum sacrificium ; nec nisi ficte offertur sacrificium ubi desit prius, aut, si desit posterius, improprie.

Quia autem veritas, quae exludit fictionem, accedit sacrificio ex elemento invisibili, inde fit ut aliquando apud Augustinum

1. Ductos illos naturali tantum lege putabat Cassianus (*Collat.* 8, c. 23. P.L. 49, 763), cui consentit Suarez (*De Religione*, l. 1, c. 3, n. 4). Ductos lege revelata existimant nostris diebus Renz (*Die Geschichte des Messopferbegriffs*, t. 1, p. 20-27) atque Grimal (*Le Sacerdoce et le sacrifice de N.-S. J.-C.*, p. 14). Eruditos magisterio utroque et conscientiae naturalis et sapientiae desursum immissae pronuntiavit Chrysostomus (*Hom.* 18 *in Genes.* n. 5. P.G. 53, 155), cui aliqualiter videtur favere *Epistola ad Hebraeos* 11[4]. Nulla autem lege, neque revelata neque naturali, volebat illos obstrictos auctor *Didascaliae* (6, 16, 4. F. D. 1, 350).

2. Hinc habes quomodo sacrificia plerumque apud veteres gentes habita sint pro conviviis Deo paratis, ut notissimum est ex historia religionum. Hac vero occasione velim aliquid semel pro semper notatum. Si quando allegabimus historicos religionum, non ea mente illud fiet ut super religionum historiam fundetur nostra doctrina sacrificii. Fundatur enim potissimum super revelationem, contentam Scripturis Sacris, et super rationem, cujus est edicere quid essentialiter pertineat ad sacrificium, quale « hominum natura exigit » (*Trid.*, sess. 22, cap. 1). Historia autem religionum est in fluxu ; circa praehistoriam vero non offeret unquam nisi conjecturas (cf. G. Foucart, *Histoire des Religions et méthode comparative*, 1912, Introduction, praesertim, p. XCIX, CXLV, CLX) ; nec proinde potest ex se sola basim adaequatam aut firmam praebere. Attamen quae facta referunt historici, apta ad illustrandam nostram doctrinam, libenter allegabimus. A factis vero caute est secernenda interpretatio, quae ab ipsis historicis superstruitur. Ad facta pertinere videtur, quod sacrificia Aegyptiorum inde a quarto millenario ante Christum natum fuerunt convivia numini parata ac oblata, ut post multos alios ostendit G. Foucart (op. cit., p. 138 sq.). Quod autem oblatio talium conviviorum habuerit in mente Aegyptiorum, etiam magis excultorum, sensum mere realisticum, exclusivum omnis symbolismi (ibid., p. 150 sq.), illud ad interpretationem videtur pertinere, quae propria est auctoris. Ni fallor, valebit etiam de Aegyptiis aliisque illud quod de Semitis scribebat M. J. Lagrange O. P. (*Etudes sur les Religions sémitiques*, 1903, p. 266-267) : « Si le sacrifice n'avait été qu'un « procédé culinaire pour nourrir les dieux, « il se serait évanoui aussitôt qu'on aurait « eu des dieux une idée moins abjecte... Qu'il « s'agisse d'un don ou d'une nourriture pré- « parée, on doit faire largement la part du « symbole. » (Nimis radicaliter fortasse in 2ª editione, 1905, p. 267 : « Si le sacrifice n'avait été « qu'un procédé culinaire pour nourrir les dieux, « il n'aurait jamais eu de place dans la religion.»)

3. Cf. ibid., c. 19 et 20, col. 297-298.

4. De relativitate exterioris signi ad interiorem consecrationem juxta Legem et Prophetas Veteris Testamenti utilia disserit A. Dillmann, *Handbuch der alttestamentlichen Theologie* (1895), p. 470-471.

aliosque post eum veteres theologos verum sacrificium audiat sacrificium internum : « Illud, inquit Augustinus, quod ab « omnibus appellatur sacrificium, signum « est VERI sacrificii. Porro autem miseri- « cordia VERUM sacrificium est » (*Civil. Dei.* l. 10, c. 5. P.L. 41, 273). « Proinde « verum sacrificium est omne opus quod « agitur ut sancta societate inhaereamus « Deo, relatum scilicet ad illum finem boni « quo veraciter beati esse possimus » (*op. cit.*, l. 10, c. 6, col. 283). Similiter Gulielmus Parisiensis : « Verum igitur et ge- « nerale sacrificium quod Deo in primis est « et maxime offerendum, et quod Deus « maxime et in primis requirit, et quo non « oblato non acceptat quod aliquid ei « offeratur, est unusquisque nostrum... « Primum igitur ac principale sacrificium, « quod a nobis requiritur, nos ipsi sumus, « sine cujus oblatione nihil quod Deo « offerimus placitum est, vel acceptum, « cujus placatione alia Deo accepta et « placita sunt » (*op cit.*, c. 28, p. 99-100).

Quia autem proprietas accedit sacrificio ex elemento visibili, inde fit ut apud recentiores verum sacrificium audiat externum [1].

Ceterum utrumque elementum solet apud Patres vel scriptores ecclesiasticos in vero et proprio sacrificio praedicari et commendari. Sic de sacrificio in genere vir patristicae disciplinae scholaris et praeco, Procopius Gazaeus, notat : « Docent « inter cetera victimae nostri esse officii « ut singuli suas animas incendant et « quasi munus offerant et consecrent Deo » (*In Leviticum* 2 sq. P.G. 87, 698).

De sacrificio autem christianorum specialius sanctus Cyrillus Alexandrinus : « In sacrificiis enim [nostris] TAN- « QUAM IN IMAGINE quodammodo nostras « animas immolamus, Deoque offerimus, « dum mundo atque carnis sapientiae mo- « rimur, et vitiorum mortificationem subi- « mus, ac propemodum una cum Christo « cruci suffigimur, ut ad sanctum purum- « que vivendi genus nos transferentes, con- « versemur secundum ipsius voluntatem » (*De adoratione in spiritu et veritate*, l. 11. P.G. 68, 769).

Pariter Eusebius Caesariensis, sacrificium missae commendans, haec habet : « Sacrificamus igitur Deo altissimo « sacrificium laudis ; sacrificamus sacrifi- « cium divino spiritu compactum, au- « gustum, sacrosanctum, sacrificamus novo « more secundum novum testamentum « hostiam mundam. At sacrificium Deo « spiritus contritus... Sacrificamus igitur « et incendimus : ex una quidem parte « memoriam magni illius sacrificii, se- « cundum mysteria ab ipso tradita, cele- « brantes, et gratias agentes Deo pro salute « nostra, atque religiosos hymnos oratio- « nesque sanctas illi offerentes ; ex altera « autem parte nosmetipsos totos ei con- « secrantes ipsiusque pontifici (quod est « Verbum) : veluti corpore et animo ja- « centes [ante ipsum immolati]» (*Demonstr. evangel.*, l. 1, c. 10. P.G. 22, 92-93).

Haud minus perspicue apud Latinos Gregorius M. laudibus quibus prosequitur sacrificium missae hoc monitum intertexit : « Sed necesse est ut, cum haec « [sacra mysteria] agimus, nosmetipsos « Deo in cordis contritione mactemus ; « quia qui passionis dominicae mysteria « celebramus, debemus imitari quod agi- « mus. Tunc ergo vere pro nobis hostia « erit Deo, cum nos ipsos hostiam fece- « rimus » (*Dial.*, l. 4, c. 59. P.L. 77, 428)[2].

De sacrificio autem ipsius Christi disserens Leo M. crucem ait praesignatam a prophetis veluti altare « ubi per hostiam « salutarem NATURAE HUMANAE CELE- « BRARETUR OBLATIO » (*Sermo* 55, c. 3. P.L. 54, 324)[3].

1. Alio sensu etiam saepe a veteribus dicitur antonomastice verum sacrificium Christi per oppositionem ad figuras quibus praenuntiabatur. Quo casu veritas nequaquam excludit proprietatem seu sensibilem habitum, sed tantummodo legalem imbecillitatem et vacuitatem. Vide Augustinum citandum in Elucidatione III.

2. Cf. *Homil.* 37 *in evang.* n. 9. P.L. 76, 1279, ubi laudatur Cassius, Narsiensis urbis episcopus, « cui cum sacrificio valde etiam concordabat « vita. »

3. Quocirca pulchre Thomassinus : « Ita- « que crux velut ara fuit mundi, in qua universa « fidelium Ecclesia ex omnibus terrarum trac-

Haud dubium igitur est quin recte sacrificii latria exponatur, si in illa ad instar sacramentorum aliquid per modum *signi* et aliquid per modum *rei* distinxerimus. Donatio enim externi doni quanquam habet jam secundum se rationem *rei*, id est verae donationis, tamen non est *res tantum*, sed est *res et signum*. Interni autem doni oblatio rationem habet *rei tantum*. Ulterius postmodum erit perpendendum utrum necne possit in aliquo sacrificio haberi aliquid per modum *signi tantum*.

Interim vero, ex supradictis de indole latriae eucharistica atque impetratoria, consequitur : omni sacrificio, ut symbolo latreutici affectus, competere etiam duplicem significationem, et eucharisticam et impetratoriam.

§ 2. De ratione sacrificii propitiatoria.

Sectio I. — Cruentorum sacrificiorum vindicatio.

Primo illi fonti obligationis, orienti ex officio latriae secundum seipsum spectato, accedit alter desumptus ex peccato hominis expiando : unde exsurgit indoles sacrificii propitiatoria. Postquam enim homo peccator Deo exstitit exosus offenso, necesse fuit ut delatus honor omnis Deo, oblatumque donum, esset per prius testificativum poenitentiae, atque reparationis vel compensationis alicujus exhibitivum, ne forte contumeliam saperet ab indigno et inimico profectum munus et gratia. Sicut quippe relligione latriae homo insons se profitetur ad Deum conversum ordinatumque, sic peccator, contra debitum ordinem a Deo aversus, opus habet juris divini laesi damna resarcire. Nec delebitur injuria, aut fiet ex facto infectum, nisi compensatione exhibita pro male facto condigna. Quae eo erit condignior, quanto intensiorem requiret nisum amoris in Deum conversi, aversique a malo. Eo nisus autem requiretur intensior, quanto major intercedet difficultas superanda, hoc est, vincendus fortior erit appetitus naturalis boni aut aggrediendum opus magis arduum. Quo etiam fiet, ut non solum reatus noxae (seu offensae, seu injustitiae, seu culpae) compensatione facta redimatur, sed et satisfactione exhibita debitum poenae exstinguatur.

In quo sunt duo distinguenda : unum, quod propriissime dicitur *propitiatio*, pro quanto placatur Deus, ordine justitiae quasi commutativae redintegrato ; alterum, quod specialius dicitur *satisfactio*, pro quanto, ultione judicis praeoccupata, suppletur ab ipso reo exercitium justitiae vindicativae. Habet igitur compensatio praedicta duas rationes valde diversas : unam veluti indemnificativam, alteram veluti mulctatitiam ; attamen fert usus ut ambae saepe veniant sub communi nomine propitiationis.

Ex praemissis jam apparet quantae sint in propitiando partes sive *mortis* sive *doloris* ex caritate obeundi : si quidem nil magis repugnat appetitui naturali hominis, etiam integri, quam aut pati aut mori, nec proinde caritati campum aperit victoriae ampliorem aut nobiliorem (*Jo.*, 15[13] ; *Phil.*, 2[8]).

Praeterea, quia peccatum id quasi ex propriis suis importat, ut statim subjiciatur spiritus carni, tanquam dejectus e solio princeps servis insolescentibus, oportuit ad debellationem peccati ut *mortificaretur* caro pullulans peccatorum propaginem. Insuper mortem ex sese meretur omne peccatum aeternam ; cui non praeambula tantum existimatur mors temporalis, sed hac illa inchoatur tanquam parte ex sese integrante. Unde Apostolus : *Stipendia peccati mors*.

Quare poenitentiae protestatio, atque exhibitio reparationis, nullo potuit aptiore ritu peragi quam occisione animalis atque effusione sanguinis, in quo est secundum communem hominum aestimationem vita

« tibus, ex omnibus saeculorum omnium aetatibus conglomerata, in capitis sui sacramento Deo mactabatur » (*De Incarnatione Verbi*, l. 10, c. 10). Cf. eumdem Leonem M., *Serm.* 59, c. 5. P.L. 54, 340.

carnis [1]. Unde factum est ut omnia fere sacrificia ubique gentium cruenta essent, consonante Scriptura : *Sine sanguinis effusione non fit remissio* (*Hebr.*, 9[22]).

Non igitur videtur repetenda cruenta sacrificiorum indoles ex ratione simpliciter latreutica, quasi destructio vitae secundum se haberet quo honoraretur Deus, sicut commentantur qui dicunt non potuisse perfecte agnosci colive supremum Dei numen dominiumque in vitam et mortem, nisi per vitae nostrae exstinctionem inflictionemque mortis ; quae tamen cum neque liceret neque deceret, pro ea substitueretur animalis occisio. Quinimmo nihil in destructione operum Dei, seu vitae exsistentiaeve deperditione, inest quo *per se* laudetur Deus Creator, Rector, Finisque rerum ultimus ; teste Ezechia rege, cujus haec verba : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi* (*Is.* 38[19]), vel ipso Christo Domino aiente : *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum* (*Luc*, 20[38]). Quare sapientissime noster Irenaeus : « Gloria « Dei vivens homo » (*Adv. Haer.*, l. 4, c. 20, n. 7. P.G. 7, 1037)[2]. In suppositione autem peccati requiritur mortificatio carnis, non solum medicinalis, sed et poenalis. Quin et morte jam digni sumus, ut dictum est, praeminato Deo : *Morte morieris*, et recordationem ingerente Paulo : *Stipendia enim peccati mors.*

Quare, sicut et mors, ut poenalis, justitiam Dei laudare potest et laudat, sic et cruentum sacrificium justitiae Dei sacramentaliter vel symbolice satisfacit, hoc est satisfaciendi affectum portendit, quantum in nobis est, adjecta spe fore ut in placatae justitiae locum succedat misericordia.

Quod rite exponit Gulielmus Parisiensis, primae sacrificiorum causae, ex mero latriae officio ortae, hanc alteram adnectens : « Secunda causa fuit justitiae « suae et misericordiae vehemens ac fortis « impressio, quam sacrificia hujusmodi « faciebant. Eo enim ipso quod ad mortem « hujusmodi animalia offerebant mortique « tradebant, seipsos morte dignos ostendebant ; et Deum de justitia mortem « eis posse inferre, si secundum merita « peccatorum suorum judicare vellet, ex« presse hujusmodi opere cognoscebant. « In hoc vero quod mors eorum morte ani« malium commutabatur, mors inquam, « quam meruerant, Dei misericordiam erga « se expresse legere poterant » (*op. cit.*, c. 2, p. 29).

Jam igitur conclude utram in partem sit dirimenda controversia illa doctorum : sitne destructio rerum oblatarum ut talis (sive formalis sive aequivalens) essentialiter requisita ad constituendum verum sacrificium. Ubi quippe finis primarius et praevalens est solum latreuticus, non videtur requiri destructio, sed sufficit si, juxta verba sancti Thomae (2-2, 85, 3, 3m), circa res oblatas aliquid fiat, quo intellegantur verti ex humana possessione in mancipium divinum, oppignerandi nostrimet gratia. In quo Suarezio consentimus (*De Eucharistia*, disp. 73, s. 5, n. 4-5), neganti requiri destructionem. Ubi autem eminet finis propitiatorius, videtur magis consona destructio aliqua seu occisio victimae ; et in hunc sensum (restrictione igitur aliqua usi) accipimus verba Bellarmini (*De Missa*, l. 1, c. 2, § ult.), Vasquezii (disp. 220, c. 3, n. 22 sq.), Lugonis (disp. 19, s. 1, n. 7), recentiorumque plurimorum, inter quos eminet cardinalis Billot.

Propitiatio vero, cum habeat rationem compensationis pro laesione divini juris, quaedam agnitio est practica juris laesi : et pro tanto continet erga excellentiam divinam affectum latreuticum. Immo non est nisi species quaedam latriae statui pec-

1. « Es war die Gnade der Gottheit, wenn sie « statt des eignen die Substitution des fremden « Blutes gestattete ; diess war die Bedeutung « der Thieropfer » (Döllinger, *Heidenthum und Judenthum.* Regensburg, 1857, p. 208). Conferas ibid., p. 209, dicta de *voluntario* accessu animalium ad altare apud Graecos. Recentius S. I. Curtiss, *Ursemitische Religion im Volksleben des heutigen Orients* (1903), p. 26 : « Ohne « Frage haben die blutigen Opfer einen stell« vertretenden Charakter. »

2. Recole adnotata supra, et conferas ea quae habet R. Smend, *Lehrbuch der alttestamentlichen Religionsgeschichte* [2] (1899), p. 138-141, ostendens apud veteres sacrificia fuisse per prius dona quibus Deus muneraretur.

catoris congrua. Quare nec ipsa caret gratiarum actione aut impetratione. Immo gratiarum actionem importat specialem pro speciali misericordia indignum atque demeritum respiciente ; et non solum impetrationem veniae prae se fert, sed et venia impetrata, cum tollatur jam obex profluentis in homines divinae bonitatis atque largitatis, cetera etiam bona censentur conciliari. Est igitur omne propitiatorium sacrificium etiam eucharisticum atque impetratorium.

Sectio II. — Oblationis et immolationis proprietates distinctae.

Ex praedictis consequitur, non integrari sacrificium ipsa immutatione, vel, quatenus locum habeat, destructione rei ; sed rei quantumlibet immutatae vel etiam destructae requiri omnino quamdam oblationem [1] ad Deum, eamque sensibilem, ritualem, liturgicam (id est opus liturgi exhibentem, sine quo nulla est litatio). Quae quidem sensibilis oblatio non necesse est ut semper ab immutatione rei realiter distinguatur, sed sufficit, si, ut nonnunquam contingit, ex adjunctis externis censeatur ipso ritu mactativo vel quomodolibet immutativo implicata [2]. Ubi autem distinguitur, oportebit ut in aliqua actione consistat ad deditionem ac dedicationem seu consecrationem significandam apta. Cuiusmodi fuit potissimum apud Hebraeos effusio sanguinis ad crepidinem vel super cornua altaris [3], ut notissimum est ex *Exodo*, *Levitico*, *Numeris*, *Deuteronomio*. Armentum enim extra sacram aedem, etiam ab homine laicali, caesum, eo censebatur Deo deferri, quod per sacerdotem sanguis admovebatur altari, veluti vicario numinis cujus erat praesentia sanctificatum [4].

Asserti autem ratio est, quia, cum sit sacrificium in genere donationis, necesse est ut sensibiliter peragatur aliqua activa doni praesentatio seu redditio.

Patet idem assertum ex *Levitico* 1^2 sq., ubi animalium sacrificio destinatorum occisio aliis praeter sacerdotes permittebatur, quanquam ad hos solos pertinebat occisorum animalium oblatio (cf. *Exod.*, 28^1 ; *Hebr.*, 5^{1-4}).

Patet vel maxime ex sacrificio Christi, qui minime seipsum mactavit, sed permisit interficiendum Judaeis deicidis, quamvis seipsum obtulerit immaculatum Deo (*Hebr.*, 9^{14}) ; quod qualiter factum sit, infra perpendetur. Potest igitur mactatio hostiae esse impia, et religiosa atque pia esse ejusdem oblatio ut mactandae vel mactatae. Quippe fuit summum scelus Judaeorum, et sanctissima Christi Domini oblatio sacerdotalis [5].

Jam vero nomen immolationis, si pressius accipiatur, destructionem seu mactationem victimae potius sonat quam oblationem, quanquam non sine respectu ad aliquam oblationem.

Sacrificium ergo integratur proprie ex duobus : nimirum et actu (externo) offe-

1. Necessitatem oblationis ut contradistinctae ab immolatione notat opportune, occasione data, G. Foucart (op. cit., p. 384).

2. Sed, ut patet, identitas illa realis inter oblationem et immolationem nequit habere locum ubi immolatio ab alio praeter liturgum seu sacerdotem peragitur ; necesse est enim ut oblatio sit opus ipsius liturgi seu sacerdotis.

3. Fuisse primitus inter Semitas in sacrificiis cruentis effusionem sanguinis ad consecratum altare ritum proprie et maxime sacrificalem, consentiunt plerique recentiores etiam acatholici. Vide Wellhausen, *Skizzen und Vorarbeiten*, drittes Heft, *Reste Arabischen Heidentumes*, 1887, p. 113 ; Robertson Smith, *The religion of the Semites*, 1901, p. 338-341 ; Marti, *Geschichte der Israelitischen Religion*, 1907, p. 42-43 ; G. A. Barton, in Hastings' *Encyclopaedia of Religion and Ethics*, s. v. *Altar (Semitic)*, n. 1.

Apud Aegyptios tingebatur cruore os idoli (Foucart, op. cit., p. 142 et 150) ; similiter apud quosdam pervetustos Hibernos (J. A. Mac Cullock, *The Religion of the ancient Celts*, 1911, p. 237).

4. Si fingamus (utrum absurde annon, non hujus loci est disserere) corpus hostiae esse ipsum Dei altare, et hostiam esse ipsum sacerdotem, tunc in hoc consistet oblatio, quod sacerdos proprium corpus immolatum effuso suo sanguine ipse cruentet. Quod revera fierine possit annon, vel quomodo, infra perpendetur (Elucid. XIII).

5. Suarez, *De Incarnatione*, disp. 46, s. 1, n. 2.

rendi et immolatione, quippe quia victima VEL OFFERATUR IMMOLANDA, VEL OFFERATUR IMMOLATIONE, VEL OFFERATUR IMMOLATA. Neque oblatio, neque immolatio, secundum se solam sumpta, sufficit ad statum victimae conferendum, sed requiritur utraque.

Apud scriptores autem saepissime accidit ut oblatio et immolatio non accipiantur ita stricte, sed pro integra sacrificatione, cujus partes sunt. Quod eo vel magis naturae rerum consonum est, quod in permultis sacrificiis non distinguitur ex parte rei, sed penes rationem tantum, ab immolatione oblatio ; adeo ut utralibet sacrificium realiter integretur. Praeterea, ubi ambae intercedunt distinctae, neutra ad sacrificium pertinet nisi cum respectu ad alteram. Unde factum est ut oblatio et immolatio pro synonymis haberentur, sonaretque oblatio immolationem, atque immolatio rursus oblationem. Quo sensu dicitur Christus et se immolasse pro nostra salute, quamvis non se mactaverit, sed se solummodo obtulerit ad mactationem ; et se obtulisse in ara crucis, quia ibi immolatus et pro tanto sacrificatus est, quamvis jam antea videatur se obtulisse ad passionem suam sacerdotaliter. Nos autem, quantum poterimus, dum de sacrificio disserimus, ut ratione, ita vocabulo semper distinguemus inter se oblationem et immolationem, proindeque etiam utramque inadaequate a sacrificatione.

Vox quippe *sacrificare* nominat actum sacerdotis sacrificantis, id est donum facientis aut deferentis Deo, et pro tanto ponit in recto oblationem, nec nisi in obliquo immolationem seu mactationem. Ad verum igitur sacrificium sufficiet ut OFFERATUR aliquid AUT TANQUAM IMMOLANDUM AUT TANQUAM IMMOLATUM [1].

Habent ex mactatione sacrificia ut sint cruenta. Ea igitur dicuntur sacrificia incruenta, quae carent mactatione : sive nulli connectitur immolationi oblatio, ut contingit in sacrificiis rerum inanimatarum; sive, praesupposito aliquo sacrificio cruento, ex quo sortita sit hostia statum victimalem adhuc perdurantem, refertur ad praeteritam immolationem oblatio mea recens, veluti iterans principalem illam oblationem in cujus virtute fit : quo casu sacrificium est incruentum, sed essentialiter relativum ad cruentum, ut amplius exponetur suo loco.

§ 3. De acceptatione sacrificii.

Sacrificio, peracta etiam oblatione atque (ubi locum habet) immolatione, competit insuper duplex *consummatio extrinseca* : una ex parte Dei, altera ex parte hominum. Ex parte scilicet Dei exspectatur sacrificii *acceptatio* ; ex parte autem hominum congruit sacrificii *participatio.*

SECTIO I. — DE NECESSITATE ACCEPTATIONIS DIVINAE.

Quod alicui datur, eo tendit ut acceptetur. Si quod igitur munus ab hominibus Deo sistitur, expetitur igitur a dantibus Dei acceptatio. Quae si defuerit, donum non transiit in mancipium Dei, nec proinde sacrum est, sed profanum ; hostia non trajecta est ad Deum, non coelo est invecta ; immo nulla est hostia. TUNC ENIM ERIT RATA UT HOSTIA, TUNCQUE DEMUM, CUM, A DEO SUSCEPTA, IN DIVINARUM RERUM TRANSIERIT CONDITIONEM ATQUE DIGNITATEM.

Si rejecta autem a Deo est, si despecta, nec respecta, quid jam erit nisi vana corporeae substantiae moles, quid nisi bru-

1. Vox autem *sacrificium* apud scriptores sacros nominat promiscue aut oblationem hostiae immolandae (vel immolatae), aut immolationem hostiae oblatae (vel offerendae) : secundum quod in recto ponitur alterutra pars sacrificii. Si quaeris utra ex his acceptionibus magis proprie et absolute sit vera, respondeo : in casibus ubi praecessit oblatio immolationi, videtur sacrificium suam propriam ac substantialem veritatem potius habere in immolatione, qua tandem peragitur ac absolvitur id ad quod ordinabatur oblatio : ut tandem *esse* solidum et completum consequatur sacrificium. Opposite foret solutio, si, praesupposita immolatione, sacrificium ipsa demum oblatione absolveretur.

Praeterea usurpatur saepissime eadem vox *sacrificium* sensu passivo pro re sacrificata.

torum animantium strages importuna, quid nisi carnium cruorumve foetores atque sordes ? Irritum *sacrificium* est, quod non ratum a Deo est. Irritum *sacerdotium*, cujus non valet pertransire ad Deum munus, nec munera divina vicissim possunt devinciri hominibus.

Quod si autem acceptatio locum habuit, jam obligatus censetur Deus erga homines vi sacrificii acceptati. In quantum enim propitiandi vel impetrandi causa fit sacrificium, est ex parte ipsius offerentis quidam attentatus contractus seu pactum, seu foedus, cum Deo : siquidem aliquid offertur Deo eo fine ut acceptans Deus vel ignoscat (sacrificium propitiatorium), vel benefaciat (sacrificium impetratorium). Sed contractus non stat, nisi acceptante Deo id quod est oblatum. Quod si renuat facere Deus, nihil actum est ; nullum inter Deum et homines ictum est foedus. At si acceptavit Deus, contractus jam intercessit bilateralis : et certo necessarioque obtinget homini illud ad quod ordinatum erat sacrificium.

Sectio II. — De significatione externa divinae acceptationis.

Quia autem ea quae sunt interiora Deo, invisibilia sunt hominibus, ideo factum est ut signum externum divinae acceptationis maxime semper homines expeterent sibi conciliare : illudque eo vel magis, quod, sicut contractus in genere, sic contractus sacrificalis, seu foedus inter Deum et homines, non absolvitur nisi mutua significatione dationis et acceptationis. Quam significationem contingebat fieri dupliciter : aut scilicet arte humana, aut divina.

Arte autem humana, duobus rursus modis fiebat potissimum.

Uno quidem modo inchoative, dum altari infundebatur sanguis hostiae. Qui modus igitur re coincidebat oblationis ritui, sed differebat pro respectuum oppositione : quod enim homo dabat, id altare suscipiebat ; altare autem vices Dei gerebat, numinis veluti praesentia perfusum ; quod igitur altare suscipiebat, id censebatur Deus assumere.

Alter autem modus perfectior erat holocaustorum. Postquam enim oblatum erat sacrificium, puta per altaris cruentationem, frusta lignis imposita incendio vorabantur, eo fine ut sub symbolo ignis Deus consereretur ipse hostias consumere et veluti depascere [1].

Uterque autem modus erat infirmus, utpote vitio falsitatis obnoxius ; procurato scilicet humanitus signo poterat divina deesse veritas : significante homine acceptum Deo, quod Deo esset exosum.

Divinitus autem solebat intimari acceptatio divina [2] per ignem de coelo lapsum (*Gen.*, 15^{17}, *Jud.*, 6^{19-20}, *Paral.*, 21^{26}, *III Reg.*, 18^{38}), « qui, ut scribit Gulielmus Parisiensis (*op. cit.*, c. 24, p. 72) « partem suam sacrificiorum comederet,

1. Vide in *Levitico* 3 [11 et 16] quomodo incensa sint veluti quoddam pabulum vel panis Deo, secundum vim hebraici textus et versionem LXX interpretum. Conferas Robertson Smith, *The religion of the Semites*, 1901, p. 338-341, ubi tibi exponitur quomodo in sacrificiis etiam incensorum vel holocaustorum, incendium extra partes essentiales litationis exstiterit, quae sunt et occisio animantis (=immolatio) et cruoris ad altare effusio (=oblatio). Quippe actioni sacrificali quasi ex parte hominum perfectae, accedebat veluti ex parte Dei acceptatio, qua non constituitur litatio, sed constituta jam extrinsece consummatur, dum ad finem suum pervenit. Perpulchre scripserat Döllinger, (*Heidenthum und Judenthum*, 1857, p. 208) de incensione sacrificiorum apud Graecos : « Das « Feuer war das Aneignungsorgan, gleich- « sam der Mund der Gottheit, dem das Opfer « dargebracht wurde, oder das die Substanz « desselben in Gestalt des Rauches, ihr zu- « führte. »

2. Theodoretus, *In Gen.* 15 [17]. P.G. 80, 173 : « Quod autem dicitur circa occasum solis « visum esse clibanum fumantem et lampades « ignis [transeuntes inter divisiones caesorum « animalium] : significabat suscepta esse « sacrificia. » Chrysostomus (in h. l. P.G. 53, 348) et Cyrillus Al. (*Glaphyr. in Genes.* l. 3, n. 4. P.G. 69, 120) intellegunt transitu ignis, divinitatem designantis (Cyril.) et proposita consumentis (Chrysost.), significatum esse (ad morem chaldaicum) pactionis divinae juramentum seu sanctionem foederis : quae interpretatione, ex dictis supra, in idem cum superiore redeunt. De igne circumlambente sacrificia Patrum et Hebraeorum, lege Aphraatem, *Demonstrat.* 4, n. 2 et 3. P. S. pars 1, tom. 1, p. 131-143.

« quasi vice ipsius. » Qui modus erat perfectior [1], si quidem a Deo profectum signum vitio falsitatis laborare non poterat. Sed tamen nondum erat, ut videbimus, perfectissimus modus, quippe qui non transcenderet ordinem figurarum. Hostiae enim carnales, etiam coelesti igne voratae, non tamen vere ipsae transibant in sanctitatem divinam, sed praesignabant victimam perfectam, aliquando vorandam igne divinae gloriae et transmittendam in sacrarium divinae sanctitatis, in sancta sanctorum.

§ 4. De participatione sacrificii.

SECTIO I. — PARTICIPATIONIS VINDICATIO.

Quod de consecratis Deo muneribus et hostiis soliti sunt homines semper, quantum res ferebat, aliquid per comestionem aut potationem in proprios usus vertere, minime censendi sunt per id fuisse peracti sacrificii violatores, sed potius consummatores. Illo enim tendebat vel maxime sacrificium, ut aditus pateret hominibus ad bona Dei, sive per hostias placati, sive pro muneribus nostris sua nobis retribuentis. Quae divinorum bonorum communicatio ad homines aptissime per convivium significabatur [2], quo Deus pasceret homines de cibis sibi ipsi propriis. Non enim tunc quasi ad vulgarem altaris mensam accedebant, sed sacram, sed divinam, convivae facti Dei [3], qui eos ad coenam suam vocaret adscisceretque commensales [4]. Nec si qui agnus forte aut panis aut calix dividebatur, intellegebatur communis, sed agnus Dei, sed panis Dei, sed calix Dei. Quod ipse Paulus de sacrificiis omnibus cum gentilium tum Judaeorum (ne hic nostra commemorem) pronuntiat universale dogma, dum ad Corinthios scribit de Judaeis primum : *Videte Israel secundum carnem ; nonne qui edunt hostias participes sunt altaris* (*I Cor.*, 10[18]); deinde de gentilibus : *Nolo autem vos socios fieri daemoniorum ; non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum ; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum* (*I Cor.*, [20–21]). Sicut igitur idolothytorum participes censebantur commensales daemoniorum, sic Dei commensales efficit manducatio theothyti. Commensalitas autem, si qui ea utuntur, maximam habet vim constringendi vinculo arctissimae cujusdam unitatis [5]. Quem sacri convivii effectum inter causas sacrificandi numerat quintam Gulielmus Parisiensis his verbis: « Quinta causa, familiaritas ad Deum « et appropinquatio. Oblatio namque mu- « nerum et participatio sacrae mensae mul- « tam fiduciam praestant appropinquatio- « nis, et de familia Dei efficit participantes ; « ejus enim censetur esse familia, a quo « pascitur, et de cujus mensa vivit. Quare « manifestum est hujusmodi sacrificia par- « ticipantibus imprimere familiaritatem et « proximitatem ad Deum, dum eos Dei

1. Ceterum extendebatur ille perfectior diviniorque modus ipsis holocaustis Judaeorum : cum ignis sacrificii, divina origine sacer (*Levit.* 9 [24], 2 *Paralip.* 7 [1–3], 2 *Mach.* [19–22]), juberetur in Lege asservari jugiter (*Levit.* 6 [13]), prohibereturque ignis alienus (*Levit.* 10 [1]).

2. Communio divinorum bonorum SIGNIFICABATUR, inquam, apte per comestionem ; sed DEVINCIEBATUR seu CONCILIABATUR per ipsam sacrificii oblationem Deo accepti. Quare omnino stabat sacrificium (nec suo fini censebatur impar), cujus nulla importaretur participatio, ut in effusione olei, thuris incensione animantiumque holocaustis contingebat. Tunc enim, etsi non significabatur retributio divinorum bonorum, tamen quaesitum censebatur ad ea jus quoddam. Ubi vero rerum natura participationem fert, ut in incensis, perfectius est sacrificium ex parte nostrae consummationis ; sed perfectius in holocaustis habetur ex parte consummationis divinae. Perfectissimum igitur in genere sacrificii erit illud in quo et holocausti ratio adimpletur, et participatio tamen conceditur : quale fuit illud, et est, quod juxta *Epistolam ad Hebraeos* 13 [10–12] simul et est extra portam crematum totum, et prostat nobis tamen comedendum, ut infra late disputabitur.

3. « Die Gottheit... war selbst der Wirth, « indem sie ihre Diener an ihren Tisch lud » (Smend, op. cit. p. 140). Cf. Döllinger, citandum infra.

4. Cf. Lagrange, *Etudes sur les Religions Sémitiques*, 1905, p. 246-274 ; Lesêtre, art. *Sacrifice*, in *Dictionnaire de la Bible*, 5, 1314-1315.

5. Haec epularum sacrificalium ratio et causa qualiter nostris etiam diebus vigeat in Oriente, vide apud Wellhausen, *Skizzen und Vorarbeiten*, drittes Heft, *Reste Arabischen Heidentumes* (1887), p. 122.

« commensales quodammodo efficiebant. « Commensalitas autem, tanquam summa « communio post commutationem causa- « rum essendi, quae sunt pater et mater, « maxime effectiva est familiaritatis. Prop- « ter quod, cum Deus non posset eis vice « versa comedendo communicare, mittebat « interdum ignem de coelo, qui partem « suam sacrificiorum comederet, quasi vice « ipsius » (*op. cit.*, c. 2, p. 30). Quare communicantem sacrificio sic divinum numen inducit alloquentem : « Per hanc immola- « tionum communionem, per hoc quod ad « mensam istam admittor, cum aliis cul- « toribus tuis, de familia tua et cultoribus « tuis me esse profiteor » (*op. cit.*, c. 24, p. 72).

Quo commercio divino potissimum figurabatur *futura* bonorum coelestium consecutio, ad quae per sacrificium justitiae praepararetur homo, initiareturque per convivium theothytorum.

Sed et *praesens* quaedam figurabatur sanctificatio. Etenim consequebatur res facta Deo sacra sanctificationem quamdam sui generis. Dei videlicet cum esset jam prae ceteris rebus propria, in divinam quasi transibat rem, perfusam nescio qua numinis ipsius sanctitate atque unctione. Quare *sacrificatio sanctificatio* erat. Nec in alio consistebat munerum aut hostiarum forma vel proprietas sacrificalis nisi in sanctitate illa, qua induta res per sacrificium gaudebat, quamdiu incorrupta perseverabat. Nata vero censebatur sacrificii illa sanctitas quasi invadere communicantes et in consortium divinae sanctitatis non solum destinare, sed et praesens adducere. Factus enim erat homo manducans ex communicatione theothyti quasi ipse theothytus ; perficiebaturque in eo summopere significatio sacrificii, quo nihil aliud portendebatur nisi hominem se interius Deo sacrasse atque devovisse, consequenter et conjunxisse.

Communioni autem ad Deum adjungebatur tandem ex participatione sacrificii effectus communionis inter ipsos communicantes [1], ut sapienter annotat Gulielmus Parisiensis, hanc prioribus addens sacrificiorum causam : « Sexta, inquit, « causa, adunatio sive unio populi Dei, « videlicet ut una domus fieret et una fa- « milia ex multis personis. Unam enim « familiam et unam domum liberalem « maxime facit communio victualium ; sic « et unam familiam spiritalem unamque « domum maxime facit communio cibo- « rum et potuum spiritalium » (*op. cit.*, c. 2, p. 30).

En habes igitur recensitas omnes causas, cur non solum oblati sacrificii non repugnet naturae atque indoli participatio convivalis, sed et maxime congruat.

Sectio II. — Oblati sacrificii et convivii parati rationes distinctae.

Nec diffitendum eadem actione plerumque et offerri Deo sacrificium et praeparari nobis convivium. Nec tamen per convivalem rationem definiri aut explicari potest sacrificalis quasi per priorem posterior, sed e converso. Non enim eo sacrificium quo convivium, sed eo convivium quo sacrificium ; cum non sacrae sint dapes, nisi quatenus divinae per oblationem sacrificalem et divinam acceptationem factae, nec proinde prostet nobis convivium sacrum nisi praesupposito aut praeintellecto sacrificio. Ad veram igitur alicujus sacrificii proprietatem rimandam et vindicandam non sufficit, si indigitetur convivalis ratio, cum desit muneris oblatio. Nullum enim sacrificium a quopiam agitur, nisi ab eodem profectum in genere oblationis, et quidem sensibilis ; nec quantumvis exaggeraveris convivium mihi (etiam a memetipso) paratum, tamen ostenderis sacrificium a me litatum, quamdiu negaveris a me oblatum. Si igitur Ecclesia habeat sacrificium, oportet ut vere Ecclesia offerat. Si habeat sacrificium corporis et sanguinis Christi, oportet ut vere et sensibiliter offerat corpus et sanguinem Christi. Nec habet sacrificium, si tantum habet, negata oblatione, convivium

1. Qua de re etiam videsis Wellhausen, *op. cit.* p. 119-123, et Döllinger, citandum infra.

ex corpore et sanguine Christi, quantumvis sacrificato olim in cruce, utique a Christo. Rectissime igitur Suarez : « Licet « in veteribus sacrificiis res oblatae et « sacrificatae interdum consumerentur per « usum sacerdotis aut populi, tamen neque « id erat commune omnibus sacrificiis, ut « constat de holocausto, neque in his in « quibus fiebat, pertinebat ad essentiam « sacrificii, sed post consummatum [1] sa« crificium, fiebat ad significandum ho« minem per sacrificium acceptari ad divi« norum consortium » (*De Eucharistia*, disp. 73, s. 5, n. 6).

Vides igitur quam perperam quis agat, si congestis locutionibus Patrum prope infinitis, quibus Ecclesiae sacrificio asseratur competere ut sit convivii praeparatio, inde voluerit arguere hanc demum ex sententia Patrum fuisse eucharistici sacrificii rationem, non ut corpus aut sanguis Christi ab Ecclesia proprie offerretur, sed ut, semel oblata hostia ab uno Christo, jam a ministris Ecclesiae poneretur ante nos in statu cibali [2]. Quanquam enim una actione et offertur ab Ecclesia Christus Deo, et nobis proponitur sumendus, tamen quae una subjecto est actio, eadem habet rationes formales duas omnino inter se distinctas, quippe ordinem dicentes ad duos terminos inter se oppositos, Deum dico et nos. Quod enim paratur convivium, mihi paratur. Quod autem offertur corpus et sanguis, Deo offertur.

Quod prae ceteris egregie elucidavit suo more Gulielmus Pariensis : « Ecclesia « Dei, inquit, et domus est et templum « ipsius : et quia templo necessarius est « cultus ipsius cum ipsis tribus effectibus « quos supra nominavimus [laudis, propi« tiationis et impetrationis,] et propter « hoc altare et sacrificium. Et quia domus « multae familiae indiget mensa refectio« nis, qualis domui et familiae congruit, « non oportet nos probationibus adstruere, « vel declarare quod res una fuit subjecto « altare et mensa, sicut idem sunt tem« plum et domus. Sed altare dicitur com« paratione et respectu oblationis et sanc« tificationis [*intellege* : sacrificationis], et « omnino ad Deum cujus honori et cultui « deputatum est ; mensa vero compara-

1. Intellege : post consummatam *intrinsece* sacrificationem, fiebat *extrinseca* sacrificii consummatio, consistens in significatione acceptationis.

2. Ut toto suo opere (*Die Geschichte des Messopfer-Begriffs*, 1901) Renz infeliciter attentavit. Contra talem methodum vero jamdudum haec veluti praescripserat Döllinger (op. cit. 209-210), scribens de epulis sacrificalibus Graecorum : « Von den Brand—, Sühn— oder « Todten — Opfern, so wie von denen, welche, « zur Bekräftigung eines Eides oder Vertrages « verrichtet, mit einem Fluche belastet waren, « wurde nichts genossen ; mit den übrigen « aber verband man eine Opfermahlzeit ; die « Theilnehmenden verzehrten das gebratene « Fleisch des Thieres, sie tranken dazu von « dem durch Libation geheiligten Weine, und « GINGEN SO BEI DER GOTTHEIT, VON DEREN « TISCH SIE ASSEN, ZU GASTE, während die « gemeinschaftliche durch die Gottheit geweihte « Nahrung zugleich ein engeres Band unter « ihnen bildete, weshalb auch der Hauptzweck « und das wirksamste Bindemittel für reli« giöse Genossenschaften in solchen geweihten « Schmausereien bestand. MAHLZEIT UND OP« FER GEHÖRTEN DAHER SO WESENTLICH ZU« SAMMEN, DASS SELBST DIE BENENNUNGEN « BEIDER AKTE VERWECHSELT WURDEN. » Legesis ibid., p. 371-373, quomodo Persarum libationes domesticae prius in focum fundi essent solitae quam calices propinarentur. Quocirca observat auctor : « So hatten denn die Perser « am Homa ein OPFER das für sie zugleich die « volle Bedeutung eines SAKRAMENTS... hatte. » Etc.

Radicalius etiam quam Renz, proposuit theoriam convivalem sacrificii (« Banquet-Theory ») Revmus J. Bellord, episcopus milevitanus, in sua dissertatione posthuma (in qua sunt ceterum multa bona contra destructionis assertores allegata), *The Sacrifice of the New Law* (*Ecclesiastical Review*, jul. 1905, p. 258-273), ubi haec legis : « There is no death indeed « in it [viz. the last supper], NOR SYMBOL OF « DEATH [!]. The use of the two distinct « species was not a rehearsing of the bloodshed« ding of the next day ; IT MEANT ONLY THE « PROVISION OF THE TWO MATERIALS OF A COM« PLETE BANQUET, food and drink... Even if « the chalice had passed away after the prayer « in the Garden, and Jesus had not suffered « death, the Last Supper would still be a full and « perfect sacrifice. » Quod sententiis Patrum postmodum enucleandis recta contrariatur. Interea jam in Anglia praescripserant sapientissime J. Wilhelm et T. Scannell (op. cit., p. 452) : « It is altogether too gross a notion « to see in the ancient sacrifices NOTHING BUT « a banquet in which the gods were supposed « to take part. The eating of the victim accep« ted by God is simply the symbol of the union « with God intended by those who offer the « sacrifice. »

« tione et respectu refectionis spiritualis, « et omnino ad familiam cui reficiendae « posita est et parata ; quemadmodum « res una subjecto sacrificium in quan- « tum Deo oblata, et nihilominus cibus « sanctificans comparatione sumentium » (*De Sacramento Eucharistiae*, c. 2, t. 1, p. 437-438).

Quare recte *Concilium Tridentinum* docuit, illo loco quo Paulus de mensa daemoniorum et de Dei mensa loquitur, utrobique per mensam intellegendum esse altare (sess. 22, c. 1. D. 939)[1], adjecto canone : « Si quis dixerit in missa non offerri Deo « verum et proprium sacrificium, aut quod « offerri non sit aliud quam nobis Christum « ad manducandum dari : A. S. » (D. 948).

Et haec quidem sufficiant dicta de sacrificio in genere, quale intellegitur et definitur a *Tridentino* « visibile, sicut hominum « natura[2] exigit... sacrificium » (*loc. cit.*, D. 938).

1. Non primus Paulus nomine mensae donavit altare, sed ut recte scribit Smend (op. cit., p. 139) : «Altar und Tisch sind Wechselbegriffe « (*Ez.* 41 [22]) ; noch im Buche Maleachi wird « der Altar der Tisch Jahves genannt ([1 7, 12]), « und noch im Priestercodex heisst das Opfer, « auch das Blutige, das Brot Jahves (*Lev.* « 3 [11, 16] u. ö.). »

2. Exigit hominum natura sacrificium eo modo, quo exigit moralitatem, vel religionem, vel ordinem socialem, sive politicum, sive domesticum. Qua exigentia non praepediuntur aberrationes, cum sit, consequenter ad peccatum originale, natura humana summopere fallibilis et labilis. Porro non ex monstris potissimum requiritur typus authenticus alicujus generis ; nec proinde ex perversitatibus sive morum, sive legum, rectus ordo eruetur, quem approbant leges aeternae mentibus hominum, quamvis caecutientium, objectae. A pari, nec historia magiae sensum tibi aperiet disciplinae hominum religiosae (cf. F. Bouvier, *Magie et Magisme*, in *Dictionnaire Apologétique* d'Alès, tom. 3, col. 61 sq.). Quod velim generaliter notatum occasione scriptorum quorumdam hujus aetatis, inter quos se voluit numeratum A. Loisy (*Essai historique sur le sacrifice*, Paris, 1920). Neque id mirum quidem in homine atheo, cujus nequit certe philosophia religiosa habere quicquam commune cum nostra, quibus constat esse Deum, eumque colendum, ac innotescere mentibus hominum per ea quae facta sunt. Originem igitur cultus religiosi assumens explicandam sine Deo, sine Dei notitia, haec de sacrificiis in communi auctor ante omnia autumat. 1° Praecesserunt necessario religioni erga divinum numen, qualem historia exhibet, artes plus minus magicae, quibus addictas videmus stolidiores inter gentes barbaras (ita ut ab auctore degeneres homines habeantur pro primitivis, trajicianturque retro in praehistoriam corruptiones aetatis serioris). 2° Sacrificium proinde pertinet ad genus illud actionum ritualium, quarum « virtute magico-mystica » censetur influi in vires invisibiles, sive nocivas, eliminandas, sive utiles, regendas, sive tandem benevolas, conciliandas (p. 5-10). 3° Sicut non potuit igitur sacrificium esse primitus symbolum aliquod affectus religiosi, sic nec potuit inter elementa ritus sacrificalis primaeva locum habere munerum oblatio, quippe qua connotetur jam quaedam numinis personalitas : « Il paraît impossible de « faire dériver du don rituel toute l'économie des « sacrifices. Car on ne trouve pas à l'origine des « religions l'idée de dieux personnels, que l'on « traiterait par le tribut et par la prière, mais « des forces à peine personnifiées, on pourrait « même dire à peine conçues, que l'on conduit par « la vertu de l'action rituelle » (p. 26). — Cujusmodi asserta non factis quidem probantur, sed praesunt interpretationi factorum (eique violentae, qua ex rebus maximopere inter se heterogeneis una alteram, nec disparatam solum, sed et contrariam nobilioremque, originasse censeatur) : adeo ut totum systema, isti fundamento innixum, nihil aliud sit quam hypothesis quaedam explicativa ; cujus tantus ad summum fuerit valor, quantus est philosophiae substratae, materialismi dico evolutionistici.

Applicatio autem theoriae cum ad dogma scripturisticum mortis Christi piacularis, tum ad sacrificium ecclesiasticum eucharistiae, quae toto libro decurrit, hoc necessario requirit, ut neque Christus obtulerit reapse suam mortem pro nobis, sed Paulus istud ei affinxerit ; neque proinde instituerit Christus celebrandam a nobis suae mortis commemorationem, sed ritus commemorativus adnexus sit cuidam coenae christianorum antiquiori. Hac enim lege, hacque demum, licebit sacrificium missae, spectatum jam prout commemorationem mysticam alicujus oblationis MYTHICAE (p. 53, 72, 87, 115, 125, 305-306, 359-360, 417, 518-519, 526-528, etc.), aequiparare tandem « mysteriis », quibus MYTHOS suos ethnici repraesentabant, ac proinde simul cum illis refundere uno eodemque processu in primordia religionis magica. At quantum est necessaria oeconomiae systematis ista paulina origo sacrificii nostri, et connotata exclusio oblationis dominicae, tantum impingit in historiam, ut constabit infra (Elucid. XVI) : adeo *mysterium fidei* est, ratione suae historicae institutionis, adversus insectantes christianismi transcendentiam, propugnaculum invictissimum.

Elucidatio II.

Passio Christi fuit sacrificium proprie dictum, nullo veri sacrificii carens elemento, aut invisibili aut visibili.

CAPUT II.

DE SACRIFICIO IN PASSIONE PERACTO.

§ 1. De veritate hujus sacrificii.

Omissis, pro merito, protestantium recentiorum commentis, quibus a Christo Domino satagunt amovere propositum omne mortem suam offerendi in remissionem peccatorum, nobis ex fide constat non solum fuisse Christi mortem redemptricem, hoc est adaequate atque etiam cumulate satisfactoriam Deo pro nobis [1], sed et veri habuisse rationem atque formam sacrificii ab ipso Christo oblati. Quod nemo aut negare aut in dubium adducere, salva catholica fide, poterit unquam.

Praeterquam enim multis ante saeculis ab *Isaia* 53^{10} (secundum lectionem probabiliorem, cf. Condamin, *Le Livre d'Isaïe*, p. 323 et 343) praenuntiatum illud erat, ipse, instante passione, Christus (ne hic commemorentur verba quibus in novissima coena litasse est postmodum ostendendus) aperte demonstravit se sanctificare, hoc est sacrificare semetipsum pro aliis (ὑπὲρ αὐτῶν ἁγιάζω ἐμαυτόν. *Jo.*, 17^{19}).

Cujus sacrificii veritatem, praeter aequiparationem inter manducationem idolothytorum et participationem corporis atque sanguinis Christi, disertis etiam verbis confirmat Paulus, aiens Christum, immolatum ut pascha nostrum (τὸ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός *I Cor.*, 5^7), se dedisse hostiam et oblationem Deo suaveolentam (παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *Eph.*, 5^2), adeo ut sit victima piacularis (ἱλαστήριον *Rom.*, 3^{25}), victima pro peccato (ἁμαρτίαν *II Cor.*, 5^{21})[2], cujus sanguine mundati simus (καθαρίσῃ *Tit.*, 2^{14}).

Cui consonat Joannes, sive cum expiationem illum vocat pro peccatis nostris (ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν *I Jo.*, 4^{10} et 2^2, coll. *II Mach.*, 3^{33}, LXX *Num.* 5^8, LXX *Ezech.* 44^{27}), sive cum nos dicit vel purgatos (καθαρίζει I *Jo.*, 1^7) vel solutos (λύσαντι *Apocal.*, 1^5) a peccatis nostris per sanguinem illius ; quibus vocibus, sicut et dicto Petri, nos aspersos (ῥαντισμόν *I Pet.*, 1^2) pronuntiantis sanguine Christi, evidenter alluditur ad ritum sacrificiorum mosaicum.

Nec minor allusio ad ritum sacrificalem in nuncupatione *agni*, quam Christi facit propriam uterque apostolus Petrus et Joannes ; agni scilicet irreprehensibilis et immaculati (*I Pet.*, 1^{18-19}) ; tollentis peccatum mundi, utpote qui agnus Dei sit (*Jo.*, 1^{29}), hoc est Deo sacer ; agni tandem mactati (ἐσφαγμένου *Apoc.*, $5^{6\text{ et }12}$, 13^8).

Sed si haec omnia deficerent, sufficeret

1. *Is.* 52^{13-15}, 53^{1-13} (coll. *Act.* 8^{32-35}, *I Pet.* 2^{24}, *Marc.* 9^{11}, et *Matt.* 8^{17}). *Marc.* 10^{45}. *Matt.* 20^{28}. *I Pet.* 1^{18-19} (ἐλυτρώθητε). *Apocal.* 5^9 (ἠγόρασας). *Eph.* 1^7 (ἀπολύτρωσιν). *I Tim.* 2^6 (ἀντίλυτρον). *Tit.* 2^{14} (λυτρώσηται). *Hebr.* 9^{12} (λύτρωσιν).

2. Cf. Augustin. *Ep.* 140, c. 29, n. 73 ; *Enchir.* c. 41 ; *Contra Maximin.* l. 1, c. 2 ; *Contra duas epist. Pelagian.* l. 3, c. 6. P.L. 33, 570 ; 40, 253 ; 42. 744 ; 44, 600. Cyril. Alex. *in h. l.* [coll. LXX *Levit.* 6^{25} (^{18})], cum plerisque latinis interpretibus recentioribusque exegetis, etiam protestantibus et rationalistis ; contra Chrysostomum (*in h. l.* P.G. 61, 477 sq.), cui assentiunt Cornely *(in h. l.)* et Grimm, *Lexicon Graeco-Latinum* [4], s. v. ἁμαρτία.

abunde luculentissimum et locupletissimum testimonium *Epistolae ad Hebraeos* (4^{14}-fi.), quae eo tota tendit ut Christi uno sacrificio, ceteris quibus in lege adumbrabatur anteposito, demonstretur abrogatio veteris sacerdotii et novi subrogatio. Qua comparatione figurae et veritatis nihil, ad tuendam proprietatem sacrificii, aptius aut validius desiderari potest.

Praeterea sacerdotium Christi tantopere in Scripturis, sive a Psalmista (*Ps.* 109^{4}, coll. *Hebr.*, $5^{6 \text{ et } 10}$, 6^{20}, $7^{15,17,21}$) sive ab ipso auctore *Epistolae ad Hebraeos* (ἱερεύς 5^{6}, $7^{15,17,21}$; ἱερέα μέγαν 10^{21} ; ἀρχιερεύς 2^{17}, 3^{1}, 4^{15}, 5^{10}, 6^{20}, 7^{26}, 9^{11} ; ἀρχιερέα μέγαν 4^{14}) celebratum, necesse tandem est ut corruat, nisi Christus proprie litaverit : *Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur : unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat* (*Hebr.*, 8^{3}, cf. 5^{1}). Nec sane erit, semel remota a passione proprietate sacrificali, unde Christo tribuas hostiam, cum eucharistiae non insit ratio sacrificii nisi ex respectu ad passionem indita.

Hanc de sacrificio corporis et sanguinis Christi doctrinam praeter scriptores sacros alii etiam theologi Ecclesiae ab apostolicis inde temporibus constantissime praedicaverunt. Sic antiquissimus ille auctor *Epistolae* quae dicitur *Barnabae* (circa A. D. 72)[1] : « Crucifixus vero... ipse pro pec-« catis nostris, vas spiritus [h. e. cor-« pus] erat oblaturus in hostiam (προσφέρειν « θυσίαν), ut et impleretur figura facta in « Isaac qui super altare fuit oblatus. Quid « igitur dicit apud prophetam ? ...Me pro « novi populi delictis oblaturum carnem « meam potaturi estis felle cum aceto » (*Barnab.* 7^{3-5}. Cf. 8^{2-3}, 5^{1-2}. F. P. 1, 58-60, 62, 50).

Sic apud Clementem Romanum dicitur Christus « pontifex noster » (*I Cor.*, 64. F. P. 1, 182) vel « pontifex animarum nos-« trarum » (*ibid.*, 61^{3}, p. 180), atque etiam « pontifex oblationum nostrarum » (*ibid.*, 36^{1}, p. 144), « sanguinem suum pro nobis « tradidisse et carnem pro carne nostra, « et animam pro animabus nostris » (*ibid.*, 49^{6}, p. 162). Quem etiam « pontifi-« cem sempiternum » nuncupat Polycarpus (*Epist.* 12^{2}. F. P. 1, 310).

Justinus vero alterum illum hircum praeter emissarium vult figuram fuisse Christi, qui « oblatio (προσφορά) erat pro « omnibus peccatoribus poenitentiam agere « volentibus » (*Dial.* 40. P.G. 6, 564).

« Isaac, inquit Tertullianus, cum a « patre hostia duceretur, et lignum ipsi sibi « portaret, Christi exitum jam tunc deno-« tabat, IN VICTIMAM CONCESSI a Patre, « lignum passionis suae bajulantis » (*Advers. Judaeos*, 10. P.L. 2, 626). Quem, in ariete pro Isaac oblato significatum, « opor-« tebat pro omnibus gentibus FIERI SA-« CRIFICIUM, qui tanquam ovis ad victi-« mam ductus est » (*ibid.*, 13, col. 636).

Post haec vero tempora quid abundantius aut instantius praedicatum est in Ecclesia quam sacrificium Christi ? Plurima praedicationis ecclesiasticae specimina sunt collecta in opere erudito cl. J. Rivière, *Le Dogme de la Rédemption. Essai d'étude historique*[2] (1905) passim, quibus haec pauca praestantiora adjicere licet.

Primus audiatur Zeno Veronensis : « Hic inquam agnus perfectus, quia in « ipso MAGNUS ILLE SACERDOS, pro mys-« terio SUA VICTIMA INCLUSUS, hodie Deum « reddidit hominem, quem litavit » (Liber 2, tractatus 55, in die paschae. P.L. 11, 511).

Sanctus Ephraem abundat sacrificii illius laudibus, quarum specimen praebent *Hymni Azymorum* : « Sciens agnus veri-« tatis sacerdotes rejectos et sacrificatores « pollutos sibi non sufficere, factus est suo « corpori sacerdos et sacrificatorum prin-« ceps. Sacrificatores populi necarunt prin-« cipem sacrificatorum. Sacrificator noster « victima factus sacrificio suo abolevit « victimas et expandit auxilia sua quo-« cumque locorum. Nullus agnus agno « coelesti major. Cum sacerdotes terres-« tres essent et agnus coelestis, ipse sibi

1. Ut valde probabiliter contendit M. d'Herbigny, R.S.R., t. 1, p. 417 sq. et. 540 sq.

« fuit victima et sacerdos. Digni quippe « non erant sacerdotes polluti offerre ag- « num immaculatum, victimam pacificam, « quae coelo et terrae pacem afferebat, « sanguine suo omnia pacificante » (*Hymni Azymorum*, hymn. 2, str. 2, 3, 5, 6, ed. Lamy, t. 1, p. 576-578).

Sacrificium Christi eo praestitisse sacrificiis legis vult sanctus Hilarius, quod haec sub interminatione maledicti praecipiebantur, oblatum est autem illud ex liberrima voluntate. « Maledictorum se ergo « obtulit morti, ut maledictum legis dissol- « veret, hostiam se ipse Deo Patri volun- « tarie offerendo, ut per hostiam volunta- « riam maledictum, quod ob hostiae neces- « sariae et intermissae reatum erat addi- « tum, solveretur. Cujus sacrificii alio loco « meminit in Psalmis : *Hostiam et oblatio-* « *nem noluisti, perfecisti autem mihi corpus* ; « Deo Patri, legis sacrificia respuenti, hos- « tiam placentem suscepti corporis offe- « rendo. Cujus oblationis beatus Apostolus « ita meminit : *Hoc enim fecit semel seip-* « *sum offerens hostiam Deo* ; omnem humani « generis salutem oblatione sanctae hujus « et perfectae hostiae redempturus » (*In Ps.* 53, n. 13. P.L. 9, 345).

Quin adeo vulgata erat et inconcussa fides Ecclesiae de veritate sacrificii Christi, ut principii instar assumeretur in controversia, quae inter catholicos et haereticos vigebat, qua ratione esset Verbo Incarnato sacerdotium adscribendum : negantibus scilicet contra Arianos catholicis, Christum ratione sublimioris suae naturae sacerdotem (vid. Epiphan., *Haer.* 69, n. 37-39. P.G. 42, 260-261 ; Ambros., *De Fide*, l. 3, c. 11, n. 87. P.L. 16, 607) ; tenentibus vero contra Nestorium, ipsum (quamvis ratione naturae humanae) sacerdotem esse simul tamen Deum (vid. Cyril. Alex., *Contra Nestorium*, l. 3, c. 3. P.G. 76, 116-125) ; contra Eutychianos tandem, arguentibus in sacerdote eodem dualitatem naturarum inconfusarum (vid. Theodoret., *Eranistes*, Dial. 1. P.G. 83, 57 ; Leon. M., Ep. 124, c. 4. P.L. 54, 1064)[1].

Doctrinae autem summam circa illius sacrificii veritatem facile ex operibus AUGUSTINI colliges, qui haec pronuntiat : « Morte sua quippe uno VERISSIMO SA- « CRIFICIO pro nobis oblato, quicquid cul- « parum erat, purgavit » (*Trin.*, l. 4, c. 13, n. 17. P.L. 42, 899). « Singulari et SOLO « VERO SACRIFICIO pro nobis Christi san- « guis effusus est. » Quod « UNUM VERUM « et singulare SACRIFICIUM multis est « antea sacrificiorum significatum figuris » (*Contra Advers. Leg. et Prophet.*, l. 1, c. 18. P.L. 42, 624). Omnia scilicet quaecumque etiam daemoniis unquam oblata sunt sacrificia, fuere « praedicamenta venturi UNIUS « VERISSIMI sacrificii quod pro peccatis « omnium credentium offerri oporteret... « Proinde VERUM SACRIFICIUM quod uni « vero debetur Deo, quo ejus altare solus « Christus implevit, in victimis pecorum « imitata daemonia sibi arroganter expos- « cunt... Hebraei autem in victimis pe- « corum quas offerebant Deo,... prophe- « tiam celebrabant futurae victimae quam « Christus obtulit. Unde jam christiani « peracti ejusdem sacrificii memoriam cele- « brant sacrosancta oblatione et partici- « patione corporis et sanguinis Christi » (*Contra Faust.*, l. 20, c. 18. P.L. 42, 382-383). Rursusque : « Hic ergo, de

1. Sic Epiphanius : « Filius, inquit, Patris « quidem Filius [h. e. genitus ex substantia « Patris, non ex nihilo factus] sine ulla dubita- « tione ab illis creditur et adoratur qui vitam « obtinere cupiunt ; pontifex vero factus prop- « terea quod in suo corpore se Patri obtulit « pro genere humano ; ipse sacerdos, ipsa vic- « tima se obtulit, pontificatu pro universa crea- « tura fungens » (*loc. cit.*). Sic Cyrillus : « Si quis dixerit non ipsum Verbum quod ex « Deo est, factum esse pontificem et apostolum « nostrum, postquam caro factum est et sicut nos homo, sed velut alterum praeter ipsum « specialiter hominem ex muliere ; aut si quis « dixerit et pro se obtulisse semetipsum obla- « tionem, et non potius pro solis nobis.... « A. S. » (*Anathematism.* 10, *ad calcem epist.* 17. P.G. 71, 121). Sic Theodoretus : « Si ergo « munera offerre sacerdotum proprium est, sacer- « dos autem Christus secundum humanitatem « appellatus est, obtulit vero nullam aliam hos- « tiam nisi corpus suum, corpus igitur habuit « Dominus Christus » (*loc. cit.*). Cf. Petav., *De Incarn.*, 12, 11, et Franzelin, *De Verbo Incarn.*[5], 516.

« VERO SACRIFICIO latius fortasse disserens, « demonstrarem id non deberi nisi uni « vero Deo, quod ei unus verus sacerdos « obtulit, Mediator Dei et hominum : cu- « jus sacrificii promissivas figuras in vic- « timis animalium celebrari oportebat, « propter commendationem futurae carnis « et sanguinis, per quam unam victimam « fieret remissio peccatorum de carne et « sanguine contractorum... Hujus itaque « VERI SACRIFICII sicut religiosa praedi- « camenta Hebraei celebraverunt, ita sa- « crilega imitamenta pagani » (*op. cit.*, l. 22, c. 17, col. 409). Igitur : « Omnia talia multis « et variis modis unum sacrificium, cujus « nunc memoriam celebramus, significa- « verunt. Unde isto revelato, et suo tem- « pore oblato, illa de agendi celebritate « sublata sunt, sed in significandi aucto- « ritate manserunt » (*op. cit.*, l. 6, c. 5, col. 231). Tandem : « Hujus sacrificii caro « et sanguis ante adventum Christi per « victimas similitudinum promittebatur ; « in passione Christi per ipsam veritatem « reddebatur ; post ascensum Christi per « sacramentum memoriae celebratur... Sic « inter sacrificia paganorum et Hebraeo- « rum multum distat, eo ipso quod hoc « solum distat, quae cui sint immolata et « oblata : illa scilicet superbae impietati « daemoniorum... ; illa vero uni Deo, ut « ei offerretur similitudo promittens veri- « tatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa « reddita veritas in passione corporis et « sanguinis Christi » (*op. cit.*, l. 20, c. 21, col. 385-386).

Vides quam alienum sit a traditione Patrum, metaphoricum facere sacrificium illud unde fluxit quicquid veterum sacrificiis insedit unquam veritatis aut imitationis, quicquid nostro etiam missae sacrificio inest proprietatis ; illud dico in quo uno est cumulata atque ad perfectum adducta significatio simul et efficacia sacrificii cum latreutica tum propitiatoria.

Patres omnes persequi otiosum foret, cum definitum ab Ecclesia dogma (*Trid.*, Sess. 22, cap. 1 et 2; cf. can. 3 et 4. D. 938-940, 950-951), praeter Socinianos [1] aliosve paucos protestantes, a nullo nisi rationalista unquam sit ad nostra usque tempora negatum. Apposite Gihr : « Mortem Christi « piacularem fuisse verum et proprium « sacrificium, docent divina oracula ex- « presse, christianique omnes a primis « inde temporibus credidere atque professi « sunt [2] » (*Das heilige Messopfer*[4], 33). « Munus igitur sacerdotale quodammodo « basis ac fundamentum omnium benefi- « ciorum Christi erga nos est, quae nonnisi « pro totidem mortis Christi, qui se pro « hominibus victimam piacularem Deo « obtulit, effectibus reputari merentur. « Atque revera ex hujusmodi piaculari « sacrificio in cruce peracto redemptio, « reconciliatio, ac plena satisfactio sua « sponte fluunt. Adversus dogma hoc, « Christum nempe verum sacerdotem esse, « verique nominis sacrificium in cruce Deo « obtulisse, praeter alios pugnant Sociniani « ac Rationalistae omnes » (Madurcira, *Institutiones theologiae dogmaticae specialis*, t. 2, tract. 1, c. 3, § 23, p. 195).

Primus quem sciam, ex nostris, dogmati huic nubeculam offudit cl. J. Rivière (*Revue pratique d'Apologétique*, 1er oct. et 1er nov. 1911) supralaudatus. Verum quidem est, nec theologum ullum unquam fugit, Christum Redemptorem satisfecisse pro nobis per actum quemdam moralem (R. P. A. 1er nov. p. 162), per exercitium quoddam suae libertatis (ibid., 163), per virtutem et meritum sui amoris (ibid., 164), per quamdam libere ex caritate redditam obedientiam (ibid.) ; sed etiam inter omnes omnium saeculorum theologos constat, non per qualemcumque actum illum moralem, aut liberum, aut caritativum, aut obedientialem nos esse redemptos, sed per actum ejusmodi quo Christus passionem suam ita subierit, ut offerret sacrificium corporis et sanguinis sui. Quod sacrificium, nullatenus METAPHORICUM (ibid., p. 174, et 1er oct. p. 32), nullatenus improprium,

1. Cf. Billuart, *De Incarnatione, Dissert.* 19, a. 4 ; Franzelin, *De Verbo Incarnato*, Th. 51.
2. « Dass der Sühntod Christi ein wahres « und eigentliches Opfer sei, lehrt das Wort « Gottes ausdrücklich, und haben alle Chris- « ten von jeher geglaubt und bekannt. »

nec proinde illo solum lato sensu retinendum, quod mortis Christi fuerit quidam valor coram Deo proprius, quo fieret apta ad conciliandum nobis divinum favorem (ibid., 1er oct., p. 27) ; sed prorsus ita severe accipiendum ut procedat a Christo sacerdote sensibilis quaedam passionis oblatio ad Deum summo cultu latriae prosequendum et repropitiandum hominibus, nemo, praesertim ex proceribus rerum theologicarum, judicaverit unquam ad portandam fabricam speculationis theologicae ineptum (ibid. 32), nisi aut incautis verbis usus, aut sobrietatis in sapiendo paulisper [1] immemor.

§ 2. De intestina ratione illius sacrificii.

Christus dupliciter potissimum caput est hominum : et munere praesidendi seu regendi, et virtute influendi gratiam (3 S. 8, per tot.).

Virtutem quidem influendi gratiam habuit jure nativo suae incarnationis plenissimam ex conjunctione humanitatis ad divinitatem. Attamen divina ordinatione factum est ut illam sibi ex passione demum haberet quasi expeditam. Quare exercitium illius virtutis habendum est ut consequens ad Christi sacrificium [2].

Munus autem praesidendi jam expeditum censetur antecedenter ad sacrificationem ; secundum quod illi competebat non solum ut prophetae et regi per magisterium et imperium hominibus praeesse, sed etiam ut sacerdoti pro hominibus stare, quos in persona sua repraesentabat, verus Homo Deus, conversus non solum ad homines ex parte Dei, sed etiam ad Deum ex parte hominum [3]. Quare licuit illi pro nobis sacrificare, quos « omnes portabat Chris- « tus, qui et peccata nostra portabat » (Cyprian., Ep. 63, n. 13. P. L. 4. 383). Et licuit illi potissimum sacrificare seipsum, ita vices gerentem humani generis capitaliter, sicut Dei gerebat vices personaliter.

Cujus jam sacrificii elementum duplex est considerandum : invisibile scilicet et visibile.

Sectio I. — De elemento invisibili.

Elementum invisibile quod significatur in passione Christi, capitis nostri, est humani generis dedicatio in cultum Dei et abalienatio a peccatis, sicut superius commonebamur a Leone Magno (« Crux ergo « Christi sacramentum veri et praenuntiati « habet altaris, ubi per hostiam salutarem, « naturae humanae celebraretur oblatio. » Serm. 55. P.L. 54, 324), et monet in praesente sanctus Thomas, diluens hanc objectionem : « Passio Christi non est signum ; « ergo videtur quod passio Christi non sit « sacrificium. » — « Passio, inquit, Christi... « est... signum alicujus rei observandae a « nobis, secundum illud *I Pet.* 4[1] : *Chris- « to igitur passo in carne, et vos eadem cogi- « tatione armamini : quia qui passus est in « carne desiit a peccatis, ut jam non homi- « num desideriis, sed voluntate Dei, quod reli- « quum est in carne vivat temporis* » (3 S. 48, 3,

1. Nuper emollivit sua placita vir probe catholicus in suo altero opere, *Le Dogme de la Rédemption. Etude théologique*, 1914, p. 202-216 et 301-308. Interim laudi debet verti auctori quod quaestiones quasdam movit omnino solvendas, si in adscribenda Redemptori nostro sacrificatione veri nominis velimus non solum obsequium fidei praestare, sed etiam (ut theologis incumbit) intellectum fidei persequi et capessere. Determinandum scilicet est, quomodo omnia elementa veri et proprie dicti sacrificii (id est ritualis ac liturgici) inveniantur in sacrificio nostri Redemptoris, inclusa litatione ipsa sacerdotis. Quod nos attentabimus facere in hac et sequentibus Elucidationibus usque ad nonam, collata tertia decima.

2. Quocirca recte notavit Nicolaus Cabasilas, theologus mediaevalium Graecorum praestantissimus, nos non esse proprie membra Christi nisi post crucem : « Post crucem enim « Christo conglutinati sumus : cui nondum « mortuo nulla nobiscum communitas inter- « cessit. Ille enim erat Filius et dilectus ; nos « scelesti, et servi hostesque animo. Postquam « autem mortuus est, et solutum est pretium, « carcerque diaboli eversus, tunc libertatem « ac filiorum adoptionem recepimus, exstiti- « musque membra beati illius capitis » (*De vita in Christo*, 1. P. G. 150, 520). Posterioritatem illam intellege logicam.

3. Quia non assumpsit naturam angelicam, ideo angelorum non est sacerdos, aut pontifex, aut liturgus. Quanquam est et illuminator et imperator. Hominum autem, ut homo, est SACERDOS NATUS.

2m). Immo paulo supra scripserat sanctus Petrus : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro* (ὑπέρ) *injustis*, UT NOS OFFERRET DEO (*I Petr.*, 3[18]). En invisibile sacrificium, cujus sacramentum fuit sacrificium visibile. Cui invisibili significato, detestationem peccati importanti, apte respondet ex parte Dei reparatio generis humani atque redintegratio in jura haereditatis coelestis, *per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei*, [Vulg. *deglutiens mortem ut vitae aeternae haeredes efficeremur.*] (*Ibid.*, 3[21-22].)

In hoc maxime differt a veterum sacrificiis sacrificium Christi, quod in illis elementum invisibile per visibile quidem significabatur, sed non inducebatur : immo censebatur praeambulum. At in hoc sacrificio, quod significatur, idem inducitur per vim sacrificii. Non enim praesupponitur sacrificio crucis nostra alienatio a peccatis, sed consequitur.

Quibus dictis de significato ad nos solos pertinente, non est tamen ambigendum quin et circa ipsum Christum, et quidem principaliter, sit aliquid significatum. Quatenus enim sacrificium crucis mere ut latreuticum et eucharisticum inspicitur, significata est ipsius Christi dedicatio interna in laudem et cultum Patris : quatenus autem ut propitiatorium, significabatur voluntas compensandi honorem divinum a nobis laesum. Quare scite Suarez significationi nos contingenti praemittit significationem attendendam circa ipsum Christum, his verbis : « Significatio est essentialis « omni sacrificio, quia sine illa esse non « potest verus cultus latriae, quod est de « essentia sacrificii : et haec significatio in « Christi sacrificio inventa est. Significabat « enim internum sacrificium quo Christus « vitam suam offerebat ad placandum « Deum ; significabat etiam destructionem « peccati, et ipsius mortis mortem, quam « sacrificium illud operaturum erat » (*De Incarnatione, in* 3 S. 48, 3, *commentarius*, n. 2 ; cf. Pars. 1a, disp. 46, s. 1, n. 2). Similiter Le Grand : « Sacrificium Christi... « tum respectu Christi ut hominis tum « respectu nostri fuit protestatio supremi « dominii Dei et perfectae erga ipsum sub- « jectionis... Suo sacrificio Christus de « collatis seu sibi seu hominibus beneficiis « et donis gratias egit » etc. (*De Incarnatione Verbi Divini*, dissert. 10, c. 1, concl. 4).

Nec verendum est ne exinde censeatur Christus sacrificasse pro se, contra *Anathematismum X* Cyrilli Alexandrini. Dupliciter enim dicitur quis sacrificare *pro* aliquo : primo, ut deferens sacrificium alicujus : quo sensu dicitur sacerdos celebrare missam pro stipem dante ; secundo, ut offerens sacrificium in favorem alicujus : quo sensu dicitur sacerdos offerre pro eo cujus gratia erogator stipis voluerit missam celebratam. Priore sensu, nil impedit ex sese quominus Christus dicatur pro se sacrificavisse : non enim detulit sacrificium alterius, sed suum ; quanquam praestat, ad aequivocationem vitandam declinare hujusmodi locutionem. Posteriore autem sensu, quem damnavit Cyrillus, nequaquam secundum nos Christus pro se litavit. Non enim secundum hunc modum litatur pro aliquo, nisi litandi is sit finis, ut illi aut repropitietur Deus, aut bona impetrentur. Qualis nullus fuit respectu sui in litando finis Christi, sed ut nobis et repropitiatio fieret et impetratio [1]. Quanquam ratione intentionis caritativae ultimi finis, ex qua processit haec voluntas pro nobis litandi, fuit ipsa meritoria Christo. Sicut enim potest tibi esse meritoria precatio facta pro alio, quanquam non tibi impetras qui nil tibi petis, sic Christus meruit per sacrificium quod non obtulit pro se, sed pro nobis. Atque ita intellegendus sanctus Thomas (3 S. 22, 4, 2m)[2] similiterque sanctus Bonaventura (3 D. 18, art. 2, q. 3, 6m).

1. « Adverte, in rigore loquendo, cum qui « offert in gratiarum actionem pro beneficiis « in se vel in alium collatis, non dici ex eo capite « proprie offerre pro illo in quem beneficia « collata sunt, quia offerre pro aliquo est offerre « in favorem et commodum illius » (Lugo, *De Eucharistia*, disp. 19, sect. 10). Gratiarum autem actio non tendit ex se in commodum ejus pro quo aguntur gratiae, sed illius potius (si fieri posset) cui gratitudo exhibetur.

2. Recte scribit Vasquez « Christo mortem « suam nihil profuisse per modum sacrificii,

Nec tamen repugnat, si addideris Christum impetrasse sibi ipsi per sacrificium gloriam, non quidem ut indigenti secundum se sacrificio, sed ut capiti eorum qui indigebant. Etenim cum praeordinatus sit Christus ut intraret coelum tanquam caput nostrum, nec capiti patere possit, quod corpori non patet, non potuit Christus coelum intrare nisi per sacrificium suum, per quod unum nobis aperta est via ad gloriam. Et pro tanto sibi per sacrificium comparavit gloriae statum, pro quanto scilicet nobis, cohaerentibus sibi, praeest capitaliter. Qua solutione et satisfieri omnino videtur anathematismo Cyrilli [1], et aequa suppeditatur interpretatio dictorum non paucorum, quae infra (Elucid. XII) ex Patribus circa resurrectionem et ascensionem Christi sunt perpendenda. Sufficiat interim adnotasse id quod toti nostrae lucubrationi praelucere debet : aliam esse considerationem Christi secundum individuam proprietatem, aliam secundum conditionem capitalem ; sicut intra ipsius personam individuam res aliter habet pro divina, aliter pro humana natura.

Sectio II. — De elemento visibili.

Ad integrandum elementum sacrificii visibile tria concurrunt : victima, victimae immolatio, victimae immolatae aut immolandae oblatio. De quibus ex ordine dicendum.

Articulus I. — De Victima.

Victima respici potest vel antecedenter ad sacrificium, quae consideratio est materialis, vel in quantum substat sacrificio, quae consideratio est formalis.

Membrum I. Materialis consideratio hostiae.

Secundum priorem illam considerationem, duo se offerunt notanda : victimam fuisse et rationabilem et mundam.

Mundam, inquam, ab omni peccati labe atque contagio aut debito, non solum quia Verbi perfusam sanctitate (quae nihil immundi secum compatitur, sed a persona Filii Dei excludit omnem vel levissimam inordinationem per absolutam incompossibilitatem), sed etiam quia, ratione ipsius humanae naturae, non eo modo tracta est ab Adamo, quo propagatur aut culpa aut certe debitum culpae originalis [2].

Rationalem deinde hostiam, et pro tanto voluntariam amantissimamque, et ut unius affectus ita cum sacerdote unius pretii atque acceptabilitatis. Quaecumque utique oblatio a Christo proficisceretur, infinitam

« sed tantum ratione devotionis, sicut dixit « S. Doctor supra, q. 22, a. 4, ad 2^m^, et ita Christum non suscepisse in se effectum sui sacerdotii, sed aliis potius ipsum communicasse, sicut « idem docuit in corpore, quia Christus non se « obtulit Patri pro seipso, sed pro aliis. Dicitur « autem profuisse illi sacrificium mortis suae, « quia fuit illi opus meritorium ; meriti autem « valor ex devotione ejus qui meretur pensari « debet » (*In* 3^am^ *Partem.* disp. 231, c. 3, n. 11).

1. « Si quis dicit et pro se obtulisse semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis « (NON ENIM EGUIT OBLATIONE, QUI PECCATUM « OMNINO NESCIVIT), A. S. » (*loc. cit.* P.G. 71, 120).

2. Animae originaliter insontis rectitudo importat connaturaliter (per respectum ad Providentiam divinam) subordinationem partium inferiorum ad rationem (Cf. S. Thom. 2. D. 30, 1. 1. sol. et 3^m^ ; 1-2, 82, 3, 1^m^ et 85, 3, 3^m^ ; 4 *Malo*, 2, 1^m^ et 2^m^, etc.). Non est ergo caro rebellis ex sese apta ab subjectandum connaturali modo animam ad Deum conversam. Igitur ubi eo modo fit procreatio, qui connaturaliter propaget concupiscentiam, ibi propagatur et debitum saltem peccati originalis, tale ut nonnisi per privilegium impediatur propagatio et concupiscentiae et peccati. Quia autem procreatio Mariae fuit, ex parte parentum, subjecta communi legi, secundum quam conceptioni interest habitualis illa concupiscentia, quae non solum est in progenitoribus materialis quaedam compars peccati originalis, sed etiam nata est inducere in prolem sui similitudinem, nisi impediatur : ideo originalis peccati debitum a Maria contrahebatur : quae proinde, sicut concupisentiae, ita maculae non inventa est expers nisi per privilegium. SEMEL AUTEM PRAESUPPOSITA Mariae maternitate virginali, nulli jam, in procreatione Christi, locus erat concupiscentiae veluti traduci aviti peccati aut debiti : et pro tanto Christi humana natura (etiam semota cogitationetenus unione hypostatica) necessario inventa est munda, absque singulari privilegio ; non quasi liberata aut praeservata, sed libera (cf. 1-2 S. 82 et 83). Hoc saepe saepius (si substantiam rei attendas) praedicavit Augustinus : « Non enim per concupiscentiam carnis Virgo « conceperat : et IDEO in eum sine propagine

ex divinitate dignitatem, et ex caritate valorem omni culpae recompensandae sufficientissimum [1] sortiretur ; attamen qua SE offerebat, magis exhibebat caritatem voluntatemque Deo satisfaciendi : ea enim erat susceptae passionis vis ut difficultates ab amore superandas augeret [2]. Unde maxima accrevit illi sacrificio vis significativa, ex eo quod Christus simul ejus fuit et sacerdos et hostia. Et quia ratio propria sacrificii in significandi proprietate est reposita, ideo apparet fuisse in genere sacrificii perfectissimum atque ad Majestatem divinam placandam efficacissimum sacrificium nostri Redemptoris. Secundum quam considerationem nulla figura ad veritatem propius accessit quam sacrificium ab Abraham in proprio filio Isaac attentatum [3]. Undique ergo fuit maxime congrua fini intento nostrae salutis hostia.

Apposite Augustinus : « Quis ergo « tam justus et sanctus sacerdos quam uni- « cus Filius Dei, qui non opus haberet per « sacrificium sua purgare peccata, nec « originalia, nec ex humana vita quae « adduntur ? Et quid tam congruenter « ab hominibus sumeretur, quod pro eis « offerretur, quam humana caro ? Et quid « tam aptum huic immolationi quam caro « mortalis ? Et quid tam mundum pro « mundandis vitiis mortalium quam sine « ulla contagione carnalis concupiscentiae « caro nata in utero et ex utero virginali ? « Et quid tam grate offerre et suscipi « potest, quam caro sacrificii nostri, cor- « pus effectum sacerdotis nostri ? » (4 *Trin.*, l. 4, c. 14, P.L. 42, 901).

Consonanterque sanctus Thomas : « Est « perfectissimum sacrificium. Primo, qui- « dem quia, ex eo quod est humanae « naturae caro, congrue pro hominibus « offertur, et ab eis sumitur sub sacra- « mento. Secundo, ex eo quod erat passi- « bilis et mortalis, apta erat immolationi. « Tertio, quia per hoc quod erat sine pec- « cato, efficax erat ad emundanda pecca- « ta. Quarto, quia ex eo quod erat CARO « IPSIUS OFFERENTIS, erat Deo ACCEPTA « PROPTER INEFFABILEM CARITATEM SUAM « CARNEM OFFERENTIS » (3 S. 48, 3, 1m).

Ex eo autem quod Christus erat simul sacerdos et hostia, apparet quomodo et peccatis nostris sit veluti oneratus, et afflictus nostrorum peccatorum veluti poena (*Is.*, 52¹³-53¹²). Sacerdos enim offerens sacrificium pro peccatis populi, populi censetur portare *peccata*, siquidem intercedit ut LEGATUS populi ad Deum. Hostia autem pro peccato immolata, VICARIA sua mortificatione, ut designat *poenam*

« peccati carnis propago pertransiit» (*Op. imperf. c. Jul.* 4, 79. P.L. 44, 1384). « Seipsum obtulit mundam victimam... Carnem enim a nobis « accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit ? « De utero Virginis Mariae, ut mundam offerret « pro immundis » (*Enar. in Psalm.* 149 ², n. 6. P.L. 36, 1953). Conferatur Didymus Al. (*Contra Manichaeos*, 8. P.G. 39, 1096) : « Si ex co- « pula [Christus] accepisset corpus, non autem « illud praeter cursum naturae formatum, exis- « timaretur et ipse obnoxius esse huic peccato, « quod et omnes ex Adamo per successionem « contrahunt. »

1. Si miraris, cur nulla pura creatura potuerit Deo pro offensis nostris satisfacere ex aequo, Homo autem Deus potuerit : ex differentia utriusque per respectum ad caritatem accipe responsum. Per peccatum quippe, quo a fine nostro ultimo avertimur, Deo suam summam amabilitatem, quantum in nobis est, practice abjudicamus, proindeque omnem tantae Bonitati ex parte cujusvis naturae creatae ac creabilis debitum amorem veluti distrahimus atque abripimus affectu. Nulla autem pura creatura potest Deo exhibere omnem quo amari potest amorem creatum ac creabilem. Nulla ergo potest compensationem malitiae nostrae adaequatam offerre. Sed unus id in sua creata natura potest Deus incarnatus, qui, ut infra constabit (Elucid. XLI), necessario obtinet summam perfectionem caritatis creatae, non solum relative ad quamlibet aliam caritatem creatam, sed etiam absolute, per comparationem ad quamlibet caritatem creabilem. Hinc solus Deo talem ipse exhibet amorem, qualem per peccatum exclusimus.

2. Cf. 3 S. 46, 6, in corpore, sub numero 4°, et ad 6m.

3. De quo legesis illa quae disserit S. Franciscus Salesius (*Traité de l'amour de Dieu*, l. 12, c. 10) : « O Dieu, qui sçauroit discerner « quelle des deux dilections fut la plus grande, « ou celle d'Abraham, qui, pour plaire à Dieu, « immole cest enfant tant amiable ; ou celle de « cest enfant qui, pour plaire à Dieu, veut bien « être immolé, et pour cela se laisser lier et « estendre sur le bois, et, comme un doux agne- « let, attend paisiblement le coup de mort « de la chère main de son bon Père ? Pour moy, « je préfère le père en la longanimité ; mais aussi « je donne hardiment le prix de la magni- « nimité au fils. »

reo debitam, sic deprecando arcet, et arcendo supplet. Sic igitur Christus incessit bajulans peccata nostra, quin esset illi a Patre (repugnante sane justitia) nostrorum peccatorum onus impositum ; sed ipse se oneravit Filius, dum (caritate impellente) vult et sacerdotem nostrum agere, et hostiam se dare ; adeoque fecit se Christus litans et *peccatiferum* et *poeniferum*.

Reconciliat igitur justitiae Dei ac innocentiae Christi poenalem seu piacularem passionis indolem proprietas sacrificii. « Quod ante oculos hominum poena, hoc « ante oculos Patris fuit sacrificium » (Alulphus, *Expositio super epistolam B. Pauli Ap. ad Hebraeos*, c. 9. P.L. 79, 1381). Vides jam quomodo substitutio Christi pro humano genere, quae requiritur ad satisfactionem vicariam, apte ex ejus sacerdotio fluat et in sacrificio impleatur ; quamve necessarium sit, ne cogamur in stricte poenalem satisfactionis vicariae explicationem incidere, ut sacrificalem amplectamur [1].

Membrum II. Formalis consideratio Hostiae.

Secundum alteram autem considerationem victimae, ut formaliter substantis sacrificationi, mirum fortasse videtur quomodo potuerit accrescere Christo sanctificatio illa specialis, in qua dicta est superius (Elucid. I) consistere proprietas status victimalis. Per prius enim ad sacrificium. sanctitas omnimoda necesse erat ut inesset ipsius humanae naturae ex unctione divinitatis.

Attamen recte consideranti non apparebit ista difficultas esse hujus loci propria, sed ad alia etiam capita doctrinae multa se pari modo extendere : ut cum quaeritur quomodo Christus ea mereri potuerit quae sibi jam nativo jure deberentur, puta gloriam corporis aut si quid ejusmodi (3 S. 19, 3) ; et solet responderi, non ita eum esse illa meritum ut faceret ex indebitis debita, aut ex debitis minus magis debita, sed ex debitis uno modo debita pluribus modis. Quocirca legesis Toletum (in 3 S. 19, 4, concl. 2). Sic in praesente dicendum sanctitatem omnimodam, quanquam Christo ex incarnatione inhaerentem, potuisse ei non auctam quidem, sed aucto numero titulorum insidere ; sicut habet Rupertus Tuitiensis (*In Levitic.*, l. 2, c. 5. PL. 167, 791) : « Magnus coelestis veri tabernaculi pontifex, primum Spiritu Sancto, « deinde suo quoque sanguine sanctificatus est. »

Quo sensu intellegendus sanctus Thomas in responsione ad objectionem quam ipse sibi movet : « Omnis hostia ex hoc « quod Deo offertur, Deo sanctificatur. « Sed ipsa Christi humanitas a principio « fuit sanctificata et Deo conjuncta. Ergo « non convenienter potest dici quod Christus secundum quod homo fuerit hostia. » Respondet : « Dicendum quod sanctitas « humanitatis Christi a principio non impedit quin ipsamet humana natura, cum « in passione oblata est Deo, sanctificata « novo modo fuerit, scilicet ut hostia « actualiter tunc exhibita : acquisivit enim « actualem hostiae sanctificationem TUNC « ex antiqua caritate et gratia unionis « sanctificante eamdem absolute » (3 S. 22, 2, 3^{m}). Scilicet habuit ex TUNC sanctificatio antiqua Christi respectum quemdam ad oblationem ex qua factus est hostia (cf. ibid., 2^{m}). Quae enim acquiri non potuit sanctitas, eo modo se habet, quo se haberet, si oblatione illa inducta esset.

Unde exsistit Christus novo titulo *Sanctus Dei*, eo scilicet titulo quo est *Agnus Dei*.

Articulus II. — De Immolatione.

Ex parte jam immolationis intellegendum est sacrificium Christi, quantumvis dicatur sacrificium mortis ejus, non tamen suum habuisse locum in ipsa separatione corporis et animae. Anima enim a corpore

1. Sapientissime ergo scribit J. Pohle (*Soteriology*, Authorized English version... by A. Preuss, 1914, p. 111), « that the death of « Christ was a TRUE sacrifice, and He Himself « was a true Priest. It is these facts which give « to the Redemption its sacerdotal and hieratic « stamp, and furnish us with the KEY TO THE « PHILOSOPHY OF THE ATONEMENT. » Quare postmodum (p. 115 sq.) insistit characteri hujus facti dogmatico tuendo.

dividitur inanimi ; adeo ut separationi non subsit corpus vivum : terminatur quippe vita extrinsece, ut philosophi aiunt, in primo instante sui *non esse*, incipit autem mors intrinsece in primo instante sui *esse*. Corpus autem inanime non est subjectum passionis ullatenus voluntariae, cum exsulet ab eo principium cujusvis voluntarii sive eliciti sive etiam imperati. Oportuit autem ut immolatio Christi esset illi actualiter voluntaria acceptanti et patienti ; cum ex voluntarietate fuerit pretium victimae et sacerdotis meritum : unum siquidem fuerunt voluntate, sicut et re, sacerdos et victima. Quare immolatio oportet ut accipiatur pro passione, quatenus via fuit ad mortem (S. Thom., 3 S. 50, 6).

In quo convenit haec immolatio cum ceteris, quibus intellegitur inferri violentia mortem inducens. Quare proprie sacrificium dicitur passionis, si nominetur ex immolatione.

Nec tamen immerito dicitur sacrificium mortis, quandoquidem haec passio, nisi fuisset mortifera, nulla fuisset immolatio. Tunc enim per modum unius accipiuntur et passio ut via ad mortem, et mors ut terminus passionis. Ut enim recte notat Cajetanus *(in h. l.)*. « Quamvis nec actus « elicitus nec actus imperatus animae sit « mors in facto esse, sumpta secundum se « solam », tamen, « ut terminat fieri, cadit « sub merito uno et eodem sub quo ca- « dit suum fieri : uno enim et eodem actu « martyr vult se occidi et occisum esse. « Et sic pretiosa est in conspectu Domini « mors sanctorum ejus ; et sic mors « Christi fuit meritoria. »

Hoc sensu, sicut dici potest Christus obtulisse mortem suam, sic et nos postmodum dicemur eamdem offerre, dum corpus et sanguinem offerimus Christi sanctificati ex sua passione in aeternum.

Articulus III. — De Oblatione.

Ad determinandum qualiter Christus obtulerit suam passionem et mortem, pertinet (juxta concordem theologorum sententiam), quod illam volens sit perpessus. Sic Petrus Venerabilis : « Dicitur « ipse offerre seipsum, quoniam non co- « actus, sed sponte tradidit in mortem « animam suam » (*Tractatus contra Petrobrusianos*. P.L. 189, 797) ; et sanctus Thomas : « Christus non se occidit, sed « seipsum voluntarie morti exposuit,... « et ideo dicitur seipsum obtulisse » (3 S. 22, 2, 1m).

Eo usque autem se voluntarietas illa extendit, ut, cum posset Christus non solum hostes declinare aut impedire, sed etiam, saevientibus hostibus, compescere dolores, aut, admissis doloribus, arcere mortem (tantae enim erat efficaciae anima divinitati conjuncta), tamen et aggressus hostes nocere siverit, et expertum dolores se legi mortis subjecerit.

Quam doctrinam post Eusebium Caesariensem (*De Theophania*, fragm. 3. P.G. 24, 609-612), Hilarius late in libro decimo *De Trinitate* (cap. 23 sq. P. L. 10, 361 sq.) pertractavit, et contra oblocutores sui temporis vir mediaevalis, Philippus Eleemosynarius, expositione ut locupletissima ita acutissima communivit (*Epist.* 5 ; 6 ; 7. P.L. 203, col. 40-44, 52-56, 62-65).

Eamdem tradidit Augustinus (4 *Trin.*, n. 15-17. P.L. 42, 898-899. Cf. Arnobium Juniorem, *in Psalm.* 27. P.L. 53, 360 ; Leonem Magnum, *Serm.* 54, c. 2. P.L. 54, 519-520). Augustinum autem secuti sunt Bonaventura (3 D. 16, art. 1, q. 3) et sanctus Thomas (3 S. 47, 1), Cajetanus *(in h. l.)*. et Suarez (*De Incarnatione*, t. 1, disp. 46, s. 1, n. 3), recentioresque communiter [1].

Voluntarietas igitur se extendit et ad passionem, quae nata ex sese erat inducere mortem, sed poterat, Christo prohibente, non inducere, et ad mortem, quae quanquam connaturaliter terminare debebat passionem, tamen poterat, repugnante Christo, non terminare. Igitur penes Chris-

1. Quorum tamen placitis adversa est sententia Scoti negantis potuisse animam Christi (semel supposita, per miraculum, gloria non redundare in corpus) praeservare corpus a passione et morte (3 D. 16, 2). At attendenda conditio animae immunis a debito peccati.

tum fuit ut esset passio, et mortifera esset. Quare undique fuit immolatio libera.

At voluntarietas, etiam illuc usque protensa, tamen ad induendam rationem oblationis sacrificalis, non sufficit qualiscumque, sed requiritur involvens directionem doni in Deum, et quidem, ut talis, manifestata externe. Oblatio enim est quaedam activa doni exhibitio ; oblatio autem sacrificalis oportet ut sit sensibilis. Quare sapienter recentiores huic exterioritati asserendae insistunt, quae a superioribus implicite est tradita. Sic cardinalis Franzelin, in hoc negotio sacrificii Christi, agens de « ipsa cruciatuum et mortis voluntaria admissione ac DIRECTIONE AD SEIPSUM PATRI OFFERENDUM », notat fuisse necessarium « ut intentio prodiret in actum externum » (*De Verbo Incarnato*, th. 50). Consonanter Gihr : « Activitas sacerdotalis nostri Servatoris ac suimetipsius sacrificatio primum in spiritu et corde inventa est ; nec tamen remansit interna aut invisibilis : etenim Christi affectus ac voluntas sacrifica etiam foris se prodidit » (*op. cit.*, p. 38). Expressiusque Pesch : [In sacrificio Christi] « habetur sensibilis oblatio Deo facta ; nam Christus... semetipsum immaculatum obtulit. Haec oblatio non est mere interna intentio, sed externa quoque et sensibilis » (*De Verbo Incarnato* [2], n. 545).

Opponi potest fortasse Cajetanus scribens : « In sacrificiis enim consistentibus in agere, invenitur facere sacrum ad extra, ut patet in sacrificiis animalium et altaris. Sed in sacrificiis quae consistunt in pati, invenitur facere sacrum secundum actionem interiorem : qua sponte offert suum pati. Et sic Christus fecit sacrum actione interiori : occisores autem ejus fecerunt actione exteriori non sacrum, sed sacrilegium maximum » (in 3 S. 48, 3).

At ex ista sententia Cajetani solitaria sequeretur illud maximum inconveniens, quod jam Christus non dicendus foret proprie sacrificasse, cum deesset quaevis exterior actio sacrum faciens, nec proinde adesset invisibilis sacrificii sacramentum visibile. Quare omnino videtur contra Cajetanum tenenda altera sententia, ad quam cogit ratio necessaria.

Sed jam quaerendum maxime venit ubi aut quando voluntaria illa et activa dedicatio suiipsius, ut hostiae, in cultum Dei sit a Christo peracta SENSIBILITER, RITUALITER, LITURGICE (cf. Elucid. I). Quod est quaerere quo ACTU EXTERNO Christus respectu suae passionis EGERIT SACERDOTEM, quo RITU litaverit, quid peregerit ipse sacrificale unde exsisteret hostia. A theologis quidem saepius est notatum ideo Christum prostravisse milites in horto, vel morti proximum exclamasse voce magna, ut ostenderet voluntarietatem suae passionis et mortis. Sic apud sanctum Ephraem (*Evangelii concordantis expositio*, ed. Moesinger, 1876, p. 236) : « Curvati sunt coram eo inviti, ut discerent eum voluntarie manibus eorum se tradere. » Pariter sanctus Thomas, secutus Chrysostomum (*In Joan.* hom. 83, n. 1. P.G. 59, 448), de prostratione habet : « Dum scilicet indicavit suam potentiam, quod inimici, contra eum venientes, coram eo retrorsum ceciderunt in terram, instruantur fideles quod sua voluntate captus sit. *Oblatus est quia ipse voluit* » (*In Joan.* 18, lect. 1, n. 6). De clamore autem : « Ut Christus ostenderet quod passio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamaret » (3 S. 47, 1, 2m). Item Suarez (*De Incarnatione* 2, disp. 34, sect. 3, n. 7) prostrationem vult factam, « ne existimaretur a majestate et potestate sua excidisse, aut invitus et coactus pati. » Clamorem vero, ut ostenderet « se esse dominum vitae et mortis, et non necessitate absoluta, sed sponte mortem suscipere, cui facile resistere posset » (ibid., disp. 38, sect. 1, n. 9).

At etiamsi voluntarietas inde clareat, nulla tamen exprimitur intentio directiva doni in Deum, vel quicquam perhibetur unde necessario intellegatur Christus in

ratione hostiae divino cultui dicatus ac mancipatus, aut consecratus. Nonne enim poterat Christus eadem duo illa exercere, et tamen non litare, quamvis moriens ? Aut forte, si illa demererentur, nullum jam remaneret sacrificium passionis Christi ? Quis ista unquam crediderit ? Cui unquam in mentem venerit, tum demum Christum egisse respectu suae passionis sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cum aut milites in horto prosterneret, aut voce magna morti proximus exclamaret ? Quibus sacris operationibus Domini nostri, quantumvis venerandis, quantumvis etiam salubribus, non tamen importabatur proprium et quasi specificum exercitium sacerdotii novi atque aeterni.

Omissis igitur illis actionibus, forsan te converteris ad verba quaedam Domini, et primo quidem ad illa quae moriens protulit : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* ; quibus recitatis, scripsit Eusebius Emesinus : « Spiritus sursum, et « corpus in cruce pro nobis. Obtulit enim « seu ovem quidquid in eo rationem cor- « poris habet » (Fragmentum primum. P.G. 86, 541). At ponderes velim ea quae prudenter de ista voce Christi notat Suarez :

« Neque Christus, in cruce offerens, tale « verbum [ad oblationem sacrificalem ex- « primendam idoneum] protulit, nam si « aliquid hujusmodi fingi potest, maxime « illud : *In manus tuas, Domine, commendo* « *spiritum meum* ; hoc autem magis fuit « deprecantis, quam offerentis » (*De Eucharistia*, disp. 75, s. 2)[1]. Praeterquam quod oblatio sacrificalis intellegitur pragmatica, hoc est per modum actionis facienda, non per modum sermonis tantum enuntianda (quanquam sermone potest peragi res illa in qua consistit oblatio : ut infra exponetur).

Confugiesne ad alia verba, quae agonizans in horto fundebat Christus : *Non mea voluntas, sed tua fiat* ? Et re quidem vera in illa voce Domini visus est sibi formam oblationis deprehendere Albertus Stöckl (*Das Opfer nach seinem Wesen und nach seiner Geschichte.* Mogunt. 1861, p. 379-380) : « Vater, nicht mein Wille « geschehe, sondern der Deine. Das war « das grosse freie Opferwort, mit welchem « der Heiland seinen Leidensgang eröff- « nete, und ihm den Charakter des Opfers « aufdrückte. » Sed primo, ut supra, deest verbis, etiamsi supponantur oblationem intimare, ratio oblationis pragmaticae. Secundo, ne sonant quidem verba illa oblationem : quae debet esse libera et integra offerenti, de bonis scilicet minime Deo obligatis ; sed sunt verba consensus in legem quamdam indeclinabilem : *Si possibile est, transeat,... verumtamen* etc. *Si non potest transire,... fiat* etc. Tertio, nulli ex veteribus Patribus aut Doctoribus (quos legerim) occurrit unquam, illis verbis contineri actionem aliquam sacrificam. Vix autem credibile est nostrae demum aetati innotuisse elementum formale sacrificii dominici.

1. Loci autem ex Eusebio Emesino allati minime is est sensus, ut in illis verbis dominicis reponatur oblatio sacrificalis, sed solum ut ex versiculo citato ostendatur : 1° veritas mortis ; 2°, et potissimum, modus mortis, qui videtur Eusebio (viro parum orthodoxo) fuisse sic, ut natura assumens (πνεῦμα = δύναμις = natura assumens : vide col. 537 A et 540 A, simul cum nota editoris 71) separaretur a corpore. Ideoque sermo ille continuabatur immediate quaestioni quam praemiserat : « Quomodo accepistis a « Domino quo pacto Dominus sit mortuus ? » Et paullo superius (col. 540-541) jam primum probationem eamdem attulerat : « Quid igitur ? « annon pro nobis mortuus est Christus ? Quo- « modo mortuus est ? *Pater, in manus tuas com-* « *mendo spiritum meum.* Recessit spiritus, man- « sit corpus, sine spiritu mansit corpus. An- « non ergo mortuus est ? » Igitur mortuus est ; et mortuus est per discessum spiritus assumentis a corpore assumpto. Quare addit Eusebius in confirmationem, non esse oblatum a Domino spiritum illum, quem moriens commendavit Patri restituendum coelo, sed solummodo corpus, cui uni competit (derelicto jam a spiritu) dici mortuum. « Obtulit enim... quicquid in « eo rationem corporis habet. » In summa, probatur mors et genus mortis, et in illo genere mortis notatur verificari illud quod aliunde fides tradit : sacrificatam esse a Domino carnem, non spiritum divinum. Quare etiam ad mentem istius Eusebii, commendatio spiritus nulla fuit oblatio. Oblatio enim foret ipsius spiritus qui commendatur ; at spiritus qui commendatur, est (juxta illum) spiritus divinus, non humanus. Spiritus autem divinus non est oblatus, sed tantummodo corpus humanum. Ergo non in commendatione reponitur oblatio.

Praeterea de verbis, sive in horto sive in cruce prolatis, rursus, ut de gestis illis supra, quaeritur : quid, si demerentur ? an interiret sacrificium ? Vel, e converso, stantibus iisdem, nonne posset tamen deesse morti proprietas sacrificalis (sicut certe defuit morti S. Stephani dicentis : *Suscipe spiritum meum*) ?

Tandem, omissis actionibus vel locutionibus Domini particularibus, convertesne te ad generalem illum complexum gestuum, motuum, sermonum Domini, quibus in decursu passionis satis patefit ipsum se dedisse morti ex quadam obedientia legis divinae in profectum nostrum : unde satis videatur clarere mens et ordinatio sacrifica ? Respondeo interrogando : nonne omnia illa ab horto usque ad calvariam poterant transigi eadem prorsus, quin tamen sacrificium veri nominis ullum offerretur[1] ? Nonne apud martyres omnium temporum, sive post Christum, sive etiam ante Christum, similia reperiuntur, et tamen nulla illorum mors fuit sacrificium nisi improprium, id est metaphoricum ? Porro SACRIFICIUM DEBET EX SESE CLARERE UT TALE : cujus ratio est, quia sacrificium est in genere signi, tanquam locutio quaedam pragmatica, notificans rem invisibilem ; proindeque debet esse per se notum primo. Non est autem per se notum aliquod sacrificium, nec proinde aptum signum, nec proinde sacrificium ullum, si sit indeterminatum ex toto se quoad *esse* sacrificale. Est autem indeterminatum, si potest haberi idem sine sacrificio. Non igitur passio Domini ex complexu isto satis specificatur in genere sacrificii proprie dicti.

Quod autem Dominus enuntiavit aliquando (puta his vocibus *Ego sanctifico meipsum*...), aut Scriptura proclamavit passim, aut Patres tradidere indolem passionis dominicae sacrificalem, ad rem praesentem non pertinet : nam non istiusmodi enuntiationes faciebant ut esset sacrificium, sed fiebant quia erat sacrificium. Est sacrificium igitur etiam seorsim ab illis intimationibus facti. Et si est sacrificium, debet etiam sine ipsis constare ; quia de essentia sacrificii est ut sit per seipsum discernibile, ut dictum est.

Sicut igitur nec particulares eventus, sic nec generalis complexus passionis dominicae, AB HORTO AD CRUCEM, per se exhibet illud unde enascatur aut clareat forma ac proprietas litationis sacerdotalis : quae proinde est requirenda alibi ; ubi scilicet et Scriptura eam commonstrat liquidam, et agnovere Patres Doctoresque veteres constanter. Quare transeundum ad caput sequens [2].

1. Adverte non identica esse illa duo : dare se morti (quod faciunt martyres et milites), et dare se sacrificaliter Deo in mortem : quod alterum includit rationem alicujus doni et MUNERIS quo MUNERETUR Deus (utique in signum cujusdam deditionis internae). Ratio autem muneris est intrinseca omni vero sacrificio ; nec sine ea sacrificium aut esse aut innotescere potest.

2. Interim vix operae pretium esse videtur, ut discutiatur sententia, quae non raro libellis quibusdam piis inserta reperitur : se obtulisse Christum sacerdotaliter per totam suam vitam, a primo ipso momento quo, ingrediens mundum, dixit : *Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi. Holocautomata non tibi placuerunt* ; *tunc dixi* : *Ecce venio.* (*Hebr.* 10 $^{5-7}$ et *Ps.* 40 $^{7-9}$). Obstat enim *primo*, quod talis affectus erat in Christo plerumque invisibilis ; immo primis temporibus absolute invisibilis. *Secundo*, verificabatur in eo ratio oblationis affectivae sed non effectivae. In proposito scilicet et in voto se litabat tunc Christus, sed non in re ; veluti verbis de futuro, sed non de praesente. Nulla igitur actualis fiebat donatio et dedicatio, quanquam intendebatur peragenda aliquando. Nullum actuale contrahebatur foedus cum Deo de peccatis repropitiandis, sed inhiabatur tantum, et (si quando accedebat externa intimatio) praenuntiabatur. Porro non talis oblatio ad verum propriumque sacrificium sufficit ; sed requiritur actualis quaedam donatio de praesente, eaque sensibilis, nec oralis tantum, sed pragmatica.

Elucidatio III.

Christum in coena sacerdotaliter obtulisse suum corpus ad cruentam passionis immolationem, persuadetur primo ex narratione coenae in se considerata.

Ex triptycho Theodorici Bouts.

COENA DOMINI

Accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur (*Luc*, cap. 22, vers. 19).

Lovanii, in ecclesia Sancti Petri.



CAPUT III.

DE OBLATIONE PASSIONIS PERACTA A CHRISTO IN COENA.

Id nobis est propositi ut ostendatur Christus, in coena effigiem suae passionis conficiens, obtulisse Deo passionis suae veritatem sacerdotaliter. Quod constabit :

Primo ex comparatione coenae cum passione ;

Secundo ex comparatione coenae cum antiquo foedere atque vetere paschate ;

Tertio ex comparatione coenae cum *Epistola ad Hebraeos*.

Quarto ex comparatione coenae cum promissione eucharistiae ;

Confirmabitur deinde ex quibusdam coenae cicumstantiis [1].

1. Testimonio directo accedet indirectum ex dicendis postea (Elucid. XIX, et passim) de NOSTRA celebratione eucharistica ; quam si semel constiterit esse eatenus sacrificium, quatenus in ipsa offeratur a nobis Christus ex passione sua factus hostia, jam retro concludetur in coena esse, pro differentia temporum, oblatum a Christo suum corpus ut immolandum in passione. Idem enim facimus quod fecit, excepta diversitate quae ex ordine inverso ad passionem oritur : Christo tunc nondum immolato, sed immolando ; nunc jam non immolando, sed immolato.

* *Ad Luc.* 19[b] *ex sequente tabula.*

Negant quidam recentiores critici post Westcott-Hort (*The New Testament in the original Greek*, Introduction, Appendix 1, 2 ed. p. 63 et 64) genuinitatem versiculorum Lucae 19[b]-20 τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον κτλ.

Quocirca primum est exhibendus status quaestionis textualis, qualem, ut par est, a peritis palaeographiae accipimus.

Exhibent 19[b]-20 : 1° testes graeci omnes, uno excepto codice Bezae (D), qui bilinguis est ; 2° ex versionibus, syriaca Peschittho, latina Vulgata atque etiam Veteris Latinae testes c q f.

Agnoscunt praeterea 19[b]-20, non solum scriptores graeci, Eusebius (*Canones Evangeliorum.* P.G. 22, 1280-1281), Basilius (*Moralia,* Regula 21, c. 3. P.G. 31, 739), Cyril. Alex. (in h. l. P.G. 72, 908-912, coll. 905 C, unde patet ignotos fuisse Cyrillo versiculos 17-18), sed etiam Tertullianus (*Adv. Marcionem,* l. 4, c. 40. P.L. 2, 461), ducens inde argumentum.

Omittunt simpliciter 19[b]-20, ex graecis codicibus D, ex latinis autem praeter d, etiam a ff² i l.

Omissis versiculis 19[b]-20, ita transponunt versiculos 17-18, ut statim ad 19[a] adnectant, latini b e.

Sola dempta ex versiculo 19 institutione ritus (τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν) subrogat pro versiculo 20, simpliciter omisso, eosdem versiculos 17-18 versio syriaca curetoniana.

Syriaca autem sinaitica versiculo 19 integraliter exhibito ita subnectit versiculos 17-18, ut 1° inter 19 et 17 inserat ex versiculo 20 illud ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι ; 2° inter 17 et 18 inserat illud ex eodem versiculo 20 : τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου ἡ καινὴ διαθήκη.

Textus habes omnes collectos apud Sanday in articulo *Jesus Christ* (D. B. 2, 636-637).

Jam vero ex istis omissionibus totalibus aut partialibus versiculorum 19[b]-20 concludunt praefati critici hos versiculos esse interpolatos ex *I Cor.* 11 [24-25].

Sed obstat illi conclusioni, omninoque suffragatur genuinitati versiculorum 19[b]-20, quod :

1° Non est fides adhibenda contra omnes codices graecos (uno D excepto, ubi textus graecus non est independens a textu latino) codicibus versionum, multis quidem, sed non tamen omnibus.

2° Facile explicatur, supposita genuinitate versiculorum, cur exciderint ex quibusdam codicibus ; genuinitate autem negata, vix intellegi potest quomodo in alios codices irrepserint.

Facile, inquam, supposita genuinitate explicatur absentia. Nam a translatoribus habiti sunt pro reduplicatione indebita versiculorum 17-18, ut in b e et syrr (cur sin) patet. Quare etiam VIDEMUS CODICES ALIOS QUOSDAM, PRAESERTIM SYRIACAE PESCHITTHO, UBI RETINETUR 19[b]-20, CARERE VERSICULIS 17-18.

Difficile autem explicaretur praesentia, ge-

§ 1. De comparatione inter coenam et passionem.

Sectio I. — Ex Scriptura.

Matth. 26 26–29	*Marc.* 14 22–25	*Luc.* 22 15–20	*I Cor.* 11 23–26
		15 Καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς· ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν· 16 λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω αὐτὸ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. 17 Καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν· λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς· 18 λέγω γὰρ ὑμῖν, οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως οὗ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ.	
26 Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ δοὺς τοῖς μαθηταῖς εἶπεν· λάβετε φάγετε· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου.	22 Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν λαβὼν ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ εἶπεν· λάβετε· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου.	19 a) Καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου.	23 Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, ὅτι ὁ κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδετο ἔλαβεν ἄρτον
		b) * τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.	24 καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν· τοῦτό μού ἐστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.
27 Καὶ λαβὼν ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων· πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· 28 τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.	23 Καὶ λαβὼν ποτήριον εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες. 24 Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν.	20 Καὶ τὸ ποτήριον ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον.	25 Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἐὰν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. 26 Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρι οὗ ἔλθῃ.
29 Λέγω δὲ ὑμῖν, οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως ἡμέρας ἐκείνης ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου.	25 Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.		

nuinitate non admissa. Nam primo : si interpolati sunt ex Paulo, cur in omnibus codicibus deest uniformiter, post consecrationem calicis, illud τοῦτο ποιεῖτε κτλ ? Rursus cur aut unde omnibus codicibus formam longiorem exhibentibus irrepsit illud τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον ? Secundo : quomodo ad occurrendum difficultati exegeticae (quae juxta nostros adversarios oriebatur in forma breviore ex apparente inversione ordinis inter calicem et panem) potuit fieri a graecis librariis adeo concorditer interpolatio ejusmodi, unde videretur potius augeri

Si inspiciantur illae narrationes coenae, primum occurrit, quod cruenta quaedam mors in conspectu ponitur verbis atque rebus designantibus corpus et sanguinem separatim. Ipsa enim corporis et sanguinis divisa mentio ac repraesentatio, potissimumque designatio sanguinis ut fusi, corporis ut traditi, occisionem apprime innuunt.

Secundo, ratio quaedam adnectitur propitiatoria in his verbis : *pro multis*, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον (*Matth.*, v. 27), et praesertim cum praepositione ὑπέρ, τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν (*Marc.*, v. 24) ; — *pro vobis*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (*I Cor.*, v. 24) ; — annexa potissimum illa clausula : *in remissionem peccatorum* (*Matth.*, v. 27).

Ex his consequitur, sacrificale aliquid agi, ita ut quamvis nihil efficiatur cruenti, cruenti tamen aliquid involvatur. Passio scilicet Christi in medio est, implicata ritui incruento, cum utilitate quadam propitiatoria.

His terminis contineri oblationem incruentam cruentae immolationis, nunc est distinctius exponendum.

Dico igitur *primo* : MACTATIONEM aliquam Christi haberi in coena MERE REPRAESENTATIVAM.

Dico *secundo* : in repraesentatione illa

difficultas quam minui : duplicato jam calice ?

3° Rem tandem perspicienti apparet postulari formam longiorem ordine atque serie sententiarum propter duo : *primo*, ut quemadmodum binario illi 15-16 respondet binarium 17-18, sic versui 19 respondeat 20 ; *secundo*, ut paschati legali et figurativo opponatur novum atque verum pascha, eo modo qui dicendus est in Elucidatione IV.

Quare praeter catholicos fere omnes, inter quos nominandi sunt potissimum Berning (*Die Einsetzung der heiligen Eucharistie*, 1901, p. 25-47), P. Batiffol (*Etudes d'histoire et de théologie positive*, 2e série [3], p. 22-28), Lebreton (art. *Eucharistie* in *Dictionnaire apologétique*, col. 1553-1554), Ruch (art. *Eucharisristie d'après la sainte Ecriture*, in D. T. C. col. 1073-1077) : servant textum integrum multi acatholici, etiam rationalistae. Sic inter Gallos : J. Réville (*Les origines de l'Eucharistie*, 1908, p. 98-102) ; Goguel (*L'eucharistie des origines à Justin martyr*, 1910, p. 108-117). Inter Germanos : Weizsäcker (*Das apostolische Zeitalter der christlichen Kirche* [2], 1892, p. 575 sq. — implicite —) ; Jülicher (*Zur Geschichte der Abendmahlsfeier in der ältesten Kirche*, in *Teologischen Abhandlungen C. v. Weizsäcker gewidmet*, 1892, p. 325, n. 1. : « Doch « halte ich die beiden Verse aus äusseren und « inneren Gründen für echt lukanisch, und ihre « Streichung für einen methodischen Fehler »; Schultzen (*Das Abendmahl im N. T.*, 1895, p. 18) ; R. A. Hoffmann (*Abendmahlsgedanken Jesu Christi*, 1896, p. 9-21 : « Wir müssen, nach « allem dem, die Westcott-Hortsche Streichung « von 19b und 20 als äusserst prekär ablehnen. « Es würde durch dieselbe ein absolut unver- « ständlicher Text entstehen ; andrerseits ist « der Fortfall der Verse in den bezl. Hand- « schriften durchaus erklärlich » ; quondam C. Clemen (*Der Ursprung des hl. Abendmahls*, 1898, p. 21-22) ; Holtzmann (*Handcommentar zum Neuen Testament, Die Synoptiker* [3], p. 409) ; Tischendorf-Gebhardt; Nestle; W. Larfeld (*Griechische Synopse der vier neutestamentlichen Evangelien* 1911) ; H. von Soden (*Die Schriften des Neuen Testaments*, 2 Teil, 1913, p. 369). Inter Anglos, Scrivener (*Introduction to Crit. of N. T.*, 1874, p. 579 sq. coll. p. 482), jam ante Westcott-Hort integro loco discusso, pro textu recepto stabat. Hodie Plummer, (art. *Lord's supper*, D. B. 3, 146, et *A critical and exegetical commentary on the Gospel according to S. Luke* [4], p. 496-497) non audet rejicere genuinitatem loci propter maximum pondus externorum testimoniorum (« the « overwhelming external evidence of almost « all M. S. S. and Versions. » *Commentary*, p. 496), sed rem mavult in dubio relinquere.

Contra genuinitatem loci steterunt : apud nos, Loisy (*L'Evangile et l'Eglise* [2], p. 115-116 ; *Autour d'un petit livre*, p. 237-238 ; *Les évangiles synoptiques*, t. 2, p. 526-528). Extra Galliam : Brandt (*Die evangelische Geschichte und der Ursprung des Christentums*, 1893, p. 301); Erich Haupt (*Ueber die ursprüngliche Form und Bedeutung der Abendmahlsworte*, 1895, p. 6-9) ; B. Weiss (*Die Evangelien des Markus und Lukas*, 1901, p. 634) ; Zahn (*Einleitung in das Neue Testament* [2], t. 2, p. 359-360) ; Andersen (*Das Abendmahl* [2], p. 37) ; Franz Dibelius (*Das Abendmahl*, 1911, p. 97-101) ; nuperque, mutata sententia, C. Clemen (*Der Einfluss der Mysterienreligionen auf das älteste Christentum*, 1913, p. 19). Interim apud Anglos, Sanday (loc. cit.) et J. Armitage Robinson (art. *Eucharist*, in Cheyne, *Encyclopaedia Biblica*, 2, col. 1418-1419).

A supralaudatis auctoribus multi alii allegantur, quorum opera prae manibus habere non licuit.

Addendum tandem, contra genuinitatem solius versiculi 22 [20] stetisse Spitta (*Zur Geschichte und Litteratur des Urchristentums*, I, 1893, p. 297-298).

Adverte interea : etiamsi textus non esset genuinus, fore tamen theologo licitum illinc ducere argumentum, non quidem scripturisticum, sed utique traditioni innixum.

mactationis futurae haberi aliquam Christi OBLATIONEM.

Dico *tertio* : oblationem hanc involvi non repraesentativam tantum aut apparentem, sed REALEM PRAESENTEMQUE.

Dico *quarto* : oblationem fieri hostiae AD IPSAM IMMOLATIONEM VERAM quae repraesentatur futura.

Uno verbo : in imagine alicujus immolationis offertur hic et nunc Christus ad immolationem cujus fit imago.

Assertum primum. Habetur mactatio mere repraesentativa.

Sonant quippe verba super panem et vinum prolata mortem, eamque cruentam ; at patet ipso tempore quo Christus loquitur, quamvis praesens inducatur corpus et sanguis, tamen nullam peragi occisionem. Repraesentatur igitur mactatio Christi, sed non fit. Quare dicenda est in coena immolatio Christi non haberi ulla nisi mere similitudinaria seu repraesentativa, consistens in vi symbolica, quae speciebus visibilibus accrescit ex orali designatione, respectu corporis ut traditi ad mortem, et sanguinis ut ex corpore profluentis.

Assertum secundum. Habetur aliqua oblatio.

Ad oblationem constituendam dictum est sufficere, si ritu quodam sensibili se prodat voluntas directiva doni in Deum.

Porro in coena voluntarius totus apparet ritus : quem non sua sponte solum aggreditur Christus, sed et persequitur lubens [1], et commendat apostolis iterandum.

Speciatim, instaurans foedus (διαθήκη) ostendit se volentem (omnino enim contractus voluntarius sit oportet), et potissimum datio (διδόμενον) fidem facit libertatis sicut et liberalitatis.

Manifestatur vero doni in Deum directio, cum ex praemissa gratiarum actione et benedictione (εὐχαριστήσας, εὐλογήσας) super ista sua dona ac data (panem et vinum dico), tanquam εὐχαριστήρια, id est munera Dei Deo reddenda ; tum praecipue ex deditione ipsa corporis, non quidem apostolis facta, sed *pro* apostolis, utique Deo in hostiam ; atque ex libatione sanguinis *pro* apostolis, vel *pro multis*, in remissionem peccatorum, quibus erga justitiam Dei obligati eramus ad poenam, quam tollit, solvens Deo pro nobis pretium, victima piacularis. Hinc destinatio maxime doni ac pretii in Deum munerandum et placandum.

Assertum tertium : Habetur aliqua oblatio vera et praesens.

Oblatio dico primum *vera*. Est quippe ibi quaedam oblatio apparens tantum, et est quaedam oblatio vera. Apparens est oblatio panis et vini, vera est oblatio corporis et sanguinis. Apparet, dico, oblatio panis et vini, nec fit. Id est, Christus extrinsecus se habet quasi offerens Deo εὐχαριστήρια panis et vini, ad instar Melchisedech. « Quando enim panem et vinum « manibus acceptum ostendit Deo et Patri, « tanquam dona illa ei offerens et dedicans, « exhibebat » (Nicolaus Cabasilas, *Liturgiae Expositio*, c. 2. P.G. 150, 377), ut supra dictum est. At non ipsa offerebat, quae in articulo sacramentalis coenae jam non erant, cum diceret Christus, non : hic est panis, sed : *hoc est corpus*, nec : hoc est vinum, sed *hic est sanguis*. Non igitur panem offerebat, quippe qui non esset ; nec vinum offerebat, quippe quod non esset ; sed offerebat, si quid offerebat, id quod esse dicebat : corpus suum et sanguinem suum. Apparens igitur tantum erat oblatio panis et vini ; in ea latebat sensibus, aperiebatur autem fidei, oblatio corporis et sanguinis. Haec igitur non erat, sicut illa, mera effigies alicujus donationis secretioris, sed erat ipsa substantialiter quaedam donatio vera et realis.

1. Voluntarietatem apte commonstrat ex gratiarum actione Moses Bar Kepha (IX s.) in *Explanatione mysteriorum oblationis*, ed. et transl. angl. R. H. Connolly et H. W. Codrington (*Two Commentaries on the Jacobite Liturgy*, Oxford, 1913, p. 52). « By that *He gave thanks*, « He declared ...to us... that He assents to the « will of the Father — for *thanksgiving is assent* « — as though He said : I assent to thy will, « o Father, that I receive suffering and death « for the human race. »

Rursus ita vera erat ista oblatio corporis et sanguinis, ut non praenuntiaretur aut promitteretur tantum, sed jam hic et nunc efficeretur. Hoc est, jam actualiter Christus tradebatur in Dei mancipium et censum : *praesens* agebatur oblatio.

Quod dupliciter constat.

Constat enim *primo* ex eo quod corpus non dicitur datum iri, sed nunc dari (διδόμενον)[1]. Nunc ergo peragitur donatio seu traditio rei ad Deum, in qua consistit oblatio.

Constat *secundo* ex eo quod 1°) exercetur quaedam actio propitiatoria de praesente, quae 2°) sine praesente oblatione sacrificali nequit omnino consistere.

1°) Quod enim actio propitiatoria sub hic et nunc exercetur, colligitur tribus modis :

Primo modo *generaliter*, ex participiis praesentibus ubique in ejus enuntiatione adhibitis :

τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον (*Luc.*, 22^{19}),

τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν (*Marc.*, 14^{24}),

τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν (*Matth.*, 26^{28}), quibus satis ostenditur nunc aliquid patrari pro nobis, nunc poni aliquid nobis proficuum, nunc efficaciam aliquam exeri salutarem, nunc fieri propitiationem.

Colligitur altero modo *specialiter*, ex eo quod non solum sanguis, sed calix ipse dicitur effundi pro nobis (τοῦτο τὸ ποτήριον... τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον *Luc.*, 22^{20}), quae calicis, ut talis, partes propitiatoriae non possunt nisi ad praesens tempus referri, cum deinceps nullus sit in decursu passionis futurus calici fundendo locus [2].

1. Oblationem sacrificalem quamlibet volens a coena removere Renz (*op. cit.* t. 1, p. 120-141), vim participiorum praesentium, contra sententiam communiorem nostrorum apologetarum, inde contendit extenuare, quod verba sacramentalia referenda sunt ad immolationem passionis veram atque cruentam. Quanquam defendit omnino veritatem oblationis sacrificalis in coena factae cl. Lebreton (art. *Eucharistie*, in *Dictionnaire apologétique*, col. 1564), tamen et ipse negat vim argumenti ducti ex participiis praesentibus, remittens ad sanctum Joannem Chrysostomum (*In Matth.* hom. 82. P.G. 58, 738 sq.), qui dum de datione et effusione illa disserit, omnia ad passionem refert. At equidem putarim nil contra vim praesentialem verborum, ex eo quod ad passionem spectent, posse inferri, siquidem praesentem exprimunt oblationem ad passionem futuram, ut mox in asserto quarto constabit ; est enim διδόμενον interpretandum : quod « datur ad mortem », ut in *Gal.* 1^{4} et *Rom.* 8^{32}(Cf. Holtzmann, *Handcommentar zum Neuen Testament, Die Synoptiker* [3], p. 409). Quare τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον ut immolationem aliquam repraesentativam praesentem importat, ita denotat praesentem deputationem ad immolationem realem futuram. Sicque verba spectant ad passionem, et nominant aliquid in coena transactum.

2. Attamen videtur Patri Knabenbauer (*Commentarius in Evangelium secundum Lucam*, in. h. l., p. 574-575) referendum grammaticaliter τὸ ἐκχυννόμενον non ad ποτήριον, sed ad αἵματι (quasi forte subintellegatur inter nomen et appositionem : ὅ ἐστι. Quocirca remittit ad *Apocalypsim* 1^{5} et 2^{20}. Quibus locis reperitur quidem aliquid simile, sed ita ut adsint pro illa constructione ex contextu excusationes quae apud Lucam desiderantur. In priore enim *Apocalypseos* loco. ὁ μάρτυς videtur aliqualiter se habere parallelo modo ad praevium illud ὁ ὤν κτλ (v. 4) ; in posteriore autem, ἡ λέγουσα habet aliquam umbram justificationis in membro subsequente διδάσκει κτλ. At illis locis alii possunt addi ex *Apocalypsi* similes (9^{14} et 14^{12}) quorum fatenda est nulla posse talis ratio reddi. Nihilominus respondendum est in *Apocalypsi* tales constructiones non esse nisi casus particulares generalis indifferentiae auctoris respectu grammaticalis concordantiae casuum (*Apoc.* 1^{4}, 4^{1}, 4^{7-8}, 5^{6}, 9^{13}, 11^{4}, 13^{11-14}, 14^{19} 17^{3}, 19^{1}, 21^{9}) ; in quo parificatur ejus stylus cum lingua coaetaneorum multorum minus excultorum, qualis in aegyptiis papyris nuper in lucem editis exhibetur (Cf. Moulton, *Grammar of N. T. Greek*, p. 9). Talis autem non solet esse lingua *Lucae*. Quare sine haesitatione pronuntiat Viteau (*Étude sur le grec du N. T. — Sujet complément et attribut*, p. 102) secundum grammaticalem connexionem τὸ ἐκχυννόμενον referri ad ποτήριον, per metonymiam illud explicans. Cui consonat Zorell (*Novi Testamenti Lexicon Graecum*, s. v. ἐκχέω). Nec aliter sentiunt Plummer (*Commentary*, p. 499) aut Holtzmann (op. cit. p. 410) aut Goetz (*Die heutige Abendmahlsfrage*[2], p. 148). Quorum ne suspicari quidem videtur ullus aliam fieri potuisse hujus loci grammaticalem constructionem. Quod si vix tibi credibile videtur posse ἐκχυννόμενον praedicari grammaticaliter de vase potius quam de liquore, jam suppetunt nobis ex ipsa *Apocalypsi* sex exempla locutionum in quibus verbum ἐκχέω (cui ex inusitato ἐκχύνω, respondet participium praesens passivum ἐκχυννόμενος) relate ad ipsum vas usurpatur : ἐκχέετε τὰς φιάλας τοῦ θυμοῦ τοῦ θεοῦ εἰς τὴν γῆν (*Apoc.* 16^{1}, cf. $16^{2, 4, 8, 10}$). Ceterum etiamsi esset in sententiam Patris Knabenbauer prorsus singularem descendendum, tamen non deperiret nobis nisi unum argumentum subsidiarium.

Colligetur idem tertio modo, *indirecte*, ex ratione novi foederis, quod hic et nunc concluditur, ut ostendetur infra in Elucid. IV : unde consequitur nostram repropitiationem *fieri* sub hic et nunc.

2º) Quod autem actio sub hic et nunc propitiatoria omnino arguit oblationem actualem de praesente, ideo pro certo tenendum est, quia vis propitiatoria proprie inhaeret ipsi sacrificio, non autem illius praenuntiationi aut praefigurationi aut promissioni merae ; sacrificium autem nullum est sine oblatione actuali victimae, sive immolatae, sive immolandae [1].

Assertum quartum : Habetur oblatio ad immolationem illam veram quae repraesentatur futura.

Quod constat cum indirecte, tum directe.

Constat *indirecte*, ex eo quod nisi Christus offeratur ad immolationem illam veram quae futura repraesentatur, intellegendus erit oblatus ad meram imaginem immolationis, quae nulla est immolationis veritas. At nisi oblatio sit hostiae ut vere vel immolatae vel immolandae, nullum est verum sacrificium ; nec, si desit sacrificium, potest exseri praesens ulla vis propitiatoria. Jam vero ostensum est vim propitiatoriam hic et nunc exseri ; ergo oblatio fit Christi ut vere in passione immolandi.

Constat vero idem *directe* dupliciter.

Manifestum est enim *primo*, eo ipso ad realem mactationem deputari corpus, eo ipso sanguinem ad realem pro nobis effusionem, quod sanguis coram Deo [2] effunditur a Christo similitudinarie, et similitudinarie corpus mactatur. Symbolica enim effusione sanguinis, symbolica mactatione corporis, symbolica cruentatione carnis dominicae, non solum promittitur vera corporis mactatio, vera sanguinis effusio ; non solum vovetur [3] victima Deo, sed jam

1. Congrue Augustinus, super illud Psalmi 129[4] : *Quoniam apud te propitiatio* : « Et quae « est ista propitiatio nisi sacrificium ? Et quod « est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum « est ? Sanguis innocens fusus delevit omnia « peccata nocentium » (P.L. 36, 1697).

2. *Coram Deo* inquam, siquidem non solum interpellat Christus Deum voce laudis atque gratiarum actionis, sed et propitiatorium demonstrat opus quod agitur.

3. Nisi accipiatur vox *vovere* sensu illo classico quo apte dicitur victima voveri (id est sacrari) oblatione, immolatione autem devoveri (id est desacrari).

Quocirca non omittenda videntur, quanquam notissima, illa quae disserit J. de Maistre occasione accepta ex sacrificiis humanis (quamvis circa originem humanorum sacrificiorum major sit hodie dubitandi locus quam tunc apparuit).

« Il y a grande apparence que les premières « victimes humaines furent des coupables con« damnés par les lois ; car toutes les nations ont « cru ce que croyaient les Druides au rapport « de César (*De Bello Gallico*, 6, 16) : que le sup« plice des coupables était quelque chose de « fort agréable à la Divinité. Les anciens « croyaient que tout crime capital, commis dans « l'État, liait la nation, et que le coupable était « *sacré* ou voué aux dieux, jusqu'à ce que, par « l'effusion de son sang, il eût délié et lui-même « et la nation.

« On voit ici pourquoi le mot *sacré* (sacer) « était pris dans la langue latine en bonne et en « mauvaise part, pourquoi le même mot dans « la langue grecque (ὅσιος) signifie également ce « qui est saint et ce qui est profane ; pourquoi « le mot *anathème* signifiait de même tout à la « fois ce qui est offert à Dieu à titre de don, et « ce qui est livré à sa vengeance; pourquoi enfin « on dit en grec comme en latin qu'un homme ou « une chose ont été *désacrés* (expiés) pour ex« primer qu'on les a lavés d'une souillure qu'ils « avaient contractée. Ce mot de *dé-sacrer* (ἀφοσιοῦν) semble contraire à l'analogie : l'oreille « non instruite demanderait un *re-sacrer* ou « *sanctifier* ; mais l'erreur n'est qu'apparente, « et l'expression très exacte. *Sacré* signifie dans « les langues anciennes ce qui est *livré à la Divi*« *nité*, n'importe à quel titre, et qui se trouve *lié*, « de manière que le supplice *dé-sacre, expie*, ou « *délie*, tout comme l'absolution religieuse.

« Lorsque les lois des XII tables prononcent « la peine de mort, elles disent : *sacer esto (qu'il* « *soit sacré)* ! c'est-à-dire *dévoué*, ou pour s'ex« primer plus correctement, *voué* ; car le cou« pable n'était, rigoureusement parlant, *dé*« *voué* que par l'exécution » (*Eclaircissement sur les sacrifices*, ch. 2).

Huc pertinet quod saepe apud Vergilium victimae aris impositae vocantur *vota*, v. g.

« Lustramurque Jovi votisque incendimus aras » (*Aeneid.* 3, 279) ;

et saepe dicuntur dii votis vocari, votis dico non casu ablativo sed dativo ; hoc est in vota seu victimas invocatur illorum descensus seu gratia.

Nec aliter saepe in lingua ecclesiastica : sive Patrum, ut Augustini (*in Ps.* 61[27]. P. L. 36, 178 : « Vota mea reddam coram timentibus eum « — Quae sunt vota sua ? Sacrificium quod « obtulit Deo ») ; sive Liturgiarum, ut, in postcommunione festi s. s. Nominis Jesu (« Omni« potens aeterne Deus, qui creasti et redemisti « nos, respice propitius vota nostra »).

actualiter sacratur Deo in ordine ad veram illam effusionem et mactationem futuram. Sicut Christus igitur hic et nunc transfertur in Dei mancipium, sic jam suae addicitur passioni. Ergo in ipsa immolatione repraesentativa (quam recte nuncupaveris symbolicam, sacramentalem, mysticam)[1] actualiter quaedam perficitur oblatio Christi ad immolationem cruentam.

Quod eo evidentius postmodum (Elucid. XIII) fiet, quod ostendetur corpus Christi habuisse in sacrificio dominico partes altaris. Dum igitur Christus cruentat ipse sacramentaliter altare suum, eo ipso (cf. Elucid. I) gerit se magnum sacerdotem offerentem Deo in mysterio vitam suae hostiae.

Manifestum est *secundo* non aliter potuisse intellegi, quod a Christo dicebatur corpus suum *pro nobis* dari, nisi daretur ad mortem.

Quare omni ex parte adigimur ad dicendum corpus et sanguinem Christi esse in incruenta passionis imitatione ad cruentam passionis perpessionem obligatum erga Deum ; aliis verbis, esse in ritu illo mysticae immolationis ipsam passionis hostiam, ut talem, oblatam Deo a Christo sacerdotaliter[2].

Recapitulatio.

Apparuit in coena Christus quasi dans Deo panem et vinum ; et per hoc manifestavit se dare Deo aliquid : non quod apparebat, sed quod latebat ; non panem, sed quod loco panis se aiebat manibus gestare, corpus scilicet suum ; non vinum, sed quem in calice se loco vini aiebat miscuisse, sanguinem suum. Dabat corpus ; dabat sanguinem ; seorsim utrumque, quantum ad significandi modum speciebus et verbis inditum. Dabat se in effigie mortis ; dabat se pro nobis in mortem, atque per mortem se dabat Deo hostiam.

Cum autem dicitur Christus dedisse se in hostiam Deo, sensus non est solum intimatam esse a Christo talem sui deditionem sermone. Immo sicut in omnibus sacrificiis veri nominis generatim, sic in sacrificio redemptionis, oblatio ritualis, significativa voluntatis oblativae internae, consistebat, non in mera hujus voluntatis intimatione orali, utputa voce *offero* aut simili aliqua ; sed in RITU QUODAM LITURGICO, adhibito ab ipso liturgo, quo se, respectu hostiae immolandae, proderet PRAGMATICE voluntas actualis Deo munus tradendi ac consecrandi. Fuit quidem ritus eucharisticus complexus quidam rerum et verborum, sed talis ut verba non per se sola integrarent oblationem Deo factam, sed solummodo demonstrarent (ac efficerent) praesentiam corporis ac sanguinis sub speciebus panis et vini in ordine ad repropitianda peccata. Qualis praesentia verbis importata constituit in coena ritum oblativum, quo actualiter Christus mancipabatur Deo in hostiam, deputatus morti pro nobis piaculari.

SECTIO II. — IDEM ARGUMENTUM EX TRADITIONE.

Priusquam Patres lustrentur, praenotandum est unum. In rebus quas nulla exagitavit controversia cum haereticis, non ita saepe Patres suas sententias protulere illo modo didactico ac peremptorio qui veluti compelleret intellectum, dum

1. Recte J. Wilhelm et T. S. Scannell, *A Manual of Catholic Theology*, vol. 2. London 1898, p. 456 : « We use the term *mystical* in « reference to the mystery in which the effusion « takes place ; it is opposed to *real*, and EQUI- « VALENT to REPRESENTATIVE, commemorative, « or relative. » Revera correspondet stricte voci *sacramentalis*, pro quanto sacramentum sumitur proprie pro signo quodam sacro : adeo ut immolatio mystica sit immolatio penes signum seu penes sacramentum.

2. Quare recte et textus graecus ubique adhibet praesens tempus (διδόμενον ἐκχυνόμενον), et latinus versionis vulgatae textus, quanquam retinet praesente tempore *quod pro vobis datur (Luc.)*, tamen futuro tempore enuntiat effusionem *effundetur (Matth. Marc.)*, *fundetur (Luc.)*. Praesens enim tempus praesentem denotat immolationem repraesentativam in qua fit oblatio ad immolationem realem denotatam per tempus futurum. Unde verum habet utraque lectio, ita ut una ex altera accipiat lucem, majorem tamen ex graeca latina.

sensus ita se prodit ut nulli jam effugio remaneat locus. Exceptis igitur locis paucioribus qui vel seorsim sumpti fidem faciant sententiae auctoris, in reliquis hoc est theologi munus, ut referatur sincere quae sit sententiae directio magis obvia, quidve nobis veluti sponte oggerat ac suggerat litera sibi permissa. Quod si in innumeris casibus inveniantur semper testimonia collineare in eumdem intellectum, nec ullum testimonium in alteram partem videatur potius inclinare, hinc in determinanda mente Patrum communi argumentum suppeditat non leve, innixum scilicet illi « cumulativae probabilitati », quam ostendit cardinalis Newman posse transcendere genus opinionis, ut generetur certitudo : ex impotentia scilicet aliter explicandi universalem ac constantem indiciorum conspirationem, nisi Patres admittantur fuisse certa quadam sententia imbuti. Crescet autem certitudo, si praedicationi Patrum accesserit (ut fert casus in rebus eucharisticis) consensus Liturgiarum similis. Quod monitum erit prae oculis habendum cum in hac tum in sequentibus Elucidationibus, usque dum perveniamus ad missam explorandam (Elucid. XIX sq.) ; cui quia Patres magis immorati sunt, ideo etiam vividior fiet lux, retro in coenam diffundenda.

Articulus I. — Testimonia Indirecta.

Primo. In coena esse oblatum sacrificium ipsum passionis innuunt indirecte Patres, cum, distincta sacrificatione (seu oblatione) ab occisione (seu mactatione), haec ita tribuitur Judaeis deicidis, ut illa Christo reservetur consecranti panem et vinum in coena.

Ita apud sanctum Ephraemum (*Hymni Azymorum*, hymn. 2, ed. Lamy, t. 1, p. 576-578) :

Str. 2

« Sciens agnus veritatis sacerdotes rejectos
« et sacrificatores pollutos sibi non sufficere,
« FACTUS EST SUO CORPORI SACERDOS ET [SACRIFICATORUM PRINCEPS.

Str. 3

« Sacrificatores populi NECARUNT PRINCI- [PEM SACRIFICATORUM
« Sacrificator noster, victima factus, sa- [crificio suo
« abolevit victimas, et expandit auxilia sua [quocumque locorum.

Str. 5

« Nullus agnus agno coelesti major.
« Cum sacerdotes terrestres essent et agnus [coelestis,
« ipse sibi fuit victima et sacerdos.

Str. 6

« Digni quippe non erant sacerdotes polluti
« OFFERRE AGNUM immaculatum, victimam [pacificam,
« quae coelo et terrae pacem afferebat san- [guine suo omnia pacificante.

Str. 7

« PANEM FREGIT manibus suis in sacra- [mentum sacrificii
« corporis sui ; CALICEM MISCUIT in sacra- [mentum oblationis sanguinis sui.
« IPSE SIBI SACRIFICIUM OBTULIT sacerdos [propitiationis nostrae.

Str. 8

« Induit sacerdotium Melchisedech ipsius [figurae.
« Is victimas non praestitit, sed panem et [vinum obtulit.
« Abolitum est antiquum sacerdotium, non [supersunt libamina. »

Secundo. Eadem innuitur fortasse doctrina, cum, ex parte nostra, exhibetur perpessio martyrii ut adimpletio convivii eucharistici : quo aliqualiter videtur confirmari, ex parte Christi, fuisse passionem adimpletionem coenae immolatitiam.

Sic Augustinus : « Videamus, inquit, « audiamus adhuc Dominum : *Vota mea* « *reddam coram timentibus eum*. Quae sunt « vota sua ? SACRIFICIUM QUOD OBTULIT « DEO[1]. Nostis quale sacrificium ? No-

1. Notandum est quomodo, cum sermo sit de sacrificio oblato in coena, absolute loquatur Augustinus de sacrificio Christi ; non quasi quoddam sacrificium indicans aliud ab illo quo noscitur Christus nos redemisse ; sed simpliciter praedicans « sacrificium quod obtulit Deo » : quasi uno ejus sacrificio existente. Cf. Karl Adam, *Die Eucharistielehre des hl. Augustin*, 1908, p. 73.

« runt fideles vota quae reddidit coram « timentibus eum : nam sequitur : *Edent « pauperes et saturabuntur.* Beati pauperes, « quia ideo edunt ut saturentur : edunt « enim pauperes ; qui autem divites sunt, « non satiantur, quia non esuriunt. Come- « dent pauperes : inde erat piscator ille « Petrus, inde erat alius piscator Joannes « et Jacobus frater ipsius, inde etiam erat « publicanus Matthaeus. De pauperibus « ipsi erant, qui comederunt et saturati « sunt, TALIA PASSI QUALIA MANDUCA- « VERUNT. COENAM SUAM DEDIT, PASSIO- « NEM SUAM DEDIT : ille saturatur, qui « imitatur. Imitati sunt pauperes : ipsi « enim sic passi sunt, ut Christi vestigia « sequerentur » (*In Ps.* 21^{27}. P.L. 36, 178).

Tertio. Huc etiam pertinet quod coenae ipsi sublatio peccati, quod est opus redemptionis, aliquando disertis verbis tribuitur. Exemplum habes apud Gregorium Nazianzenum, cum inter ceteras judaici ritus circumstantias hanc etiam typice illustrat, quod vorandus esset agnus ad vesperam : «A nobis vorabitur agnus. Ad « vesperam quidem, quia in fine saeculo- « rum Christi passio : siquidem et PARTI- « CEPS EST SACRAMENTI CUM DISCIPULIS « IN VESPERA, DISCUTIENS CALIGINEM PEC- « CATORUM » (*Or.* 45 *in sanctum Pascha*, n. 16. P.G. 36, 644). Vides quomodo non solum vespertinum passionis tempus explicet per horam coenae vespertinam, sed etiam quomodo ipsa coena dicatur Christus peccatorum effecisse remissionem[1].

Eodem redit, ni fallor, si dicatur mors debellata per coenam (siquidem Christus, teste Paulo, sacrificio eodem et profligavit mortem et destruxit peccatum). Porro illud patefacit Cyrillus Alexandrinus (*De adoratione in spiritu et veritate*, 3. P.G. 68, 285-293)[2], exemplo ducto ex

1. Aequivalet apud mediaevales nostros, istud Amalarii (*De ecclesiasticis officiis*, l. 1, c. 12. P.L. 105, 1023) : « Gratias egit, ob hoc nimirum « quia vetera transitura, et futura fuerant omnia « nova. Lex non solvebat peccata, sed puniebat. « Christus IN QUINTA FERIA veteri legi finem « dat, PECCATA ABSOLVIT » (Conferatur ibid. c. 12 et 23).

Pariter Joannes, Abrincensis primum episcopus, deinde archiepiscopus Rotomagensis, in suo libro *De officiis ecclesiasticis*, dum coenam dominicam describit, haec habet : « MYSTERIUM « GERI DISPOSUIT, QUO PECCATORUM VULNERE « SAUCIATI, et virtutum robore debilitati, SA- « LUTI AETERNAE RESTITUERENTUR, et fugatis « peccatorum tenebris, veram in cordibus pacem « ferentes, fidei lumine illuminarentur. Ipsa « enim die, veteri legi quae peccata puniebat « finem dedit et primum sacrificium corporis « et sanguinis sui, quo peccata tolluntur, ins- « tituit » (*De Off. eccl.* P.L. 147, 49). En unitatem coenae et passionis. In coena peragitur jam a Christo mysterium nostrae reparationis. Redemptio nostra efficitur per istud ipsum sacrificium corporis et sanguinis Christi. Sacrificium igitur crucis in coena jam agitur.

2. « *A mane* igitur, hoc est a primis hujus sae- « culi temporibus, mors depasta est eos qui in ter- « ra erant, *usque ad horam prandii* [juxta LXX], « hoc est usque ad mensae tempus. Ubi enim « advenit nobis sanctae mensae tempus, nimi- « rum illius in Christo ac mysticae, in qua panem « illum manducamus de coelo vivificum, mors, « quae prius erat terribilis ac insuperabilis, « destructa est (*I Cor.* 15^{26}), Deo repropitiato... « Eripuit igitur nos Christus, qui in persona « Davidis intelligitur. Nam cum videret a « morte consumi terricolas, factus est advo- « catus pro nobis apud Patrem : offerebat enim « seipsum pro nobis, ac morti se sponte subjecit, « cohibuitque exterminatorem... Per aream in- « telleges Ecclesiam... Quam spiritualem are- « am, Ecclesiam inquam, emit Christus quinqua- « ginta siclis, hoc est non exiguo pretio (seipsum « namque dedit pro ea) ; in eaque fixit altare. « Cumque autem ipse sit liturgus [ἱερουργός] « (factus est enim pontifex), ipse etiam victima, « obtulit seipsum (ut [factum erat a Davide] « in imagine et typo vituli triturantis), et factus « est holocaustum et hostia pacifica... Excitato « autem altari, super quod imponeretur et paci- « fica victima et holocaustum, soluta est afflictio : « exaudivit enim Dominus terram, et cohibita « est ruina. Dum enim Christus se pro nobis « litat [ἱερατεύσαντος], destructa est mors, at- « que interitus sublatus est... Quod autem « dictum est altare parvum quidem ab initio « fuisse, sed auctum esse postea, designat futu- « ram suis temporibus progressionem evangelii, « atque sanctarum Ecclesiarum angustias qui- « dem pristinas, amplificationem autem ulte- « riorem : dilatantur enim quodammodo in « dies altaria, dum adduntur Ecclesiis priori- « bus aliae, atque populi in immensam multi- « tudinem crescunt, qui per sacrificium in « Christo [actum] redempti sunt, ipsum [Chris- « tum] habentes pro liturgo et victima sancta, « suaveolentoque purgamento ac veluti altari « admirabili. » An dubitaveris quin hic eucharistia proponatur, in qua et Christus litaverit seipsum pro nobis redimendis afficiendum morte, et Ecclesia idem nostrae redemptionis pretium ac pignus frequentet assidua ministratione atque oblatione ?

David cohibente Exterminatorem per hostiam, quam in area, magno pretio empta, obtulit super altare, quod extruxit ipse quidem exiguum, auxit autem postea Salomon (*II Reg.*, 24^{11-6}). Ita quippe persequitur allegoriam Cyrillus ut non solum asserat mortem tunc esse devictam cum Dominus coenavit suam coenam, sed insuper velit in ipso altari eucharistico oblatum a Domino sacrificium illud quo mors vinceretur : ait enim esse oblatum in ejusmodi altari, quod deinceps veluti excresceret, dum dilatatur paulatim per populos eucharistica celebratio.

Habes mortis in coena cladem, apud nostros mediaevales, decantatam in quadam *Oratione ad communionem* (A. H., 51, 297. Ex orationariis ms anglicis saec. VIII/IX) :

« Verus enim cibus est
« Caro tua omnipotens ;
« Et sanguis tuus, Jesu,
« Verus potus fidelium.

« PER HOC [sacrum] MYSTERIUM
« A morte REDEMISTI NOS,
« Ut firmiter ac sobrie
« In te vivamus, Domine.

« Dignare ergo, petimus,
« Sancti hujus mysterii
« Participes nos fieri
« Ad laudem tui nominis. »

Sed multo antiquius, in vetustissima omnium nostrarum anaphorarum jam idem, puto, importabatur ipso sermone quo introducebatur narratio coenae : « Qui« que cum traderetur voluntariae passioni, « ut mortem solvat, et vincula diaboli « dirumpat, et infernum calcet, et justos « inluminet, et terminum figat, et resur« rectionem manifestet, accipiens panem, « gratias tibi agens dixit : *Accipite, man« ducate, hoc est corpus meum quod pro « vobis confringetur* » etc. (*Fragmenta veronensia latina*, ed. Hauler, 1900, p. 106-107). Fines videlicet qui enumerantur, redemptionem utique omnes personantes, videntur nihilominus referri ad ipsam eucharistiae confectionem, tanquam causa rei gestae : quasi Dominus illum ritum ideo voluerit exercere, ut nos redimeret a morte ac potestate diaboli et poenis inferni, restitueretque et luci et vitae.

Quarto. Consonat satis apud Patres, quod triduum aliquando mortis dominicae ab hora coenae computarunt, eo quod illius occisio jam reputanda videretur ut facta, qui in cibum dispertiretur ad modum mortui. In quo, si minus quod pertinet ad tridui expositionem satisfaciunt, certe quod spectat ad vim perpendendam coenae, nil nisi verissimum tradidere. In coena enim exordium sumpsit sacrificium dominicae passionis : offerente se Domino ad perpetiendam mortem, et veluti anticipatae mortis tradens victimam discipulis.

Sic primum Aphraates : « Qui autem « corpus suum manducavit et bibit suum « sanguinem, CUM MORTUIS REPUTATUR. « Dominus autem suismet manibus corpus « suum praebuit manducandum, et prius« quam crucifigeretur sanguinem suum « potandum dedit... A tempore quo dedit « corpus suum in escam et sanguinem « suum in potum tres dies et tres noctes « veniunt » (*Demonstratio XII, De Paschale*, n. 6 et 7. P. S., pars 1, tom. 1, col. 517 et 520).

Amicus Aphraatis, sanctus Ephraem, non semel tantum, sed bis eamdem computationem in *Evangelii concordantis expositione* (ed Moesinger, p. 221 et 267) proposuit (quanquam, ut solet in ceteris suis operibus, ita etiam in eadem *Evangelii concordantis expositione*, p. 226 et 267, alteram illam indicat quae a morte Christi incipitur). « Ex illo momento quo suis « discipulis corpus suum fregit, et corpus « suum apostolis dedit, numerantur tres « dies ejus, quibus cum mortuis computa« batur » (p. 221). « Ex quo die corpus et « sanguinem suum eis dedit, hoc triduum « consummatum est » (p. 267)[1].

1. Ista tridui computatio etiam a mediaevali quodam scriptore Syro memoratur ut recepta satis, quanquam ipse anteponit alteram (Anonymi auctoris *Expositio officiorum Ecclesiae* Georgio Arbelensi vulgo adscripta. Trad. R. H. Connolly. C. S. C. O. 91, 68).

Sed prae ceteris sanctus Gregorius Nyssenus, dum disputat quis initiarit sacrificium redemptionis, utrum Christus, an Judas aut Judaei aut Pilatus, utitur ista computatione ad vindicandam Christo totius negotii auctoritatem : « Qui potes- « tate sua cuncta disponit, NON ex prodi- « tione sibi impendente necessitatem, non « Judaeorum quasi praedonum impetum, « non iniquam Pilati EXSPECTAT senten- « tiam, UT SIT EORUM MALITIA QUASI « TOTIUS HOMINUM SALUTIS ORIGO ET « CAUSA, SED CONSILIO SUO PRAEOCCUPAT « VIAM PER INEFFABILE ATQUE HOMINIBUS « INVISIBILE SACRIFICII GENUS, ET SEIP- « SUM OBTULIT PRO NOBIS OBLATIONEM « ET HOSTIAM, SACERDOS SIMUL EXSI- « STENS ET AGNUS DEI ILLE QUI TOLLIT « MUNDI PECCATUM. QUANDO id praestitit ? « TUNC quando comestibile esse ad nutri- « tionem corpus suum clare ostendit, eo « quod jam perfecta esset sacrificatio agni. « Non enim fuisset corpus victimae ad « edendum idoneum, si animatum fuisset. « Proindeque cum discipulis suis illud « concessit ut manducarent corpus et san- « guinem biberent, jam, penes volunta- « rium, per potentiam ipsius mysterium « peragentis, erat ineffabiliter invisibili- « terque corpus sacrificatum. Et anima in « discipulis erat (in quibus eam cum divina « simul potentia illi conjuncta deposuerat « dispositoris potestas), versans in illa « pectoris regione. Itaque si quis tempus « dimetiatur ab illa hora qua Deo sacrifi- « cium est oblatum a magno pontifice qui « agnum suum PRO COMMUNI PECCATO « ineffabiliter et invisibiliter immolavit, « is a vero non aberrabit » (*Or.* 1 *in resurrectionem* P.G. 46, 612).

Patet omnino non esse separationem istam animae a corpore accipiendam apud Nyssenum realistico sensu, quasi vere corpus Christi visibile exhinc caruerit anima[1]. Sed quemadmodum apud Aphraatem atque Ephraem Christus quasi mortuus reputabatur tantummodo, ita etiam isthic, secundum quamdam moralem aestimationem habebatur tanquam mortuus Christus, corpusque illius tanquam exanime, ex hoc quod ejus anima per communionem eucharisticam sic erat in discipulis, ut tamen corpus visibiliter alibi versaretur, aut vice versa. Quo satis denotabatur, et praesens reddebatur mors ipsa quae terminus futurus erat sacrificii jam nunc a Christo inchoati. *Effectus* enim erat mortis, in quantum oblatae, ut Christus manducaretur ; rursusque manducatio *indicium* suppeditabat mortis cui tradebatur Christus. Acta est igitur coenatio propterea quia sacrificium suae mortis jam obtulerat Christus : unde sequebatur ut ad partem voluntariam quod spectaret, κατὰ τὸ θελητόν, jam sacrificium, jam ipsa mors esset irrevocabiliter effecta. Quo nihil ad nostram coenae expositionem illustrandam aptius [2].

Post Gregorium Nyssenum exstat ejusdem sententiae specimen egregium in com-

1. In contrarium legesis Renz (op. cit. t. I, p. 363-364).

2. Proxime accedit ad Gregorium Nyssenum, Jacobus Sarugensis († 521), vir inter Syros adeo celeber, ut antonomastice dicatur *Doctor*, non tamen ab omni monophysismi nota, judicio novissimorum criticorum, liber. In quadam *Homilia in Hebdomadam Sanctam* (quam anglice versam edidit R. H. Connolly ad calcem alterius quae inscribitur *A Homely of* Mâr Jacob *of* Serûgh *on the reception of the holy mysteries, Downside Review*, Nov. 1908, p. 282) haec habet ille : « While He was alive and recli- « ning with them, they [the Apostles] ate Him ; « and DEAD WHILST LIVING they knew Him (to « be), without doubting. IF HE WERE NOT DEAD, « THEN HIS BREAD WAS NOT HIS BODY ; and « if He were not alive, He would not have bro- « ken His body and given to His Apostles... « THEY AFFIRM THAT HE IS SLAIN, WHILST « THEY LOOK UPON HIM ALIVE AND SPEA- « KING ... They drink His Blood, and affirm « that it is Blood, while He is alive. » Involvebatur penitus scilicet et quodammodo realiter mysterio panis et calicis mors Christi. « They « thought that yea in truth His Blood was « dropping (there)... HE IS THE DEAD, WHO, « WHEN DEAD, WAS ALIVE,... PRIEST AND « BURNT OFFERING. » Explicatio tota est in hac ultima voce : quia sacerdos erat offerens seipsum in sacrificium, vitam suam sacrificans, mortem suam Deo praesentans. Pro quanto sacrificabat, necesse erat ut viveret ; pro quanto sacrificabatur, necesse erat ut mortuus adspiceretur, ut fusus appareret sanguis, ut victima tractaretur. Quare praeoccupabatur toto mysterio coenae mors, et veluti inserta eucharistiae, in usus hominum expendebatur.

mentariis Procopii cum in *Genesim* tum in *Exodum*.

Quaerens enim ille cur agnus paschalis in Lege esset occidendus ad vesperam, nec in meridie, respondet id factum esse quia Christus exorsurus esset in coena sacrificium illud paschale nostrae redemptionis, quod in cruce esset complendum. « Quare « igitur non caeditur ovicula sexta hora, « sed potius vespera instante ? Audiamus « Scripturam Novi Testamenti, et omnia « congruere reperiemus. Nam illi qui « Christum cruci affixerunt, id peregerunt « hora sexta. At pontifex noster Jesus « oviculam quam assumpsit, vespere im- « molavit, cum paschale convivium cum « suis discipulis agitaret, iisque dispartiret « sacra mysteria. (Quando vero finis affer- « tur legis, evangelii stabiliuntur initia.) « Et qui intra quidem sacerdos, extrin- « secus vero ovis erat, SEMETIPSUM OB- « TULIT. SI INITIUM SACRIFICII CHRISTI « A COENA EXORDIAMUR, conservabitur « trium dierum et noctium numerus, « quibus, secundum typum Jonae in « terrae visceribus sopitus jacuit. At se- « cundum hanc computationem com- « putabitur et dies in quam resurrectio « incidit... Christus ut inculpabilem hos- « tiam in odorem bonae fragrantiae SE- « METIPSUM OBTULIT Deo et Patri ; et ut « agnus pro peccatis nostris in ara crucis « IMMOLATUS EST » (*In Exod.* 12[5]. P.G. 87, 566-567)[1].

Disputans autem utrum in creatione dies praecesserit nocti an e converso, haec argumentatur : « Videtur autem illis qui « priore quam noctem loco diem ponunt « adversari tempus festorum et in primis « triduale tempus sepulturae et resurrec- « tionis nostri Salvatoris. Nam lex semper « et ubique praeponit noctes diebus, ut « videre est in festo azymorum... Pari « ratione numerus trium dierum et noc- « tium passionis Domini et resurrectionis « ineundus et supputandus est. Is dies « quo passus est Salvator noster, addatur « praecedenti parasceves nocti. Sequens « dies dominicus connumeretur nocti ter- « tiae qua resurrexit » (*In Genes.* 1[5]. P.G. 87. 56)[2].

Quinto. Adeo unum est sacrificium coe-

1. Vides distinctionem inter oblationem quam fecit suimetipsius Christus in coena *(Semetipsum obtulit... Semetipsum obtulit Deo et Patri)*, dum se immolat sacramentaliter *(vespere immolavit)*, et immolationem veram cruentamque peractam in cruce *(qui Christum cruci affixerunt... in ara crucis immolatus est)*.

2. Attestatur eidem computationi in Occidente, tanquam sat vulgatae, auctor ignotus veteris cujusdam *Sermonis de symbolo ad catechumenos* (cap. 6, n. 6 ; inter opera S. Augustini, P.L. 40, 657) ; nec ipse eam « vacuare » vult.

Nec dubitaverunt mediaevales computationem istam adhibere ad liturgicos hebdomadae sacrae usus comprobandos. Quaerit enim secum Rupertus Tuitiensis cur non in feria sexta majore conficiatur a nobis sacramentum corporis et sanguinis dominici, reservandum usque in diem paschae, vacante interea per totum Sabbatum sanctum celebratione sacrificii : quod si fieret, expressius sane denotaretur a nobis triduum mortis dominicae. Respondet autem, triduum computari posse a tempore quo se ipse Dominus sacrificavit in coena, praeoccupans immolationem qua erat a Judaeis in cruce necandus. « Causa poscere « videtur ut [hac] die dominicum corpus conficien- « tes, et inde usque ad sabbatum recondentes, « toto eodem sabbato jugi silentio consopiti, « usque in primam sabbati ab omni diurno psal- « lentio *(sic)* cunctoque sacri altaris minis- « terio vacaremus. Sic enim rei propius acce- « dere putaremur, pro eo quod hac die Dominus « noster immolatus, sabbato quievit in sepulcro « totamque sequentem noctem discipuli ejus « in tristitia transegerunt, donec diluculo re- « deuntibus a monumento mulieribus, quaeque « audierant et viderant referentibus, paulatim « respirare et in gaudium reviviscere coeperunt. « Verius itaque triduanam Domini mortem « observare videremur... Cur ita fiat [ut faci- « mus], quia ratione non vacat, vigilanter intu- « endum est. Dominus noster non tunc solum « vel tunc primum immolatus est, quando a « Judaeis in cruce suspensus est; sed et pridie « quam pateretur, quando accipiens panem et « calicem benedixit et dedit discipulis suis, « dicens : *Hoc est corpus meum, Hic est calix* « *sanguinis mei*, suis manibus immolatus est ; « suis ipse manibus nobis, ut jugiter immoletur, « agnus commendatus est. Ab illa immolatione « [quae scilicet a Judaeis perpetrata est], prima « sabbati [est] tertia dies ; AB ISTA VERO [immola- « tione quae a Domino processit], SABBATUM « ipsum TERTIA NIHILOMINUS DIES est... TRI- « DUUM ERGO DOMINICAE MORTIS, quod PER- « FICI NEQUIVIT eo respectu quo IPSE A JUDAEIS « EST TRUCIDATUS, pulchre et rationaliter ad « hunc respectum TRANSPONITUR quod IPSE SUIS « MANIBUS EST IMMOLATUS » (*De divinis officiis*, l. 6, c. 22. P.L. 170, 166-167).

nae et passionis indivisim, ut *eucharistiae sacramentum* voluerint veteres esse *in cruce oblatum* a Christo. Sic Albertus Magnus : « [Hoc sacramentum] specialis « gratiae coram Deo est inventivum : pro « omnibus enim invenit gratiam oblatum « in cruce » (*Liber de sacram. euchar.*, Dist. 1, c. 4). Et re quidem vera si in eucharistica coena offerebatur mors, jam in morte perficiebatur absolvebaturque eucharistica litatio : adeo ut ratio sacrificii ultimo accederet coenae ex cruenta immolatione ad quam erat ordinata[1]. Quare potuit eucharistia dici in cruce *litata*. Sic quintodecimo saeculo Joannes Mauburnus, Abbas Livricensis, in quodam *Carmine in septem nomina*[2] *sacramenti corporis et sanguinis Domini Jesu* (A. H. 48, 523 ; cf. 15, 22), super sextum nomen *sacrificium*[3], sic habet :

« Salve sacrificium
« In cruce litatum,
. . . .
« Salve, pontificium
« Christi sacrificium. »

Consecratam in cruce eucharistiam dicunt eodem sensu Beda[4] (*In Lucam* 22[16]. P.L. 92, 595), et Amalarius[5] (*De eccles. offic.*, 1, 15. P.L. 105, 1032) ; consecratam cum passione, Thomas Waldensis[6]. Eucharisticam Christi carnem dixerat in passione *confectam* S. Quodvultdeus[7].

Sexto. Sanctus Thomas quidem de ratione sacrificali coenae nunquam disputavit data opera ; nec tamen sine ducatu omni nos videtur reliquisse.

Etenim in Commentario super Quartum Librum *Sententiarum* dum exponit literam distinctionis duodecimae, quae sic habet : *Si Christus quotidie immoletur, vel semel tantum immolatus sit*, duo sanctus Doctor distinguit in sacrificio quo semel nos Christus repropitiavit : *primo*, id quod actum est a Judaeis erga Christum, cum correlativo cruciatu Christi ; *secundo*, id quod actum est a Christo erga Deum, sci-

Premit vestigia Ruperti in suo *Mitrali* Sicardus Cremonensis, eidem quaestioni objectionique occurrens verbis brevioribus et expressioribus : « *Dominus noster pridie quam pateretur,* « *accipiens panem et calicem, benedixit deditque* « *discipulis suis dicens : Hoc est corpus meum,* « *Hic est calix meus* (sic). TUNC EST IMMOLA- « TUS IN MANIBUS SUIS, de qua immolatione « subjunxit : *Hoc facite in meam commemoratio-* « *nem.* AB HAC igitur quae non est omittenda, « cum sit firmiter injuncta, SEXTA FERIA EST DIES « SECUNDA, qua velut in monumento quiescat. « SABBATUM VERO TERTIA, qua velut a morte « resurgat » (*Mitrale*, 1. 6, c. 13. P.L. 213,319).

Ante hos duos Joannes, Abrincensis primum episcopus, deinde archiepiscopus Rotomagensis, in suo libro *De Officiis ecclesiasticis* (P.L. 147, 52) illa posuerat, satis intricata, nec tamen inefficacia, quorum haec est summa : in liturgia majoris hebdomadae, computatur in triduo Domini dies coenae quasi subrogata pro die dominica, in qua « propter gloriam resurrectio- « nis non potest sepultura Domini celebrari. » Et convenienter fit istud, quandoquidem « in die coenae... se pro omnibus suis PASSURUM, « apostolis INNOTUIT, QUIA CARNEM SUAM ad « vescendum, in crastino PASSURAM, SANGUINEM « quoque EFFUNDENDUM simul eis tradidit. » Congrue igitur triduum mortis dominicae includit feriam quintam, quia in sacramento suae passionis dedit jam Christus discipulis suis ipsam conterendam passione carnem et eliciendum ex vulneribus sanguinem. Haec certe ille.

1. Quo praesupposito, jam valet argumentum ab apologetis nostris sexcenties novatoribus XVI saeculi objectum : coena fuit sacrificium, quia corpus Christi fuit immolatum in cruce ; sicque sacrificium, in coena inchoatum, consummatum in cruce est. Quod argumentum quia saepius infra recurret, sufficiat interim unum exemplum ex Tilmanno Smelingo (*De septem sacramentis*, Coloniae 1538), qui nulla alia via deducit ex verbis dominicis indolem coenae sacrificalem, nisi quia « corpus suum quod sub « specie panis discipulis porrexit in coena, sub « propria specie obtulit in cruce ; atque ID QUOD « IN COENA INCHOAVIT, IN CRUCE CONSUMMA- « VIT » (cap. 5, p. 342-343). Rursusque de calice : « Manifestum est eucharistiam esse sacra- « mentum. Quod autem addit [Christus] *qui* « *pro multis* sive *pro vobis effundetur*, QUOD « ADIMPLETUM EST IN CRUCE, indicat eam esse « sacrificium » (p. 343).

2. Quae nomina sunt : eucharistia, donum, cibus, potus, communio, sacrificium, sacramentum.

3. Vox *sacrificium* hic sumitur passivo sensu pro hostia ; sicut abundant exempla per omnia medii aevi saecula. Cf. infra, Elucid. XXXIX.

4. Citandus infra, Elucid. XII.

5. Pariter infra citandus, Elucid. XX.

6. Citandus interim, Elucid XIX.

7. Citandus in Elucid. XXXIII. Quanquam ipse fortasse nil aliud intellexit, nisi coenam habuisse locum intra passionem, ad modum qui explicabitur infra, in Elucid. VII. Certissime per vocem *confectam*, non intellegebat destructam aut detritam.

licet *offerre* et *sacrificare.* Determinat autem : primum membrum non iterari[1] a nobis cottidie in sacrificio Christi ; sed alterum membrum utique reiterari : posse scilicet fieri a nobis cottidie oblationem et sacrificationem, ita vere ut facta est a Christo semel. Cur autem haec possit a nobis fieri, duas causas assignat sanctus Doctor complexive : unam ex parte hostiae, alteram ex parte modi oblativi. Ex parte quidem hostiae, ratio assignatur quia hostia illius sacrificii quod fecit Christus est perpetua (quae ratio expendetur infra in Elucidatione XIX et XXI) ; ex parte autem modi oblativi, ratio assignatur quia talis fuit modus oblationis semel factae a Christo, ut nos etiam possimus sub Christo capite nostro cottidie offerre. En locum : « Sciendum est quod omnia illa verba quae important comparationem Judaeorum ad « Christum, et poenam Christi, non dicuntur quotidie fieri. Non enim dicimus « quod Christus quotidie crucifigatur et « occidatur : quia actus Judaeorum et « poena Christi transiit. Illa autem quae « important comparationem Christi ad Deum Patrem, dicuntur quotidie fieri, « sicut offerre, sacrificare, et hujusmodi : « eo quod hostia illa perpetua est, et hoc « modo est semel oblata per Christum quod « quotidie etiam per membra ipsius offerri « possit. » Jam vero si facimus cottidie, dum offerimus, id quod Christus fecit, cum semel obtulit sacrificium suae mortis ; si modus oblationis nostrae sequitur modum oblationis dominicae, nonne Christus ritu eucharistico censebitur obtulisse suam mortem ?

Nunc vero transeundum ad testimonia magis directa.

Articulus II. — Testimonia Directa.

Primo. Disertam doctrinae enuntiationem praebet intra annum 430 et 450[2] Hesychius, presbyter Hierosolymitanus, haec in commentario suo *in Leviticum* 8, libro 2 (P.G. 93), declarans : 1°) NON MODO CHRISTUM SUUM SACRIFICIUM IN COENA OBTULISSE (*Lev.* 8[22] *Obtulit Moyses arietem secundum.* « Cur autem aries *secundus*, « hic nunc aries nominatur ? Quia vide- « licet *prius* figuratam ovem[3] cum apos- « tolis coenans, Dominus postea suum « obtulit sacrificium et *secundo* sicut ovem « ipse semetipsum occidit[4] » col. 882), sed 2°) MAXIME ILLIC CELEBRASSE (« Com- « munem coenam festivitatis paschalis « cum suis Christus discipulis celebravit... « Tunc autem maxime sacrificium suum « Christus celebravit » col. 882). 3°) UBI, POTATO CALICE ET PROPINATO, EFFUDIT IN CORPUS SUUM, VELUTI ALTARE, PROPRIUM SANGUINEM (« Bibens enim ipse, et « apostolis bibere dans, tunc intelligibilem[5] « sanguinem super altare, videlicet suum « corpus, effudit » col. 883) ; 4°) CUJUS ASPERSIONE SACRAMENTALI OBTULIT PASSIONEM SUAM PRO NOBIS (« Ipse enim « Christus ad sanctificationem nostram, « aspersione proprii sanguinis videlicet, « passionem suam pro nobis obtulit » col. 885) ; 5°) JAM IN COENA PROPITIATIONEM INDUCENS (« In qua die enim tradidit coe- « nae mysterium, in eadem die depreca- « tionem sive propitiationem insinuavit, « id est peccatorum remissionem, dicens : « *Hic est meus sanguis novi testamenti, qui* « *pro multis effundetur in remissionem* « *peccatorum* » col. 888).

Idem Hesychius, distinctione facta inter

1. Etsi *repraesentatur* a nobis *cottidie*, ut ex litera distinctionis patet, et ex doctrina constante sancti Thomae (3 S. 83, 1). Sed aliud est repraesentari in imagine, aliud est iterari secundum rei veritatem. Porro de hoc genere iterationis realis agitur in quaestione quam nunc solvit S. Thomas.

2. Cf. A. Vaccari, *Esichio di Gerusalemme e il suo « Commentarius in Leviticum »*, in *Bessarione*, Jan. Jun. 1918, p. 8-46, speciatim p. 22. Probavit ibi solide Vaccari commentarium esse scriptum primitus graece, Hierosolymis, ab Hesychio presbytero.

3. H. e. agnum legalem.

4. Intellege : se occidit sacramentaliter, et per hoc se obtulit ut arietem secundum ; non jam victimam legalem, sed victimam sui sacrificii.

5. *Intelligibile*, in versione nostra Hesychii, idem sonat quod apud scriptores latinos spirituale (Cf. Vaccari, p. 21). Vocatam esse carnem Christi aut sanguinem a Patribus spiritualem, exponetur infra in Elucid. XVIII et L.

oblationem et immolationem, notat 1°) a nullo nisi seipso Christum esse oblatum; 2° ne immolari quidem potuisse ab aliis, nisi seipsum ad patiendum tradidisset; 3°) se tradidisse illum per immolationem sacramentalem quam in coena peregit. « NEMO enim illum OBTULIT; sed nec « immolare poterat, nisi semetipsum ad « patiendum tradidisset. PROPTER QUOD « non solum dicebat : *Potestatem habeo « ponendi animam meam, et potestatem « habeo iterum sumendi eam*; sed et prae- « veniens semetipsum in coena aposto- « lorum immolavit, quod sciunt qui myste- « riorum percipiunt virtutem » (*In Levit.*, 4, l. 1, col. 821).

Tandem agens proprie et expresse de sacrificio Salvatoris, quo salus et Judaeis et gentibus acquisita est, illud absolute pronuntiat : « Ipse enim propriam carnem « immolavit, ipse sui sacrificii pontifex « in Sion factus est : quando sanguinis « novi testamenti dabat calicem » (*In Levit.*, 16^{11-13}, l. 5. P.G. 93, 993).

Pariter alibi explicans quomodo *virgam virtutis*, id est crucem, emiserit *Dominus ex Sion*, id est in coenaculo : « Illic enim, « inquit, semetipsum Unigenitus immola- « vit, illic PASSIONI INITIUM DEDIT » (*In Psalm.* 109^{2}. P.G. 93, 1324).

Haud dubia igitur est mens Hesychii, qui multo magis quam reliqui immoratus est coenae Domini exponendae[1].

Apud alios quid vero significat quod dicitur Christus in coena obtulisse sanguinem suum, nisi factam ab ipso oblationem suae vitae, vel quod idem est, mortis ac passionis salutiferae? Cum enim inter nos dicitur homo obtulisse suum sanguinem pro patria vel pro amicis, nonne intellegitur vitam suam prodidisse ac tradidisse se morti? Id ergo sonet oportet quod, legimus apud Ambrosium : « Vidimus prin- « cipem sacerdotum ad nos venientem; « vidimus et AUDIVIMUS[2] offerentem pro « nobis sanguinem suum » (*In Psalm.* 38, n. 25. P.L. 14, 1051)[3].

Multum affine est in veteribus liturgiis

1. Eamdem in coena rationem oblativam respectu passionis resonat omnino stylus Isaaci Armeni junioris, suis popularibus exprobrantis morem redintegratum judaicorum sacrificiorum. « Cum Christus, Dei filius, pro nobis « MACTATUS FUERIT et SEIPSUM OBTULERIT Deo « Patri pro nobis hostiam, et PANEM AC CALICEM « ACCEPERIT, dixeritque suis discipulis : *Hoc « facite in meam commemorationem* »; quomodo licitum foret in sacrificiis judaizare? « Si enim « pecorum victimae hominibus usquam profuis- « sent, ac Deum reconciliassent, comparassent- « que remissionem peccatorum, quid opus erat « CHRISTI MACTATIONE, QUA SEIPSUM PRO NOBIS « HOSTIAM OBTULIT, atque nos Deo reconci- « liavit? Immo cum non valerent hostiae irra- « tionales nobis reconciliare Deum aut peccato- « rum remissionem praestare, ideo Christus Dei « Filius OFFERENS SEIPSUM PRO NOBIS HOSTIAM « suo Patri, DICEBAT : *Hoc est corpus meum* » etc. (*Invectiva I contra Armenos*, c. 9, § 2. P.G. 132, 1184). Nonne aperte satis is unum sibi ob oculos collocat sacrificium Christi, sacrificium unum redemptionis, ita immolatione, eaque cruenta, constans, ut tamen jam offerretur, cum eucharistia consecraretur?

2. Inter alia ex quibus constat illo loco agi de coena, notandum est istud AUDIVIMUS. In coena enim Christus *auditus* est offerre, ubi obtulit sermone, scilicet consecrationis.

3. Similem doctrinam videtur mihi enarrare Rupertus Tuitiensis, quatenus Christus pontifex, in coena qua se sacramentaliter immolavit, dicitur obtulisse se agnum in passione immolandum, adeo ut jam coenans acquireret salutem omnibus retroactorum saeculorum electis. « Tandem quarta decima die, ad vesperam, ubi « illum paschae veteris agnum comedit cum disci- « pulis suis, tunc IPSE NOVI SACRIFICII AGNUS, « CONTINUO CAPIENDUS ET DUCENDUS AD IMMO- « LANDUM, prius propriis manibus Deo Patri « seipsum immolavit, accipiens panem et vinum, « et mira atque ineffabili sacrificationis potentia « transferens haec in corporis et sanguinis sui « sacramentum. » Vis nosse qualiter in mente Ruperti, haec sacramentalis immolatio se habeat ad cruentam? Ipse tibi rem pandit, dum subjungit ibidem : « Manibus suis, ut jam dictum « est, corpus et sanguinem suum sub specie « panis IPSE SUMMUS PONTIFEX OBTULIT » (*In Exod.* 2, 6. P.L. 167, 613). Vides agnum, priusquam duceretur ad immolandum nefarie per homines pessimos, esse jam sanctissime per manus summi pontificis oblatum Deo, dum sacramentaliter immolatur. Quod sacrificium Christi dum comparat Rupertus cum sacrificio Abelis, ita describit : « Illa sacratissimae coenae ves- « pera, sacerdos idemque sacrificium Dominus « Deus noster Jesus Christus, suis manibus obla- « tus, et in odorem suavitatis acceptus, ab impio « discipulo traditus, ab illo Judaeorum populo « (secundum carnem fratre suo) comprehen- « ditur, et foras extra portam civitatis eductus « crucifigitur » (*In Genes.* 4, 5. P.L. 167, 330). En totum sacrificium, sane in cruce actum cruente, sed in coena oblatum incruente. Quare

orientalibus, quod dicitur Christus in nocte coenae traditus quidem esse, AT VERIUS SE TRADIDISSE pro mundi vita et salute : quasi innueretur illum coenando tradidisse se ad mortem Deo pro nobis. Sic in pervetusta illa liturgia graeca *Sancti Jacobi*, intra anaphoram : « Descendens de coelis, « et incarnatus ex Spiritu Sancto et Maria « virgine deiparaque, conversatus cum « apostolis, totaque oeconomia ad salutem « generis nostri impleta, cum in eo esset « ut voluntariam et vivificam in cruce « mortem expers peccati pro nobis pecca- « toribus susciperet, *in ea nocte qua tra- « debatur*, IMMO SEIPSUM TRADEBAT PRO « MUNDI VITA et salute[1], accipiens panem « in sanctas ac immaculatas ac irrepre- « hensibiles ac immortales manus suas, « elevatis oculis in coelum, et ostendens « tibi Deo et Patri, gratias agens, conse- « crans, frangens, dedit sanctis suis disci- « pulis et apostolis, dicens : *Accipite* » etc.

Quod idem forma breviore exhibet antiquissima etiam liturgia *Sancti Marci* : « Jesus Christus NOCTE QUA TRADEBAT « SEIPSUM pro peccatis nostris, et MORTEM « PRO OMNIBUS SUSCIPIEBAT, in carne « recumbens cum sanctis suis discipulis et « apostolis, accipiens panem » etc[2]. Breviorem hujusmodi formam exhibuit postea saeculo nono liturgia Graecorum, cum quae dicitur *Sancti Basilii*[3], tum quae dicitur *Sancti Chrysostomi*[4].

Nostris vero temporibus, in usu est forma brevior cum apud Syros Antiochenos in anaphora quae dicitur *Sancti Joannis Evangelistae*[5], tum apud Graecos, sive catholicos sive schismaticos, in liturgia *Sancti Basilii*[6] ; forma autem ipsa longior apud eosdem Graecos in liturgia *Sancti Chrysostomi*[7].

Certe in Occidente, apud majores nostros, prolatus cantabatur de arbore crucis potus ipse quem coenans Christus obtulit, utputa in *Prosa de corpore Christi*, pro feria II infra Octavam festi Corporis Christi (A. H. 10, 40. Ex *Missali Suessionensi*, imp. Parisiis, 1516).

coenae, uptote oblativae cruoris fundendi de cruce, deputat Rupertus effectus ipsos crucis, redemptionem scilicet generis humani ab origine mundi usque ad finem. « Pontifex magnus... « sacerdotio suo functus est secundum ordinem « Melchisedech. Protulit enim panem et vinum, « dicens : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis « meus*, et SIC OBTULIT SEMETIPSUM PRO FIDELI « ABRAHAM VERUM SACRIFICIUM, et benedixit « ei : PER SUUM ENIM SANGUINEM benedictio- « nem, id est, PECCATORUM REMISSIONEM ACQUI- « SIVIT ILLI, imo et OMNIBUS ELECTIS qui exspec- « taverunt eum ab origine mundi » (*In Genes.* 5, 12. P.L. 167, 378). Verissime dictum, si modo coena cum cruce copuletur in unitatem singularis cujusdam sacrificii individuam. Multo plura sequentur infra (passim, sed praesertim Elucid. V) testimonia Ruperti distincta ac indubia.

Interim non indignum notatu est, quomodo per modum unius in Christi holocausto congerat Gerhohus Reichersbergensis et coenam et agoniam in horto et crucem. Super illud enim Psalmi : *Holocaustum tuum pingue fiat*, sic habet, alloquens Christum : « HOLOCAUSTUM « TUAE IMMOLATIONIS in COENA tua, in MONTE « OLIVETI, in ARA CRUCIS, pingue fiat nobis, ut « pinguedo dulcis et dulcedo ejus pinguis « ita nos reficiat, ut nihil nobis desit in ulla « gratia exspectantibus revelationem tuam » (*Commentarium in Psalmos*, pars 1, Ps. 19[4]. P.L. 193, 960). Quod unum Christi sacrificium vocat deinceps « novi Paschae holocaustum » (*ibid.*, 962).

1. Ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, μᾶλλον δὲ ἑαυτὸν παρεδίδου ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς καὶ σωτηρίας, κτλ. (B. 51 ; cf. Damasc. *De fide orthodoxa*, 4, 13. P.G. 94, 1146).

2. Τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν καὶ τὸν ὑπὲρ πάντων ὑφίστατο θάνατον κτλ (B. 132).

3. « Reliquit autem tamquam memorialia « salutaris suae passionis haec quae obtulimus « juxta praecepta ejus : exiturus enim ad volun- « tariam, cantabilem, et vivificam suam mor- « tem, in nocte qua tradebat seipsum pro « mundi vita (ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ « τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς), accipiens panem » etc. (B. 327).

4. « Cum venisset et omnem pro nobis oeco- « nomiam complesset, nocte qua tradebat « seipsum (τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτόν), accipiens panem » etc. (B. 327).

5. « In ea nocte qua semetipsum tradidit « pro vita et salute mundi, accepit panem » etc. (Max. Saxoniae, *Missa Syriaca Antiochena*, p. 26).

6. Ut supra in missa noni saeculi, tantummodo dempta praepositione ἐν ante voces τῇ νυκτί (B. 494 ; cf. Max. Saxoniae, *Missa Graeca*, p. 70).

7. Τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, μᾶλλον δὲ ἑαυτὸν παρεδίδου ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς κτλ. (B. 385 ; cf. Max. Saxoniae, *Missa Graeca*, p. 43). Quod autem Christus in plerisque illis locis notatur se tradidisse *pro mundi vita*, infra perpendetur (Elucid. VI).

« In excelsis gloria
« Ex Christi memoria
« Sit, qui dat mysteria
« Panis vitae.
« Hunc panem virgo tulit ;
« POTUM Natus OBTULIT
« Quem IN SACRA PROTULIT
« CRUCIS VITE. »

Ergo cruor crucis est a Christo in coena oblatus.

In vetere autem ritu ambrosiano, perhibetur Christus in feria quinta majore se eo tradidisse ad suam passionem, quod in sacramento offerret se hostiam : « Quid « desperare de tua misericordia possumus, « qui tantum munus accepimus ut talem « tibi hostiam offerre mereremur, corpus « scilicet et sanguinem Domini nostri Jesu « Christi, QUI SE PRO MUNDI REDEMPTIONE « PIAE ILLI AC VENERANDAE TRADIDIT « PASSIONI ? QUI FORMAM SACRIFICII SA- « LUTIS INSTITUENS, HOSTIAM SE PRIMUS « OBTULIT, et primus docuit offerri ? » (*Canon antiquus missae ambrosianae in coena Domini*, ex manuscripto quodam IX vel X saeculi, apud Muratori, *De rebus liturgicis dissertatio*, c. 10. P.L. 74, 944)[1].

Secundo. Expressis praeterea verbis Patres et scriptores ecclesiastici tradidere haec tria : Christum se obtulisse semel ; se obtulisse in coena ; se obtulisse IMMOLANDUM. Unde claret ad immolationem futuram passionis se in coena Christum obtulisse. Sic institutor ille omnium posterioris aevi scriptorum, Cassiodorus, dum sacrificium a nostro magno sacerdote oblatum ad instar Melchisedech in pane et vino commemorat, haec habet : « *Tu es « sacerdos in aeternum secundum ordinem « Melchisedech.* Hoc etiam propheta promisisse Filio commemorat Patrem. Cui « enim potest veraciter et evidenter aptari « nisi Domino Salvatori qui CORPUS ET « SANGUINEM SUUM IN PANIS AC VINI « EROGATIONE salutariter consecravit ? si- « cut ipse in Evangelio dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis « ejus sanguinem, non habebitis vitam « aeternam.* Sed in ista carne ac sanguine « nil cruentum, nil coruptibile mens hu- « mana concipiat ... sed vivificatricem « substantiam atque salutarem, et ipsius « Verbi propriam factam, per quam pecca- « torum remissio et aeternae vitae dona « praestantur. Quem ordinem per mysti- « cam similitudinem justissimus rex in- « stituit, quando Domino panis et vini « fructus obtulit. Constat enim pecudum « victimas periisse, quae fuerunt ordinis « Aaron ; et Melchisedech manere potius « institutum, quod toto orbe in sacramen- « torum erogatione celebratur... Sacerdos « autem praecipue dicitur Christus, qui « SEMEL SE PRO NOBIS OBTULIT IMMO- « LANDUM » (*Expositio in Psalterium*, *Ps.* 109, vers. 5. P.L. 70, 796-797).

Abundantius in eamdem sententiam, verba fere Cassiodori secutus, postquam quaedam deprompsit ex Augustini *Enarratione in Psalmum* 109 (n. 17. P.L. 37, 1460), auctor ignotus commentarii Primasio perperam attributi in *Epistolam ad Hebraeos* : « Considerandum autem « Christum non esse sacerdotem secundum « id quod genitus est a Deo Patre ante « omnia saecula, coaeternus gignenti et « consubstantialis, verus Deus manens « apud Patrem, sed secundum hoc quod « natus est ex utero virginali, in fine tem- « porum homo factus, propter victimam « quam pro nobis obtulit, carnem videlicet « et sanguinem suum. Sed quare *secun- « dum ordinem Melchisedech*, et non se- « cundum ordinem Aaron, dicatur existere « sacerdos, diversae causae existunt ; et « prima quidem est quia Melchisedech « secundum legalia mandata non fuit sa- « cerdos, sed secundum cujusdam singu- « laris sacerdotii dignitatem, PANEM OF-

1. Editus est nuperius idem textus in *Codice Sacramentorum Bergomensi* (*Ad Utramque I. P. Migne Patrologiam... Auctarium Solesmense. Series Liturgica. Tom. I, Veterum Ambrosianae Liturgiae Monumentorum... Collectio.* Vol. 1, fasc. 1, Solesmis 1900, p. 62), ubi nulla est discrepantia textus, excepto quod sententia non est interrogativa, sed sic incipit : « Haud quid desperare » etc.

« FERENS DEO, non brutorum animalium « sanguinem : IN CUJUS ORDINE SACER- « DOTII CHRISTUS FACTUS EST SACERDOS, « non temporalis, sed aeternus : nec OFFE- « RENS victimas legales, sed INSTAR ILLIUS « PANEM ET VINUM, carnem videlicet et « sanguinem suum, unde dixit : *Caro* « (inquiens) *mea vere est cibus, et sanguis* « *meus vere est potus*. Ista quoque duo « munera, panem videlicet et vinum, « commisit Ecclesiae suae in memoriam « sui offerenda : unde patet sacrificium « pecudum periisse, quod fuit ordinis « Aaron, et illud manere potius quod fuit « ordinis Melchisedech, quia Christus cor- « roboravit et Ecclesiam tenere docuit... « Tertia quoque causa est quare *secundum* « *ordinem Melchisedech*, et non secundum « Aaron Christus dicatur sacerdos : vide- « licet quia, sicut de Melchisedech semel « legitur in divina Scriptura et de ejus « sacerdotio, ita Christus SEMEL SEIPSUM « OBTULIT IMMOLANDUM PRO NOBIS » (Ps. Primasius, *in Epist. ad Hebr.* 5[6]. P.L. 68, 716-717).

Idem declarant, iisdemque fere verbis, Alcuinus (*In Epist. ad Hebr.* 5[6]. P.L. 100, 1033-1034) et Rabanus Maurus (*In Epist. ad Hebr.* 5[6]. P.L. 112, 743)[1]. Consonatque pulchre sanctus Bruno Herbipolitanus : « *Tu es sacerdos*. Hoc « Christo veraciter aptari decet, qui cor- « pus ac sanguinem suum in panis ac « vini erogatione salubriter nobis conse- « cravit. Sacerdos proprie dicitur Christus, « qui semel SE PRO NOBIS IMMOLANDUM « OBTULIT » (*In Psalm.* 109[4]. P.L. 142, 408).

Verum, non Patres tantum, sed et Liturgiae proclamant Dominum se obtulisse IMMOLANDUM, cum in consecratione corporis et sanguinis sui nostri formam sacri- « ficii institueret : « ... Circumdantes alta- « ria tua [Domine] virtutum, et in ipsius « agni immaculati agnitione gloriantes, qui « SEIPSUM PRO NOBIS OBTULIT IMMOLAN- « DUM, UT CORPORE EJUS ET SANGUINE, « quo a peccatis redempti sumus, ad ae- « ternam vitam SACRIFICIIS COELESTIBUS « PASCAMUR » (*Praefatio missae in feria IV post pascham*[2], in *Sacramentario gelasiano*, lib. 1, c. 48. P.L. 74, 1115)[3]. Se obtulit immolandum, ut nos offerremus immolatum, et immolati carne ac sanguine reficeremur.

Tandem in anaphora chaldaica, quae a schismaticis dicitur immerito *Theodori Mopsuesteni*, a catholicis autem *Secunda* (cf. Max Saxoniae, *Missa Chaldaica*, p. XVII), verba haec exstant (quorum antiquitatem videtur indicare lectio *per Spiritum aeternum*, cf. infra Elucid. V), per modum unius complectentia coenam et passionem : « Ipse *per Spiritum aeternum* « *se obtulit immaculatum Deo*, et sanctifica- « vit nos PER OBLATIONEM CORPORIS SUI « SEMEL FACTAM, et pacificavit PER SAN- « GUINEM CRUCIS SUAE quae in coelis et « quae in terris sunt. Qui traditus est « propter peccata nostra, et resurrexit ut « justificaret nos. Qui cum apostolis suis « ea nocte qua traditus est, celebravit « mysterium hoc magnum, tremendum, « sanctum et divinum : accipiens panem, « benedixit etc ... Nunc etiam, Domine, « ECCE OFFERTUR HAEC OBLATIO coram « nomine tuo magno et tremendo » (Le Brun, *Explication de la Messe*, vol. 3, 1778, p. 539-541). Semel fecit oblationem sui corporis ; per illam semel factam sumus sanctificati. Facientes quod in coena gessit, oblationem facimus eamdem quam ipse fecit. Conclude : in coena et in passione indivise esse actum quo repararemur, quippe quod in coena obtulerit Christus suum corpus ad cruentam mortem in cruce perpetiendam.

1. Cf. Walafrid. Strab. *Glossa ordinaria* super eumdem locum (P.L, 114, 652).
2. In supralaudato *Codice Sacramentorum Bergomensi* (p. 72) legitur eadem *Praefatio pro feria IV in albis*, excepto quod pro *seipsum* habetur *se*, et pro *pascamur* habetur *pasceremur*.
3. Ed. Wilson, p. 93. In secreta (*ibid.*) habetur : « Suscipe, quaesumus, Domine, hostias RE- « DEMPTIONIS humanae » etc. Memento autem isto plurali *(hostias)* designari juxta stylum Ecclesiae liturgicum binas nostri sacrificii species, id est panem et calicem. — Notatu autem dignum est, quod demonstravit nuper Edmund Bishop (*Liturgica Historica*, 3, *The earliest Roman Mass Book*. Oxford, 1918, p. 61) : « The « Gelasianum is substantially the Roman Mass « Book of the SIXTH CENTURY. »

Elucidatio IV.

Persuadetur idem ex narratione coenae collata cum figuris foederis mosaici et paschatis legalis.

Ex triptycho Theodorici Bouts de
Coena Domini.

AGNUS PASCHALIS

Edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni; caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis... Sic autem comedetis illum : renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus et comedetis festinanter : Est enim Phase (id est transitus) Domini (*Exod.*, cap. 12, vers. 8, 9, 11).

Lovanii, in ecclesia Sancti Petri.



§ 2. De comparatione inter coenam et foedus antiquum antiquumque pascha.

Sectio I. — Ex Scriptura.

Olim cum populo Hebraeorum Dominus foedus pepigerat. Post promulgatam enim legem Moyses, immolatis tauris, sanguinem in populum respersit, dicens : *Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum* (LXX *Ex.* 24^{8} et *Hebr.* 9^{20} τὸ αἷμα τῆς διαθήκης)[1]. Sacrificio scilicet foedus pactum erat.

Christus in coena, consecrato pane, porrigit calicem, dicens : *Hic est* (enim) *sanguis meus testamenti*, τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης (*Matth.* et *Marc.*). Quin et foedus dicit novum : τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη (*I Cor.* ἐστὶν) ἐν τῷ (*I Cor.* ἐμῷ) αἵματι (*Luc.* μου).

Quis dubitat veteri testamento opponi novum, foedere novo evacuari vetus ? Aut quali nisi sacrificali actione potest tale foedus in sanguine ictum intelligi ? Effusione enim sacrificali sanguinis apud veteres vel ipsa civilia foedera sanciri solebant ; unde usus apud profanos scriptores talium locutionum[2] : « Id autem foedus « meo sanguine ictum sanciri posse dice- « bant » (Cic. *Pro Sestio*, 10, 24) ; « Foedus « quod meo sanguine in pactione provin- « ciarum iceras frangere noluisti » (Id. *Pis.* 12, 28) ; « Sanguine Hannibalis sanciam « romanum foedus » (Liv. 23, 8). Sed potissimum foedus cum Deo feriendum sacrificio erat ; tumque maxime cum foederi per sanguinem hostiarum celebrato subrogaretur novum, nova requirebatur hostia[3].

Quare certissime constat hic sacrificium celebrari, cum foedus inter Deum et nos ictum censeatur in sanguine novum (Cf. Batiffol, op. cit., p. 68 ; Rivière, *Le dogme de la Rédemption. Ess. d'ét. hist.*[1], p. 94 ; Lebreton, op. cit., col. 1565). At cui jam ignotum esse potest, in sacrificio passionis, eoque solo, foedus novum esse ictum ? Non enim nisi per redemptionis opus pacificavit Christus coelum et terram, et Deo nos reconciliavit, fecitque testamenti haeredes ; opus autem redemptionis proprietas est passionis. Ergo hic[4] jam, ante tormenta passionis, passionis

1. In *Hebr.* 9^{19-20}, descriptio sacrificii *Exodi* duas particularitates admisit quae sat probabiliter debentur influxui antitypi eucharistici. Primo, *accipiens sanguinem... cum aqua* : istud temperamentum aquae in *Exodo* tacebatur. Secundo, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεός pro LXX Ἰδοὺ τὸ αἷμα διαθήκης ἧς διέθετο Κύριος πρὸς ὑμᾶς περὶ πάντων τῶν λόγων τούτων. Westcott, in h. l. : « It is possible that « the correspondig phrase at the institution of « the New Covenant *(Matth.*, 26^{28}*)* may have « influenced the quotation. »

2. Citatarum apud Theil, *Dictionnaire Latin-Français*, s. v. *foedus* et *ico*.

3. De foedere in sanguine sacrificii olim iniri solito legesis Wellhausen, *Skizzen und Vorarbeiten*, 3, p. 119-123 ; Smend, *Lehrbuch der alttestamentlichen Religionsgeschichte*[2], p. 26-28.

4. Quod si quis senserit sacrificium in coena peractum non esse ipsum sacrificium passionis, sed solummodo quamdam praeviam illius repraesentationem vivam in corpore et sanguine dominico, is, praeter alia incommoda (de quibus jam supra), etiam sentiat necesse est non foedus hic concludi, sed *repraesentari* tantum conclusionem foederis. At cum Moyses diceret : *Hic est sanguis foederis*, vere foedus fiebat. Implens igitur figuram Christus cum dicit : *Hic meus est sanguis foederis*, necesse est multo magis ut foedus fiat. Non igitur repraesentatur tantum foederis conclusio, sed agitur. Concludendum est ergo, non repraesentari solum, sed actualiter offerri sacrificium passionis. Quocirca veniunt consideranda quae scribit cl. Mangenot : « Cette coupe pleine de vin est, dit Jésus, « la nouvelle alliance dans mon sang... Évidem- « ment, l'application [du terme de l'*Exode*] « n'est pas faite au vin de la coupe, elle l'est « au sang de Jésus contenu dans la coupe bénite « de l'Eucharistie (*I Cor.*, 10^{16}). C'est le sang « qui sera versé sur la croix, qui scelle LA NOU- « VELLE ALLIANCE de Dieu avec les hommes « ÉTABLIE PAR LE SACRIFICE DU SAUVEUR... « Le sang de Jésus est donc le sang de l'alliance, « le sang qui la scelle. Comme le sang des tau- « reaux immolés par Moïse, il sera versé sur la « croix, et CETTE EFFUSION SERA UN SACRIFICE. « A la cène, il était déjà dans la coupe en qualité « de sang qui devait être bientôt répandu, et « ainsi la coupe contenant du sang versé était « la représentation anticipée du sacrifice de la « croix. Mais par cette institution de la coupe,

celebratur sacrificium ; hic Christus datur ad mortem, nec quicquam est a sacerdote nostro in novissima coena peractum li-tante, nisi sui sanguinis oblatio incruenta ad cruentam effusionem.

Idem eodem modo suadetur ex com-

« représentative du sang de la croix, Jésus con-« tractait avec l'humanité une nouvelle alliance « conclue par son sang répandu, et, parvenu à « son heure dernière, il disposait de son sang, « et par son testament il le donnait en breuvage, « dans la coupe bénite, à ses apôtres » (Mangenot, *L'Eucharistie dans saint Paul*, in R. P. A., 15 nov. 1911, p. 260-261). Aut scilicet eamdem sententiam tenet clarissimus auctor quam nos defendimus ; aut si duo sacrificia discernit, unum praeliminarium in coena, alterum in passione subsequens, jam duo etiam testamenta seu foedera Domini intelligendus est distinguere : unum in cruce, feriendum morte Domini (« nouvelle alliance établie par le sacrifice san-« glant du Sauveur », scellée par « le sang qui « sera versé sur la croix »), alterum hic in coena, institutione calicis constans (« Par cette IN-« STITUTION de la coupe... Jésus CONTRACTAIT... « une nouvelle alliance »). Sed duo foedera aut testamenta Domini quis unquam audivit ? Quid auctor *Epistolae ad Hebraeos*, si audiret, diceret ? Aut qualiter admitti posset foedus novum constans, non CELEBRATIONE dominica ritus eucharistici, sed INSTITUTIONE dominica nostrae celebrationis eucharisticae ? Quasi forte nondum foedus novum adesset, priusquam Dominus diceret : *Hoc facite in meam commemorationem*, nec nisi tum demum sanguis esset novi foederis, aut calix esset novum testamentum ? cum tamen satis inter catholicos constet, ante esse effecta quae verbis significabantur, quam adderetur : *Hoc facite* etc. ; proindeque et calicem jam prius fuisse testamentum, et quidem testamentum in sanguine *(Hic calix novum testamentum est in sanguine meo)*, quam praeceptum iterationis intimaretur. Immo etiamsi nunquam addidisset Christus *Hoc facite*, tamen maneret verum quod ante praemiserat : *Hic calix* etc. Quare praeplacet omnino in sententiam nostrae concordem interpretari verba viri eruditissimi et sagacissimi.

In summa, duo tentari ab adversariis nostris possunt effugia.

Primum effugium est hoc : in coena repraesentabatur conclusio foederis, non efficiebatur ; efficienda erat per crucem, quam repraesentabat coena. Respondeo : Christus omnino adserit tunc jam iniri foedus : *Hic calix novum testamentum* EST *in meo sanguine.* Dices voce *est* intellegendum esse idem ac *significat.* At vide ne, isto posito, pertraharis ab adversariis fidei ulterius quam exspectabas, et ducant te quo tu non vis.

Secundum effugium sit istud : efficiebatur conclusio foederis, sed non per ipsam coenam ; efficiebatur institutione missae : *Hoc facite in meam commemorationem.* Respondeo : etiam seclusa institutione, quae subsequitur rei gestae integrae, debet stare veritas sermonis quem in peragenda coena Christus protulit de ipso opere quod complebat.

Tertium effugium quoddam mirabile attentavit sexti decimi saeculi ille apologeta non ignobilis, Jodocus a Ravesteyn Tiletanus (*Apologiae seu Defensionis Decretorum Sacrosancti Concilii Tridentini*... pars altera, Lovanii, 1570, fol. 336, b), qui conditionem atque inchoationem Testamenti Novi, a coena eliminatam, non differt quidem ad crucem, sed retro ad Abrahamum transmittit. Scripserat enim Chemnitius : « Illud testamentum filius Dei mediator « in ea nocte qua tradebatur condidit. » Contra istud effatum sic invehitur (nescio cur) Tiletanus : « Atque hoc mendaciuum expresse convellit « ipse Paulus, idque in capite illo *Epistolae ad « Galatas*, quod hoc loco citatur. Scribit enim « disertis verbis testamentum novum, scilicet « quod Abrahae factum erat de gentium bene-« dictione in semine ejus, quadringentos et « triginta annos ante datam legem factum « esse. Non igitur verum esse potest quod no-« vum testamentum conditum sit primum in « ea nocte in qua Christus tradebatur. » Nihil simplicius quam veritas ; a qua si incautus deficies, non est quo peregrinatio tua te non ferat.

Quare omnino standum determinationi veterum, qui unanimi ore pronuntiabant : CONDITUM in coena testamentum, esse OBFIRMATUM sanguine testatoris in cruce. Inter sexcentos legesis Manegoldum (*Contra Wolfelmum*, c. 18 et 19, P.L. 155, 166), virum Alsatam, qui saeculo XII ab anonymo Mellicensi (*De scriptoribus ecclesiasticis*, c. 105. P.L. 213, 981) praedicabatur « modernorum magister magistrorum ». Sub finem medii aevi B. Joannes Rusbrochius, in suo *Speculo aeternae salutis*, cap. 5 (vers. lat. Laurentii Surii, Opera omnia, Coloniae 1609, p. 31), sermone non minus firmo : « Quia pos-« tridie illius diei moriturus et ab eis discessurus « erat, testamentum suum prius CONDERE « voluit, quod primo Apostolis, deinde per eos « cunctis christianae fidei professoribus in « extremum usque diem relinqueret : idque « primus ipse suo firmiter CONSIGNAVIT san-« guine, et post eum Apostoli omnes. »

Saeculo XVI, non specialis mentionis indignus est auctor (fortasse B. Joannes Fisher, Roffensis) *Assertionis Septem Sacramentorum contra Martinum Lutherum*, inscriptae nomine HENRICI VIII, quam prae ceteris S. Sedes ad astra extulit. « Non ea solum pertinent ad TESTAMEN-« TUM, quae prius fecit in coena, sed etiam « oblatio ejus in cruce ; NAM IN CRUCE CONSUM-« MAVIT SACRIFICIUM, QUOD INCHOAVIT IN « COENA » (ed. Pottier, Andegav. 1850, p. 90. *Fidei defensori* assentiebatur Eckius, *Asseritur hic invictissimi Angliae regis liber de sacramentis a calumniis et impietatibus Ludderi*, 1523, fol. I i. b). Quod verissime dictum est, ut de sacrificio, ita de testamento seu foedere. Foedus quippe novum jam fiebat in coena, et fuit deinceps per totam passionem in continuo quodam *fieri*, usquedum, morte intercedente,

paratione coenae cum paschate vetere.

Etenim postquam Dominus, accepto cibo paschae[1], hoc sermone usus erat : *Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud donec compleatur in regno Dei* (*Luc.*, v. 16), adjeceratque, potato communi calice : *Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat* (*Luc.*, v. 18), nihilominus statim coenam aggressus est novam consecrati azymi et vini. Quid inde vigilanti auditori concludendum fuit, nisi advenisse jam regnum Dei, impletumque esse tandem pascha, in pane scilicet hoc et calice, quem denuo cum suis dividit Dominus[2] ? Igitur quod ab aliis evangelistis insinuatur, aperte ex Luca colligitur : fuisse eucharisticam coenam verum pascha : veritatem scilicet figurae respondentem, proindeque sacrificium ipsum paschale veri Agni.

Aliunde nemini dubium est, quin antitypus proprius paschatis legalis fuerit ipsum demum sacrificium passionis, in quo verus Agnus occisus est[3], et transitus

staret in *facto esse*. Conferas dicenda vel alleganda infra, in Elucid. IX et X.

Addere juvat locutionem medullosam viri Lusitani, Dieghi Payvae Andradii (quem « Hispanorum omnium celeberrimum » vocat Hurter, *Nomenclator*[3]), scribentis contra Chemnitium : « Christus poculum suo sanguine refer« tum novum testamentum appellavit... quia « CRUCIS SUAE SANGUINEM continebat, quo paci« ficata sunt omnia, sive quae in coelis, sive « quae in terris sunt, et qui omnium est divi« norum beneficiorum quasi fons et scaturigo » (*Orthodoxarum explicationum libri decem*, lib. 7. Venetiis, 1564, fol. 237).

1. Pascha legale a Domino celebratum esse, fuit post quartum saeculum communis catholicorum persuasio, quanquam adhuc quidam paucissimi dubitaverunt, de quibus infra (Elucid. XI). Ceterum hi nulla de causa excluserunt pascha legale, nisi quia sufficiebat in genere paschae coena eucharistica, de qua intellegunt dictum a Domino : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar (Luc.* 22[15]*).*

2. Praedictae commutationi foederis (de qua supra) pulcherrime cohaeret haec (praeter exspectationem subsecuta monitioni apparenter contrariae) manducatio nova azymi atque calicis potatio. Quare non solum contra regulas criticae peccant qui, ut olim certe Huck (*Synopse der drei ersten Evangelien*[2]), nullius testis auctoritate freti, ponunt v. v. 19-20 inter v. 17 et v. 18, sed nec videntur mentem Lucae satis assecuti.

Multo sapientius Berning (*Die Einsetzung der heiligen Eucharistie*, 1901, p. 151) : « Das « ist die Gedankenfolge bei Lc, der in steter « Steigerung erst das alttestamentliche Passah« mahl schildert, und daran das Wort des Herrn « knüpft, dass für das Passahmahl die Zeit « der Erfüllung gekommen ist ; ein neues Reich, « das eigentliche Reich Gottes im Gegensatz « zum vorbildlichen Gottesreiche im A. T. ; « bricht an und jedes Vorbild, darum auch das « auf Zukünftiges und Höheres weisende Pas« sahmahl, muss aufhören. Denn der Herr « fährt gleich darauf fort mit der Einsetzung « des heiligen Abendmahles, in dem das wahre « Passahlamm Jesus Christus die Speise, und « sein Blut im Kelche, dem wahren Segens« becher, den Trank bildet ; an Stelle des alten « soll das neue Passah, — Opfer, — und Bundes« mahl der Anhänger Christi treten, das bis « zu seiner einstigen Wiederkunft, wiederholt « werden soll. »

Ex veteribus exegetis nonnulli idem exposuere, ut Ludolphus Carthusiensis, *Vita Christi*, c. 53 : « Non comedam vel celebrabo « amplius in figura et signo, sed in veritate « et signato. Ipse enim postea sumpsit verum « corpus suum sub sacramento. »

Quosdam etiam novatores sexti decimi saeculi minime fugit se habuisse priorem calicem ad alterum ut figuram ad veritatem. Quorum alii INDE deducebant praesentiam Christi in Eucharistia saltem spiritualem, ut Schwenkfeid (cf. Goetz, *Die heutige Abendmahlsfrage*[2], p. 78), alii etiam realem, ut Luther (ibid., p. 87).

De Patribus autem Ecclesiae dicetur commodius infra, Sect. 2.

3. Sic Irenaeus : « Non est numerum dicere « in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei ; « cujus et diem passionis non ignoravit, sed « figuratim praenuntiavit eum, Pascha nomi« nans ; et in eadem ipsa, quae ante tantum « temporis a Moyse praedicata est, PASSUS EST « Dominus, ADIMPLENS PASCHA. Non solum « autem diem descripsit, sed et locum, et extre« mitatem temporum, et occasum solis, dicens : « *Non poteris immolare Pascha in ulla alia civi« tatum tuarum, quas Dominus Deus dat tibi, « nisi in eo loco quem delegerit Dominus Deus « tuus invocari nomen suum ibi : immolabis « Pascha vespere ad occasum solis* » (*Adv. Haer.* 4, 10, 1. P.G. 7, 1000). Atque antea jam Justinus : « Eos quidem qui in Aegypto servati « sunt, cum perirent primogenita Aegyptiorum, « sanguis Paschae liberavit, postibus utrinque « et superliminari aspersus. Pascha enim erat « Christus, qui postea immolatus est, quemad« modum et Isaias ait : *Ipse tanquam ovis ad « occisionem ductus est.* Eum autem die paschae « a vobis comprehensum ac similiter in paschate « crucifixum esse scriptum est » (*Dial.* 3. P.G. 6, 732). Postea autem Clemens Alexandrinus citandus infra (Elucid. XI). Pariter Tertullianus (*Adv. Marc.* 4, 40. P.L. 2, 460) : « Scit et quando pati oporteret eum cujus

factus est tandem Domini ad Patrem. Quare monet Paulus : τὸ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός (*I Cor.*, 5^{7}) : qua in paschali immolatione Christi omnes semper intellexerunt passionem mortis.

Consistit igitur paschale Christi sacrificium complexive in coena et in morte. Indivulse scilicet mors et coena constituerunt unam singularem paschatis figuralis adimpletionem integram perfectamque[1], cujus ut vere unius, commemorationem nos unam agimus in missa, memores ex aequo Christi et coenantis et demorientis [2].

Ceterum quod in agno caeso simul atque in azymis[3] et calice[4] pascha vetus conficiebatur, hinc mirifice figurabatur futura indoles antitypi, sacrificii dico quod in specie panis et vini oblatum ac participatum, absolveretur in morte Christi.

Haud mirum proinde est quod Paulus (loc. cit.) cruentam ipsam immolationem paschatis nostri veri intertexit (per vocem καὶ γάρ) recordationi azymorum[5] : dum scribit quidem ad christianos ex gentilitate conversos, nec proinde in symbolismis judaicis multum exercitatos, at bene quidem (ut ex *I Cor.* 10 et 11 constat) peritos doctrinae eucharisticae. Meminit quippe eucharisticae coenae : ratione cujus familiaris necesse est ut fuerit Corinthiis doctrina de azymis[6] ; nec proinde habetur incongruus sermo cum passione azyma connectens. Quasi dicat Apostolus : Observate significationem azymorum : quae est munditia ab omni corruptionis vel injustitiae inquinamento. Observate illam, inquam : etenim Christus paschale suae mortis sacrificium, per quod redempti sumus, obtulit in azymo ; ut per azymum redempti, vivamus azymi in Christo : hoc est ut liberati ab injustitiae labe atque contagio per sacrificium Christi, per communionem cum Christo habeamus justitiam atque incorruptionem[7]. Insinuat igitur Paulus, per modum unius coenam et passionem commemorans, sacrificium illud paschale Christi ut in pas-

« passionem lex figurat. Nam e tot gestis « Judaeorum Paschae diem elegit. In hoc enim « sacramentum praenuntiarat Moyses : *Pascha* « *est Domini* », etc.

1. Inter sexcenta hujusmodi interpretationis exempla, unum afferatur ex Athanasii *Epistula heortastica* 42 : « Vocati enim sumus, fra- « tres,... ad COENAM illam magnam et coelestem « omnique creaturae sufficientem : ad Pascha « videlicet, sive IMMOLATUM Christum. *Nam* « *Pascha nostrum immolatus est Christus* » (P.G. 26, 1440). Immolatione illa paschatis nostri, Christi, intellegi ab Athanasio sicut a ceteris passionem, constat ex *Epist. heort.* 6, 2 ; 11, 14 ; etc. (col. 1384, 1412, etc.).

2. Saepe occurrunt veterum sermones quibus dicatur, haud secus atque passionis, missa esse commemoratio coenae. Videsis unum exemplum, dubie Hippolyto adscriptum (*In Prov.* 9^{2}. P.G. 10, 628) : « *Paravit mensam suam* :... « venerandum sanctumque ejus corpus ac san- « guinem, quae in arcana et divina mensa quo- « tidie perficiuntur et sacrificantur IN MEMO- « RIAM nunquam non recolendae memoria et « primae illius et arcanae divinae COENAE. »

3. Scio equidem posse secundum se distingui festum azymorum a pascha, sicut ante nostros modernos notaverat Origenes (*In Levitic.* hom. 9, n. 5. P.G. 12, 514). Attamen saltem in *Deuteronomio* 16^{1-8} jam omnino contractae erant in unam ambae sollemnitates (cf. W. J. Moulton, art. *Passover*, in D. B. 3, 685) ; adeo ut recte Hummelauer, postquam in *Exodum* 12^{14-20} notavit : « Festum AZYMORUM cum octa- « va, similiter atque festa christiana, tanquam « unicus concipitur dies », jam in *Deuteronomium* 16^{7} sq., mutato stylo, loquatur passim de agendis « sive in ipso die PASCHATIS, sive intra EJUS « octavam. » Certe in N. T. (*Matth.*, 26^{17}, *Marc.*, 15^{1}, *Luc.*, 22^{1}) nulla fiebat discriminatio (cf. Lesêtre, art. *Pâque*, in Vigouroux, *Dict. de la Bible*, t. 4, 2. col. 2094).

4. Non scripta quidem lege, sed consuetudinis vi erant inducta pocula vini, et quidem quaterna.

5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim* (καὶ γάρ) *Pascha nostrum immolatus* (= immolatum) *est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

6. Hic parvi refert celebraverintne in azymo apostoli annon. Unum certe constat : catechesim eucharisticam fuisse potissimum historicam, per modum narrationis rerum in novissima coena gestarum : in quibus locum non ignobilem obtinuit ritus azymorum.

7. Quapropter recte pronuntiat sanctus Thomas in *I Cor.* 5^{8} illud *epulemur* (ἑορτάζωμεν) intellegendum esse eodem modo quo sermo intellegendus est de pane vitae in capite sexto *Joannis*, scilicet de manducatione Christi cum sacramentali tum spirituali.

sione ita in coena habuisse locum, unum idemque : seu partes esse coenam et passionem unius sacrificii.

Quod si quis huic argumento ex pascha ducto objiciat : potuisse in unam celebrationem sacrificalem, in unam veteris paschatis adimpletionem indivisam, conflari passionem et coenam, quin in coena offerretur sacrificium passionis ; sed eo demum quod passionis hostia consummaretur per manducationem (quasi scilicet epulum sacrificale passionis Christi tunc ageretur, cum nondum acta esset sacrificatio) : respondeo dupliciter.

Primum enim respondeo : epulum sacrificale ex hostia nondum *oblata* fieri non posse. Non enim sine oblatione fit aliquid in hostiam ; non sine oblatione transit in rem Dei ; immo per oblationem sacrum fit Deo id quod offertur ; ergo nec sine oblatione sacrificatur aut sanctificatur aut fit sanctificans. Non autem nisi prout sanctificans, prout sanctificata, prout divina, prout theothyta, requiritur caro hostiae. Quod autem prius ad *immolationem* ipsam cruentam potuerit se Dominus dare in convivium, hoc est, quia is fuit modus oblationis, ut hostia, sub symbolis immolationis semel constituta, non solum in immolationem destinaretur, sed jam aptaretur ad comestionem et potationem. Ex genere igitur oblationis factum est ut convivium posset anticipare immolationem.

Secundo respondeo ad hominem catholicum. Credere debet catholicus, id quod est a Christo in coena datum discipulis, esse a Christo in coena oblatum Deo : siquidem semper credidit Ecclesia in coena veram esse a Domino actam sacrificationem, ut ex tot et tantis testimoniis Patrum, per prima hujus libri capita digerendis constat, et diffinitum est in *Tridentino*, Sess. 22, cap. 1. (D. 978). Jam vero concedis participatum esse convivaliter in coena sacrificium passionis ; ergo passionis sacrificium est in coena oblatum : ejusdem quippe sacrificii hostia et oblata est Deo, et hominibus apponitur participanda.

SECTIO II. — IDEM ARGUMENTUM EX TRADITIONE.

Innuunt doctrinam eamdem Patres, dum iis visum est in ipsa coena non proclamari tantum foedus novum aut nuntiari aut repraesentari, sed revera iniri atque sanciri, sine praejudicio tamen passionis. Quod haud ambigue monemur a sancto Ephraem : « Cum igitur, inquit,... apostolis ministrasset, et eousque se demisisset ut lavaret pedes eorum... TUNC ALIUD FOEDUS SANCIVIT, quo hoc pascha aboleretur, et populorum pascha institueretur in vitam aeternam. » Deinde interpretans *Isaiam* 6^{1-8}, haec fingit Dominum dicentem : « Altare haec mensa est, templum coenaculum, Dominus ego... Ego sum filius Patris vivi ; in hoc sexto millenario e coelo descendi ut DAREM FOEDUS novum Ecclesiae meae. » Tandemque exclamat : « O vespera illustris in qua explicata sunt mysteria, OBSIGNATUM ANTIQUUM FOEDUS, locupletata Ecclesia gentium ! Benedicta vespera, benedictum tempus, quo coena consecrata est ! » (*Sermo* 3 *in hebdomadam sanctam*, n. 3-7. ed. Lamy, t. 1, p. 416-428).

Rursus in eamdem sententiam collineare videntur Patrum effata, dum coenam passioni ita implicant ut faciant ex utraque unam singularemque veteris paschatis adimpletionem. Quocirca juvat eumdem audire sanctum Ephraem asserentem in coena oblatum esse verum pascha veri Agni, qui victima fiebat pro omnibus; verum pascha quo ex Aegypto perditionis atque servitutis in locum salutis introduceremur ; verum tandem pascha in cujus commemorationem Ecclesia celebraret sacrificium quo ipsa sanctificaretur. « Pro mensa temporali cui homo deservit, ego attuli vobis altare et victimam propitiationis... Transiit hodie pascha Aegypti, quod in figura celebrabatur ; deinceps ego sum pascha... Mensa fuit ei altare, quod totum consecravit. In hujus paschatis vespera coenaculum ecclesia fuit ; mensa sacrum altare, sacerdotes apostoli recumbentes ; accumbentium caput ipse Jesus, OBLATIO ET

« OFFERENS ; dicipuli ejus comestores. HI « SACRIFICIUM MIRABANTUR, VISO PAS- « CHATE NOVO ; nunquam enim simile quid « manducaverant... HOC PASCHA LOCALI « ABOLITUM EST PASCHA AEGYPTI, quod « propter primogenitos peractum fuerat, ne « occiderentur ; HOC AUTEM PASCHA PROP- « TER OCCISUM PRIMOGENITUM PERAGITUR. « Prius pascha celebrabatur in memoriam « liberationis populi ; HOC AUTEM PASCHA « INTRODUXIT POPULOS IN LOCUM E QUO « EXIERAT POPULUS. Prioris paschatis vic- « tima agnus erat ; NOSTRA autem VIC- « TIMA ipse pastor est qui omnes pascit. « Illud pascha a Moyse institutum est in « memoriam liberationis ; hoc vero a Do- « mino nostro INSTITUTUM EST UT EJUS « COMMEMORATIONE SANCTIFICAREMUR... « Pascha mundum et purum deinceps « comesturi estis, panem... quem depsit « coxitque Spiritus Sanctus. Vinum habeo « vobis in potum praebendum igne et « spiritu[1] temperatum, corpus scilicet et « sanguinem Dei qui VICTIMA FIT PRO OM- « NIBUS » (*Sermo* 2 *in sanctam hebdomadam*, n. 6-10. ed. Lamy, t. 1, p. 380-390). « Jesus, cum exarsisset illico ejus amor, « surrexit e loco ubi recumbebat, et coepit « complere mysteria ac PERFICERE PASCHA « VERUM. Itaque surgens a coena... accepit « linteum etc.... In vespera autem hujus « paschatis imposuit Ecclesiae suae legem, « ut MEMORIAM FACERET AGNI, FILII DEI « NOSTRI, QUI ANTEQUAM PRO NOBIS OC- « CIDERETUR, CORPUS ET SANGUINEM SUUM « DEDIT » (*Sermo* 3 *in hebdomadam sanctam*, n. 1 et *Sermo* 4, n. 7, ed. Lamy, t. 1, p. 390 et 426). Vides qualis victima sit Christus in illo sacrificio quod a Christo in coena offertur. Est victima ex morte sua («propter occisum primogenitum ») ; est agnus mox occidendus, jam Deo oblatus ; immo in tantum oblatus, ut, praeoccupata immolatione, continuo dispertiatur apostolis ; pascha exhinc verum, unum, perpetuum, cujus corpore et sanguine pascamur et sanctificemur.

Omisso ad tempus Chrysostomo (*In I Cor.* hom. 34, n. 2. P.G. 61, 288), cujus vox testimonium simile proferens opportuniore loco infra percipietur, nescio annon vestigium aliquod hujusce doctrinae praebeat nobis in suis *Anacreonticis* Sophronius Hierosolymitanus :

« Ipse agnum redemptorem
« Hominum generi praebuit,
« In coena mystica
« Propriam figurans mortem. »

(*Anacreontica*, 8. P.G. 87ter, 3774).

In figuratione scilicet sacramentali suae mortis, Christus apostolis se dedit manducandum, prout agnum redemptorem

1. Singularis est ista locutio Ephraemi ut in re eucharistica ; nec, occasione exsurgente, videtur praetereunda silentio. Solet nimirum Ephraem in eucharistia exhibere contentum quemdam ignem et spiritum. Qui spiritus et ignis sitne Christus ipse an Spiritus Sanctus qui ex ipso procedit, non immerito dubitaveris. Porro ex duobus sermonibus S. Ephraem potest solutio expeti. Quorum citabo unum (*Adversus scrutatores*, Serm. 10. Opera omnia, tom. 3 syr. et lat., Romae, 1743, p. 24), quanquam emendationem fortasse nonnullam desiderat, judicio peritorum, textus editus : « In pane « tuo occultus interest spiritus, qui non man- « ducatur ; ignis, qui non bibitur, ardet « in vino tuo. In pane tuo spiritus,ignis in « mero tuo : RES DUAE oppido admiran- « dae, QUAS NOSTRA PERCEPERUNT LABIA... « Igne ac Spiritu [Dominus] eos [h. e. homines] « fermentavit, ut mirum et arcanum in modum « crescerent, et in ignem et spiritum evaderent... « Corporeis INCORPOREUS EX IGNE ET SPIRITU « paratur CIBUS ET POTUS... Ignis coelo delapsus « Eliae victimam consumpsit ; AMICUS IGNIS « advenit nobis HOSTIA VITAE REPARATRIX « NOSTRAE [*vel strictius vertendum, ut me monet* « *R. P. Paulus Peeters S. J., Bollandista* : ignis « caritatis fuit nobis hostia vitae]. Ignis ille « appositas cremavit carnes ; totus iste IGNIS, « Domine, in sacrificio tuo noster EVASIT CI- « BUS. » Videtur nomine spiritus et ignis hic intellegendus non improbabiliter ipse Christus in eucharistia contentus, sed potissimum prout habet ordinem ad profundendum in nobis Spiritum vitae, qui est ex ipso, et Ignem sancti amoris, quem voluit missum in terram vehementer accendi. Ratio est quia, ex una parte, videtur toto sermone spiritus se habere parallelo modo ad ignem ; et ex altera parte, ignis expresse dicitur esse ipsa hostia, ipse cibus. Praeterea uterque et Spiritus et ignis, quamvis non sensibiliter, tamen occulte nos censetur pascere, modo scilicet incorporeo seu invisibili. Confirmationem hujus conclusionis reperies in sermone *Adv. scrutat.* 19 (ibid., p. 35).

Circa morem illum veterem donandi Verbum

(ῥύσιον ἄρνα), id est hostiam redemptricis suae passionis[1].

Patrum catholicorum, ni fallor, sententiam expromit Euthymius Zigabenus : connectens in novo paschate, quo aboletur vetus, manducationem Agni cum occisione. « Sicut enim pictores, inquit, in « una tabula et lineas supponunt, et picturas adumbrant, et colores superinduunt et « formant, ita quoque Christus IN EADEM « MENSA et figurativum ac umbratile « Pascha subscripsit, et VERUM AC PER« FECTUM apposuit. Et quia CAEDES AGNI « LEGALIS CAEDEM RATIONALIS AGNI PRAE« FIGURABAT, oportebat omnino umbram « evanescere, apparente sole, et figuram ce« dere, ADVENIENTE VERITATE » (*In Matth.* 26[26]. P.G. 129, 664-665). Veritas respondens figurae est Agnus in passione caesus. Hanc veritatem apponit Christus discipulis in coena. Quomodo ? nisi in coena sit ipsius passionis hostia et sacrificata a Christo et discipulis impertita ? Quo posito, jam utique et caedes admota est, et de caede reficiuntur coenantes.

Ex Latinis Tertullianus (4 *Adv. Marcionem*, 40. P.L. 2, 460) complexive in passione et in coena adimpletum sentit vetus pascha. « Scit [Christus] et QUANDO « PATI oporteret eum cujus passionem lex « figurat. Nam e tot festis Judaeorum « Paschae diem elegit. In hoc enim sacra« mentum pronuntiarat Moyses : *Pascha est Domini.* » « En habes notatam relationem paschae ad passionem[2]. Continuo autem subjungit : « IDEO et affectum suum os« tendit : *Concupiscentia concupivi Pascha* « *edere vobiscum antequam patiar.* O legis « destructorem, qui concupierat etiam « Pascha servare ! Nimirum vervecina « illum judaica delectaret ? An ipse erat « qui, *tanquam ovis ad victimam adduci* « habens, et *tanquam ovis coram tondente,* « *sic os non aperturus,* FIGURAM SANGUI« NIS SUI SALUTARIS IMPLERE CONCUPIS« CEBAT ? » Pascha igitur desiderabat manducare eucharisticum[3]. Immo QUIA pascha est passio, IDEO pascha est eucharistia. Pascha dico dominicum unum, verum, proprium, in incruento ritu et caede

nomine Spiritus aut etiam Spiritus Sancti legatur Coustantius in *Praefatione Generali* ad Opera S. Hilarii, § 1, art. 2, n. 57 sq. (P.L. 9, 35 sq.), vel recentior nota, nec inutilis, Edmundi Bishop, in T. a. S., vol. 8, n. 1, Appendix, p. 6, suppl. not. 3, p. 159-162.

1. Concinit in suo hymno *pro magna feria quinta* (P.G. 89, 477) Cosmas Hierosolymitanus, sodalis sancti Joannis Damasceni, τὸ ῥύσιον ποτήριον decantans : « Pascha eorum pro « quibus moriturus eras exsistens, teipsum pro« ponebas : Manducate, clamans, corpus meum, « et fide roboramini. TOTIUS HUMANI GENERIS « LIBERATORIUM POCULUM TUUM, [poculum] « laetitiae, discipulis tuis propinasti, quod reple« veras. Ipse enim temet sacrificabas (ἱερούργεις) : « Bibite, inquiens, sanguinem meum, et fide « roboramini. Ad passionem, quae omnibus ex « Adamo ortis scaturivit impassibilitatem, con« tendens, Christe, amicis tuis dixisti : Vobis« cum hujus paschae esse participem desideravi, « siquidem me, suum Unigenitum, Pater misit « propitiationem in mundum. » Calicem igitur redemptionis propinavit Christus in coena, quem litavit.

2. Cf. *De Baptismo*, 19. P.L. 1, 1222 : « Diem « baptismo solemniorem Pascha praestat ; cum « et passio Domini (in qua tinguimur) adim« pleta est. »

3. Adnectas quae post pauca sequuntur : « Professus itaque se concupiscentia concupisse « edere Pascha ut suum (indignum enim ut « quid alienum concupisceret Deus), acceptum « panem, et distributum discipulis corpus illum « suum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo, id « est figura corporis mei. » Particula illa *ut suum* ad evertendum errorem Marcionis spectat. Eatenus enim Christus novum Pascha concupiscit *ut suum,* quatenus panis et vinum, ex quo conficitur eucharistia, vere ipsius est creatura. Creaturam enim alienam si inveheret in sacramentum Christus, concupisceret manducare aliquid non suum, sed alienum : quod indignum est Deo, eoque optimo. Quae cum ita sint, ruit commentum Marcionis opponentis Deo Creatori rerum materialium, atque Veteris Testamenti auctori, bonum Deum, Novi Testamenti conditorem.

Cur autem addiderit Tertullianus : *id est figura corporis mei,* non difficile est intellegere. Etenim cum argumentetur ex elemento paneo eucharistiae (quod antea terrenum dixerat Irenaeus in simili causa : vide infra, Elucidationem XVIII), debuit edulium illud spectare, non in quantum est (ex parte rei latentis ac demonstratae) corpus Christi, sed in quantum est (ex parte rei sensibilis atque demonstrantis) figura corporis Christi. Quod si aeque perpendatur, nullum habet errorem theologicum locus ille Tertulliani. Vere etenim et apud nos species sunt figurae seu symbola corporis ac sanguinis.

Sed utique errorem admisit exegeticum, dum putavit in locutione dominica : *Hoc est corpus meum,* pronomen *hoc* stare pro re ipsa sensibili,

cruenta indivisim constat : quo singulariter adimpletur figura sanguinis, id est mortis, Christi. Haec Tertullianus.

Pariter Leo M. et rationem reddit cur passio subeunda fuerit die paschae : scilicet quia ipsa passio paschalem figuram impleverit : et modum indicat quo adimpletio figurae peracta sit : scilicet oblatione quam Dominus fecit corporis ac sanguinis sui in coena. Unde non parum suadetur : Leoni apparuisse coenam et passionem tanquam unum singulare sacrificium, oblationi, immolationi atque participationi agni figuralis respondens adaequate : « Divino, « inquit, intelligimus dispositum consilio, « ut sacrilegi Judaeorum principes et « impii sacerdotes, qui saeviendi in Chris« tum occasiones saepe quaesiverant, non« nisi in solemnitate paschali exercendi « furoris sui acciperent potestatem. Opor« tebat enim ut manifesto implerentur « effectu quae diu fuerant figurato pro« missa mysterio ; ut ovem significativam « ovis vera removeret, et ut UNO EXPLE« RETUR SACRIFICIO variarum differentia « victimarum. Nam omnia illa quae de « immolatione agni divinitus per Mosen « fuerant praestituta, Christum propheta« verant, et CHRISTI OCCISIONEM proprie « nuntiaverant. Ut ERGO umbrae cederent « corpori et cessarent imagines sub prae« sentia veritatis, antiqua observantia novo « tollitur sacramento, hostia in hostiam « transit, sanguine sanguis aufertur, et « legalis festivitas, dum mutatur, imple« tur. » Occupatis scilicet animis Judaeorum non tam observandi festi studio quam occidendi Christi, « Jesus consilii sui certus, « et in opere paternae dispositionis intre« pidus, vetus testamentum consumma« bat, et novum Pascha condebat. Dis« cumbentibus enim secum discipulis ad « edendam mysticam coenam, cum in « Caiphae atrio tractaretur quomodo « Christus posset occidi, ille corporis et « sanguinis sui ordinans sacramentum, « docebat qualis Deo hostia deberet offer« ri[1] » (*Sermo* 58, 1-3. P.L. 54, 332-333; cf. *Sermo* 60, 2, col. 344).

Leoni consonanter sanctus Fulgen-

id est pro speciebus ; quasi diceret Dominus : *Hoc* quod est coram vobis adspectabile, palpabile, partibile, consumptibile, *est corpus meum*. Stat enim revera pronomen *hoc* pro re demonstrata per adspectabile, palpabile, partibile, consumptibile elementum.

Semel autem isto errore exegetico admisso, non permittebat tantum, sed exigebat dogma catholicum, ut voci dominicae adderet Tertullianus hanc expositionem : *id est figura corporis mei*. Sane etenim res per se sensibilis nequibat *esse* corpus Domini proprium, sed figura solum poterat esse corporis. Secus autem, ut statim adnotat Tertullianus, dicendum foret panem fuisse in cruce suspensum (« faciebat ad vanita« tem Marcionis ut panis crucifigeretur ») ; et cum addat Dominus mentionem sui sanguinis, dicendus foret panis obtinuisse sanguinem : quod est absurdum (« nullius enim corporis sanguis esse « potest nisi carnis »). Ergo paneum elementum non fuit revera corpus Domini ; sed figura tantum corporis, longe diversi a pane, corporis dico carnei. Non foret autem panis figura corporis carnei, nisi carneum corpus haberet Christus (« figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus ») : ergo habuit Christus carneam naturam, corpus verum, nec merum, ut vult Marcion, phantasma, seu apparentiam inanem ; et sic constat virum docetam, dum a Christo abjudicat corpus verum, proprium, carneum, contradicere Christo.

Vetus autem testamentum Christo consonat, cum olim apud Hieremiam per quamdam *figuram sermonis* steterit pro corpore Christi panis, qui nunc in sacramento se habet ad corpus Christi ut quaedam *figura realis* (cf. *Adv. Marc.* 3, 19. P.L. 2, 348).

En processum Tertulliani, in quo nihil praejudicat quin sensibili rei, figuranti corpus Christi, substet illud quod per ipsam figuratur ac demonstratur. Ex ipso autem corpore vero non erat ducendum argumentum, siquidem non consentiebat Marcion fuisse in Christo ullum verum corpus. Immo hujus corporis erat proprie hoc loco exsistentia demonstranda. Qua de demonstratione incarnationis per panem eucharisticum sibi gratulatur Tertullianus, cum scribit postea (*Adv. Marc.* 5, 8, col. 489) : « Panis et calicis sacramento jam in « Evangelio probavimus corporis et sanguinis « dominici veritatem adversus phantasma Mar« cionis. »

In suo autem mendo exegetico non fuit omnino solus Tertullianus, sed accesserunt illi aliquando alii, inter quos ipse (« attentione ad « alia distracta » Billot, *De Ecclesiae sacramentis*[4], t. 1, p. 384) sanctus Augustinus (*Contra Adimantum*, 12, 3. P.L. 42, 144).

Omnes autem istiusmodi loci adeo facile explicantur, semel perspecta pronominis demonstrativi acceptione falsa, ut ubique semper maneat verum illud Hilarii : « De veritate carnis et « sanguinis non relictus est ambigendi locus » (*Trin.* 8, 13. P.L. 10, 246).

1. Conferas hanc locutionem cum liturgia ambrosiana recitata supra (Elucid. III).

tius edisserit nobis commutationem foederis et paschae adimpletionem, dum ad propositam sibi quaestionem, cur duos calices Lucas commemoraverit, respondet : ita Testamentum Vetus, priore calice designatum, desiisse in Testamentum Novum, constans calice altero, sicut vetus pascha in pascha verum coenae simul ac passionis. « Videtur autem hic mihi, inquit, etiam « aliud quoddam congruum christianae « fidei reperiri mysterium, ut in utroque « calice utrumque intelligi debeat testa« mentum. Praesertim quia hoc nobis sic « ipsa demonstravit Veritas, ut nulla « remaneret quaerentibus difficultas : nam « ipse Dominus calicem quem bibendum « dedit, Novum appellare dignatus est « Testamentum ; quod evangelici tenor « demonstrat eloquii. Sic quidem tribus « evangelistis Matthaeo, Marco et Luca, « hoc indubitanter attestantibus, inveni« tur... Hinc est quod etiam beatus Paulus « commemorans sacratissimum illius coe« nae mysterium, non aliud calicem quam « Novum a Domino nuncupatum insinuat « Testamentum. Hac igitur evangelicorum « atque apostolicorum attestatione dicto« rum in calicis nomine, isto duntaxat « loco, non aliud quam divinum permit« timur accipere Testamentum... In aliis « itaque locis potest alio quolibet modo « secundum verae fidei regulam calicis no« men intelligi ; in hoc tamen evangelii loco, « de quo nunc disputamus, non aliud intel« ligere sinimur nisi quod ipsius Domini « et magistri nostri sermonibus edocemur, « qui ait : *Hic calix novum testamentum est* « *in sanguine meo* (*Luc.* 22[20]) ; et ex « hac regula qua iste calix Testamentum « dicitur Novum, in illo calice quem prius « dedit, non absque ratione Vetus intelligi« tur Testamentum. Ipse igitur Dominus « utrumque calicem dedit, qui utrum« que Testamentum suis fidelibus tribuit. « Propterea et in eadem coena et JUDAI« CUM PASCHA COMEDIT, QUOD OPORTEBAT « OFFERRI, et SACRAMENTUM CORPORIS SUI « ET SANGUINIS dedit, quod ad salutem « fidelium oportebat institui ; comedit « pascha Judaeorum quo promissus est « Christus, ut veniret ad PASCHA NOSTRUM « QUO IMMOLATUS EST CHRISTUS... Man« ducavit ergo pascha [vetus] QUO PASSU« RUS SIGNIFICABATUR, antequam pro no« bis VOLUNTARIE PATERETUR » (*Epist.* 14, 40-43. P.L. 56, 428-431)[1]. Advertere lubet quomodo ex tribus parallelis membris quibus paschati veteri opponitur pascha novum, primum aperte designet eucharisticam coenam *(sacramentum corporis sui et sanguinis dedit)* ; tertium aperte passionem *(voluntarie pateretur)* ; secundum vero in coena et passione videatur equitare *(...ut veniret ad pascha nostrum quo immolatus est Christus)* ; quasi ex utraque consurgat sacrificium paschale nostri Redemptoris integrum.

Post Leonis aetatem (quantum conjicere licet) auctor anonymus opusculi *De solemnitatibus, sabbatis et neomeniis*[2] omnino compaginaverat coenam et passionem in conflatione unius individui sacrificii pas-

1. Successionem duorum Testamentorum in bino calice demonstratam asseruerunt post Fulgentium : S. Bruno Astensis (*Comment. in Matth.*, pars. 4, 104. P.L. 165, 291-292) ; Balduinus Cantuariensis (*Lib. de sacram. altar.* P.L. 204, 683-684) ; inter Orientales Theophylactus (in h. l. *Lucae*. P.G. 123, 1069).

Distinctius autem in successione calicum paschatis commutationem agnoverunt, praeter alios mox citandos, Beda (*In Lucae evangelium expositio*, l. 6. P.L. 92, 595-597 ; coll. Isidor. *De ecclesiasticis officiis*, l. 1, c. 18, n. 2 et c. 19, n. 1 ; *Etymol.* l. 6, c. 18, n. 16. P.L. 83, 754 et 764 ; 82, 251) ; Walafridus Strabus (*Glossa ordinaria*. P.L. 114, 337-338), etc.

2. Edidit quidem hoc opusculum in *Spicilegio Solesmensi*, tom. 1, p. 9-13, cardinalis Pitra, qui illud opinatur (nescio annon confidenter nimis) conscriptum tempore primae controversiae paschalis sub Victore Papa. Sed utique hoc cogor admirari, quod vir eruditissimus istud opusculum pro inedito habuerit, cum exstet integrum ad calcem epistolarum S. Hieronymi in editione Vallarsii. P.L. 22, 1220 sq.

Postquam haec nuper in R. S. R. oct. déc. 1916, p. 471-472, notaveram, nova editio prodiit (1918) in Corpore Vindobonensi (pars 3ª sectionis 1ae operum S. Hieronymi), accurante Isidoro Hilberg : cui istud accidit infortunii, quod Pitrae textum, super melioribus codicibus fundatum, ignoravit, solo contentus codice Vaticano, quo usus erat Vallarsius ; cujus ceterum recensionem dedit et accuratiorem et castigatiorem.

Quod autem ego (loc. cit.) opinatus eram (propter colorem quemdam sententiarum orien-

chalis. Is enim, quanquam Agnum verum illum negat immolatum vel occisum ante diem quintum decimum primi mensis (n. 5 et 6)[1], tamen asserit esse sacrificatum[2] a Domino, ad suam passionem veniente, die quarto decimo mensis, in coena, ubi vetus pascha paschate novo evacuabatur (n. 5-7). Quod autem immolationem seu occisionem quinto decimo die peractam et sacrificationem habitam die quarto decimo considerat ipse ut unum sacrificium individuum, claret ex ipsa quaestione quam movet (n. 5), cur Agnus verus, contra ordinem in figurali paschate sollemnem, prius appositus sit comedendus quam occideretur seu immolaretur[3]. Qua quaestione aperte videtur supponi coenae eucharisticae edulium fuisse hostiam ipsius passionis. Si enim auctor hostiam intellexisset sacrificii cujusdam incruenti, cruento preambuli, quidni suppositum quaestionis negaret, observans non esse datum agnum in cibum priusquam immolaretur tanquam sacrificii incruenti hostia ? At responsione hujusmodi nequaquam usus, concessa ordinis inversione, rationes affert facti duas : quae si vix sufficiant, melior non tibi deest.

In homilia 15 vulgata sub nomine sancti Eligii Noviomagensis (sed ad IX saeculum probabilius revocanda), notatu non indignum est qualiter typica agni legalis habitudo respicere dicatur coenam passionis. « Non enim solummodo sufficit lec« toribus divinorum librorum sensus his« toricus, sed etiam diligenter eis est consi« derandum quid per allegoriam eis pro« pheticus sermo innuere velit : sicut ha« betur series lectionis agni paschalis, qui « populo Israelitico legali observatione « jussus est immolari, typice demonstrans « Agnum immaculatum, Dei Patris Filium, « cujus hodie PASSIONIS COENAM celebra« mus » (P.L. 87, 649). En per modum unius certe antitypus in passione et coena repositus.

Ad eumdem modum S. Paschasius Radbertus, postquam notavit pascha legale fuisse figuram passionis dominicae, ostendit impletam figuram in coena. « Lu« cas duos calices datos esse discipulis in « eadem coena commemorat : unum prius « post agni comestionem, antequam panem « acciperet ; alium vero, postquam bene« dixit ipsum panem ac fregit, et dedit « discipulis suis... Ubi datur intelligi quod « AGNUS ILLE LEGALIS CUM SUO CALICE IN « FIGURA PRAECESSIT PASSIONIS CHRISTI. « Deinde CORPUS ET SANGUIS IN CALICE « AD EXPLETIONEM FACTUM EST VERITA« TIS » (*Epistola de corpore et sanguine Domini ad Frudegardum*. P.L. 120, 1359). Si explet coena figuram ipsius passionis, quomodo non cohaeret passioni realiter ? Et, si figura explenda fuit in genere sacrificii, quomodo non in ratione unius sacrificii realiter cum passione cohaeret coena ?

Non sine causa Rupertus una sententia haec duo depromit : advenisse in calice eucharistico, typici adimpletivo, regnum Dei ; et initium regni Dei fuisse passionem.

talem) potuisse opusculum esse conscriptum primitus graece, id jam non ausim dicere : immo probabitur mox ab A. Vaccari, esse conscriptum latine.

1. En praecipua verba, juxta editionem solesmensem : « Cum sui corporis et sanguinis « sacramenta dare in sua vita discipulis suis « dignatus fuerit, hoc contra figuram fecisse « monstratur : cum ille agnus, qui in typo Christi « in pascha occidi praecipitur... POST suam « occisionem consumi a populo mandaretur. « Hoc autem, ut mihi videtur,... Dominus « fecisse cognoscitur, ne cum pascha [legale] « cum discipulis manducasset, nisi postea SA« CRIFICIUM COMMUTASSET, DICENS : *Hoc est « corpus meum*, sic etiam postea observari « debere [pascha legale] crederetur... Hoc etiam « intueri debemus, quod non in XIV die ad « vesperam, ut lex praecipit, ille *agnus Dei « qui tollit peccata* mundi et *pascha nostrum* « immolatus est Christus, sed XV die ; in quo « manifestum est diem festum Judaeorum cum « suo sacrificio a Domino esse solutum. Sed « quid in hoc intelligere debemus, quod prius « figuralis agni carnes comederit, et postea « sui corporis cibo suos apostolos refecerit ; « et post Judaeorum typicum [pascha immo« latum XIV die] nostrum immolatus est Christus « [XV die] ? Hoc, ut opinor, non ut veritas « figuram, sed ut figura veritatem praecede« ret » (n. 5-6).

2. Sacrificatione enim corporis et sanguinis sui Dominus sacrificationem veteris agni abstulit commutato (ut habet auctor) sacrificio.

3. Quaestio similis movebitur infra (Elucid. XXII) a viro multo juniore, Balduino Cantuariensi, et solvetur melius.

Quod tunc demum constat, si in coena factum est edulium de passione, quemadmodum in paschate typico typici sacrificii depascebatur hostia. « Solus ipse, videlicet « Lucas, haec dominica verba praescripsit, « dicta in illa priori coena typici Paschae, « sive agni paschalis, quem comedit cum « suis discipulis secundum morem veteris « mandati... Hoc solus, ut jam dictum est, « Lucas scribere curavit, Dominum dixisse « quod desiderio desideraverit cum disci- « pulis suis comedere Pascha illius anni... « suique desiderii causam hanc subjunxisse, « quod Pascha illud manducaturus et « calicem ejusdem typici Paschae bibiturus « non esset, donec impleatur in regno « Dei. Congruum ergo fuit ut MODUM ADIM- « PLETIONIS ILLIUS continuo perscriberet, « et idcirco, dilatis quae in eadem coena « dicta sunt, *et accepto*, inquit, *pane gratias* « *egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est* « *corpus meum quod pro vobis datur ; hoc* « *facite in meam commemorationem. Simi-* « *liter et calicem, postquam coenavit, di-* « *cens : Hic est calix novum testamentum* « *in meo sanguine qui pro vobis fundetur.* « HOC ITAQUE MODO IMPLETUR IN REGNO « DEI ILLUD QUOD ILLO PRIORE PASCHA « ET PRIORE CALICE FIGURABATUR. Ex « tunc enim venit regnum Dei, CUJUS VI- « DELICET REGNI INITIUM ERAT PASSIO « EJUS, ad quam nocte illa tradebatur, « tertia die resurrecturus » (*De gloria et* « *honore filii hominis. Super Matthaeum*, l. 10. P.L. 168, 1545).

Non sola autem manducatione agni passuri, sed et ipsa oblatione, initiatur in coena regnum Dei. « *Prima autem die* « *azymorum accesserunt discipuli ad Jesum* « *dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere* « *pascha ? At Jesus dixit : Ite in civitatem* « *ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit :* « *Tempus meum prope est ; apud te facio* « *Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt* « *discipuli sicut constituit Jesus illis, et* « *paraverunt Pascha.* Prima die azymorum, « quarta decima dies erat mensis primi, « cujus ad vesperam Pascha erat, id est, « immolatio agni... Ad vesperam illius « diei, quando luna plenissima est, agnus « mystico ritu immolabatur, et comede- « batur cum azymis panibus et lactucis « agrestibus. Illa die, cum in cunctis do- « mibus immolandus teneretur agnus, a « decima die servatus, ut ad vesperam « immolaretur, quaerebat Judas ut Agnum « Dei traderet, et opportunitas hoc modo « quaerebatur : *Ite*, ait Dominus Jesus, « *in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Ma-* « *gister dicit : Tempus meum prope est*, etc. « Nam in civitatem, hoc est in Hierusalem « a Bethania venit, et illuc veniendo ac « diutius immorando, traditori opportu- « nitatem fecit... Numquid enim deberet, « numquid justum aut legitimum esset, « ALIAS QUAM HIEROSOLYMIS illud vetus « Pascha consummare, nonnunquam [*sic.* « *Forte legendum* : hoc magnum] CORPORIS « ET SANGUINIS SUI SACRIFICIUM, QUOD « ILLA NOCTE FECIT, OFFERRE ? *Cave*, « inquit Lex, *ne offeras holocausta tua in* « *omni loco quem videris, sed in eo quem* « *elegerit Dominus, in una tribuum tuarum,* « *offeres hostias, et facies omnia quaecum-* « *que praecipio tibi.* Factus sub lege, obe- « dientiam legi debebat, ut non in Betha- « nia sive in alio quocumque loco, sed in « loco quem elegerat Dominus, scilicet IN « HIEROSOLYMIS sacrificium OFFERRET... « Haec idcirco dixerim, ne ignorem causam « cur vitulus iste sive AGNUS IMMOLANDUS « accedere debuerit AD LOCUM IMMOLATIO- « NIS, scilicet quia factus sub lege debuit « obedire legi » (*Ibid.*, col. 1541-1542). Vide factam in coena oblationem Agni immolandi[1], Agni per traditionem permittendi manibus nocentium[2].

Aliquid ejusdemmodi sonat haec oratio

1. Eodem sensu, credo, habetur paullo infra : « Extra castra, id est EXTRA CIVITATEM PAS- « SUS, et omnes anteriores justos, sive electos, « et peccatorum poenitentium primitias, scilicet « latronem qui cum eo crucifixus est,... suo « sanguine mundavit ; INTUS autem cum apos- « tolis nocte praecedenti,... post coenam typi- « cam paschalis agni, SACRAMENTUM CORPORIS « ET SANGUINIS SUI IN HOLOCAUSTUM OBTULIT, « quod optime notum est christianae sive ca- « tholicae fidei » (col. 1583). Intra civitatem obtulit suum sacrificium ; extra civitatem mactatus in passione est.

2. Apologetice ex parallelismo agni legalis

post pridie missae mozarabicae in vigilia resurrectionis : « Habentes ante oculos, « omnipotens Pater sancte, tantae passio- « nis triumphos, supplices exoramus : ut « PASCHA HOC QUOD nobis Dominus noster « Jesus Christus filius tuus HOSTIAM VI- « VAM CONSTITUIT [intellege : in coena] « atque COMPLEVIT [intellege : effectu, in « passione], fiat nobis in protectionem « salutis et vitae » (P.L. 85, 474). Quam scilicet se Christus oblatione sua sacerdotali constituit hostiam paschalem vivam, eam morte sua complevit immolatus[1].

Pariter in venerabili Chaldaeorum liturgia (quae a quibusdam persica dicitur, est autem orientalis quidam ramus liturgiae Syrorum Antiochenae), legitur introductum esse a Domino in coena pascha illud verum, quod est Domini in cruce immolati : « Reliquit nobis, ut memoriam re- « demptionis nostrae, mysterium hoc quod « praesentamus coram te ! Quando enim « advenit tempus, in quo debuit pati et « appropinquare morti, in nocte ipsa in « qua traditus est pro mundi vita, post- « quam fecit Pascha cum discipulis suis « secundum legem Moysis, tunc vice hujus « INTRODUXIT SUUM PASCHA ANTE MOR- « TEM SUAM, cujus memoriam nunc faci- « mus, sicut ille nobis tradidit, usque ad « adventum ejus de coelo ! PASCHA ENIM « NOSTRUM CHRISTUS EST, QUI IMMOLATUS « EST PRO NOBIS ! POSTQUAM ERGO COE- « NAVIT IN PASCHATE LEGALI MOYSIS, « SUMPSIT PANEM » etc. Expleta autem narratione coenae, diaconus ad populum hunc sermonem habet : « Aspicite ad man- « suetudinem et humilitatem et ad oboedi- « entiam Christi, redemptoris nostri, oculo « illuminato intelligentiae et cogitatione « purgata conscientiae, distincte ! et VI- « DEAMUS filium unigenitum Patris, QUO- « MODO DUCITUR AD PASSIONES MAGNAS « CRUCIS » (Max. Saxoniae, *Missa Chaldaica*, p. 32-33). Ni fallor, per coenae mysterium duci censetur ad crucem ; sicque pascha quod constat esse in cruce *immolatum*, apparet in coena fuisse *introductum* : Agni scilicet unius sacrificium, hic inchoatum, illic expletum ; ex oblatione properans ad immolationem.

defendebat contra novatores sui temporis Hieronymus Fossanus, O. Erem. S. A., oblationem esse factam corporis et sanguinis Christi in coena ante immolationem in cruce subeundam : quia, inquit, « agnus typicus priusquam occi- « deretur, offerebatur Domino » [quod sane valde dubium est]. Et sic illi constabat coenam fuisse sacrificium ; sicque rursus, apud illum, « unum et idem sacrificium... dicitur... cruen- « tum et incruentum » ; sic tandem in coena Christus « se verum pascha (non typicum) immo- « landum [cruente] demonstrat » (*De admirando mysterio et Christo adorando in eucharistia*, lib. 3, de sacrificio. Taurini 1554, fol. 131-132).

1. Huc referri possunt in *Sacramentario Gelasiano* plurimae orationes missarum pro tempore paschali : v. g. collecta et secreta feriae IV post Pascham, secreta feriae VI, etc. P.L. 74, 1115-1116. Ed. Wilson, p. 93 et 95.

Elucidatio V.

Persuadetur etiam ex narratione coenae collata cum Epistola ad Hebraeos sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech enarrante.

Ex triptycho Theodorici Bouts de
Coena Domini.

SACRIFICIUM MELCHISEDECH

Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit coelum et terram (*Genes.*, cap. 14, vers. 18 et 19).

Lovanii, in ecclesia Sancti Petri.



§ 3. De comparatione inter coenam et sacrificium Melchisedech.

SECTIO I. — TESTIMONIUM EPISTOLAE AD HEBRAEOS.

Late in *Epistola ad Hebraeos* (5-7) declaratur Christus fuisse *sacerdos secundum ordinem Melchisedech per respectum ad sacrificium suae passionis* ac mortis, quo aperuit nobis viam coeli redemptor aeternus[1].

Jam vero quanquam aliae similitudines (κατὰ τὸ πρόσωπον, ut aiunt) inter Melchisedech et Jesum recensentur (*Hebr.* 7^{1-3}), tamen parum videtur dubium quin principalis quaedam (licet justas ob causas reticenda, *Hebr.* 5^{11-14})[1] praesupponatur et veluti substernatur, qualis est ab universa Patrum traditione intellecta atque praedicata, a Concilio etiam Tridentino (sess. 22, cap. 1. D. 938) sollemniter declarata : similitudo inquam ritus (in pane et vino, seu, ut aiunt, κατὰ τὸ ὑποκείμενον), ratione cujus potissimum dicatur Christus sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*, id est non solum secundum analogiam praecellentis gradus atque loci, sed etiam secundum eumdem ordinem atque modum sacrificandi, et veluti ad instar Melchisedech : κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ (*Hebr.* 5^{6}) = κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδέκ (*Hebr.* 7^{15})[4]. Quod si vero conjunguntur inter

1. Hoc, credo, confitentur omnes exegetae. Quorum praeconium verbis Antonii Padovani audiri potest : « Institutum Apostoli... erat « Christum sacerdotem exhibere... ex cruento « crucis sacrificio... utpote quo Christus Novi « Testamenti mediator est factus, redemptio- « nemque nostram operatus est, una oblatione « consummans sanctificatos » (*In S. Pauli Epistolas commentarius*, t. 6, Paris. 1896, p. 224). Comparentur praesertim inter se 7^{1-26} et 7^{27} (coll. C. H. Huyghe, in h. l., Gandavi 1901, p. 161).

2. Notatu dignum est, quod Hieronymus, dum subauditam vult a Paulo congruentiam Christi ac Melchisedech penes ritum, id non de suo promit, sed asserit se legisse in voluminibus Graecorum. « Difficultatem rei primo exaggerat « [Apostolus] dicens : *Super quo multus nobis « sermo est, et ininterpretabilis ad dicendum « (Hebr.* 5^{11}*)* ; non quia Apostolus non potuerit « id interpretari, sed quia illius temporis non « fuerit. Hebraeis enim, id est Judaeis, persua- « debat, non jam fidelibus, QUIBUS PASSIM PRO- « DERET SACRAMENTUM. Verumtamen si vas « electionis stupet ad mysterium, et de quo « disputat, ineffabile confitetur, quanto magis « nos, vermiculi et pulices, solam debemus « scientiam inscitiae confiteri, et amplissimam « domum parvo quasi foramine ostendere, ut « dicamus : duo sacerdotia inter se ab Apostolo « comparata, prioris populi et posterioris...; « TOTUMQUE QUOD SEQUITUR IN LAUDES MEL- « CHISEDECH AD CHRISTI TYPUM REFERRI, « CUJUS PROFECTUS ECCLESIAE SACRAMENTA « SUNT ? Haec legi in Graecorum voluminibus. » Quae recens perlustrarat : « Revolvi veterum « libros, ut viderem quid singuli dicerent, et « tibi quasi de multorum consilio responderem » (*Epistola ad Evagrium*, n. 2. P.L. 22, 677).

1. Apposite Thomassinus (*De Incarnatione Verbi*, l. 10, c. 16, n. 3) : « Cetera ergo Melchi- « sedeci consonantia, quanquam adeo multiplex « et tam elegans, perfunctoria tamen est, et ex « abundanti, ac veluti extimitus superfusa ; at « consensio capitalis et principalior, quando « de sacerdotibus controvertitur, ex ipsa sacri- « ficandi ratione expiscanda est... Idem autem « innuit Paulus satis perspicue, ut jam praemo- « nui, quum aaronicarum victimarum carnifici- « nas exagitat, praestantius autem in Melchi- « sedeco sacerdotium tradit esse initiatum. « Ludibrio enim cederet, et in ventos abiret « tota illa sacerdotii Christi et Melchisedeci « consensio, dissensio autem ab Aaronico, si « in ipso sacrificii genere Christus a Melchisedeco « dissonaret, cum Aarone autem consentiret. » Consonant auctores commentarii in *Epistolam ad Hebraeos* (ad vers. 7^{17}), in eo qui inscribitur *Scripturae sacrae cursus completus* a Migne editus (t. 25, col. 335) : « NULLO ALIO LOCO declara- « vit Christus se esse sacerdotem secundum « ordinem Melchisedech (qualem eum fore « praedixit et promisit David, *Psalm.* 109) NISI « IN COENA, in qua se obtulit sub specie panis « et vini. » Quaerit igitur opportune Padovani (op. cit., p. 224) « curnam Apostolus, dum exhi- « bet sacerdotium Melchisedech ut typum « sacerdotii Christi, omittat mentionem panis « et vini... dum quidem addubitari nequeat « Melchisedech in oblatione panis et vini revera « typum Christi gessisse. » Apud Franzelin (*De S. Euchar. Sacram. et Sacrif.*, 1868, p. 338) agitata dudum erat eadem « difficultas ». Vide num illorum tibi solutio placeat, habita ob oculos hac regula tui judicii : non esse plerumque satis, si interpretatio sit utcumque tolerabilis, sed oportere ut fluat veluti naturaliter.

se ista duo : 1°) sacerdotem se gessisse Christum *secundum ordinem Melchisedech* in sacrificio suae passionis ; 2°) rationem similitudinis inter Christum et Melchisedech esse primario penes ritum ; quid tandem concludendum veniet, nisi Christum passionis suae sacrificium obtulisse in consecratione panis et vini ? In coena igitur Christus censebitur fecisse Deo Patri oblationem sacrificalem suae mortis in cruce perferendae.

Uno verbo : ad sacrificium redemptionis refert S. Paulus sacerdotium Christi κατὰ τὴν τάξιν et κατὰ τὴν ὁμοιότητα Melchisedech. Inde difficultas exegetica vix solubilis, nisi admittas unitatem numericam sacrificii dominici, in coena liturgice oblati, hincque decurrentis per totam passionem ad mortem usque.

Sectio II. — Testimonium Patristicum.

Tripliciter porro illustrant hanc doctrinam Patres.

Primo, ex eo quod sacerdotium Christi melchisedecicum[1] in coena constituunt.

Secundo, eo quod assimilant directe munera a Melchisedech oblata, et hostiam a Christo in cruce delatam.

Tertio, eo quod melchisedecicum Christi sacrificium in coena simul ac passione attendunt unum.

Articulus I. — Testimonium de coenae indole melchisedecica.

Et primo quidem melchisedecicum Christi sacrificium in coena[2] collocant Patres. Princeps ceterorum Cyprianus, in pervulgata sua epistula ad Caecilium de sacramento dominici calicis, hanc unam assignat rationem convenientiae inter sacerdotium Christi et sacerdotium Melchisedech, quod Christus sacrificium obtulit Deo in pane et vino. « In sacerdote Melchisedech sacrificii « dominici sacramentum praefiguratum vi« demus, secundum quod Scriptura divina « testatur et dicit : *Et Melchisedech, rex « Salem, protulit panem et vinum.* Fuit « autem sacerdos Dei summi et benedi« xit Abraham. Quod autem Melchisedech « typum Christi portaret, declarat in « Psalmis Spiritus Sanctus ex persona « Patris ad Filium dicens : *Ante luciferum « genui te. Tu es sacerdos in aeternum se« cundum ordinem Melchisedech.* Qui ordo « utique hic est de sacrificio illo veniens et « inde descendens, quod Melchisedech sa« cerdos Dei summi fuit, quod panem et « vinum obtulit, quod Abraham benedixit. « Nam quis magis sacerdos Dei summi « quam Dominus noster Jesus Christus, « qui sacrificium Deo Patri obtulit, et « obtulit hoc idem quod Melchisedech « obtulerat, id est panem et vinum, suum « scilicet corpus et sanguinem ? Ut ergo « in *Genesi* per Melchisedech sacerdotem « benedictio circa Abraham posset rite « celebrari, praecedit ante imago sacrificii « Christi, in pane et vino scilicet constituta; « quam rem perficiens et adimplens Do« minus panem et calicem mixtum vino « obtulit, et qui est plenitudo veritatis veri« tatem praefiguratae imaginis adimplevit » (*Epist.* 63, n. 4. P.L. 4, 375-377).

Ex sancto Ephraem auditus est supra (Elucid. III) Christus induisse in coena sacerdotii melchisedecici proprietatem : « Pa« nem fregit,... calicem miscuit... Ipse,

1. Omittentur loci Patrum, in quibus sacerdotium Christi ita reponitur in administratione coenae, ut tamen non formaliter prout melchisedecicum spectetur. Unum sit illius styli exemplum : *Sermo major de fide*, probabili de causa inscriptus nomine Athanasii (P.G. 26, 1284) : « Per [suum] corpus *pontifex et apostolus* (*Hebr.* « 3¹) factus est et dictus est ; per mysterium, « quod nobis tradidit dicens : *Hoc est corpus « meum, quod pro vobis* [datur], *et sanguis novi « testamenti*, non veteris, *qui pro vobis effundi« tur.* » Certe locus allegatus est a Theodoreto (*Dial.* 2. P.G. 83, 180) tanquam Athanasii. Haud dubium porro est quin pontificatus in *Hebr.* 3¹ memoratus, sit accipiendus (cf. 2¹⁷) per ordinem ad passionem qua redempti sumus. Sentiebat igitur Athanasius sacerdotium passionis in coena esse exercitum.

2. Hic rursus omittuntur Patrum loci quibus, in illustrando sacerdotio Christi *secundum ordinem Melchisedech*, appellabatur ecclesiasticum sacrificium eucharistiae, id est non coena novissima, sed missa cottidiana : quorum plurimos collectos videsis a Petavio (*De Incarnatione Verbi*, l. 12, c. 12, n. 6 sq.) et Thomassino (*De Incarnatione Verbi Dei*, l. 10, c. 16). Ceterum, si

« sibi sacrificium obtulit sacerdos propi« tiationis nostrae : induit sacerdotium « Melchisedech ipsius figurae. »

Sanctus Hieronymus super *Psalmum* 109, veluti in persona Psaltae allocutus Christum, laudat quod tum ritu melchisedecico offeret pro nobis corpus et sanguinem suum, cum nobis tradet sacramentum, hoc est in coena : « *Tu es sacer*« *dos secundum ordinem Melchisedech.* Su« perfluam est nos de isto versiculo velle « interpretari, cum sanctus Apostolus ad « Hebraeos plenissime disputavit *(sic.)*... « HOC SOLUM DICAMUS QUARE DIXERIT SE« CUNDUM ORDINEM. *Secundum ordinem*, ne« quaquam sacerdos eris secundum victi« mas judaicas ; sed eris sacerdos *secundum* « *ordinem Melchisedech.* QUOMODO enim « Melchisedech, rex Salem, OBTULIT PANEM « ET VINUM, sic et tu OFFERES CORPUS « TUUM ET SANGUINEM, VERUM PANEM ET « VERUM VINUM. Iste Melchisedech ista « mysteria quae habemus, dedit nobis. Ipse « est qui dixit : *Qui manducaverit carnem* « *meam et biberit sanguinem meum.* Secun« dum ordinem Melchisedech tradidit no« bis sacramentum suum » (*Tractat. de Ps.* 109. *Anecdota Maredsolana*, vol. 3, pars 2, p. 201).

Haud diverse sanctus Leo M. sentit : administratum a Christo sacerdotium secundum ordinem Melchisedech in pane et vino quod coenans consecravit. « Ipse « est CUJUS FORMAM MELCHISEDECH PON« TIFEX PRAEFEREBAT, non judaicas hos« tias offerens Deo, sed ILLIUS SACRAMENTI « IMMOLANS SACRIFICIUM, QUOD REDEMP« TOR NOSTER IN SUO CORPORE ET SAN« GUINE CONSECRAVIT » (*Sermo* 5, c. 3. P.L. 54, 154).

Indubitanter asserit Arnobius Junior, factum esse Christum sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech* ratione mysterii quod in pane et vino perfecit. « Per myste« rium panis ac vini sacerdos factus est in « aeternum secundum ordinem Melchi« sedech, qui panem et vinum solus obtulit « in sacerdotibus, dum Abraham victor « reverteretur de praelio » (*In Psalm.* 109. P.L. 53, 496).

Sequuntur mediaevales turmatim. Sic Isidorus[1] vult in Melchisedecho praecessisse figuram Christi illud agentis, quod nos dum agimus, offerimus sacrificium corporis et sanguinis dominici, pascha verum.

Bedae[2] in coena demum apparet Christum se ostendisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Resonatque Bedae, suo more, Claudius Taurinensis [3]. Antitypum sacrificii Melchisedech domini-

semel constiterit in coena esse a Domino litatum *secundum ordinem Melchisedech*, sponte sua fluet illud consectarium : in missa agi sacerdotium Christi melchisedecicum ; si quidem, ut infra constabit, missa est sacrificium eorum qui, sub Christo capite, Christi offerunt hostiam. Cohaeret igitur nostrum sacrificium sacrificio Christi, sicut Ecclesia capiti suo, et ut corpori membrum. Sed hic omissa missa, de coena colligimus testimonia, minus frequenter (excepto uno vel altero) allegata.

1. « Sacrificium quod a christianis Deo offer« tur, primum Christus Dominus noster et ma« gister instituit, quando commendavit apos« tolis CORPUS ET SANGUINEM SUUM, priusquam « traderetur, sicut legitur in evangelio : *Accepit*, « inquit, *Jesus panem et calicem, et benedicens* « *dedit eis (Matth.* 26[26]*)*. Quod quidem sacra« mentum Melchisedech rex Salem figuraliter « IN TYPUM CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI « PRIMUS OBTULIT, primusque mysterium tanti « sacrificii imaginarie idem expressit, PRAEFE« RENS SIMILITUDINEM DOMINI ET SALVATORIS « NOSTRI JESU CHRISTI, sacerdotis aeterni ad « quem dicitur : *Tu es sacerdos in aeternum secun*« *dum ordinem Melchisedech.* Hoc ergo sacri« ficium christianis celebrare praeceptum est, « relictis ac finitis judaicis victimis, quae ser« vitute veteris populi celebrari imperata sunt. « Hoc itaque fit a nobis, QUOD PRO NOBIS « DOMINUS IPSE FECIT, QUOD non mane, sed « post coenam in vesperum OBTULIT. Sic enim « Christum oportebat adimplere circa vesperam « diei, ut HORA IPSA SACRIFICII ostenderet ves« peram mundi. Proinde autem non communica« verunt jejuni apostoli, quia necesse erat ut « pascha illud typicum antea impleretur, et « sic denuo ad verum paschae sacramentum « transirent » (*De ecclesiasticis officiis*, l. 1, c. 18, n. 1-2. P.L. 83, 754).

2. Post citatum *Luc.* 22[19], pergit : « Finitis « paschae veteris solemniis,... transiit ad no« vum... : ut videlicet pro carne agni vel san« guine, suae carnis sanguinisque sacramentum « in panis ac vini figura substituens ipsum se « esse monstraret, cui *juravit Dominus, et non* « *poenitebit eum : tu es sacerdos in aeternum* « *secundum ordinem Melchisedech* » (*In Lucae* « *evangelium expositio*, l. 6. P.L. 92, 596).

3. « Ille [Melchisedech] carnales victimas non

cum assignat pariter Theodulphus Aurelianensis[1] in coena.

Amalarius[2], Humbertus cardinalis[3], Gerhohus Reichersbergensis[4] idem declarant. Nec distat apud Graecos mediaevales compilator veterum Patrum Euthymius Zigabenus[5].

Liturgiae autem concinunt : ut olim in Ecclesia Mediolanensi haec canonis particula, feriae quintae majoris propria : « Hanc « igitur oblationem, quam tibi offerimus « ob diem jejunii coenae dominicae, in « qua Dominus noster Jesus Christus « Filius tuus in novo testamento sacri- « ficandi ritum instituit, dum panem et « vinum, quod Melchisedech in praefigu- « ratione futuri mysterii sacerdos obtule- « rat, in sacramentum sui corporis et « sanguinis transformavit, celebrandam, « quaesumus, Domine, placatus intende » (*Canon antiquus missae ambrosianae in coena Domini*, ap. Muratori, *De rebus liturgicis dissertatio*, c. 10. P.L. 74, 944). Quibus certe verbis signatur similitudo inter Christum et Melchisedech in ipso ritu sacrificandi utrique personaliter communi.

Capitulum super omnia : *Epistola ad Hebraeos* instaurationem dominicam melchisedecici sacerdotii in offerendo sacrificio passionis totam constituit. Ecclesia per os Patrum eamdem in coena novissima attendit potissimum. Quid sponte nobis occurrit, nisi in coena oblatam esse passionem ; adeoque ex passione et coena unum exsurgere sacrificium Christi individuum, unam singularissimam adimpletionem figurae veteris ?

ARTICULUS II. — TESTIMONIUM DE PARITATE INTER OBLATIONEM MELCHISEDECH ET HOSTIAM CRUCIS.

Praeit in hoc negotio Ambrosius. Apud quem Melchisedech certissime ratione sui panis et vini[6] occurrit typus Christi, et nihilominus habet sanctus Doctor : « Ei « [Abrahamo] Melchisedech, qui interpre- « tatione latina dicitur rex justitiae, rex « pacis, benedixit. *Erat enim sacerdos* « *summi Dei*. Quis est rex justitiae, sacer- « dos Dei, nisi cui dicitur : *Tu es sacerdos in* « *aeternum secundum ordinem Melchisedech*, « hoc est, Dei Filius, sacerdos Patris, qui « SUI CORPORIS SACRIFICIO PATREM NOSTRIS « REPROPITIAVIT DELICTIS ? » (*De Abraham.*, l. 1, c. 3, n. 16. P.L. 14, 427). Quomodo respondet Melchisedecho Christus ? Quomodo, inquam, Melchisedecho illi offerenti panem et vinum respondet sacerdos noster summus *secundum ordinem Melchisedech* ? Eo quod videlicet obtulit sacrificium sui corporis quo repropitiavit nobis Patrem, id est sacrificium redemptionis, id est hostiam passionis. Haec responsio est Ambrosii. Sed jam, quaeso, quomodo pas-

« offerebat nisi panem et vinum, sicut Christus « oblationem panis et vini offerens Deo Patri, « id est corpus et sanguinem suum » (*In Hebr.* 7[17]. P.L. 104, 926).

1. « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo.* Est enim « sacrificium salutare, quod et in Veteri Testa- « mento, Melchisedech rex Salem in typo cor- « poris et sanguinis Domini obtulit, et in Novo, « idem Mediator Dei et hominum, antequam « traderetur, adimplevit » (*Liber de ordine baptismi*, c. 18. P.L. 105, 259-260).

2. « Christus Dominus *sacerdos* est *in aeter-* « *num secundum ordinem Melchisedech*, qui rex « Salem, id est rex pacis, obtulit panem et « vinum, in praefiguratione veri [al. vera] sacer- « dotii Christi, qui OBTULIT Deo Patri verum « panem, id est corpus immaculatum, et vinum, « id est sanguinem suum : in cujus typo hodie « nostra Ecclesia panem et vinum offert in con- « secratione [al. consideratione] corporis et san- « guinis Domini » (*Eclogae de ordine romano*, n. 19. P.L. 78, 1375 ; vel 105, 1324).

3. Sacerdotium Melchisedech non fuit nisi umbra sacerdotii Christi, quia « ille nec corpus et « sanguinem suum in pane et vino divinitati « OBTULIT » (*Adversus Graecorum calumnias*, c. 42. P.L. 143, 958-959).

4. « Christus fuit *sacerdos... secundum ordi-* « *nem Melchisedech*, qui panem et vinum obtulit, « dum seipsum Patri in cibum et potum fideli- « bus immolavit » (*In Psalm.* 109[4]. P.L. 194, 696).

5. « *Tu es sacerdos in aeternum secundum* « *ordinem Melchisedech*. Sacerdos quidem, veluti « qui mysticum panem et vinum in coena apos- « tolis tradidit, quemadmodum Melchisedech « Abrahae et sociis dedit redeuntibus e bello » (*In Psalm.* 109[4]. P.G. 120, 1088).

6. Cf. *De Mysteriis*, 8. P.L. 16, 404 : « Illi « [Abraham] occurrit Melchisedech, et protulit « ea quae Abraham veneratus accepit... Non « igitur humani, sed divini muneris est sacra- « mentum, quod accepisti, ab eo prolatum qui « benedixit fidei patrem Abraham. » Etc.

sionis hostia respondet oblationi panis et vini, nisi in pane et vino sit oblata, sacrificium nostrae redemptionis et suae mortis agente Christo sacerdote in coena ?

In eumdem sensum distinctius Sedulius Scotus scribebat, istud intercessisse commune Christo cum Melchisedech, quod hic panem et vinum, ille in ara crucis seipsum obtulisset. Quo eleganter, ni fallor, immolatio atque crucifixio ipsa Christi perhibetur oblata sub speciebus panis et vini. « *Secundum ordinem Melchisedech.* « Quia Melchisedech panem et vinum ob- « tulit Abraham, in figuram Christi cor- « pus et sanguinem suum Deo Patri in « cruce offerentis » (*In Hebr.* 5[6]. P. L. 103, 258).

Sanctus Bruno Carthusiensis pariter antitypum oblationis Melchisedech in carne Christi crucifixa constituit : « Sa- « cerdos Altissimi Patris exsistens, VERI « PANIS ET VINI, SCILICET CORPORIS SUI « ATQUE SANGUINIS sacrificium in ara « crucis obtulit » (*Expos. in Psalm.* 109[4]. P. L. 152, 1228). Viden' ut intertexat ille coenae et passionis negotium in unius sacrificii oblatione ?

ARTICULUS III. — TESTIMONIUM DE COMMUNITATE MELCHISEDECICA COENAE ET PASSIONIS.

Liceat primo in mentem revocare, quomodo juxta Cassiodorum et scholam ejus, ordo quidem Melchisedech viguerit in Christo penes panem et vinum coenae, at interea sacerdotium Christi unam admittat sacrificationem, qua se semel obtulerit immolandum (cf. supra, Elucid. III).

Praeterea unitatem melchisedecicam coenae et passionis insinuant Patres, eo quod ordinem Melchisedech mox attendunt totum in passione, mox iidem in coena totum.

Sic Chrysostomus explicans *Psalmum* 109[4], primo loco ponit illam inter Christum et Melchisedech consonantiam ortam ex eo quod Melchisedech sicut Christus panem et vinum protulit ; deinde ceteras quasi huic fundamento superstruit[1]. Quin et de quinto decimo capite *Geneseos* disserens, rationem typi totam in uno panis et vini mysterio reponit[2].

Aliunde, commentans in *Epistolam ad Hebraeos*, quid de illo sacerdotio Christi *secundum ordinem Melchisedech* idem Chrysostomus profert ? Nihil, nisi idipsum quod auctor Epistolae : scilicet Christum tum demum sacerdotem fuisse, cum sacrificium illud obtulit, cujus unius oblatione una totum redemptionis opus consummavit[3]. Praeterea agens cum Judaeis, dum late fuseque arguit praedictam a prophetis translationem sacerdotii ex Aaron in sacerdotem Christum *secundum ordinem Melchisedech*, nihilominus tamen quam auctor *Epistolae ad Hebraeos* reticet prorsus similitudinem inter Christum et Melchisedech quoad ritum, quasi eadem ipse ratione motus, non quidem ignorandi quod tacet, sed tacendi quod non ignorat[4].

Sacerdotium porro Christi melchisedecicum ex una parte totum reponens in dominica consecratione panis et vini, ex

1. « Quare dixit : *secundum ordinem Melchi- « sedech* ? ET PROPTER SACRAMENTA, quia ille « quoque panem et vinum obtulit Abrahae ; et « quia hoc sacerdotium est a Lege liberum, ac « neque finem, sicut dixit Paulus, neque princi- « pium habet. Quod enim ille in umbra habuit, « hoc revera fuit in Jesu » (*Expositio in Psalm.* 109, n. 8. P.G. 55, 276-277. Cf. editoris praefationem, § VII, col. 20-21, genuinam asserentis expositionem, quanquam alii eam habent pro dubia).

2. « Postquam autem Melchisedech, rex Salem, « panes et vinum adferens ea ipsi obtulit *(Erat « enim sacerdos,* inquit, *Dei altissimi)*, ab eo, « quae offerebantur, accepit. A Melchisedech « autem jure ac merito accepit ; viri enim « virtutem divina Scriptura indicavit, dicens : « *Erat autem sacerdos Dei altissimi.* Ceterum et « QUAE AGEBANTUR CHRISTI TYPUS ERANT, ET « IPSA OBLATA MYSTERIUM QUODDAM PRAE- « SIGNABANT. Ideoque non renuit » (*In Genesim,* hom. 36, n. 3. P.G. 53, 356-357; cf. hom. 35, n. 5, col. 328).

3. « Factus est autem sacerdos, quando « carnem suscepit, quando sacrificium obtulit... « Subindicat [Paulus] magnitudinem sacrificii, « quod UNUM CUM ESSET, suffecit, et SEMEL « OBLATUM tantum potuit quantum non potue- « runt reliqua » (*In Epist. ad Hebr.* hom. 13, n. 1-3. P.G. 62, 103-107).

4. *Adversus Judaeos,* l. 7. P.G. 48, 922-925.

altera parte reperiens totum in sacrificio passionis, quid nobis in cogitationem adducit Chrysostomus, nisi coenam fuisse unum quid in ratione melchisedecica cum passione, quippe quia passionis sacrificium a sacerdote *secundum ordinem Melchisedech* sit oblatum in mysterio panis et vini ?

Similiter Theodoretus in *Psalmum* 109[4] haec adnotat :

1°) Christum, ut sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, se obtulisse Deo pro omnibus hominibus ;

2°) exorsumque esse hujus sui sacerdotii munus in nocte illa coenae, post quam crucem conscendit.

3°) Quo impleto munere, jam non quicquam eum offerre nisi per membra corporis illius cujus caput exsistit[1].

In *Epistolam* vero *ad Hebraeos* haec rursus disserit[4]:

1°) Christum corpus suum obtulisse (utique per passionem) ut sacerdotem secundum ordinem Melchisedech ;

2°) nullum deinceps sacrificium obtulisse ;

3°) nec a nobis nisi memoriam unius illius sacrificii peragi litantibus[2].

Quarum jam trinarum affirmationum comparatione quid probabiliter infertur, nisi unum idemque sacrificium singulare in coena et passione locum habuisse, in coena inchoatum, in passione impletum, cujus unius memoriam facimus, dum illud agimus, quod in coena Christus gessit ?

Apud Latinos non aliter Augustinus in eucharistia videtur reputasse oblatam a sacerdote *secundum ordinem Melchisedech* hostiam suae passionis. « *Sacerdos* « *in aeternum secundum ordinem Melchi-* « *sedech*. Nam secundum id quod natus « de Patre Deus apud Deum, coaeternus « gignenti, non sacerdos ; sed sacerdos « propter carnem assumptam, PROPTER « VICTIMAM QUAM PRO NOBIS OFFERRET « A NOBIS ACCEPTAM... Fidelibus loquor. « Si quid non intelligunt catechumeni, « auferant pigritiam, festinent ad notitiam. « NON ERGO OPUS EST MYSTERIA PRO- « MERE. Scripturae vobis intiment quid « est sacerdotium *secundum ordinem Mel-* « *chisedech* » (*Enarratio in Psalmum* 109, n. 17, P.L. 37, 1460). Ex ipsa sermonis obscuritate nobis fidelibus dilucide claret carnem intellegendam esse oblatam a Christo in sacramento. Agi nihilominus de ipso sacrificio passionis, suadet sermonis tenor (« propter VICTIMAM quam « pro NOBIS offerret a nobis acceptam ») ; eo vel magis, quod auditores, etiam quotquot ignorarent eucharistiam, censerentur tamen nosse cujus sacrificii victima memoraretur[3].

1. « Melchisedech non Judaeorum, sed gen- « tium est sacerdos. Sic et Dominus Christus « non pro Judaeis tantum, sed PRO OMNIBUS « HOMINIBUS SEMETIPSUM OBTULIT DEO. EXOR- « SUS EST AUTEM SACERDOTIUM IN EA NOCTE « POST QUAM PASSIONEM SUBIIT : cum accepto « pane, actisque gratiis, fregit et dixit : *Accipite* « *et comedite ex eo, hoc est corpus meum. Simi-* « *liter et calicem cum temperasset dedit discipulis* « *suis dicens* : *Bibite ex hoc omnes, hic est enim* « *sanguis meus novi testamenti, qui pro multis* « *effundetur in remissionem peccatorum*... Sa- « cerdos autem nunc est Christus..., non ipse « aliquid offerens, sed caput exsistens eorum qui « offerunt. Corpus enim suum Ecclesiam vocat, « et per eam sacerdotio fungitur ut homo... « Offert vero Ecclesia corporis et sanguinis « symbola, totam massam [fidelium] per pri- « mitias [Christum] sanctificans » (*In. Psalm.* 109[4]. P.G. 80, 1772-1773).

2. « UNUM SACRIFICIUM suffecit ad salutem... « SUUM OBTULIT CORPUS, ipse sacerdos et vic- « tima simul factus... Quonam ministerio fun- « gitur, qui SEIPSUM SEMEL OBTULIT, ET NON « OFFERT AMPLIUS aliud sacrificium ?... Si ergo « et sacerdotium legale finem accepit, et SA- « CERDOS QUI EST SECUNDUM ORDINEM MEL- « CHISEDECH OBTULIT SACRIFICIUM, ET EFFECIT « UT ALIA SACRIFICIA NON ESSENT NECESSARIA, « cur novi testamenti sacerdotes mysticam « liturgiam peragunt ? Sed clarum est iis qui « sunt in rebus divinis eruditi, nos non aliud « sacrificium offerre, sed illius UNIUS et salu- « taris memoriam peragere. Hoc enim nobis « praecepit ipse Dominus : *Hoc facite in meam* « *commemorationem* » (*In Epist. ad Hebr.* 7^{27} et 8^{1-4}. P.G. 82, 733-736).

3. Cohaeret in libro *De diversis quaestionibus LXXXIII*, q. 61, n. 2 (P.L. 40, 49), haec gemina propositio : Christum et obtulisse se holocaustum pro peccatis nostris (utique in sacrificio redemptionis), et hujus holocausti instituisse « similitudinem » celebrandam in memoriam suae passionis. « Ipse est etiam *sacerdos* noster *in* « *aeternum secundum ordinem Melchisedech* ; « qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis « nostris, et ejus sacrificii similitudinem cele- « brandam in suae passionis memoriam com-

Isidorus persuadens Judaeis praesignatam in Melchisedech eucharistiam, « ritum » allegat sacrificii quod Christus ita in passione sua perfecit ut impleret. « Hujus enim sacrificii praefiguratio in « sacerdotio Melchisedech antea fuit ex- « pressa. Iste enim sacerdos Dei excelsi, « cum benediceret Abrahae, ob mysterium « futuri holocausti panem et vinum in « sacrificio Domino obtulit. Hoc enim ille « primum in typo Filii Dei expressit, ad « quem Psalmista ex persona Patris sic « dicit : *Ante luciferum genui te. Tu es « sacerdos in aeternum secundum ordinem « Melchisedech* : HOC EST[1], JUXTA RITUM « HUJUSMODI SACRIFICII, QUOD ET IN PAS- « SIONE SUA PERFICIENS CHRISTUS IM- « PLEVIT »[2] (*De fide catholica contra Judaeos*, l. 2, c. 27, n. 1. P.L. 83, 535).

Pascha autem verum, quo impletae sunt figurae passionis, vult S. Paschasius Radbertus melchisedecico ritu esse celebratum. « Volo perpendat fidelis ani- « mus quid intersit inter illud typicum pas- « cha quo agnus immolatus est et in eadem « coena comestus, et istud quod *secundum « ordinem Melchisedech* in pane et vino « continuo celebratur... Agnus ille legalis « cum suo calice IN FIGURA PRAECESSIT « PASSIONIS CHRISTI. Deinde corpus et « sanguis in calice AD EXPLETIONEM FAC- « TUM EST VERITATIS, UT QUOD IN MELCHI- « SEDECH PRAECESSERAT, TOTUM COMPLE- « RETUR IN CHRISTO... Intelligat [fidelis « animus] in hoc facto, quod de figura et « umbra veritatis benignissimus Jesus, « accipiens panem et calicem, ad verum « transeat Paschae sacramentum, ne apex « detruncaretur a Lege, immo, quia lapis « angularis est, utrasque tenens et adim- « plens Leges, ac si verus Melchisedech, « panem offert et vinum, quod erat sacra- « mentum sui corporis praefiguratum ac « sanguinis » (*Epist. de corp. et sang. Dom. ad Frudegardum*. P.L. 120, 1359-1360).

Similibus verbis alibi ostendit totum negotium sacerdotale nostrae redemptionis esse transactum ritu melchisedecico. « [Agnus legalis] semel populum de Aegyp- « tiaca servitute liberans, in memoriam « ejusdem liberationis per omnes annos « immolatione sua populum eumdem sanc- « tificare valebat, donec veniret Ipse cui « talis hostia testimonium dabat, OBLA- « TUSQUE PATRI PRO NOBIS IN HOSTIAM « odoremque suavitatis, MYSTERIUM SUAE « PASSIONIS, oblato agno [legali], IN CREA- « TURAM PANIS VINIQUE TRANSFERRET, « *sacerdos* factus *in aeternum secundum « ordinem Melchisedech, accedens per se- « metipsum ad Deum ad interpellandum « pro nobis*. Quia ergo REDEMPTOR NOSTER « HOC TOTUM QUOD TEMPORE PASSIONIS « SUAE SEMEL GESSIT, adhuc usque hodie « quotidiana ejusdem beatae passionis com- « memoratione peragit, hanc in primis « praecipuam causam puto, quare nos « sacrosanctae mortis ejus recordationem, « sacratissimum corpus et sanguinem ipsius « quotidie super altaris aram immolantes, « assidue replicamus » etc. (*Lib. de corp. et sang. Dom.* 9, 2. P.L. 120, 1294-1295). Obtulit se hostiam redemptionis Patri : idque cum semel mysterium suae passionis ex vacuis figuris in melchisedecicam veritatis speciem transtulit, factus sacerdos et sacrificator sui corporis et sanguinis in aeternum.

Sed admirabiliter prae ceteris Rupertus Tuitiensis litationi in coena peractae applicat verba quibus Christus perhibetur ab Apostolo aperuisse per unicum suum sacrificium viam coeli. « Dominus « Christus, sanctus sanctorum, cui a Patre

« mendavit ; ut illud quod Melchisedech obtulit « Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi « Ecclesia videamus offerri. » Simile est igitur nostrum sacrificium holocausto quo nos redemit Christus. Unde sacrificium redemptionis nescio annon probabiliter inferas esse sicut et nostrum in specie panis et vini oblatum. Quanquam, fateor, similitudo illa potest non improbabiliter intellegi symboli ad realitatem, immolationis sacramentalis ad immolationem cruentam. Quo casu, locus jam ad rem nostram nil confert.

1. Notandum illud : « Secundum ordinem... « hoc est, juxta ritum. »

2. Hunc locum sermoni suo 34 insertum, brevius concludit S. Martinus Legionensis (P.L. 208, 1339) : « ... hoc est, juxta ritum hujus- « modi sacrificii quod Christus in passione sua « complevit. »

« cum juramento dictum est : *Tu es sacerdos* « *in aeternum secundum ordinem Melchi-* « *sedech*, ipse pontifex, ipse et hostia, novi « nobis sacrificii ritum instituit, *qua nocte* « *tradebatur, accipiens panem* et calicem « vini, benedicensque ac dicens : *Hoc est* « *corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* « TUNC ENIM PRIMUM OFFICIO SUI FUNCTUS « EST SACERDOTII, finem imponens sa- « cerdotio veteri, et post esum agni typici, « SEIPSUM, qui verus est agnus, DEO PATRI « SUIS OFFERENS MANIBUS : atque HOC « EST QUOD APOSTOLUS AIT : *Quia non per* « *sanguinem hircorum aut vitulorum, sed* « *per proprium sanguinem introivit* SEMEL « *in sancta, aeterna redemptione inventa.* « IPSUM NAMQUE CORPUS QUOD OCCISUM « EST AB IMPIIS, IPSUM EUMDEM SANGUI- « NEM QUI IN CRUCE FUSUS EST, IPSE « TUNC SEMPITERNUS SACERDOS OBTULIT » (*De divinis officiis*, l. 5, c. 15. P.L. 170, 138-139). Coenans obtulit Deo suis manibus ipse illud suae passionis sacrificium, illud sacrificium redemptionis, quod ab Apostolo dicitur esse litatum semel[1].

Sicut supra, in Elucidatione III, audivimus S. Thomam, in sacrificio Christi congerentem et immolationem cruentam factam a Judaeis, et oblationem hostiae aeternae, et modum oblationis talem quem possimus sequi litantes, sic in praesente negotio tria eadem colligat iterum, distinguens in praedicatione apostolica assertionem sacerdotii, assertionem sacerdotii aeterni, assertionem sacerdotii melchisedeciani. « Dicit autem [Apostolus] *Sa-* « *cerdos* : quia se obtulit Deo Patri *(Ephes.* « 5[2], *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro* « *nobis oblationem et hostiam Deo).* Et ne « credatur tale esse sacerdotium Christi « sicut fuit in veteri Lege, distinguit ipsum « quantum ad duo. Primo, quantum ad « dignitatem, quia *in aeternum...* HOSTIA « EJUS habet virtutem introducendi in « vitam aeternam ; item DURAT IN AETER- « NUM. Secundo quantum ad ritum : quia « ibi offerebantur animalia, hic autem PA- « NIS ET VINUM ; et ideo dicit *secundum or-* « *dinem Melchisedech* » (*In Hebr.* 5, lect. 1). Porro in primo puncto distinctionis signari sacrificium passionis, non solum constat ex eo quod subjungitur statim illius sacrificii hostiam esse perdurantem aeternaliter, sed etiam, et maxime ex allegata auctoritate *Epistolae ad Ephesios* 5[2], quae sicut a S. Paulo profertur de passione, sic omnino de passione exponitur a sancto Thoma in istum locum. At nihilominus negotium istud in pane et vino transactum dicitur, melchisedecico ritu.

Tandem audiatur haec sollemnis *Prosa de S. Eucharistia*[2] (ex *Breviario Bituricensi*, imp. Venetiis, 1481. A. H. 15, 52-53), qua interrogatur, ex professo, quinam fuerit antitypus sacrificii a Melchisedech oblati : et respondetur fuisse *Panem illum*, sumentes vivificantem, qui *cruci affixus* per crucem est interemptus, secundum quod scriptum erat (juxta vulgatam) a Propheta : *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia dicentes* : *Mittamus lignum in panem ejus*, lignum scilicet crucis.

« Chorus novae Hierusalem, plaude,
« Ac mirare quae sit haec hostia,
« Quam praevidit offerens in laude
« Melchisedech sacerdos, in via
« Dum Abrahae occurrit mystice :
« Figuratur Christus, QUI CREDITUR
« PANIS VIVUS AC FIXUS IN CRUCE,

1. Alter quidam locus, aeque saltem insignis Ruperti in eumdem sensum recitabitur infra, in Elucidatione IX, opportunius. Interim conferantur ea quae scripserat antea (l. 2. c. 8, col. 39-40) : « ABITURUS HINC IN SACRARIUM « COELI pontifex summus PER VIAM PASSIONIS, « SACRIFICAT modo mirabili secundum ordinem « suum, secundum coelestis sacrificii ritum, « accipiens panem » etc. Recolatur etiam, ex Elucidatione III, quomodo pro Abrahamo et pro omnibus omnium retroactorum saeculorum electis litarit iste verus Melchisedech in pane et vino.

2. Non confundenda haec est (sicut fit a J. Mearns, *Early Latin Hymnaries, an Index of Hymns in Hymnaries before* 1100, Cantab. 1913, p. 18) cum Hymno S. Fulberti Carnutensis *Chorus Novae Hierusalem Nova meli dulcedinem*, etc., quem legesis apud J. Stevenson, *The later hymns of the Anglo-Saxon Church*,

« Qui resurgens ultra non moritur.
« Christus nobis PANIS proponitur,
« QUI ASSUMPTUS mentem vivificat ;
« Et IN PANEM LIGNUM TRANSMITTITUR,
« LIGNUM CRUCIS DUM HUNC MORTIFICAT. »

Non minus vero quam per sua dicta, nos per suum *silentium* erudiunt Patres veteresque doctores ac concinnatores liturgiarum : quorum ne unus quidem (quem norim) probe enuntiavit illam dualitatem dominicarum sacrificationum, quam multi recentiores (iique, quantum compertum habui, postmediaevales demum) solent non tam thetice proponere quam memorare obiter et per transennam[1] : QUASI ESSET COROLLARIUM INDUBITANTER TRAHENDUM EX DISTINCTIONE NUMERICA, QUAE, OMNIBUS FATENTIBUS, NECESSARIO VIGET INTER LITATIONES QUAS FREQUENTAT ECCLESIA ET LITATIONEM QUA CHRISTUS NOS REDEMIT. Sed non tenet ista consequentia, ut mox (Elucid. IX etc.) clarebit : nullam inferente in sacrificio coenae et passionis dualitatem distinctione numerica inter sacrificia missarum et sacrificium redemptionis.

Recte, nostris diebus, Rev^{mus} Alexander Mac Donald, vir Canadensis, olim rector ecclesiae S. Andreae in urbe Antigonish (Nova Scotia), nunc vero Episcopus urbis Victoria in Britannica Columbia, scripsit aureo suo calamo : «The idea that « under the New Dispensation there are « two sacrifices, or that Christ was offered TWICE [*intellege* : by Himself], or « that the Eucharistic Sacrifice is other « than that which was offered up on « Calvary, is foreign to the mind of the « Church in every century of her existence from the days of the Apostles. In « vain will you seek for such an idea in the « writings of the New Testament. St. Paul « indeed is the only one of the New Testament writers who deals expressly « with the subject, and certainly St. Paul « speaks only of one Sacrifice of Christ. « In the Epistle to the Hebrews he insists « again and again on the oneness of Christ's « Sacrifice ; he rings the changes upon it. « After introducing Our Lord as Priest for « ever according to the order of Melchisedech, he passes right on to speak of « His " one oblation ", wich is that of « Calvary. On condition that the Eucharistic Sacrifice is one and the same with « that of Calvary, this is only what we « should expect ; for the Eucharistic « Sacrifice, though offered after the order « of Melchisedech, was consummated on « Calvary, and would not at all exist but « for the death of the Victim of the Cross... « On the supposition that the Eucharistic « Sacrifice, is other than that of Calvary, « a distinct oblation containing within « itself all the elements of a real sacrifice,

Durham, 1851, vel apud H. A. Daniel, *Thesaurus hymnologicus*, Halis 1841, tom. 1, p. 221, et exhinc in P.L. 141, 352. Caute ambas distinguit in suo *Repertorio* Ulysse Chevalier.

1. Mirum certe quomodo vir et Patrum et Liturgiarum usu exercitatissimus, Muratorius, eo maxime tempore quo binam sacrificationem in sacerdote nostro Christo adstruit, ita nihilominus disserat, ut sententiae nostrae afferat maximum suae auctoritatis pondus : « Uti ex « psalmo, inquit, centesimo nono et ex epistola « Pauli ad Hebraeos constat, Christus fuit pontifex et sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quicumque sine humanis affectibus « sincere hanc veritatem et dogma expendit « nequit quin intelligat quod quaerimus. Sacerdos sive pontifex, nihil aliud est nisi sacrificator apud Judaeos ipsosque gentiles. Cui « sacrificandi jus neges, sacerdotis quoque nomen ab eo auferas oportet. Sacerdos et « hostia fuit utique Christus Dominus in cruce ; « sed ibi sacrificium non peregit uti sacerdos imitatus Melchisedechum. Hoc munere is tantummodo fungitur, cum ad illius imitationem « panem et vinum in sacris mysteriis Deo offert. « Et cum nullum sacrificium sit sine sacerdote, « et nullus sacerdos sine sacrificio, nullumque « alium locum assignare possimus, ubi Christus « sacerdotium et sacrificium ad instar Melchisedechi exerceat, nisi in consecratione panis « et vini et eorum oblatione, necesse est ut in « sublimi actione ista alterum hoc Domini nostri sacrificium statuamus » (*De rebus liturgicis dissertatio*, cap. 18. P.L. 74, 999). Quod affirmat in coena esse gestum sacerdotium Domini melchisedecicum, cum universis Patribus, cum universa Ecclesia id sentit. Quod autem negat fuisse melchisedecicum ipsum crucis sacrificium, id quomodo non contra Scripturae evidentissimam auctoritatem statuit ? Constet igitur sibi catholicus theologus, ut melchisedecicum sacrificium, oblatum in coena fateatur in cruce impletum.

« the language of the Apostle would be, « to say the least, misleading » (*The sacrifice of the New Law*, in *Ecclesiastical Review*, Dec. 1, 1905, vol. 33, p. 629). Hic habes recapitulatam totam antiquitatem.

EPILOGUS.

De Hebr., 9[14].

His de melchisedecico sacrificio Christi disputatis, jam congruum, opinor, sensum accipiunt varii loci *Epistolae ad Hebraeos*, quorum praecipuus quidem (*Hebr.* 13[14] : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*, etc.) alibi (Elucid. XVII) recurret examinandus ; sufficit autem nunc exponere alterum (*Hebr.* 9[14]), cujus interpretatio crux quaedam solet esse exegetarum : *Sanguis Christi, qui* PER SPIRITUM *Sanctum* [lege : AETERNUM, non ἁγίου, sed αἰωνίου secundum meliores codices] *semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit* etc. Vere scilicet Christus, si ritu eucharistico se ad mortem obtulit, obtulit se Deo per Spiritum aeternum, id est per spiritualem quamdam divinitatis virtutem ; quam eamdem erat postmodum Ecclesia in suis epiclesibus invocatura virtutem omnipotentem, sive dicatur Dei, sive Verbi, sive Spiritus Sancti, sive utriusque et Verbi et Spiritus Sancti (cf. infra, Elucid. XXXIV) Non vero reliqua sacrificia offerebantur per virtutem divinam, sed per id genus actionis, cui sufficiebat virtus humana, puta per effusionem sanguinis, vel ignis incendium, aut si quid ejusmodi. Quare apte Chrysostomus in h. l. : Τὸ διὰ πνεύματος ἁγίου [sic enim legit ipse] δηλοῖ ὅτι οὐ διὰ πυρὸς προσηνέγκεται, οὐδὲ δι' ἄλλων τινῶν (P.G. 63, 120). Nec sine causa dicit Ecclesia in *Missali Romano* : « Voluntate Patris, « COOPERANTE SPIRITU SANCTO, per mor- « tem tuam mundum vivificasti. »

Per Spiritum autem divinum sicut se obtulit Christus coenam agens, sic offertur a nobis missam celebrantibus. Quod nescio annon per viam allusionis innuat Paulus, dum sub coloribus liturgicis describit suum inter gentes apostolatum, non tam, ut mihi videtur, referens lectorem ad ritus Mosaicos quam ad mysterium nostrae fidei et redemptionis eucharisticum[1] : *Data est mihi a Deo* [gratia] *ut sim minister* (λειτουργόν) *Christi Jesu in gentibus* : *sanctificans* (ἱερουργοῦντα) *evangelium Dei, ut fiat oblatio* (ἡ προσφορά) *gentium accepta et sanctificata* (ἡγιασμένη) *in Spiritu Sancto* (*Rom.* 15[15-16]). Quae certe Pauli verba applicantur sacrificio nostro in offertorio graecae *Liturgiae Sancti Jacobi* : « Dignare, « Domine, nos fieri... ministros illibato- « rum tuorum mysteriorum... et suscipe « ex manibus nostris, qui peccatores sumus, « proposita dona in tua bonitate, et da « fieri nostram oblationem acceptam et « sanctificatam in Spiritu Sancto » (B. 48 ; cf. Salaville, D. T. C. art. *Epiclèse*, col. 222-223). Sed multo disertius atque planius olim Ecclesia Romana fieri asserebat per Spiritum Sanctum nostram oblationem, sicut a Chrysostomo exponebatur facta per Spiritum Sanctum oblatio dominica : « Munus populi tui, Domine, placatus in- « tende, quo NON ALTARIBUS TUIS IGNIS « ALIENUS, NEC IRRATIONABILIUM CRUOR « EFFUNDITUR ANIMANTUM, SED SANCTI « SPIRITUS OPERANTE VIRTUTE, sacrificium « jam nostrum corpus et sanguis est ipsius « sacerdotis » (Oratio missae 3ae in Natali Domini, in *Libro sacramentorum romanae Ecclesiae*, dicto Leoniano. P.L. 55, 147)[2].

1. Scribit Crampon, in h. l. : « Paul décrit sa « prédication parmi les païens sous une image « empruntée aux sacrifices mosaïques. » Sed aliud, ni fallor, quam sacrificia mosaica suggerunt hae voces ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Sanctificationem enim illam spiritualem hostiae Lex non habuit, sed carnalem tantum. Spiritualem autem solus habuit pontificatus nostri Redemptoris melchisedecicus, ut docemur ab *Epistola ad Hebraeos*.

2. Confer Anaphoram Chaldaicam citatam ad calcem Elucidationis III.

Per Spiritum igitur aeternum vel sanctum putamus Christum se obtulisse, eo quod per consecrationem panis in suum corpus ac vini in sanguinem, gesserit se sacerdotem illius unici sacrificii, per quod aeternam nobis invenit redemptionem : sacrificii dico suae passionis et mortis [1].

1. Quare sapienter Rupertus, super illud *Exodi* : *Edent carnes nocte illa assas igni* : « Quia « de Spiritu Sancto, qui aeternus est ignis, Virgo « illum concepit, et ipse *per* eumdem *Spiritum* « *Sanctum*, ut apostolus ait, *obtulit semetipsum* « hostiam vivam *Deo* viventi : eodem igne « assatur in altari. Operatione namque Spiritus Sancti panis corpus, vinum fit sanguis « Christi » (*De Trin. et op. ej., In Exod.* l. 2, c. 10. P.L. 167, 617).

Elucidatio VI.

Suadetur tandem ex narratione coenae collata cum promissione eucharistiae.

§ 4. De comparatione inter coenam et promissionem eucharistiae.

Introducens Christus sermonem de carne danda SIMUL CUM SANGUINE in alimentum (*Jo.* 6[53–59]), dixerat turbis (*Jo.*[51 = Vulg. 52]), Ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς[1]. Prius igitur quam in alimentum daret cum sanguine, daturus erat carnem suam ad mortem in sacrificium pro mundi vita; daturusque erat in ratione panis[2]. Quae mortis in pane assertio vix intellegi potuit, donec in novissima coena Christus dixit apostolis : *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis* ⌊*datur*⌋, *Hic est sanguis meus*, *qui pro multis funditur in remissionem peccatorum*. Tunc enim mysterium aperuit oculis fidei, carnem suam in specie panis dans ad mortem. Fuit tunc, ut praedixerat Christus, panis eucharisticus corpus victimae morti devotae, corpus immolandum.

Quare et recte vocem hanc « omnes veteres boni auctores de eucharistiae sacramento intellegi volunt », approbante Maldonato (in h. l.) ; nec tamen a vero aberrat Cajetanus[3] scribens : « Manifeste explicat panem hunc fore passionem et mortem suam. » Namque, ut habet Knabenbauer (in h. l.) : « Et sacrificium crucis et eucharistia hic notatur. » Immo notantur ambo per modum unius : dedit carnem suam Christus,

1. Deserenda videtur forma hujus versiculi longior, quae apud multos Patres Graecos (cf. Maldonat., in h. l.) legitur : ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Quam etiam reddunt Syr (Pesch.), Syr (Hex.), et exhibebat Tatiani *Diatessaron* (cf. Ciasca, *Tatiani evangeliorum harmoniae arabice*, p. 35). Deest enim illud ἣν ἐγὼ δώσω in antiquioribus codicibus plerisque : ℵ B C D, atque in vetere versione latina, in Syr (Cur.) et in Syr (Sin.) ; pariter, ut testatur sapientissimus meus collega, L. Gry, in Aethiop. In forma autem breviore, verba aliter ab aliis ordinantur. Cum ℵ, Tischendorf-Gebhardt ponit ἡ σάρξ μού ἐστιν post ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Ponunt ante reliqui testes, quos sequitur Nestle. Haec altera ordinatio videtur, probabilior ; sin autem admittatur illa prior erit ipsa nobis in praesente disputatione favorabilior.

2. Inter acatholicos ipse Loisy haec scribit : «Le sens recommandé par le contexte, où domine la pensée du Christ donné en nourriture, « comme chair et sang, dans un état de mort, est « évidemment : *Et le pain que je donnerai, c'est* « *ma chair*, ma chair donnée *pour la vie du* « *du monde*. L'idée de la passion et celle de l'eucharistie sont aussi étroitement associées dans « le quatrième Évangile que dans saint Paul et « dans les relations synoptiques de la dernière « Cène... Ce serait aller trop loin que de contester « dans ce discours toute allusion à la mort de Jésus ; l'idée de la mort y est à l'arrière-plan, « comme invisible, mais toujours présente ; et « l'idée du Christ, agneau de Dieu, vraie victime « pascale, vraie pâque du chrétien, est insinuée « dans la date que l'évangéliste assigne à la multiplication des pains » (*Le quatrième Evangile*, p. 455-456). Antea sane notatu illud dignissimum scripserat Toletus : « Id est, *caro* quae *pro* « *mundi vita* in mortem danda est, haec ipsa « *panis* est *quem ego dabo* » (In h. l. Col. Agr. 1589, p. 585). Idque, quamvis merito ipse (non sicut Graeci et Maldonatus, vide infra) unum demum δώσω in nostro textu legat.

3. « Manifeste explicat panem hunc fore « passionem et mortem suam... ET DICENDO *dabo* « SIGNIFICAT VOLUNTARIO DONO SE PASSURUM « AC MORITURUM » (Cajetanus, *Evangelia cum* « *commentariis*, in h. l., Parisiis 1540, fol. 251 D). Cui interpretationi auctoritas favet Cyrilli Alexandrini scribentis in h. l. : «*Et panis quem* « *ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi* « *vita*. Morior, inquit, pro omnibus, ut omnes « vivificem per meipsum, et pretium universorum carnis carnem meam feci. Morietur « enim mors in morte mea, et mecum simul resurget, inquit, lapsa hominum natura. Quod « autem *pro mundi vita* suam carnem Christus « obtulit, id nobis ex ejus verbis compertum « erit : ... *Pro eis sanctifico meipsum... Sanctifico*, « ait, pro CONSECRO et OFFERO quasi hostiam « immaculatam in odorem suavitatis. Sanctificabatur enim, sive sanctum juxta legem vocabatur, id quod super altare offerebatur. Dedit « ergo pro omnium vita proprium corpus Christus, inseritque rursus per ipsum vitam... « Postquam enim vivificum illud Dei Verbum « in carne inhabitavit,... vivificam eam reddidit « Propterea vivificat corpus Christi eos qui sunt « illius participes » (P.G. 73, 565). Vides quomodo per panem intellegens probe eucharistiam, ut ex ultimis verbis patet, tamen sacrificationem a Christo factam non innuat ullam nisi qua ad passionem offerretur in illa coena, ubi dicebat : *Pro eis sanctifico meipsum*.

panem, pro salute mundi ; in pane obtulit sacrificium suae mortis : cujus memoria in pane fit a nobis, mortem rursus Christi subofferentibus. Sic igitur et eucharistia et passio in unam coeunt efformandam adimpletionem promissionis Christi[1]. *Panis quem ego dabo* [in sacrificium], *caro mea est pro mundi vita.*

Ad ampliorem hujus loci evidentiam juvat duo considerare.

Primo, quae sit series atque textura sententiarum. Postquam enim se dixit Christus panem vitae necessario manducandum (v. 27-50), transit in explicandum quomodo id contingat. Quocirca duo facit : statuit 1°) panem illum esse SACRIFICII (v. 51) ; 2°) esse manducandum in ratione DAPIS SACRIFICALIS (v. 53-57).

Circa primum, ita exponit OBLATIONEM SACRIFICALEM panis, ut sit oblatio suae carnis pro mundo redimendo ex morte in vitam.

Circa alterum, rationem DAPIS SACRIFICALIS in pane (jam copulato cum potu) claram facit ex eo quod : panis sit caro manducanda, et vinum sanguis potandus ; qua mentione divisa edendi corporis et cruoris ebibendi, sicut status mortis, ita etiam conditio epuli immolatitii designatur.

Est autem hoc alterum consequens ad illud primum, cui praesupposito innititur. Ideo enim panis est cibus sacrificalis (dandus hominibus), quia fuit munus sacrificale (datum Deo). Ideoque explicanti Christo eucharistici mysterii vim vivificantem, opus fuit praemittere enuntiationem oblationis sacrificalis. (Ut enim in tertio hujus operis libro declarabitur, non est eucharistia sacramentum nisi in quantum est sacrificii hostia participanda). Sed si jam admittatur in versu 51 panem perhiberi offerendum sacrificaliter Deo, vix effugietur haec conclusio : sacrificationem panis esse oblationem Christi ad mortem *pro mundi vita.*

Secundo, considerandum est quae sit exegesis eorum qui, neglecta hac serie sententiarum, in versiculo 51 nullam panis oblationem sacrificalem intellegunt. Jam secundum illos Christus nihil aliud ibi significavit, quam haec duo : 1° panem esse ipsam suam carnem, 2° non aliam ab ea quam oblaturus erat in cruce. Duas igitur statuens identitates, unam panis cum carne, alteram istius memoratae carnis cum carne reali in crucem ferenda, intendebat tantummodo per hanc alteram identitatem veluti exaggerare realitatem carnis in pane contentae. Sed tunc identitas illa est mere materialis, nec ullatenus formalis, siquidem ad propositum Christi aeque conduceret illud : « ...caro mea est « ex utero materno tracta. » Quare minus satisfacit talis interpretatio.

Dicesne : non solam identitatem asserit, sed etiam in pane relationem SYMBOLICAM ad sacrificium crucis : quasi diceret : Panis quem ego dabo (vobis), ita erit caro mea eadem quae danda est in cruce (Deo), ut insuper meae passionis sacrificium repraesentetur per sacrificium quoddam praevium in specie panis (ac vini) ? Sed quis non videt ista expositione exorbitari sensum literalem textus, ubi ne verbum quidem fit de nexu repraesentationis inter sacrificium et sacrificium ; proindeque si quid in ea contineatur veri, posse illud ad summum haberi pro sensu consequente ad sensum ipsum literalem quem nos admisimus ?

Ceterum in neutra ex istis interpretationibus sensus adversariorum defendi commode potest, nisi una vox *dabo*, semel tantum prolata, duas tamen directiones toto coelo diversas indigitet, prout vel pani, vel carni applicetur : carni nimirum, ut dandae pro nobis (ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς), utique Deo ; pani autem, ut dando nobis, minime autem Deo, aut pro nobis : ita ut quantum ad panem asseratur largitio, non oblatio ; quantum ad carnem

1. Quod rite advertit S. Thomas, in sua *Catena aurea* (in h. l.) haec quasi sub nomine Bedae promens : « *Et panis quem ego dabo, ca-* « *ro mea est pro mundi vita.* Hunc PANEM TUNC « Dominus DEDIT, QUANDO mysterium corpo- « ris et sanguinis sui discipulis tradidit, ET « QUANDO semetipsum Deo Patri obtulit in ara « crucis. »

autem non largitio asseratur, sed oblatio. Ubi quaedam violentia et distortio apparet in explicanda una eademque voce numerice singulari; multoque planius et simplicius procedit sententia, si dationis, semel enuntiatae, directio censeatur specificari, ut in carne, ita in pane per illud : ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Effugiunt quidem hanc difficultatem, qui cum Maldonato repetitionem vocis *dabo* admittunt, ut fas sit aliam in pane aliam in carne intelligere dationem : puta datum panem hominibus in cibum, datam carnem in hostiam Deo. « Eo enim ipso quod BIS dicit dare, indicat se de diversis dandi modis loqui » (Maldonatus, in h. l.). At non solum rejicienda est ista lectio, sed etiam, ut dictum est, praeter eam quam sequimur, nulla est probabilis, nisi illa quae nostram interpretationem totidem verbis effert : *Panis quem ego dabo pro mundi vita, caro mea est.*

Effugiet rursus difficultatem, si quis dixerit : illud *pro mundi vita* nequaquam pendere a voce *dabo* : sive prolata iterum (ut placet Maldonato), sive semel tantum prolata, at subaudita eadem in secundo membro ut nos censemus); immo illud *pro mundi vita* stare absolute, sicut stat absolute in forma paulina coenae illud : *pro vobis* (*I Cor.*, 11[24], juxta probabiliorem lectionem graecam). Quo casu non erit inconveniens, si vox *dabo* intellegatur de donatione panis nobis facta, nec Deo; intellegatur tamen de sacrificali carnis oblatione Deo facienda illud *pro mundi vita.* Non enim tum distrahetur una vox *dabo* in duas oppositas directiones. At paritas tenuis est ac debilis inter *I Cor.* 11[24] et *Joan.* 6[51]. Habemus enim apud Paulum : τοῦτό μού ἐστιν τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν; non autem habemus apud Joannem :... ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἡ ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς; sed deficit articulus : quo fit ut aliter currat sententia. Quod si tamen censeatur probabilis ista interpretatio (quam ceterum nemini vidi probatam), illud certe manet, quod oblatio sacrifica carnis Christi in mortem (ἡ σάρξ μού ἐστιν, [ἡ] ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς) assignatur tanquam formaliter rationans et explicans dationem panis in cibum (ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω). Unde sequitur rursus, id quod supra diximus : cibum eucharisticum proponi tanquam participationem sacrificii cruenti[1]. Sed si in eucharistia participatum est sacrificium cruentum, est etiam in eucharistia oblatum : siquidem homini catholico constat, non aliud a fidelibus recipi in sacramento, quam quod est in sacramento oblatum Deo.

Ergo undique locus ille johannicus nobis persuadet, Christum in coena obtulisse suam passionem.

Haud scio annon possit advocari, ad nostram interpretationem corroborandam, illud quod legebamus supra (Elucid. III) in liturgiis orientalibus : Christum, qua nocte se tradebat *pro mundi vita*, accepisse panem et consecrasse ? Scilicet in graeca *Liturgia Sancti Jacobi*, Christus « *in ea* « *nocte qua tradebatur*, immo seipsum tra- « debat *pro mundi vita* et salute, accipiens « panem,... dedit » etc. Similiter in hodierna *Liturgia Syriaca-Antiochena* : « In ea nocte « qua semetipsum tradidit *pro vita* et « salute *mundi*, accepit panem » etc. In *Liturgia* vero *Sancti Basilii*, cum vetere tum hodierna : « [In] nocte qua tradebat « semetipsum *pro mundi vita*, accipiens « panem » etc. In *Liturgia* tandem hodierna *Sancti Chrysostomi* : « *Nocte qua*

1. Ceterum idem sequeretur pariter ex longiore illa lectione, duplicem prolationem vocis *dabo* continente. Quam secutus Claudius de Sainctes (*De rebus eucharisticis, sexta repetitio*, c. 4, Parisiis 1575, fol. 227 b), sic commentabatur apte : « Filius ut homo duo dona connectit : « *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego* « *dabo pro mundi vita.* Bis se daturum carnem « suam pollicetur, semel nobis, atque iterum « pro nobis; et PRIORIS DONATIONIS INTELLI- « GENTIAM PETI VULT A POSTERIORE, cum utramque dedita opera conjungat. Itaque qui absque « errore cupit scire quo pacto prior donatio « compleri debeat, animadvertat quo pacto « posterior completa sit... Nam quae ratio « patitur ut priorem donationem a posteriore « separemus, cum posterior ideo sit adjecta, ut « priorem interpretaretur et exprimeret ? *Panis* « (ait) *quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo* « *pro mundi vita.* ISTA QUOQUE CONNEXIO HA- « BET ALLUSIONEM AD ANTIQUA SACRIFICIA. » Optime dictum.

« *tradebatur*, immo seipsum tradebat *pro* « *mundi vita*, accipiens panem » etc.[1] Nonne forte illiusmodi locutione describitur modus quo Christus se tradidit pro mundi vita : carnem suam scilicet in coena dans Deo ad mortem, seu tradens se in hostiam sub specie panis ac vini ?

Sed quid de oratione super oblata in graeco-alexandrina *Liturgia Sancti Marci* : « Domine Jesu Christe,... magne Sacerdos, « PANIS qui de coelo descendit et excitavit « ex corruptione vitam nostram, QUI [Pa- « nis] DEDIT SEIPSUM, agnum irreprehen- « sibilem, *pro mundi vita*, rogamus te et « invocamus te, Domine, hominum amator: « manifesta vultum tuum super panem « hunc et pocula haec, quae sanctissima « mensa suscipit per angelicam liturgiam et « archangelicam choream et sacerdotalem « sacrificationem[2]. » Numquid clarior suppeditari potest nobis evangelii interpretatio : Christum se panem dedisse simul atque agnum, pro mundi vita ; hincque eluxisse ejus sacerdotium ? Et vere quidem agni caro data est pro mundi vita panis, in pane tradita ad necem.

Quare sapienter ab Armenis preces ad Deum Patrem funduntur per Filium ejus, « victimam et unctum [h. e. christum, « seu sacerdotem], agnum et coelestem « panem, archisacerdotem et sacrificium « simul» (B. 436; cf. Max. Saxon., *Missa Armenica*, p. 33) : ubi ex parallelismo trium binariorum (victimam=sacrificium =agnum ; unctum=archisacerdotem = panem), seu antitheseon, suadetur in panis potissimum consecratione situm esse munus nostri Redemptoris sacerdotale, sicut in mactatione, cui ut agnus subjacuit, proprietas inventa est victimalis.

Nec immerito iidem (B. 419; cf. Le Brun, *Explication de la messe*, t. 3, p. 109, et Max. Saxon., *Missa Armenica*, p. 12-13), post ipsam graecam *Liturgiam Sancti Jacobi* (B. 309), proclamant panem coelestem nobis transmissum esse a Patre tanquam Salvatorem et Redemptorem. « Deus, « Deus noster, qui COELESTEM PANEM, « Dominum nostrum Jesum Christum, « nutrimentum universi mundi, TRANSMI- « SISTI TANQUAM SALVATOREM ET REDEMP- « TOREM et Benefactorem, benedicentem « nobis et sanctificantem nos, tu ipse, Do- « mine, benedic etiam nunc hanc oblatio- « nem propositam ; suscipe illam in coe- « leste tuum altare. » Quibus verbis innuitur Christus egisse in ipsa specie panis, ritu scilicet eucharistico, Redemptorem atque Salvatorem.

EPILOGUS.

De momentis quibusdam theologicis hujus disputationis.

Tandem, ut breviter dicamus, accedit rationibus omnibus, hucusque (in Elucid. III-VI) adductis, ratio theologica duplex.

Primo. Secundum fidem catholicam, Christus in coena obtulit verum sacrificium. At nullum obtulit verum sacrificium, nisi obtulerit se ad immolationem passionis. Nam sacrificium est oblatio hostiae aut immolandae aut immolatae. Nullum ergo verum sacrificium sine vera immolatione. In coena autem nulla fit immolatio vera, sed tantummodo repraesentatur symbolice. Repraesentatur autem immolatio crucis, quae nondum est facta. Ergo in coena non offertur Christus ut immolatus jam, sed ut immolandus. Offertur ergo in coena ad ipsam immolationem crucis.

Secundo. Si Christus in coena obtulisset sacrificium numero aliud a sacrificio passionis, repropitiasset jam ante passionem totum genus humanum. Nam, ex una parte, sacrificium illud a Christo oblatum nequit fingi irritum (id est, non a Deo acceptatum) aut inefficax (id est, carens suo fruc-

1. Cf. syriacam *Liturgiam Sancti Ignatii* : « In nocte paschatis in qua tradebatur *pro vita* « et salute *mundi* » (R. 2, 217), aliasque consimilis tenoris plurimas (*Ibid.*, p. 245 etc.).

2. Δέσποτα Ἰησοῦ Χριστὲ Κύριε,.. ὁ μέγας ἀρχιερεύς, ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς καὶ ἀναγαγὼν ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀμνὸν ἄμωμον ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, κτλ (B. 124).

tu)[1] ; ex altera autem parte, cum sit ratum et efficax, non potest esse minoris valoris aut fructus quam sacrificium ipsum passionis : deficiente, in sacrificio ab ipso Christo personaliter oblato, omni ratione limitativa fructus, qualis postmodum reperietur missae inhaerere. Ergo abundat sacrificium illud, utpote quod sacrificio crucis non SUBORDINETUR, ut nostra sacrificia missarum, sed omnino COORDINETUR, atque CONNUMERETUR.

Sed de his plura, cum ventum erit ad sacrificium missae diffiniendum atque aestimandum.

1. Adverte sacrificium istud (in quo attenditur quidam cum Deo contractus seu foedus) esse oblatum, ex verbis Christi, pro nobis *in remissionem peccatorum*. Praeterea Paulus conclamat sacrificium Christi melchisedecicum fuisse ratum ac efficax, efficiens ac sufficiens.

Elucidatio VII.

Confirmatur ex triplici coenae circumstantia.

§ 5. Confirmatio ex circumstantiis coenae.

Sectio I. — Confirmatur ex prima circumstantia coenae quae fuit proditio Judae.

In qua nocte tradebatur (ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδετο *1 Cor.* 11^{23}), Christus coenam habuit : eo scilicet tempore ipso cum passio ejus incipiebatur in suo PRINCIPIO, quae Judae proditio fuit.

Fuisse enim proditionem Judae principium passionis Christi, constat quidem ex *factis* : siquidem nonnisi per traditorem traditus est Christus in manus nocentium ; unde fit ut nihil Ecclesia in liturgia tridui sacri commemoret intentius quam Judae proditionem. Constat etiam ex *verbis* ipsis Christi dicentis Pilato : *Non haberes potestatem adversum me ullam nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet* (*Jo.* 19^{11}) [1] : quasi Judas proditione sua causarit atque inchoarit tempora illa deteriora Christi in quibus secundum consilium Patris permitteretur hominum voluntati. Constat tandem, veluti ad oculum, ex ordine atque serie *narrationum* synopticarum, in quibus proditio Judae semper caput ponitur passionis. Sed aliunde jam proditio Judae apud synopticos ita arcte cohaeret coenae, ut aut ejus prologus (*Matth.* 26^{21-25}, *Marc.* 14^{18-21}) aut epilogus (*Luc.* 22^{21-23}) censeatur. Apud Joannem vero legitur : *Coena facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas...* (*Jo.* 13^{2}; cf. $13^{18, 26, 27, 30}$).

Omnino igitur apparet exhinc coena implicata passioni, sicut superius apparuerat nobis passio implicata coenae. Nec mirum proinde, si ex utraque unum fit, quemadmodum narrationis atque rei gestae, ita sacrificii corpus substantiaque.

Coenam, consequenter ad traditionem ac venditionem Christi, esse habendam ut partem passionis, expresse docuit S. Thomas (3. S. 83, 5, 3^{m}) : « Est autem, « inquit, passio Christi quibusdam quasi « gradibus peracta. Nam primo fuit Christi « traditio... Secundo fuit Christi venditio... « Tertio autem fuit praesignatio passionis « Christi facta in coena » etc.

Ex superioribus autem mediaevalibus uberrime hujus puncti doctrinam illustravit Rupertus pluribus locis. Primo quidem, in Commentario super Matthaeum ita includit passioni coenam, ut etiam coenae includat omnem passionis propitiationem. « Non antehac tradidit vel con« didit hoc sacramentum corporis et san« guinis sui ; sed tunc primum, QUANDO « IN PASSIONE JAM AGONIZABATUR, ipsa « nocte qua tradebatur, quando jam strues « lignorum componebatur, super quam se« cundum spiritualem ritum sacrae ac mys« ticae legis, membra talis vituli caesa ordi« narentur, subjecto in altari igne magnae « charitatis sive Spiritus Sancti, per quem « desiderabat offerri : TUNC ADIPEM SUUM « PRO PECCATO IPSE OBTULIT, scilicet, « OMNEM NECESSARIAM NOBIS UTILITATEM « SUAE PASSIONIS, SUB ISTIS SPECIEBUS

1. Traditorem ibi esse intellegendum Judam ipsum, sive per se solum, sive per prius saltem ad principes sacerdotum et populum judaicum, docuere concorditer Cyrillus Al., in h. l. P.G. 7, 641 (cf. ed. Pusey, 1872, t. 3, p. 73) ; Albertus M., in h. l. ; S. Thomas, in h. l. : « Qui tradidit me tibi, scilicet Judas » ; Dionysius Carthus., in h. l. ; Calmet, in h. l. Quos sequuntur inter modernos Dehaut et Lesêtre, *L'Évangile expliqué*, 1904, t. 4, p. 334, et Calmes, *L'Evangile selon S. Jean*, 1904, p. 434. Ex acatholicis consentiunt Grotius, in h. l. ; A. Barnes, *Notes explicatives et pratiques sur les Evangiles*, Lausanne, 1880, p. 394 ; M. F. Saddler, *The Gospel according to S. John*[5], 1891, in h. l. (coll. *Mc.* 10^{38}), p. 448 ; ne nominem etiam Loisy, in h. l. Excluserunt autem Judam (immerito, ni fallor) non pauci recentiores, inter quos Knabenbauer, in h. l.

« PANIS ET VINI, dicendo : *Hic panis* (sic) « *est corpus meum, hic calix novum est* « *testamentum in sanguine meo qui pro vobis* « *fundetur*. Et recte atque rationabiliter ; « etenim sacramentum hoc quo mors ejus « annuntiatur... quando debuerat condi « vel dari, nisi sub ipsius articulo passio« nis ? Sed dicit aliquis : nondum erat « fusus ille sanguis, sed fusus est die se« quenti. Ad haec inquam : JAM VEN« DITUS ERAT ISTE AGNUS DEI, JAM TRADE« BATUR ISTE VITULUS SACRIFICII VERI, « et IDCIRCO jam recte mundi habebantur « [apostoli]... MUNDAVIT EOS PASSIO EJUS, « QUAE TUNC AGEBATUR ; IPSE SANGUIS « EJUS, CUJUS EFFUSIO NOCTE ILLA PARA« BATUR » (*De gloria et honore filii hominis. Super Matthaeum*, l. 10. P.L. 168, col. 1547-1548).

Brevius antea in tertio suo libro *De Spiritu Sancto* (c. 18. P.L. 167, 1659) idem concinnaverat : « Sciendum quippe quia « cum de isto [sacramento] multa locutus « fuerit ante suam passionem, nusquam « tamen traditionem ejus dedit antequam « ad ipsam venisset passionem. JAM ENIM « ERAT VENDITUS, ut Apostolus ait : *Ipsa* « *nocte qua tradebatur* etc. Cur hoc, nisi « quia non aliunde vivificum hoc myste« rium, sed EX IPSA CONDEBATUR Domini « PASSIONE ? »

Interim vero in libro duodecimo *De victoria Verbi Dei* (c. 12. P.L. 169, 1472) scribebat : « De sacramento corporis et « sanguinis Domini certum est, nec as« sertione nostra indiget,... quod A PAS« SIONE VEL MORTE EJUS INITIUM SUMP« SERIT, vel SUMERE DEBUERIT. Conditum « autem est hoc sacramentum quantum « potuit morti vicinius, scilicet cum esset « JAM AD MORTEM VENDITUS, et *qua nocte* « *tradebatur*. Nobis qui vivimus, atque « residui sumus, reservatum est et missum « est sacramentum istud, in quo sub specie « panis et vini LATET UTILITAS MORTIS « ET RESURRECTIONIS EJUS[1]. »

Nec minore consideratione dignum est praeclarum illud cardinalis de Bérulle argumentum contra protestantes : « A quel « propos la présence d'un agneau commun « et ordinaire, ou d'un pain et gâteau de « pure farine, mis en table de Dieu qui « est son autel, est un vrai sacrifice ; et « la présence de ce pain vivant descendu « du ciel, de ce Fils unique et agneau « singulier de Dieu qui ôte les péchés du « monde, faite par l'opération du grand « prêtre éternel selon l'ordre de Melchi« sédech, LORSQU'IL COMMENCE A SE DÉ« DIER ET OFFRIR LUI MEME A LA CROIX, « ne sera pas un vrai sacrifice ?... Si nous « observons les moments de celui qui fait « toutes choses en temps, en poids, en « nombre et en mesure, nous verrons cette « action mystérieuse avoir été réservée « par lui comme à la dernière heure de sa « vie, et LORSQUE SA PASSION RÉELLE ET « SANGLANTE AVAIT DÉJA SON COURS (SI « NOUS LA RECHERCHONS EN SA SOURCE, « C'EST-A-DIRE AU CŒUR DE JUDAS et au « dessein des Juifs), afin que CETTE AC« TION RELIGIEUSE ET SACRÉE SE TROUVÂT « ENGAGÉE DANS LES BORNES DE SES SOUF« FRANCES, et fût INITIATIVE ET DÉDI« CATIVE DU MYSTÈRE DE LA CROIX, et « que L'OBLATION MYSTÉRIEUSE QU'IL FAIT « DE LUI-MÊME A DIEU SON PÈRE EN « L'EUCHARISTIE fût SUIVIE, CONTINUÉE « ET EXÉCUTÉE VISIBLEMENT ET SAN« GLANTEMENT EN SON HUMANITÉ, sans « l'interruption d'aucune autre action et « mystère. De sorte que c'est ici qu'IL « COMMENCE DE FAIRE LE PREMIER PAS « POUR ALLER A LA MORT, soit intérieu« rement en la pensée de son cœur, soit « RELIGIEUSEMENT EN LA CÉRÉMONIE QU'IL

1. Conferatur *In Exodum*, l. 4, c. 7. P.L. 167, 704 : « Quae est haec mensa post propitia« torium parata in tabernaculo Domini, nisi « mensa corporis et sanguinis Domini, INITIUM « HABENS A PASSIONE EJUSDEM DOMINI NOSTRI « Jesu Christi ? Siquidem dum anxiaretur, JAM « VENDITUS ET CONTINUO TRADENDUS, dum « tristis esset usque ad mortem anima ejus, « dum factus in agonia prolixius oraret, et sudor « ejus velut sanguis in terram decurreret, inte« rea propitiationis et redemptionis nostrae opi« fex mensam paravit, accipiendo panem » etc.

« INSTITUE, soit extérieurement en partant du Cénacle pour aller au jardin où il devait verser son sang par toutes les parties de son corps, et où l'ennemi avait son rendez-vous pour le prendre et le conduire au Calvaire. Car il se lève de cette sainte et dernière table où il a fait l'Eucharistie, pour aller aux agonies de la mort, qui le saisiront en ce jardin, et se lève avec cette belle parole : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* 14[31]). Et certes, vu et considéré que le Fils de Dieu n'aura pas attendu de S'OFFRIR A LA MORT à l'instant seul de sa souffrance, et que sa charité aura prévenu et devancé la malice et la rage des Juifs[1], et que nous le voyons en ce dernier souper n'avoir autre propos en la bouche avec ses apôtres que de sa mort et passion, et qu'il la voyait présente au cœur et au dessein de Judas, qui était avec lui en la même table, et qu'il faisait même lors un mémorial perpétuel de cette souffrance, et qu'il donnait en cette pâque nouvelle et chrétienne le même agneau qui devait mourir pour notre rédemption en la croix : est-ce chose si éloignée de la dignité de Jésus-Christ instituant les merveilles de l'Eucharistie, ou du mystère de la croix, qui est si proche et si conjoint à celui-ci, ou de la relation de ses mystères par ensemble (comme si c'était un autre et non le même Sauveur que nous voyons au cénacle de Sion faisant l'Eucharistie, et au Calvaire souffrant mort et passion), qu'il faille donner la géhenne à vos esprits pour vous faire croire qu'il a plu à Notre-Seigneur en l'acte de son Testament se SOUVENIR DE SA MORT, et en présenter à Dieu l'OFFRANDE et l'ACCEPTATION VOLONTAIRE, lorsqu'il en institue le sacrement et le mémorial perpétuel ? Si vous voulez vous laisser conduire à la lumière de ses paroles, elles vous disent clairement : *Ceci est mon corps, lequel est donné pour vous* ; *ceci est mon sang, lequel est répandu pour vous* (*Luc.* 22[19]), qui sont paroles d'oblation et de sacrifice. Car être donné pour nous, et être offert pour nous, sont choses équipollentes » (*Discours II, du sacrifice de la Messe célébré en l'Eglise chrétienne*, chap. 12. Œuvres complètes, éd. Migne, Paris, 1856, p. 700-702.).

Recole Leonem Magnum citatum supra (Elucid. IV) : « Cum in Caiphae atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi, ille corporis et sanguinis sui ordinans sacramentum, docebat qualis Deo hostia deberet offerri. »

Potissimum in liturgiis expendendae sunt missae feriae quintae in coena Domini, refertae nomine atque vituperatione Judae, quasi ejus proditio cum coena arctissimo nexu sit connexa, passusque sit Christus proditoris commensalitatem ideo ut mundum redimeret. Sic praefatio missae serotinae in *Sacramentario gelasiano* : « ...Per Christum Dominum nostrum. Quem in hac nocte inter sacras epulas increpantem mens sibi conscia traditoris ferre non potuit, sed, apostolorum derelicto consortio, sanguinis pretium a Judaeis accepit, ut vitam perderet, quam distraxit[2]. Coenavit igitur hodie proditor mortem suam, et CRUENTIS MANIBUS PANEM DE MANU SALVATORIS EXITURUS ACCEPIT, ut saginatum cibo major poena constringeret, quem nec suprema pietas a scelere revocaret. PATITUR ITAQUE DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS FILIUS TUUS CUM HOSTE NOVISSIMUM PARTICIPARE CONVIVIUM, a quo se noverat continuo esse tradendum, UT EXEMPLUM INNOCENTIAE MUNDO RELINQUERET, ET PASSIONEM SUAM PRO SAECULI REDEMPTIONE SUPPLERET. Pascit igitur mitis Deus barbarum Judam, et sustinet in mensa crudelem convivam, donec se suo laqueo perderet, qui de magistri

1. Recole Gregorium Nyssenum *(Or. 1 in resurr.)* recitatum supra (Elucid. III).

2. « Distraxit », h. e. vendidit. Cf. Hugonis Menardi O. S. B. notam ducentesimam sexagesimam quintam in *Sacramentarium gregorianum* (P.L. 78, 319).

« sanguine cogitarat. O Dominum per « omnia patientem! O Agnum inter suas « epulas mitem! ADHUC CIBUM EJUS JU- « DAS IN ORE FEREBAT, ET AD LANIANDA « MEMBRA EJUS JUDAEOS ADVOCABAT. Sed « Filius tuus Dominus noster, tanquam « pia hostia, et IMMOLARI SE TIBI PRO « NOBIS PATIENTER PERMISIT, et pecca- « tum quod mundus commiserat relaxavit. « Per ipsum te, Domine, supplices depre- « camur, supplici confessione dicentes » etc. (*Sacram. gelas.*, l. 1, c. 40. P.L. 74, 1102. Ed. Wilson, p. 72. Cf. eamdem praefationem, paucissimis aut mutatis aut additis, in *Sancti Gregorii Magni libro sacramentorum*. P.L. 78, 82). Jam poterat utique Christus, dum coenat, offerre mortem suam, quae ipsi a concoenante traditore parabatur. « In ea nocte qua tradebatur, « immo seipsum tradebat... » (cf. supra, Elucid. III et VI).

SECTIO II. — CONFIRMATUR EX ALTERA CIRCUMSTANTIA COENAE QUAE FUIT CHRISTI ORATIO SACERDOTALIS.

Statim post coenam, priusquam ad dolores obeundos passionis procedat Christus, oratione quadam liturgica[1] interpellat Patrem : qua evolvit sui sacrificii vim, proprietates, fructus, eo fere modo quo Ecclesia postmodum erat per varias missae partes dilatatura sacrificationis suae brevissimae multiplicem enuntiationem adspectusque multifarios[2]. Liturgia igitur sua Pontifex noster coenam cum passione connectit, quasi duas unius sacrificationis partes : coenae enim innititur totus sermo, et totus de passione est atque in passionem vergit[3].

Nec dubitat Christus, ipso sermone durante, dicere : *Pro eis ego sanctifico me ipsum (Jo.* 17[19]*)* ; qua voce, ut a veteri-

1. Sic, explicans orationis versiculum nonum, Cyrillus Alexandrinus : « Mediat rursus, « ut homo, Dei et hominum reconciliator atque « mediator ; atque magnus vere et sanctissimus « pontifex noster suis precibus proprii Genitoris « placat animam, se ipsum pro nobis sacrificans « (ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἱερουργῶν). Ipsa enim hostia et « ipse sacerdos, ipse mediator, ipse irreprehen- « sibile sacrificium, agnus verus tollens pecca- « tum mundi. » Et reliqua (Cyril. Alex. *In Joan. Evangel.* l. 11, c. 8, ad vers. 17[9-11]. P.G. 74, 505-508). Adeo liturgica oratio, ut Beda conjecerit, affirmaveritque Alcuinus, eam esse ipsum hymnum, quo dicto, vel (ut ipsi aiunt) decantato, Dominus exierit in montem Oliveti. (Beda, *In Marci Evangelium expositio*, l. 4. P.L. 92, 273 ; Alcuinus, *Epist.* 164, P.L. 100, 430). Sobrie magis indolem orationis liturgicam praedicat Rupertus Tuitiensis : « Ut quid « vero haec loquitur, et haec orat Pontifex ipse « et hostia salutaris ? » Deinde ad versiculum vigesimum sextum : « Haec pontifex summus, « propitiator ipse et propitiatorium, sacerdos et « sacrificium, pro nobis oravit, et vultus ejus « non sunt amplius in diversa mutati. Non enim « cessantibus verbis validus cordis ejus clamor « conquievit, cum potius verbis illis tantum « significaverit, qua causa vel intentione sus- « tinere habet protinus vincula, probra, alapas, « sputa, flagella, spineam coronam, crucem, « clavos atque lanceam, fellis et aceti poculum, « per omnia tacens, et non aperiens os suum » (*Comment. in Joannem*, l. 12. P.L. 169, 757 et 764). Ceterum, ut ait Knabenbauer (in h.l.) : « Recentiores quoque magno consensu hanc « orationem appellant orationem summi sacer- « dotis, orationem Christi sacerdotalem, ponti- « calem... qua suum consecrat sacrificium ejus- « que fructus a Patre efflagitat. »

2. « Comme il convenait à la situation et à « la nature même des choses, la prière par la- « quelle Jésus " se consacre lui et les siens " est « grave jusqu'à la solennité. Ici encore elle « semble préluder aux oraisons de l'Église. On « a dit que le chapitre XVII de saint Jean est « " un modèle de supplication liturgique ". « L'observation ne manque pas de justesse, et « l'analogie se comprend sans peine. Une des « premières préoccupations de la liturgie chré- « tienne a dû être de reproduire les formules « et les gestes du Christ en prière » (Durand, *Le discours de la Cène*, in. *R. S. R.* novembre-décembre, 1911, p. 525-526). Conferas ea quae scribit Cyril. Alexandr. in *Matth.* 26[27] et in *Luc.* 22[19] (P.G. 72, 452 et 908), perpendenda infra a nobis (Elucid. XXXV) : dominicam gratiarum actionem fuisse typum nostrarum anaphorarum.

3. « Terminato magno prolixoque sermone, « quem post coenam Dominus de fundendo « pro nobis sanguine proximus passioni ad disci- « pulos habuit, qui cum illo tunc erant, adjuncta « oratione quam direxit ad Patrem pro suis ; « deinceps ejus passionem Joannes evangelista « sic orsus est : *Haec cum dixisset Jesus, egressus* « *est cum discipulis suis trans torrentem Cedron* » (Alcuinus, *In Joan.* 17[28] et 18[1]. P.L. 100, 968). Sicque exegetae communiter. Certissime videtur rejicienda singularis sententia Ruperti Tuitiensis putantis hanc fuisse orationem prolixiorem a Domino in horto (cf. *Luc.* 22[43]) factam (op. cit. col. 750-751).

s accepimus[1], et consentiunt recentiores ines[2], sacrificium denotat passionis ; et men non immerito usurpatur a Christo b coenam tempus praesens : praesens im est sacrificium, et decurrit a coena crucem usque opus nostrae redemp-nis.

ctio III. — Confirmatur ex tertia circumstantia coenae quae fuit profectio ex coenaculo in hortum.

Haec cum dixisset Jesus, egressus est m discipulis suis trans torrentem Cedron, i erat hortus, in quem introivit ipse oan. 18[1]), atque oravit, dicens : *Pater* , SI POSSIBILE EST, *transeat a me calix iste*; *umtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* latth. 26[39]). Ubi apparet jam Christo isse secundum quid IMPOSSIBILE de-nare, et secundum quid INVOLUNTA-UM bibere calicem passionis. Porro an-quam Christus coenaret, omnia sonabant ertatem, vehementissimumque se tra-dendi pro nobis deisderium. Nunc premitur NECESSITATE succumbendi INVITUS. Vellet non debere, quod debet jam velle. Ratio est, quia interim se tradidit ad mortem coenando. Voluntarietas et libertas oportebat ut in oblatione potissimum eluceret ; qua facta, NECESSITAS[3] jam instat Christo, vel invito, ID REDDENDI QUOD OBTULIT. Quod enim Domino est oblatum, Domino debetur ; nec sacrum quid factum licet a Deo recuperare. Calicem igitur mortis, ad quem in calice sanguinis se voverat Christus, nunc ebibere debebat ; nec poterat qui se obtulerat ad immolationem, immolatione non devoveri. Unde concludas quomodo fuerit et non fuerit Christus immunis ab obligatione moriendi pro nobis ; immunis scilicet ante coenam ; post coenam autem jam non immunis[4].

Neque hoc fugit Patres, qui non solum inde probant voluntariam et spontaneam esse passionem Christi, quod ipse, nullam adhuc vim passus, se ultro in coena sacrificet, et quasi passioni deputet[5] ; sed etiam,

1. Chrysostomus : « Quid est : *sanctifico ne ipsum* ? OFFERO TIBI SACRIFICIUM (προσφέρω σοι θυσίαν)... Sacrificium enim eum suum subindicasse, cum diceret : *sanctifico*, manifestum est ex sequentibus... Quandoquidem enim pro iis moriebatur (dixit vero : *pro iis sanctifico meipsum*)... » (*In Jo.* 17[19–20]. P.G. , 443). Cyrillus Alexandrinus in eumdem cum (P.G. 74, 544) et in *Jo.* 6[51] (cf. supra Elu-l. VI), atque in libro 10 de *Adoratione in iritu et veritate* (P.G. 68, 688), ubi haec prae-ra leguntur : « Cum dicit : *sanctifico*, hoc significat : OFFERO (προσάγω) AC DEVOVEO (ἀνατίθημι) meipsum oblationem immaculatam Deo et Patri. Sanctificari enim dicitur quod Deo dicatur. » Rupertus (*In Levit.*, l. 2, c. 5. L. 167, 791): « De sanguinis sui sanctificatione in evangelista Joanne, continuo sanguinem fusurus, dicit : *Et pro eis sanctifico meipsum.* » S. Thomas (in h. l.) : « *Sanctifico me*, id est, offero me sacrificium. »

2. Praeclarissimus omnium fortasse Caje-nus : « *Et pro eis sanctifico meipsum.* Ecce OFFICIUM PRAESENS quo Jesus sanctificat seipsum, PASSIONE et MORTE OFFERENDO SE pro eis. *Sanctifico*, i. e. DEPUTO MEIPSUM DEO PRO EIS ; hoc est enim offerre et sacrificare seipsum Deo pro eis » (in h. l., op. cit., fol. l D). Coaetaneis nostris a Knabenbauer (in l.) laudatis addendi sunt : Calmes (in h. l., 415-416) : « Le verbe ἁγιάζω signifie tantôt l'oblation d'une victime, tantôt la purification « ou la sanctification qui résulte de cette of-« frande ; il est appliqué aux apôtres selon cette « dernière signification, mais lorsque le Sauveur « se l'applique à lui-même il a en vue son immo-« lation volontaire... Je m'offre moi-même en « sacrifice pour qu'ils soient consacrés en vé-« rité. » Durand (loc. cit., p. 539) : « Dans la « prière suprême du Grand-Prêtre de la nouvelle « alliance, on n'a aucune peine d'entendre les « paroles : *Je me consacre moi-même*, du sacrifice « salutaire de la croix. » Scribit Loisy : « Le « double sens du mot " consacré ", donne lieu « à une sorte de jeu de mots : le Christ se con-« sacre lui-même, c'est-à-dire SE VOUE A LA MORT « EN QUALITÉ DE VICTIME, pour que les disciples « soient consacrés, c'est-à-dire sanctifiés, donnés « à Dieu, et unis à lui par l'esprit que Jésus leur « communiquera » (op. cit., p. 808-809). Revera nulla est aequivocatio (« jeu de mots ») in verbo *sanctifico*. Sanctificatio enim theothyti eadem est cum sanctificatione participantium theothytum : ex una enim altera trahitur, vehiturque per cibum in cibatos sanctitas ipsa divina.

3. Agitur de necessitate morali, seu obligatione, non de necessitate psychologica, quae adimat electionem.

4. Vide ad calcem capitis *Appendicem* de habitudine Christi ad obligationem moriendi (Elucid. VIII).

5. Ita auctor, quicumque est, decimae inter homilias sancti Cyrilli Alexandrini in mysticam

et maxime, ex coena passioni praemissa manifeste ostendunt cur jam non fuerit Christo post coenam integrum ut passionem declinaret.

Sic Aphraates, loco jam supracitato, postquam Dominum ostendit ante coenam liberum ab omni necessitate, deinceps exhibet eumdem potestate aut certe jure se coram inimicis defendendi privatum, ut qui reputandus esset ratione coenae mortuus. Recitata enim institutione eucharistiae, sic pergit : « Porro NONDUM COM« PREHENSUS FUERAT DOMINUS. Hisque « dictis, surrexit e loco ubi pascha fecerat, « et corpus suum in escam dederat sangui« nemque in potum, et ivit cum discipulis « suis ad locum UBI COMPREHENSUS EST. « Qui autem corpus suum manducavit et « bibit suum sanguinem, CUM MORTUIS RE« PUTATUR. Dominus autem suismet ma« nibus corpus suum praebuit manducan« dum, et priusquam crucifigeretur san« guinem suum potandum dedit... Cum « vero eum judicarent, nil locutus est ne« que ullum verbum judicantibus se pro« tulit. Loqui utique poterat et respon« sum dare ; at IMPOSSIBILE erat, EUM QUI « CUM MORTUIS REPUTABATUR, LOQUI » (*Demonstratio XII*, *de Paschate*, n. 6. P. S. pars 1, tom. 1, col. 517).

Aliquid affine habet sanctus Ephraem in *Evangelii concordantis expositione* (ed. Moesinger, 1876, p. 229-230) : « *Pater « transeat a me calix iste.* Qui mortem suam « per suos prophetas descripserat, et « mysterium mortis suae in suis justis « praefiguraverat, quando tempus venit « ut ipse mortem subiret, CERTE MORTEM « NON RESPUIT, NEC CALICEM EJUS BI« BERE RECUSAVIT... Immo et vespere, « QUA NOCTE SE IPSE TRADIDIT, corpus « suum apostolis suis distribuit, et sangui« nem suum discipulis suis dispensavit, et « mandatum eis dedit ut hoc in memoriam « istius passionis facerent. » Ubi Christum non repugnasse absolute passioni, inde probat sanctus Ephraem, quod non solum Dominus ipse suam passionem praeordinaverat, sed etiam ad illam se, conficiens sacramentum, tradiderat, nec proinde poterat velle se ab ea retrahere.

Quod idem sanctus LEO M. expressis verbis declarat : « Ait : *Pater*, *si fieri potest*, « *transeat a me calix iste (Matth.* 26^{30}*).* « Ubi non existimandum est quod Do« minus Jesus passionem et mortem, CU« JUS JAM DISCIPULIS SACRAMENTA TRA« DIDERAT, voluerit declinare » (*Sermo* 58, c. 4, P.L. 54, 335)[1]. Pariterque S. Paschasius Radbertus (*Expositio in Matthaeum*, l. 12. P.L. 120, 908), super illud : *Si possibile est*, *transeat calix iste* : « Num« quid ergo pati nolebat, qui paulo supe« rius SANGUINEM CORPORIS SUI FUNDEN« DUM *in remissionem peccatorum* CONSE« CRARAT ? »

coenam (verisimiliter ipse S. Cyrillus, quanquam sub finem interpolata sunt nonnulla polemica circa illud : ὁ εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος) : « Concurra« mus ad mysticam coenam... Vitulus saginatus « immolatur, non ab inimicis Dei hodie, sed a « seipso, ut ostendat SPONTANEAM esse saluta« rem passionem » (*Homilia* 10 *in mysticam coenam.* P.G. 77, 1017). Antea jam Chrysostomus (in *Matth.* 26^{26}, Hom. 82, n. 1. P.G. 58, 738) : « ... Gratiasque agit, docens nos quomodo opor« teat hoc mysterium celebrare, OSTENDENS SE « NON INVITUM AD PASSIONEM VENIRE. »

1. De Patribus plura in Appendice A, proxime sequente.

Elucidatio VIII.

Illustratur exhinc doctrina Patrum et Theologorum de habitudine Christi ad obligationem moriendi.

APPENDIX A.

De habitudine Christi ad obligationem moriendi.

Quaeritur qua ratione Christus fuerit, et non fuerit, immunis ab obligatione mortis subeundae[1].

I. — *Sententia negans obligationem.*

Primo. Patrum negatio.

Immunem Christum ab obligatione respectu mortis subeundae affirmant plurimi Patres.

Imprimis Hilarius, inde potissimum repetens praestantiam sacrificii Christi super omnia sacrificia veterum : « *Voluntarie sacrificabo tibi.* Legis sacrificia, « quae in holocautomatis et oblationibus « hircorum atque taurorum sunt, NON « HABENT IN SE VOLUNTATIS PROFESSIONEM : quia maledicti sententia legem « decreta sit violantibus. Quisquis enim « a sacrificio destitisset, ipse obnoxium « se efficiebat esse maledicto (*Deuteron.* « 27[21]). NECESSE ERGO ERAT EFFICI QUOD « FIEBAT : quia sacrificii negligentiam « maledicti non admittebat adjectio. A « quo maledicto nos Dominus noster Jesus « Christus exemit, Apostolo dicente : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus* « *pro nobis ipse maledictum, quia scriptum* « *est : maledictus omnis qui pendet in ligno* « (*Gal.* 3[13]. cf. *Deuteron.* 21[23]). Maledictorum se ergo obtulit morti, ut male« dictum legis dissolveret, HOSTIAM SE « IPSE DEO PATRI VOLUNTARIE OFFE« RENDO ; ut per HOSTIAM VOLUNTARIAM « maledictum, quod ob HOSTIAE NECES« SARIAE et intermissae reatum erat addi« tum, solveretur » (*In Psalm.* 53, n. 13. P.L. 9, 345).

Hanc quaestionem ex professo movet Nazianzenus (*Or.* 45 *in s. Pascha*, n. 22, P.G. 36, 653), « a multis quidem, inquit, « neglectam, meo autem judicio studiose « perquirendam » : « Qualiter rationabile « est, Unigeniti sanguine delectari Pa« trem, qui ne Isaac quidem a patre obla« tum acceperit, sed commutaverit sacri« ficium, arietem procurans in locum ratio« nalis victimae ? Perspicuum utique est : « Patrem accepisse quidem, non tamen « quod petierit (οὐχ' αἰτήσας). »

Totus Cyrillus est in ostendendo : Patrem circa passionem et mortem Filii sui nihil aliud egisse, nisi quod volenti Filio pati ipse consenserit, et volentes Judaeos saevire in Christum, siverit. Sic, in Johannem : « Desuper esse Pilato datam « potestatem [Christus] asserit, non quasi « Deus ac Pater proprio Filio citra ejus « voluntatem (ἀβούλητον) passionem in « cruce experiendam imposuerit, sed eo « quod Unigenitus quidem IPSE SE DEDIT « AD PATIENDUM pro nobis, Pater autem « SIVIT IN EO IMPLERI MYSTERIUM. No« mine igitur datae potestatis hic eviden« ter intellegitur atque asseritur et Patris « complacitum atque consensus, et ipsius « Filii voluntas » (*In Jo.* 19[11]. P. G. 74, 641). Ubi evidenter agitur de Christo ut homine, cum opponat Cyrillus inter se haec duo : voluntatem Filii, et meram permissionem Patris.

Rursus in *Zachar.* 13[7] : « Posuit igitur « animam suam libens pro nobis, SUAE « EUM, UT HOMINEM, VOLUNTATI TRADENTE, « ut ita dicam, DEO ET PATRE, atque veluti « PERMITTENTE, ut dixi, ut sanguine suo

1. Adverte, prudens lector, hic minime disputari de LIBERTATE PSYCHOLOGICA Christi, sed solummodo de LIBERTATE MORALI. Non quaeritur scilicet quomodo obligationi moriendi (semel admissae) coexstiterit in Christo (absolute impeccabili), respectu mortis eligendae, potestas se determinandi absque ulla necessitate psychologica. Quaeriter solum subjacueritne Christus tali obligationi moriendi, et quomodo, et unde.

« omnium vitam emeret » (P.G. 72, 236). Tandem in *Ps.* 68²⁷ : « QUIA Filium pati « SIVIT, eumdem tradidisse dicitur. Passus « autem est Filius non ex necessitate, sed « lubens ; erat enim ejus passio salutaris... « Non igitur quia Pater, pro sua optima « providentia, in mortem, sicut praedefi- « nitum erat, tradidit Filium, idcirco « impunes censendi sunt, qui illi ministra- « verunt voluntati. Non enim ut Deo « gratificarentur, id agere studuerunt... « Ipse quidem se humiliavit ; illi autem « morte eum afflixerunt » (P. G. 69, 1173) [1].

Cyrillo praeierat Chrysostomus, explicans suo modo illud : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem (Hebr.* 12²*)* : « *Venit mundi princeps, et in me non habet* « *quidquam* : poterat ergo, si voluisset, non « venire ad crucem » (*In Epist. ad Hebr.* hom. 28, n. 2. P.G. 63, 194). Quem videtur secutus Ambrosius : « Potuit enim « Christus non mori, si voluisset ; sed neque « refugiendam mortem quasi ignavam pu- « tavit, neque melius nos quam moriendo « servasset » (*De excessu fratris sui Satyri*, l. 2, c. 45. P.L. 16, 1327). Certo secutus est Theodoretus : « Potuisset, inquit [Scrip- « tura], non pati, si voluisset » (*In Ep. ad Hebr.* 12². P.G. 82, 769).

Similiterque auctor ignotus commentarii in *Epistolam ad Hebraeos* perperam Oecumenio attributi : « Ipsi, inquit [Scriptura], « licuisset cum gaudio et gloria degere in « hoc mundo ;... sed non voluit ; immo « voluntarie crucem sustinuit » (*In Ep. ad Hebr.* 12². P.G. 109, 424).

Nobis hujus sententiae imago quaedam resonat apud Theodorum Andidensem, verbis fere Nazianzeni expressa : « Postulat episcopus ut gratum sit Deo « Patri sacrificium Filii ejus unigeniti « qui sacrificatur. Etenim hic qui sacrifi- « catur, in honorem sui Patris se obtulit « in hostiam, quamvis id non exigeret « Pater (ἑαυτὸν εἰς θυσίαν ἀπέδωκεν, καὶ ταῦτα « μὴ αἰτήσαντος τοῦ Πατρός) » (*Brevis commentatio de divinae liturgiae symbolis ac mysteriis*, n. 19. P.G. 140, 444).

Eamdem doctrinam luculenter tradit divus Anselmus : « Hanc vitam homo « iste, cum ex debito mori non deberet, « quoniam peccator non erat, SPONTE DE- « DIT DE SUO AD HONOREM PATRIS : cum « eam sibi auferri propter justitiam per- « misit... Dedit itaque humana natura « Deo in illo homine sponte, et non ex « debito, quod suum erat, ut redimeret se « in aliis, in quibus quod ex debito exige- « batur, reddere non habebat... Nec hu- « mana natura in isto homine passa est « aliquid ex necessitate, sed sola libera « voluntate ;... NEC ULLA COGENTE OBE- « DIENTIA, sed potenti disponente sapi- « entia. Non enim illi homini Pater ut « moreretur cogendo praecepit ; sed ille « quod Patri placiturum et hominibus « profuturum intellexit, hoc sponte fecit. « Non enim ad hoc eum cogere potuit « Pater, quod AB EO EXIGERE NON DE- « BUIT ; nec Patri tantus honor potuit « non placere, quem tam bona voluntate « Filius SPONTE OBTULIT... Sic homo ille « redimit omnes alios, cum hoc, quod « SPONTE DEDIT DEO, computat pro debito « quod illi debebant » (*Meditatio* 11. P.L. 158, 766).

Bernardus, verbis paucis, sed profundis : « NON REQUISIVIT Deus Pater « SANGUINEM Filii, sed tamen ACCEP- « TAVIT OBLATUM ; non sanguinem sitiens, « sed salutem ; quia salus erat in sanguine. « Salus plane, et non, sicut iste sapit et « scribit, sola charitatis ostensio » (*De*

1. Multum similiter apud Latinos Ambrosiaster, in *Psalm.* 5² : « Deus illum tradidisse « dicitur, dum illum occidi permisit, sicut dicit « Dominus ad Pilatum : *Non haberes adversum* « *me potestatem, nisi tibi data esset desuper.* « Data est enim ei, sed volenti, potestas ; hoc « est, permissum est illi facere quod voluit, et « hoc est tradere : dum enim dissimulat, tradit ; « si enim noluisset permittere, non fuisset occi- « sus. Permisit ergo occidi eum, sed ab eis qui « eum volebant non coacte, sed sponte occidere. « Non ergo immunes a poena sunt, quia hoc « eis permissum est, quod volebant ; damnatio « enim in eo competit, quia voluerunt. Quod ideo « tamen permisit Deus, quia scivit adversum « diabolum profuturum multis » (P.L. 17, 394, secundum probabiliorem lectionem).

erroribus Abaelardi, c. 8, n. 21-22. P.L. 182, 1070).

Secundo. Patristica solutio objectionis scripturisticae.

Quod si objicies praecepta illa Patris quae saepius in vita sua commemoravit Christus, tibi occurrit Chrysostomus, scribens : « *Hoc praeceptum accepi a Patre.* « Quodnam ? Ut moriar pro mundo. Num- « quid exspectavit donec audiret, et tunc « acquievit, aut opus habuit discere ? Ec- « quis sanus hoc dixerit ? Verum... cum « dicit se praeceptum accepisse a Patre, « nihil aliud declarat quam Patri placere « quod ipse facit : ne occisum postea illum, « a Patre putarent derelictum et proditum... « Jam prius dixerat : *Bonus Pastor ani-* « *mam suam ponit pro ovibus*, his ostendens « oves esse suas, et opus gestum totum esse « suum, nec se egere praecepto » (*In Jo.* hom. 60, n. 2 et 3. P.G. 59, 331 ; cf. hom. 76, n. 2, super *Jo.* 15^{10}, col. 412).

Nec dissonat Cyrillus Alexandrinus : « Ubinam aut quale, inquit, Patris « mandatum servaverit [Christus]... quae- « rendum venit. Adsit ergo Paulus sapi- « entissimus, et aperiat mysterium, di- « cens : ...*Humiliavit semetipsum factus* « *obediens usque ad mortem, mortem autem* « *crucis*... Siquidem enim Deus et Pater « omne genus hominum corruptum sal- « vare statuerat, neque id ab ulla creatu- « ra fieri poterat, cum creaturarum vires « longe excederet, ipse dispensationem illam « subivit cognoscens Dei et Patris volun- « tatem Deus Unigenitus. Ita autem des- « cendit in voluntariam infirmitatem, ut « ad mortem usque, eamque turpissimam, « se demitteret... Habes igitur in volun- « taria obedientia voluntatum Patris adim- « pletionem : quas loco mandatorum ait « esse apud se Filius. Nam cum Patris « consilia, ut Verbum, intellegat, ejusque « profunda sectetur, immo vero cum sit « sapientia ac virtus Patris, voluntatem « ejus ad opus perducit, mandati loco eam « habens, atque ita humano more eam « nuncupans » (*In Joan.* 15^{9-10}. P.G. 74, 373).

Talia equidem oracula Cyrilli Rev^mus^ Janssens (*Summa Theologica*, etc., t. 5, p. 721-722), secutus clarissimum Pesch (*De Verbo Incarnato*, n. 339), videtur sibi evacuare per hanc exceptionem : « Vole- « bant quippe [Patres] aequalitatem Filii « cum Patre tueri contra Arianos, ex man- « dato ad inferioritatem et coactionem in « Filio arguentes » ; miratur praeterea, « Petavium, Cardinalem Franzelin, Sten- « trup, aliosque hoc non satis percepisse ». At vero tempore Cyrilli cum Nestorio res agebatur : nec proinde erat tuenda aequalitas Verbi Divini ad Patrem, sed unitas hominis atque Verbi : quae ex hoc impugnabatur, quod homo subjacebat Dei mandatis. Hanc subjectionem explicat praedicto modo Cyrillus. De homine ergo Christo prorsus agit illic, data opera.

Nec sane praescriptionem istiusmodi ipse cl. Janssens opposuerit doctrinae Anselmi, consonae omnino solutionibus Chrysostomi et Cyrilli : « Sic itaque Pa- « tri liberam obedientiam exhibuit, dum « hoc quod Patri placiturum scivit, sponte « facere voluit. Denique quoniam Pater « illi hanc bonam voluntatem dedit, quam- « vis liberam, non immerito dicitur quia « eam ille velut praeceptum Patris acce- « pit. Hoc itaque modo obediens fuit usque « ad mortem ; et sicut mandatum dedit illi « Pater, sic fecit ; et calicem quem dedit illi « Pater, bibit. Haec est enim perfecta « et LIBERRIMA HUMANAE NATURAE OBE- « DIENTIA, cum voluntatem suam liberam « sponte voluntati Dei subdit, et cum ac- « ceptam bonam voluntatem, SINE OMNI « EXACTIONE, spontanea libertate opere « perficit » (loc. cit.).

Juxta verum igitur Patrum sensum interpretabatur sanctus Thomas illud Pauli : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, cum scriberet : « Tradidit eum Pater « in mortem, eum INCARNARI ET PATI « STATUENDO, et humanae ejus volun- « tati inspirando caritatis affectum, qua « passionem SPONTANEUS subiret : unde « SEIPSUM TRADIDISSE DICITUR (*Eph.* « 5^2) » (*In Rom.* 8, lect. 6). Ubi statu-

tum illud Patris, ex aequo respiciens incarnationem et passionem, nullum potest intellegi praeceptum ; cum constet non praecepisse Deum Verbo ut incarnaretur. Accipiendum igitur pro aeterna ordinatione atque praedefinitione. Conferatur explicatio uberior, quam dat sanctus Thomas in *Summa Theologica* (3 S. 47, 3, o) ; ubi, ex parte Dei Patris, praedefinitioni illi mortis atque inspirationi voluntatis nihil additur nisi mera permissio deicidii.

Quare ad mentem et sancti Thomae et Patrum, Suarez, praecepta omnia illa, quae Scriptura commemorat Patris ad Christum, ad praedefinitiones revocans, dicit : « Christum voluntate humana nihil « voluisse, nisi secundum quod eum velle « voluntas divina disposuit, secundum « illud *Joan.* 8[29] : *Quae placita sunt ei* « *facio semper* » ; et « Christum secundum « voluntatem rationis nihil voluisse, nisi « quod scivit Deum velle » ; nihilominusque addit : « Ad obligationem praecepti, ne- « cesse est ut superior et statuat obligare « inferiorem ad aliquid faciendum, EAM- « QUE VOLUNTATEM PRACTICE ET IMPE- « RANDO INTIMET INFERIORI... Aliud ergo « est Deum praedefinire meum actum « voluntatis, aliud velle me obligare ad « talem actum. Quanquam ergo Christus « Dominus clare videret voluntatem Dei « praedefinientem omnes actus suos, non « ideo videbat se teneri ex praecepto ad « illos faciendos » (*De Incarnatione*, pars 1, disp. 37, s. 4, n. 9). Potuit sane Deus praedefinire Christum, etiam conscium, ad multos actus nulla ex parte obligatorios. Neve dixeris praedefinitiones, si innotescant, eo ipso esse vera praecepta. Nam, cum secundum veriorem omnino sententiam, omnes actus Christi fuerint praedefiniti, nec fugerit eum praedefinitio illa, sequeretur hoc absurdi, quod omnes fuissent Christi actus praecepti, nec potuisset Christus quicquam agere nisi sibi imperatum. Ubi hac te sententia percellit Basilius : « Si nihil Salvator a seipso « facere poterat, SED IMPERANTE PA- « TRE (ἐπιτάσσοντος τοῦ Πατρός), nec bo- « nus est nec malus. Nullius enim eo- « rum quae facta sunt, causa est. Et « quomodo absurdum non fuerit, homines « quidem et bona et mala libere facere, « Filium vero, qui Deus est, nihil libere « facere ? » (*Adversus Eunomium*, l. 4, P. G. 29, 697). Quae argumentatio quanquam ex intentione Basilii solam fortasse Christi naturam superiorem respicit, tamen, si quid valet, valet etiam respectu humanae naturae. Quia autem notitia praedefinitionum pertinet in Christo homine, non ad subjectionem humilitatemve, sed ad dignitatem et excellentiam Filii Dei, ideo recte cardinalis Franzelin scribere potuit : « Mandata haec esse con- « silia aeterna, quae Pater communicat « Filio, non praecipiendo, sed generando » (*De Verbo Incarnato*[3], p. 445). Quae per visionem intuitivam decebat utique innotescere intellectui Christi humano.

Quare objectione ex scripturisticis praecepti assertionibus dimissa, liceat addere : immunitatem ab obligatione respectu mortis obeundae etiam suaderi ex *Isaia* 53[10], ubi, SI OBTULERIT SE CHRISTUS IN SACRIFICIUM, praedicitur gavisurus posteritate aeterna, hominibus scilicet redemptis. Quo ipso genere loquendi optio quaedam insinuatur, nulla scilicet asserta necessitate sacrificii offerendi nisi ex suppositione volitae ab ipso redemptionis nostrae.

Ex doctrina igitur Patrum, 1° rejicienda videtur quaevis intimatio PRAECEPTI POSITIVI ex parte Patris relate ad Christum ; 2° immunis ab obligatione videtur Christus SE TRADIDISSE ad mortem[1].

II. — *Sententia affirmans obligationem.*

Nihilominus, quantumvis ex Patribus comprobetur Christus liber ab omni obligatione respectu mortis obeundae, tamen ipse se obligatum fatetur, cum in horto,

1. Theologorum plurimorum recentiorum huic sententiae addictorum vide recitata nomina a cardinali Franzelin (op. cit., p. 450) ; addendusque cardinalis Billot (*De Verbo incarnato*, th. 28 et 29).

voluntatem Patris suae contrariam flectere satagens, nequit, aut calicem testatur se non posse repellere, non quasi carentem potestate, sed utique adstrictum officio.

Praeterea fatendum est a Paulo in passione et morte ejus aliquod verae obedientiae genus laudari : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* 2^{8}). *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi* (*Rom.* 5^{19}). Quibus testimoniis adde ex *Epistola ad Hebraeos* istud : *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam* (*Hebr.* 5^{8}).

Amplius, istud ipsum testantur Patres iidem quos pro immunitate ab obligatione advocavimus. Sic Hilarius, explicans quo sensu Filius Patrem majorem se dixerit : « Totum hoc ad paterni mandati « referens obedientiam, subjecit : *Sed ut* « *sciat mundus quoniam ego diligo Pa-* « *trem, et sicut mandatum mihi dedit Pa-* « *ter, sic facio : surgite, eamus hinc.* Ad « consummandum corporeae passionis sa- « cramentum, per dilectionem efficiendi « mandati paterni, festinat exsurgens » (*Trin.* l. 9, c. 55. P.L. 10, 316).

Ambrosius in officiis Christi computat ejus obedientiam, sicut in nostris nostram : « Obedientiam Filii objicere so- « lent [Ariani], quia scriptum est : *Et* « *specie inventus ut homo, humiliavit se-* « *metipsum, factus obediens usque ad mor-* « *tem* (*Phil.* 2^{7-8}). Et *hominem* praemisit, « et *usque ad mortem* dixit : ut intellege- « remus obedientiam mortis non divini- « tatis fuisse, sed incarnationis : in qua et « OFFICIA NOSTRA suscepit et nomina » (*De Fide*, l. 2, c. 10. P.L. 16, 578).

At validius Cyrillus simul adserens liberum Christi in eligenda passione arbitrium, negat fuisse ei fas passionem refugere. Sic in illa verba : *Pater, si vis, transfer a me hunc calicem. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* (*Luc.* 22^{42}) : « Certe, « inquit, non erat ei involuntaria passio ; « ceteroquin etiam gravis, propter igno- « miniam, et propter judaicae synagogae « ruinam... Quandoquidem autem IMPOS- « SIBILE ERAT PASSIONEM NON SUBIRE « (οὐκ ἦν μὴ ὑποστῆναι τὸ πάθος), elegit « illam, consentiente ei Deo et Patre... « Etiamsi enim quod accidit haud usque- « quaque libitum ipsi erat, nihilominus, « propter universalem salutem ac vitam, « voluntariam sibi fecit crucis passionem. » Et reliqua (*In Luc.* 22^{42}. P. G. 72, 920-924).

Nec discrepat sanctus Thomas : « Si « fuisset passus non ex obedientia, non « fuisset ita commendabilis : quia obe- « dientia dat meritum passionibus nostris. « Sed quomodo factus est obediens ? Non « voluntate divina, quia ipsa est regula ; « sed voluntate humana, quae regulata est « in omnibus secundum voluntatem pa- « ternam : *Verumtamen non sicut ego volo,* « *sed sicut tu* (*Matth.* 26^{39}). Et conveni- « enter introducit [Paulus] in passione obe- « dientiam, quia prima praevaricatio est « facta per inobedientiam... Sed quod ma- « gna et commendabilis sit haec obedientia, « patet : quia tunc est obedientia magna, « quando sequitur imperium alterius con- « tra nutum proprium. » Et reliqua (*In Philip.* 2^{8}). Ubi proprie dicta obedientia videtur exhinc intellegenda, quod negatur mors Christi claruisse eadem laude, si careret merito speciali illius virtutis.

III. *Solutio antinomiae.*

Igitur quaedam antinomia deprehenditur inter doctores fidei negantes ex una parte obligatoriam passionem, aut Christo ullum unquam impositum praeceptum, et eosdem adserentes Christo ex quadam vera obedientia incubuisse officium moriendi. Ad quam antinomiam solvendam duae considerationes inservient[1].

1. Multi moderni (quod nemo ignorat) « mandatum latum » quoddam finxerunt : quod sitne mandatum, proindeque et obligatorium ; an non sit obligatorium, proindeque nec mandatum, vereor ne parum liqueat. Praeterea, quatenus fuerit *mandatum*, videtur haud facile componi cum sententia negante Patrum, rem totam relinquente ipsi Christo integram, nec Patri nisi

Prima consideratio est : alia esse praecepta Dei positiva, alia praecepta legis naturalis. Quantumvis enim a Christo arceantur praecepta positiva, quasi ipsi specialiter imposita, sicut foret particulare praeceptum obeundae mortis, tamen immunis nunquam censeri potest ab obligatione legis naturalis, quam cum ipsis principiis suae naturae creatae quasi concreatam habet ac intimatam divinitus. Ad rem praeclarissime Anselmus, Bosoni objectori respondens : « Deus Pater, inquit, « non quemadmodum videris intelligere, « hominem illum tractavit, aut innocentem « pro nocente morti tradidit. Non enim « eum invitum ad mortem ille coegit aut « occidi permisit ; sed idem ipse sponte « sua mortem sustinuit, ut homines sal« varet. » Objiciente vero Bosone verba Scripturae de obedientia Christi, de mandato Patris, de confessione necessitatis in horto, atque concludente : « In his om« nibus plus videtur Christus obedientia « cogente, quam spontanea voluntate dis« ponente, mortem subiisse » ; reponit Anselmus : « Ut mihi videtur, non bene « discernis inter hoc quod fecit exigente « obedientia, et quod sibi factum, quia « servavit obedientiam, sustinuit non « exigente obedientia. *Boso* : Necesse « habeo ut hoc apertius exponas. *Ansel*« *mus* : Cur persecuti sunt eum Judaei « usque ad mortem ? *Boso* : Non ob aliud « nisi quia VERITATEM et JUSTITIAM vi« vendo et loquendo indeclinabiliter te« nebat. *Anselmus* : HOC PUTO QUIA DEUS « AB OMNI RATIONALI CREATURA EXIGIT ; « ET HOC ILLA PER OBEDIENTIAM DEO « DEBET. *Boso* : Sic nos fateri oportet. « *Anselmus* : HANC IGITUR OBEDIENTIAM « DEBEBAT HOMO ILLE DEO PATRI, ET HU« MANITAS DIVINITATI ; ET HANC AB ILLO « EXIGEBAT PATER. *Boso* : Hoc nulli du« bium est. *Anselmus* : Ecce habes quid « fecit exigente obedientia... Non ergo « coegit Deus Christum mori, in quo nul« lum fuit peccatum ; sed ipse sponte « sustinuit mortem, non per obedientiam « deserendi vitam, sed propter obedien« tiam servandi justitiam, in qua tam « fortiter perseveraverit, ut inde mortem « incurreret. » (*Cur Deus Homo*, l. 1, c. 8 et 9. P.L. 158, 370-371)[1]. Clara est mens Anselmi : subjectum fuisse Christum praeceptis illis legis naturalis, quibus tenetur homo sectari justitiam ; nec aliam ullam in passione et morte Christi intercessisse obligationem. Quod idem, si aeque perpendantur verba sancti Thomae modo recitata (in *Phil.* 2[8]), nobis reddunt, siquidem illam laudat sanctus Doctor in Christo obedientiam, quae solet nostris *passionibus* dare meritum. Porro non solemus subjacere praeceptis divinis specialibus oppetendarum passionum, sed utique subjacemus legi divinae qua praescribitur justitia et veritas, ut puta confessio fidei, ex qua magnae saepe oriuntur passiones, inde potissimum meritoriae quod subjectionis erga Deum argumenta sunt eximia illustresque partus. Sic igitur in passione et morte Christi intellegenda est obedientia, ut respiciat debitum legis naturalis.

Sed nondum inde antinomia plene soluta est. Quamvis enim propter justitiam, injustitiae suae adversantem, odio eum habuerint Judaei et persecuti sint, tamen cum posset ipse declinare hostes, ut saepe

meram adjudicante complacentiam. Quatenus autem fuerit *latum*, parum satisfacit illi assertioni Christi in horto se aientis constrictum voluntate paterna, quasi invitum.

Revera non videtur mihi posse ulla sententia satisfacere, nisi quae complexive adserat et immunitatem ab obligatione, et obligationis veritatem propriam : eo modo qui infra patebit.

1. Eamdem doctrinam Honorius Augustodunensis, vel quicumque est auctor *Elucidarii*, in compendium redegit his verbis : « Quare « mortuus est ? — Propter obedientiam, ut dici« tur : *Factus est obediens Patri usque ad mortem.* « — Cur occiderunt eum Judaei ? hoc volo a te « audire ? — Quia JUSTITIAM VIVENDO ET VERI« TATEM DOCENDO INDECLINABILITER TENUIT ; « HANC OBEDIENTIAM HUMANITAS DIVINITATI « DEBUIT, hanc Deus ab omni rationali exigit « creatura. — Quis unquam pater unicum et « bonum filium occidi permittat, si prohibere « queat ? — Cum Deus vidit Filium suum tam « egregium opus velle, scilicet saevum tyrannum « expugnare, et captivum ab eo liberare, ad « tam laudabile opus ei consensit, et eum mori « permisit » (*Elucidarium*, lib. 1, c. 20. P.L. 172, 1125).

jam in vita sua fecerat, aut certe non se illis ultro oggerere, non erit dicendus obiisse mortem obligatus lege naturali, nisi ostendatur UNDE EVASERIT ILLI ILLICITA MORTIS DEVITATIO, QUAE PRIUS FUERAT LICITA.

Altera consideratio igitur necesse est intercedat, quae haec est : posse aliquem citra omne mandatum positivum, obligari per legem naturalem ad aliquid nequaquam ex sese obligatorium, si ipse sponte sua contraxerit erga Deum circa negotium istud obligationem religiosam. Quod fit dupliciter : aut emissione voti[1], aut oblatione sacrificali alicujus hostiae ad immolationem. In priore casu, obligatur jam ad id faciendum, quod se vovit facturum ; in altero casu, tenetur ad hostiam devovendam immolatione, quam obtulit ad immolationem. Posterior autem obligatio longe sacratior apparet, cum nequeat aliquid, non promissum solum Deo, sed jam actualiter in mancipium Dei traditum, sine sacrilegio immani subtrahi aris. Porro voti emissio Christo affingi non posset nisi gratuito admodum et temerarie, cum nusquam in Scripturis sacris indicetur. At sacrificalis oblatio intercessit, nimirum in coena : qua peracta, obligatione religiosa adstringebatur Christus circa hostiam suam devovendam : id est, tenebatur vinculo officii, quovis alio gravioris, ad mortem pro nobis oppetendam, nec refugiendam.

Concilianturque hac via omnia quae a Magistris fidei didicimus :

1° Nullum unquam esse Christo impositum a Patre praeceptum moriendi.

2° Obligationem SE DANDI, TRADENDI, OFFERENDI ad mortem in sacrificium fuisse nullam (Isaias, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Cyrillus, Anselmus, Bernardus, sanctus Thomas).

3° Non caruisse tamen illum obligatione eundi ex coenaculo ad suam passionem (Hilarius), moriendi (Ambrosius), acceptandae in horto passionis (Cyrillus), parendi legi divinae ibidem usque ad mortem (S. Thomas).

Quam igitur obligationem, neque ex natura rei, neque ex mandato paterno ortam, restat ut Christus contraxerit, offerens se Deo ad mortem pro nobis in sacramento[2].

Quare omnia uno verbo Bernardus (loc. cit.) : « Non requisivit Deus Pater « sanguinem Filii, sed tamen ACCEPTAVIT « OBLATUM. »

1. Inter votum et sacrificium comparatio hic attenditur solum sub hoc respectu, quod utrumque inducit obligationem aliquam religiosam. Aliunde multa et magna intercedunt discrimina, inter quae haec duo notanda sunt : 1° quod emissio voti est in genere ORATIONIS, qua ENUNTIATUR promissio ; oblatio autem hostiae est in genere ACTIONIS, qua TRADITUR donum ; 2° quod emissio voti est promissio *de futuro* ; oblatio autem hostiae est datio *de praesente*.

2. Recolas, quaeso, locos Aphraatis, Ephraemi, Leonis M., Paschasii Radberti, supra (in Elucid. VII) recitatos. Congruenterque aliorum Patrum modo recitatorum locutiones IN OBLATIONE signant libertatem ; Hilarius, « hostiam « se... voluntarie offerendo » ; Cyrillus, « se « dedit ad patiendum» ; Anselmus, « se sponte « obtulit ».

Elucidatio IX.

Concluditur quaenam sit unitas ex coena et passione; quaenam ex apparente sacrificio panis ac vini, et reali sacrificio corporis atque sanguinis Christi; quaenam doctrinae de veritate sacrificii eucharistici, cum doctrina de realite dominicae praesentiae.

§ 6. Conclusio triplex.

Sectio I. — Cujusmodi unitas vigeat inter coenam et passionem.

Hic jam dirimenda venit quaestio, quae in superiore capite (Elucid. II) remanserat insoluta, ubi et quando Christus per prius oblationem peregerit sacerdotalem, sensibilem ac ritualem[1] suiipsius ad immolationem illam passionis perpetiendam, per quam redempti sumus. Etenim videmus eum in illa coena, ubi suum corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini exhibuit, « obtulisse se Deo immolandum « pro nobis ». Ergo jam in coena Christus ritualiter obtulit sacrificium suae passionis.

Coena igitur et crux inter se complent. In coena inceptum est sacrificium illud quod in cruce erat consummandum. Reperitur quidem immolationis realitas in passione mortis ; at in symbolica immolatione coenae elucet potissimum oblationis liturgicae proprietas[2].

Unum proinde numero fuit sacrificium redemptionis in cruce et in coena ; nec computandum unum sacrificium praeliminarium in coena, alterum in cruce succidaneum ; sed in coenaculo incruenta oblatio fiebat cruentae immolationis in calvaria perpetiendae. Fuit quippe illa repraesentativa seu similitudinaria immolatio, quam peregit Christus, OBLATIVA verae propriaeque immolationis, per quam erat manibus inimicorum occidendus. Sicque factum est ut, quemadmodum vetus liturgia gallicana[3] dicebat : offerente Christo, effigies immolationis in verum transiret

1. Memento, quaeso, agi de sacrificio proprie dicto, NEC METAPHORICO AUT MORALI TANTUM, qualis est mors martyrum sive Novae sive Veteris Legis, aut etiam cujuslibet hominis suam vitam propter virtutem in discrimen adducentis, utputa militis pro patria occumbentis.

2. Hocque sensu nobis arridet apud Dionysium Bar Salibi (*Expositio liturgiae*, c. 12, trad. Labourt, p. 72) laus « sacrificii illius quod « SACERDOTALITER COMPLEVIT Dominus noster « in coenaculo, vespere quo traditurus erat « seipsum pro nobis. Postquam enim legale « Pascha absolvit, vicibus functus est ARCHI- « SACERDOTIS. » Ceterum Patribus sollemne est congerere in Christum COENANTEM nomina sacerdotalia et pontificalia (« sacerdos et sacrificatorum princeps », Ephraem, Elucid. III ; « pontifex, ἀρχιερεύς, per mysterium », Athanas. probabiliter, certo Theodoretus, Elucid. V ; « pontifex noster », Cyrillus Al., Elucid. VII ; « pontifex summus », Rupertus, Elucid. V et VII), nomina utique majestatem ac dignitatem sonantia ; sicut solent PATIENTEM afficere nominibus immolatitiis, hostiae, victimae, sacrificii, detritionem sonantibus et abjectionem ejus qui fuit *vermis et non homo*.

Locis ex Ruperto modo allegatis hunc adde, quo sacerdotale munus et proprietas victimalis adeo dispartiuntur, ut haec passioni deputetur, alligetur illud coenae (*Comment. in Matth.*, l. 11, P.L. 168, 1579) : « Sacerdos et hostia ipse Chris- « tus est,... sed diverso respectu. Sacerdos nam- « que est, quia, sicut Apostolus dicit, ipse *assis-* « *tens Pontifex futurorum bonorum, per amplius* « *et perfectius tabernaculum non manu factum,* « *id est, non hujus creationis, neque per sanguinem* « *hircorum aut vitulorum, sed* PER PROPRIUM « SANGUINEM INTROIVIT SEMEL IN SANCTA, *ae-* « *terna redemptione inventa,* SACRIFICIUM PRAE- « FERENS PANIS ET VINI, SECUNDUM ORDINEM « MELCHISEDECH, IN SACRAMENTO CORPORIS ET « SANGUINIS SUI. » Hostia vero passionis multipliciter deinde assignatur. — Nota quam eviden- ter coadunet Rupertus sacrificium redemptionis cum litatione melchisedecica Christi in pane et vino eucharistico.

Eadem partitio sacerdotalis dignitatis et humilitatis victimalis nostris apologetis adversus Protestantes fuit in usu, ut patet inter alia per *Volumen acatholicum XX articulorum Confessionis augustanae editum a Jacobo Heilbronner... anno MDCVII, compendio recognitum et castigatum a* Sebastiano Heissio S. J. (Dilingae, 1608, art. 8, de sacrificio missae, p. 71-72) : « Sa- « crificium missae argumentaris folio 183 esse « contra sacramenti eucharistiae institutionem... « Sed tantum abest, ut verbis institutionis « repugnet sacrificium, ut hoc per illa ab ipso « Christo peractum sit. Nam qui semel in ara « crucis cruenta CECIDIT VICTIMA, idem verus « secundum ordinem Melchisedech SACERDOS ET « PONTIFEX seipsum modo incruento in ultima « coena obtulit, et vere sacrificavit. »

3. « Sacrosanctum, fratres dilectissimi, ho- « dierna die inchoandae paschae sollemnitatem, « ac salutiferam dominicae immolationis effi- « giem in sacrificio spiritali, Christo offerente, « transfusam, celebrantes » etc. (*Missale Gothicum, missa in coena Domini*. P.L. 72, 265). In sacrificium spiritale dicitur transfusa illa

sacrificium. Nec adeo nisi unum sacrificium perfecit Christus, nec litavit nisi semel ; et pro quanto attenditur sacrificium penes actum sacerdotis, eminet in coena, ubi Christus se ritualiter offert ad mortem ; et pro quanto attenditur penes victimae mactationem, impletur in cruce, ad quam oblatus a seipso Christus moritur[1].

Ad illusiones vero praecavendas, notanda sunt quinque.

Primum Notandum. Unitas illa ex oblatione eucharistica et immolatione cruenta, non est, neque oportet ut sit unitas in genere rei ; sed profecto est unitas in genere signi ; siquidem est unitas in genere sacrificii, et sacrificium, ut tale, inter signa recensetur : signum exsistens invisibilis internaeque dedicationis. Quemadmodum etiam in sacramento eucharistiae non est forma consecrationis cum speciebus sacramentalibus unum quid in genere rei, sed in genere signi seu sacramenti tantum[2].

Secundum Notandum. In genere ipso signi non sunt considerandae illae duae partes ut mere integrantes (quemadmodum sunt corporum partes quantitativae vel homogeneae), sed omnino ut constitutivae (quales sunt in corporibus partes essentiae) : quarum una, oblatio scilicet, se habet per modum formae determinantis, altera autem, scilicet immolatio, per modum materiae se habet, portans atque subjectans rationem formalem. Sicut enim in eucharistia videmus speciem panis vel vini permanentem determinari ad *esse sacramentale* (seu significativum ac demonstrativum praesentiae Christi) per formam consecrationis transeuntem, et, accepta inde ratione formali, esse ipsum (ut dicunt) *sacramentum tantum* ; sic in sacrificio Christi passio tota, ad mortem usque, determinatur ad *esse sacrificale* per oblationem eucharisticam Christi, unde, accepta ratione formali, habet ut sit et dicatur sacrificium ipsum redemptionis, in quodam continuo *fieri* decurrens, usquedum, intercedente morte, consistat in *facto esse*[3].

Immo multo strictior quam in exemplo allato, enascitur in sacrificio Christi unitas ambarum partium constitutivarum, ex hoc quod OBLATIO, INCEPTA IN COENA, PER TOTAM JAM PASSIONEM PERSEVERAT. Durat enim necessario illa oblatio, quae, semel acta, NON RETRACTATUR, SED ALITUR CONTINUIS VOLUNTATIS AC LIBERTATIS ACTIBUS SE IN EXTERNUM PRODENTIBUS PER TOT TANTASQUE ACTIONES AC VERBA DOMINI AD MORTEM USQUE[4]. Quare nullum

sacrificii effigies ; et hoc quidem verissime : spiritale enim est sacrificium, quod non solum interventu Spiritus Sancti efficitur, sed etiam eo ritu celebratur, quo nonnisi credentibus sit adspectabilis veri corporis et sanguinis oblatio vera in supplicium mortis ob remissionem peccatorum.

1. Noli inde deducere Christum non fuisse hostiam in coena, aut non fuisse sacerdotem in cruce ; sed, ut infra explicabitur, nunquam in Christi sacrificio vacavit oblatione immolatio, aut immolatione oblatio, non solum propter ordinem essentialem unius ad alteram, sed etiam, et multo magis quia in Christi sacrificio numquam fuit sacerdos sine hostia aut hostia sine sacerdote. Fuit ergo Christus in coena hostia, et in cruce sacerdos : propterea quod est sacerdos suae hostiae, et hostia sui sacerdotii.

2. Principium atque paritatem recte enuntiant Salmanticenses his verbis : « Sicut sacramentum est unum, non unitate physica, sed « morali, ideo potest constare rebus satis di- « versis, ut sunt res et verba : sic sacrificium « etiam habet similem unitatem per modum « cujusdam entis artificiosi ; et consequenter « constitui valet ex actibus physice differen- « tibus ; praesertim si unum importet in recto, « et alterum in obliquo, licet unum et alterum « essentialiter » (*De Eucharistiae sacramento*, disp. 13, dub. 2, § 3, n. 29).

3. Non enim terminatum est sacrificium nisi morte. Quare post mortem demum velum templi scissum est (cf. Chrysost. homil. *De coemeterio et de cruce*, n. 2. P.G. 49, 297) ; nec sine morte consummatum est opus redemptionis, repropitiatio nostra, foederis conclusio, translatioque sacerdotii ; quanquam haec omnia per totam sacrificii durationem, haud minus quam ipsum sacrificium erant *in fieri* : ut in coena constat per eum modum quo Dominus enuntiat (verbis scilicet *de praesente*) et habitudinem corporis ad mortem, cui pro nobis jam traditur, et efficaciam sanguinis in remissionem peccatorum, ad quae jam in praesens delenda effunditur suo modo.

4. Ante passionem et coenam etiam quodam sensu poterat dici Christus se obtulisse ad mortem ; immo per totam suam vitam, a primo momento quo, ingrediens mundum, dixit : *Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi. Holocautomata non tibi placuerunt ; tunc dixi : Ecce venio.* (*Hebr.* 10^{5-7} et *Ps.* 40^{7-9}). Sed talis oblatio (praeterquam quod erat plerumque

est momentum quo sacerdos idem qui litavit in coena, non appareat nobis suam litationem persequens, comprobans ac sanciens, non solum interne, sed etiam externe, per ipsam scilicet effusionem sanguinis.

Unde colliges quam vere dictus sit a Concilio Tridentino Christus se IN ARA CRUCIS obtulisse cruente (« *in ara crucis* « *semel seipsum cruente obtulit... cujus* « *quidem oblationis cruentae* » etc. D. 940). Quanquam enim non adscripsit Christo Concilium actionem ullam cruentam (omnis enim actio cruenta fuit facta a Judaeis), nec proinde ullum liturgicum ritum perhibet a nostro sacerdote esse usurpatum cruentum (quod utique ut Scripturae ita Patribus et Doctoribus omnibus repugnaret), tamen etiam in cruce dum voluntarie se ostendit Christus persentire dolores et gustare mortem, eo ipso oblationem suam sollemnem, quam incruente in coena celebrarat, cruore jam suae passionis veluti subsignat et confirmat, purpurat atque coronat[1].

Unde etiam vides quam apte Concilium *(ibid.)*, MISSAM comparans cum sacrificio dominico pronuntiarit : « *Una enim eadem-* « *que est hostia, idem nunc offerens sacer-* « *dotum ministerio qui se ipsum tunc in* « *cruce obtulit*, SOLA OFFERENDI RATIONE « DIVERSA. » Etenim inter nostram oblationem et illam Christi intercedit hoc discrimen, quod nostra nulla ex parte est cruenta[2], cruenta autem fuit in cruce oblatio Christi, illo modo qui dictus est. Nec tamen alia fuit oblatio in cruce, alia in coena ; sed una eademque numero : peracta in coena ritualiter, protracta in cruce moraliter ; et hoc totum propter identitatem sacerdotis et hostiae : hostiae scilicet rationalis, cujus voluntas in patiendo constans usque ad mortem, non erat nisi ipsa continuata voluntas sacerdotis in litando fidelis usque in finem[3]. Praeterea obtulit in coena Christus sine nobis ; nunc autem, in missa, per nos : hincque rursus diversa est ratio offerendi.

Colliges tertio, quam veraciter, si missa comparetur cum coena, Dominus dixerit : *Hoc facite*, scilicet quod ego feci ; idem prorsus, excepta differentia temporum. Coena enim respiciebat immolationem passionis ut futuram ; missa autem eamdem respicit ut praeteritam[4]. Unde factum est ut

invisibilis, immo primis temporibus occultata materni uteri recessu) non effectiva erat, sed affectiva tantum ; fiebat in proposito, non in re ; enuntiabatur verbis *de futuro*, non *de praesente*. Nullus igitur per istiusmodi affectus, verba, aut significationes alias, contrahebatur foedus actuale cum Deo de peccatis repropitiandis, sed inhiabatur tantum et praenuntiabatur. Aliter autem in coena et passione.

1. Quo sensu Doctores supra recitati (Elucid. III) ipsam Eucharistiam dicunt in cruce oblatam, consecratam, et si quid ejusmodi : quia in cruce et de cruce sigillum extremae voluntatis ac libertatis accessit consecrationi quae facta erat corporis in mortem sanguinisque in peccati expiationem. — Haec valet explicatio sermonis Tridentini, pro quanto censetur Concilium accepisse *oblationem* sensu stricto, ut contradistinctam ab *immolatione* et integra *sacrificatione*. Sin autem malueris Tridentinum usum esse acceptione minus stricta, adeo ut *offerre* sit idem ac *peragere sacrificium* (« cruentum illud « semel in cruce peragendum », 938 ; « sacrificii « in cruce peracti », 950 ; « sacrificio in cruce per- « acto », 951), tunc utique locus nostrae Concilii explicationi jam non est, sicut nec illi quae proxime sequitur. Manet tamen vera, non solum doctrina quam enuntiamus, sed etiam locutionis ipsius quam exponebamus acceptio strictior.

2. Quanquam enim praesupponitur Christi sacrificium cruentum nostro incruento, tamen nulla immolatio (realis) in sacrificio nostro peragitur aut procuratur aut spondetur. Immo eo sacrificium nostrum est incruentum, quod praesupponitur ipsi cruenta passionis immolatio unica, sufficiens in aeternum, ut ostendetur ab Elucidatione XIX ad XXII.

3. Christus quanquam incruente obtulit in coena, tamen quia obtulit se IMMOLANDUM PER SUPPLICIUM CRUCIS, atque in cruce suam oblationem reddendo consummavit, ideo non fecit sacrificium incruentum, sed cruentum (recole diffinitiones cruenti et incruenti sacrificii datas supra, in Elucidatione I). Attamen, dum dicit : *Hoc facite*, bene *instituit* sacrificium incruentum, et nobis *reliquit*, ut loquitur Concilium Tridentinum (D. 938), et potest dici etiam inchoasse, quatenus ipsum ritum sacramentalem dedicavit, quem nos quoties sequimur, tot facimus sacrificia incruenta, quia offerimus hostiam non jam immolandam, sed immolatam pridem, et nunc in glorioso statu victimae ad Deum assumptae perdurantem.

4. Supponitur hic, quod demonstrabitur infra (Elucid. XIX-XXII), missam non esse nisi nostram oblationem recentem antiquae immolationis in passione actae.

coena exspectaret passionem, quam missa praesupponit. Nec proinde absolvebatur statim post consecrationem (et transsubstantiationem) sacrificium in coena litatum, sed decurrebat usquedum Christus moreretur. E contra, statim post consecrationem absolvitur nostrum sacrificium missae : quia praecessit immolatio. Coena igitur et missa differunt inter se sicut oblatio hostiae immolandae et oblatio hostiae immolatae. Nec pro tanto praecellit ullatenus coenae missa, quasi magis completa ex se sola in ratione sacrificii ; siquidem, ut dictum est, quod una exspectabat, altera praesupponit. Praesupponit aliquid missa quod coena non praesupponebat (quia nondum actum erat) ; exspectabat aliquid coena, quod missa non exspectat (quia actum est). Sed utraque, aliter et aliter, pro differentia temporum, habet suum complementum in passionis immolatione[1].

Colliges tandem numericam distinctionem inter sacrificia nostra et sacrificium crucis, minime pugnare cum unitate numerica sacrificii crucis et coenae. Tot enim sunt sacrificia quot sunt sacerdotales oblationes : nec tua oblatio est mea ; nec mea hodierna oblatio est hesterna ; neque ulla ex illis ea est quam fecit noster Summus Sacerdos sine nobis. Oblatio autem ejus fuit una numero, ut dictum est, facta in coena et perfecta in passione.

Tertium Notandum. Quanquam passio mortis cum coena fuit unum sacrificium, tamen non tanta fuit coenae necessitas in ordine ad salutem nostram quanta passionis. Etenim deficiente ritu coenae poterant adhiberi a Domino sexcenti alii ritus, si vellet. Non igitur necessario et absolute (veluti *de jure*) passio mortis alligabatur coenae in genere sacrificii. Sed *de facto* Dominus adhibuit hunc ritum coenae prae aliis, et sic alligavit coenam passioni suae mortis in genere litationis unius. Minime igitur talem necessitatem ex sese habuit coena qualem passio in oeconomia, semel supposita, nostrae salutis per verum ac proprium dominicae mortis sacrificium procurandae. Unde varios velim distinguas necessitatis gradus. Primo, poterat nostra salus fieri sine redemptione. Secundo poterat fieri redemptio nostra sine sacrificio veri nominis. Tertio, poterat verum et proprium mortis dominicae sacrificium fieri sine coena. Quod factum est accedente coena, hoc ideo est quia placuit[2] nostro Sacerdoti secundum ordinem Melchisedech.

Quartum Notandum. Quanquam formalis pars sacrificii in coena eminet, vindicante sibi cruciatu Christi materialem potissimum, tamen magis habuit sacrificium absolutam suam ac substantialem veritatem in passione mortis quam in ritu coenae. Quod illustratur tribus exemplis.

Primum exemplum petitur ex ipsis corporeis rebus unde ad res morales translata est illa distinctio materiae et formae. In corporibus enim si quaeritur utrumnam ex duobus elementis componentibus potius dicatur esse ipsa substantia, necessario respondetur materiam (supposita tamen informatione) magis proprie et absolute dici substantiam quam formam : siquidem illa se habet per modum subjecti, et subjectum in actu est ipsa substantia. Sic, oblatione praesupposita, passio est proprie et substantialiter atque absolute ipsum sacrificium redemptionis. Nihilominus vero etiam coena potest dici vere sacrificium esse Christi, sacrificium scilicet nostrae redemptionis, pro quanto habet forma ex subjecto ut subsistat.

Alterum exemplum desumitur ex psychologia rationali. Ut norunt sancti Thomae scholares, electio statuitur a sancto praeceptore esse « materialiter » quidem et « substantialiter » in voluntate, « formaliter » tamen in ratione (1-2, 13, 1) : eo quod talis actus est utique in voluntate,

1. Immo, sub alio respectu, coenae litatio praecellebat litationi missae in infinitum : eo scilicet modo quo praestat actioni ministeriali opus capitale, et participationis rivulo fons inexhaustus.

2. Cur placuerit, praeter alias rationes forte nobis ignotas, hae satis obviae sunt, quod et epulum sacrificale inde nobis prostabat et cottidiana repetitio litationis salutaris.

sed praesupposita aliqua ordinatione recepta in ipsa voluntate ex ratione. Ubi igitur duorum ordinatio intrinseca ad invicem attenditur, potest aliquid ita esse « materialiter » in uno et « formaliter » in altero, ut tamen dicendum sit esse « substantialiter » ibi ubi est « materialiter » : si modo formale elementum se habeat praesuppositive. Qui est casus noster in dominico sacrificio. Substantialiter igitur et absolute dicendum est sacrificium ubi est materialiter, id est in passione : non tamen ad exclusionem coenae, in qua etiam attenditur vere sacrificium, pro quanto sacrificium nominat pressius ipsum ritum sacrificalem a liturgo profectum.

Tertium tandem exemplum suppeditat ex *sacramento tantum* eucharistiae : quod substantialiter dicitur esse permanens, ac proinde in speciebus consistere secundum rem, cum tamen formam habeat (secundum doctrinam inferius exponendam) verba elapsa. Sic decurrit sacrificium per integram passionem ad mortem usque, quanquam initiatum est ritu oblativo coenae, qui transiit. Attamen, sicut ipsa verba sunt etiam sacramentum, pro quanto vis illorum demonstrativa inhaeret significationi panis et vini, sic etiam coena est sacrificium, pro quanto vis significativa coenae afficit immolationem passionis modo illo sensibiliter perseverante qui supra est expositus.

Quintum Notandum. Sicut in genere sacrificali, sic in genere morali, potiores apparent, si distinguantur, partes passionis, qua immolari se sivit Christus, quam coenae, qua se consecrabat Deo in mortem. Etenim quanquam in aliis sacrificiis, ubi aliud est sacerdos, aliud hostia, inferius potest apparere opus aut beneficium subjacentis immolationi quam peragentis externum ritum oblativum, tamen in hoc sacrificio quo SE sacrificat Christus, plenius elucet operis et beneficii magnitudo in tolerando passionem mortis fortiter quam in passionem offerendo sub symbolo. Quo enim fuit illud difficilius ac laboriosius, eo etiam nobilius fuit exercitium caritatis et signum illustrius : adeo ut ex hoc elemento tolerantiae jam moralem suum valorem maxime mutuetur ac derivet elementum rituale[1].

Uno verbo : passioni prae coena, potius quam e converso, inhaeret et ratio sacrificalis et valor moralis. Habesque tandem quomodo per modum unius, ordinate tamen, sit de cruce et eucharistia intellegendum apud *Joannem* (13^{1}) illud : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Haec est igitur unitas sacrificii dominici, quam videmur nobis deprehendere ex documentis sive scripti sive traditi verbi Dei supra (ab Elucidatione III ad VIII) congestis ; maxime vero ex *Epistola ad Hebraeos*, inculcante tam severe unitatem non solum hostiae (μίαν θυσίαν, *Hebr.* 10^{12}), sed et litationis dominicae (οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτόν, 9^{25} ; ἅπαξ προσενεχθείς, 9^{28} ; μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν κτλ, 10^{14})[2].

Quia ergo Deus conjunxit coenam et

1. Hoc tamen in genere morali est coenae insigne (inter alia) quod per ipsam libere contrahebatur obligatio patiendi ac moriendi pro nobis, ut supra (Elucid. VII et VIII) expositum est.

2. Circa unitatem illam oblationis dominicae, responsiones theologorum post-tridentinorum ad Protestantes, facta distinctione inter copiam propitiationis in cruce comparatam, et applicationem in missa veluti partiendam, verum certissime habent ; et secundum hoc vere occurrunt objectioni factae circa missam. Sed in habitudine coenae ad crucem diffinienda locum non habent, ut ex superioribus (Elucid. VI) ostensum est. Praeterea ad ipsam missam quod attinet, nondum videntur plenissimam afferre lucem, nisi ostendatur unde dualitas ista crucis ac missae secum patiatur veram unitatem intrinsecam amborum sacrificiorum. Quod si praestetur, tum, tumque demum, quietabitur mens, dum nexum rerum intimum tenet, et intellectum quem quaerebat fides obtinet. Juxta hunc modum plene assentior Cardinali Cienfuegos (*Vita abscondita*, disp. 6, sect. 1, § 2, num. 12. Romae, 1728, p. 437) scribenti : « Praedicta solutio « etiamsi veram doctrinam contineat, propo- « sitam tamen difficultatem neutiquam declinat, « aut evacuat. » De momento autem atque gravitate difficultatis solvendae scripserat paullo supra (§ 1, num. 1, p. 427) idem Eminentissimus theologus : « Assurgit difficultas... implexis- « sima, quaeque non tam facile disparet, ut cre- « didere nonnulli. Sapienter namque monet « Eximius Doctor, disp. 74, sect. 1, proponens « heterodoxorum argumentum potissimum, quo

crucem, et inclusit coenae crucem, et coenam cruce consummavit, cavendum nobis est ne dividamus ubi divisio nulla est, sed unitas. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*[1].

Hanc doctrinam nuper enuntiavit sermone gravi Revmus D. D. Alexander Mac Donald supralaudatus : « Jesus « Christ instituted His sacrifice at the « Last Supper, and took measures to per- « petuate the institution. There He made « the sacrificial offering of His Body and « Blood, there He bore the part of a Priest « for ever according to the order of Mel- « chisedech... Then the rite being accom- « plished, laying aside His priestly dignity, « He went forth in His character of pre- « destined Victim, suffered Himself to « be led as a Lamb to the slaughter, and « so finished on Calvary what was begun « in the upper room. He offered as Priest, « and Priest for ever according to the « order of Melchisedech. He suffered as « Victim, as the Lamb that was slain from « the foundation of the world. He was « not yet Victim in act when He made the « offering ; He was less than Priest, yea, « in the strong words of the Prophet, a « worm and no man, when He finished « the sacrifice... True, He was Priest also « on Calvary, Victim also in the upper « room... [But] to speak of what was « uppermost in each case, He was Priest « in the Cenacle and Victim on Calvary. « Therefore He offered His sacrifice truly « and literally as Priest forever according « to the order of Melchisedech » (*The sacrifice of the New Law*, in *Ecclesiastical Review*, Dec. 1, 1905, vol. 33, p. 629).

Sectio II. — Qualis unitas exsurgat apparentis sacrificii ex pane et vino et sacrificii veri de corpore et sanguine Christi.

Jam rursus praesto est solutio dubii illius quod supra (Elucid. I) propositum erat : possetne in aliquo sacrificio, praeter id quod est *res tantum*, et id quod est *res et signum*, haberi aliquid per modum *signi tantum*. Patet enim in hoc sacrificio Christi, praeter OBLATIONEM SUI CORPORIS ET SANGUINIS in necem, quae fuit simul *res et signum*, affuisse ex parte specierum sacramentalium panis et vini aliquid in genere *signi tantum* : repraesentatur enim sacrificium corporis et sanguinis Christi sub specie quadam et apparentia sacrificii

« sacrificium Missae, veluti machina quadam « irresistibili invadunt : " Hoc autem funda- « mentum, quamvis specie videatur infirmum, « magnum tamen robur sumit ex Epistola Pauli « ad Hebraeos, in qua simili argumento uti « videtur, ut concludat vetera sacrificia fuisse « infirma, quandoquidem post illa omnia neces- « sarium fuit sacrificium crucis. Haec autem « argumentandi ratio, si efficax est, eodem modo « concludit, illud unicum ad consummandam « nostram salutem suffecisse. " Summam itaque « difficultatem apprehendit, qui rem profunde « meditatur, quam nec ex alto videt, nec credit, « qui leviter et properanter transit. » — Postmodum (§ 3, num. 17 sq.) vero, absolutis jam argumentis de Missa, maxime ex Coena arguit insufficientiam solutionis illius apud recentiores usitatioris, nisi addatur, inquit, « sacrificium « Crucis et incruentum esse unum numero sim- « pliciter sacrificium, ut nostra sententia con- « tendit » (num. 20, p. 444). Quanquam ubi venit ad illam unitatem assignandam expoliendamque, parum satisfacit auctor.

Circa istud punctum, recole ea quae sunt notata sub finem Elucidationis VI.

1. Revmus P. Batiffol in suo libro *Leçons sur la messe*, qui hodie (16 mart. 1919) primum ad me pervenit, haec optima habet : « Le Christ « est à la fois prêtre et victime : victime, il est « immolé ; prêtre, il s'offre en sacrifice... Obla- « tion et immolation se distinguent comme le « prêtre se distingue de la victime, alors même « que prêtre et victime ne sont qu'un. Dans ce « sens, nous dirons que, à la cène, le Christ s'est « offert sans s'immoler [*intellege* : d'une manière « réelle et sanglante]. puisque le Christ n'est « mort qu'une fois pour le péché *(Rom.* 6[10]*)*. « Mais à la cène, il s'est offert... L'oblation de la « cène et l'oblation de la messe ont ceci de com- « mun qu'elles sont l'oblation d'une victime « immolée en un autre point de l'espace et du « temps : à la cène, l'oblation est faite de la vic- « time qui *sera* immolée sur la croix : à la messe « l'oblation est faite de la victime qui *a été* im- « molée sur la croix » (p. 175-180). Le « sacrifice « [de la croix] a été offert par le Christ à la cène « déjà, et nous offrons à notre tour ce sacrifice « à la messe dans la forme où le Christ l'offrit à « la cène et nous a donné le pouvoir de l'offrir » (p. 180-181). Et adnotat auctor scite : « Cette « doctrine a l'avantage d'être la doctrine même « de la liturgie » (p. 180). Quod indubitate verum est, ut amplius constabit ex Elucid. XIX sq.

ex pane et vino : quae est *signum tantum*. In specie igitur sacrificii melchisedeciani Christus se ipsum obtulit.

Cum autem de missa jam, nec de coena ipsa sermo erit, hanc dualitatem indivisam sacrificii apparentis ex pane ac vino et veri sacrificii de corpore et sanguine Christi, sonabunt omnes paginae nostrorum doctorum et liturgiarum sacrarum. Partes vero significativas panis et vini in sacrificio conflando primus distinxit JUSTINUS, cum scripsit : « Illam quae... eucharistiata est « alimoniam, EX QUA SANGUIS ET CARNES « NOSTRAE PER MUTATIONEM ALUNTUR, « illius incarnati Jesu carnem et sanguinem « esse edocti sumus » (*Apol.* 1, 66. P.G. 6, 428-429). Quo etiam refertur, quod dicuntur ab eo christiani sacrificare « in re- « cordatione ALIMONIAE SUAE SICCAE ET « LIQUIDAE, in qua etiam PASSIONIS, quam « pertulit pro eis Filius Dei, MEMORIA « FIT » (*Dial.* 117. P.G. 745-748). Aptissime scilicet fuerunt illa duo, ex quibus naturaliter mutatis constat nostra caro et sanguis, electa ad inducendam sacrificio nostro vim significativam respectu carnis et sanguinis Christi in passione necati[1]. Sicque denotatur congruentia panis et vini ad significandam hostiam PROPITIATORIAM, in carne exsangui et effuso sanguine constantem. Secutus est suo modo Irenaeus in libro quarto *Adversus Haereses* (17, 5. P.G. 7, 1023), ubi, quomodocumque intellegatur (cf. infra Elucid. XVIII), censendus est in proprietate panis et vini convictuali reposuisse congruentiam sacrificii nostri : quo laudatur Deus, « qui alimenta nobis praestat ». Quae congruentia est panis ac vini in ordine ad inferendam significationem EUCHARISTICAM.

Porro est sacrificium nostrum missae et eucharisticum et propitiatorium. Complent igitur inter se nedum conflictentur, illae duae congruentiae panis ac vini excogitatae respective a Justino et Irenaeo.

Post illorum tempora, vulgata est in Ecclesia doctrina ista de nostro sacrificio veluti bipartito : reali quantum ad corpus et sanguinem Christi, apparente quantum ad panem et vinum ; quam saeculo XII his verbis, in sua *Epistola de officio missae*, exponebat Isaac de Stella : « Accedit visibilis sacerdos... ad offerendas « visibiles hostias, et de terra terrenas ; « et hoc super altare visibile et mate- « riale, materiali oleo visibiliter conse- « cratum. Et haec omnia quasi foris agun- « tur, dum quae fiunt, et quomodo fiunt, « foris conspiciuntur... QUONIAM ERGO IN « VICTUALIBUS, SINE QUIBUS VITA ANI- « MALIS NON TRANSIGITUR, PRINCIPALIA « SUNT PANIS ET VINUM, APTE PER EA « VIRTUS VITAE ANIMALIS, DUM OFFERUN- « TUR, OFFERTUR. Praecipua quippe illius « portio sunt, et totum figurant. Ita- « que quid amplius potest, qui recon- « ciliari appetit Domino suo, quam de « penuria sua totum victum suum offerre, « et sic totam vitam suam mactare ? Sic « igitur in prima actione, dum in pane et « vino totum suum victum offert, totum « quod animaliter vivit, occidit » (P.L. 194, 1892-1893). Haec, ut patet, pertinent ad externam speciem nostri sacrificii, sed nondum attingunt veram internamque veritatem. Quare sequitur apud Isaacum : « Verumtamen altioris opus est consilii. « Totum quod potest, in hac actione servus « facit, sed in toto non satisfacit ; non « potest amplius aliquid, sed hoc totum « non sufficit... Itaque oratione se erigit, « et ad eum qui omnia potest, se convertit, « dicens : *Quam oblationem tu, Deus, in « omnibus*, etc. ... Habens ergo novus « sacerdos, non jam vetus Melchisedech, « ...non de sudore suo, neque de terra,... « sed... de donis et datis divinis, de coelo

1. Haec etiam indigitat Gregorius Nyssenus, dum sic confert inter se incarnationem et eucharistiam : « Illic [in incarnatione] Verbi « gratia sanctificavit CORPUS CUI EX PANE ERAT « PER NUTRITIONEM SUBSTANTIA, ET IPSUM ERAT « QUODAMMODO PANIS [per vitalem assimilatio- « nem in corpus Verbi conversus] ; hic similiter « panis [eucharistiae] sanctificatur per verbum « Dei et orationem, non eo quidem quod per « nutritionem et potationem proficiat in cor- « pus Verbi, sed statim in corpus Verbi transmu- « tatus, secundum quod dictum est a Verbo : « *Hoc est corpus meum.* » (*Or. catech.*, c. 37. P.G. 45, 97).

« coelestem hostiam carnis et sanguinis, « offert dicens, non ut prius timide, neque « hostiam servitutis, sed cum exsultatione et laetitia : *Praeclarae majestati* « *tuae hostiam puram*, etc. » (*Ibid.*, 1894). En sacrificii salutaris veritatem obductam signis sacrificii melchisedeciani[1].

Saeculo XIV, inter Graecos[2], Nicolaus Gabasilas integrum caput in sua *Liturgiae expositione* sic inscribebat : *Quod haec dona Deo offeruntur tanquam vitae humanae primitiae* : « Nos, inquit, tanquam « vitae humanae primitias haec dona Deo « consecramus, ut quae sunt humanum « nutrimentum, per quod corporea vita « constat ; ET NON CONSTAT SOLUM per « nutrimentum vita, sed etiam per ipsum « SIGNIFICATUR. » Nec significatur per panem et vinum quaelibet animalis vita, sed proprie humana : « Humanum enim « nutrimentum illud dicimus quod ad « solum hominem pertinet : confectione « autem panis opus habere ut comedat, « et vinum conficere ut bibat, est solius « hominis proprium » (*Liturgiae expositio*, c. 3. P.G. 150, 377)[3]. Humana igitur vita Deo dicatur sub illis speciebus : sed quaenam, nisi primo Christi, qui etiam adjectione verborum sacramentalium se intimat morti traditum, et deinde nostra, cujus spiritualis invisibilisque immolatio immolatione sensibili nostrae coelestis hostiae Deo spondetur atque devovetur ?

Saeculo XVI, catholici dogmatis defendendi gratia, canonici Colonienses, in suo adversus Hermannum de Wied, haereticum archiepiscopum, edito *Antididagmate*[4], symbolicas seu significativas partes, quae in nostro sacrificio pani et vino competunt, caute distinxerunt, dum aiunt : « Quod Lutherus pro more suo pessimo « Ecclesiam nequiter et perfide traducit,

1. Secutus Isaacum fere ad verbum coaetaneus vir, Robertus Paululus, sic ipse comprehendit et hostiam quae videtur panis et vini, et hostiam quae creditur sanguinis Christi : « SUPER VISIBILE ALTARE VISIBILES HOSTIAS « PANIS ET VINI OFFERIMUS. Et haec omnia « quasi adhuc foris aguntur... Secundum altare, « quod et intus erat et aureum, altare fidei [i. e. « altare invisibile, proindeque credendum] signi- « ficat... Super idem [fidei] altare sacerdos... « offert invisibilem hostiam carnis et sanguinis » (*De officiis eclesiasticis*, l. 2, c. 26-27. P.L. 177, 427-429).

2. Interim S. Nicephorus Constantinopolitanus I in suo *Antirrhetico contra Eusebium*, c.45, § 2. (*Spicil. Solesm.* I, 440-441) : « Quae nos « etiam nunc IN SYMBOLUM OFFERIMUS (ἅπερ... « προσφέρομεν κατὰ σύμβολον) panem dico et « vinum,... ea mystice et invisibiliter effecta « reapse Christi corpus ac sanguinem recipi- « mus. »

3. Quam sedulo amoveat idem Cabasilas a sacrificio panis et vini omnem intrinsecam absolutamve veritatem, constat aliunde, dum scribit : « Non est panis id quod sacrificatur, sed ipsum « Christi corpus... Immolatio illa, ut in sub- « jecto considerata, cum non sit in pane, sed « in corpore Christi, nec est nec dicitur sacrifi- « cium panis, sed Agni Dei » (*Liturgiae expositio*, c. 33. P. G. 150, 440). Immolatio autem de qua loquitur, quam unam in sacrificio nostro agnoscit veram, cruenta est immolatio passionis, ut ex integro capite constat luculentissime.

Parum igitur mihi videtur esse assecutus mentem Cabasilae, cujus profitetur se vestigia premere, Matthaeus Galenus Vestcapellius n suo *De sacrosancto missae sacrificio commentario* (Antverpiae 1574), dum naturalibus substantiis panis et vini tribuit partes verae alicujus hostiae imperfectae quidem atque prolusoriae, transiturae proinde in hostiam succidaneam ac perfectam corporis et sanguinis Christi. Inter elementa scilicet nostri sacrificii computandam censet quamdam caedem, seu immolationem realem, panis et vini : «Age igitur, inquit, panis et vini « hostiam a caede non esse aut permanere sane « immunem doceamus » (op. cit., c. 7, fol. 104). Caedem illam panis videtur in transsubstantiatione reponere, qua desinit esse panis (*ibid.*, fol. 110). Et hoc quidem ideo finxit, quia, cum in definitione sacrificii posuisset quamdam mutationis effectionem, non visus sibi est definitioni satisfacere, nisi mutationem aliquam, seu immolationem, seu caedem, ostenderet recentem ; quam cum nollet Christo affigere injuriosam, adjudicavit pani, veluti praeambulam hostiae alteri corporis et sanguinis Christi. In quo negotio vix sibi constitit Galenus, oblitus sui principii veluti cardinalis : immolationem in missa non desiderari quidem, neque exsulare a Christo, sed eam esse quae suppeditetur e cruce (vide infra, Elucid. XIX).

4. *Antididagma, seu christianae et catholicae religionis per Reverend. et Illust. Dnos canonicos metropolitanae Ecclesiae Coloniensis propugnatio adversus librum quemdam universis Ordinibus seu Statibus Dioecesis ejusdem nuper Bonnae titulo reformationis exhibitum, ac postea (mutatis quibusdam) Consultoriae Deliberationis nomine impressum.* Coloniae 1544. In quo *Antididagmate* conscribendo potissimas habuit partes Joannes ille Gropper, conservator apud suos catholicae fidei, et creatus deinde a Paulo V S. R. E. cardinalis.

« ac si constitueremus salutem nostram « in pane et vino, et per insensibilium « rerum sacrificia vellemus salutem pro- « priam operari, impostura et mera so- « phisticatio est. Istud enim quis cogita- « vit unquam ? Offerimus enim signis « istis visibilibus panis et vini Deo « Patri cum gratiarum actione invisibi- « lia illa passionis Christi mysteria » (fol. LIX, b). Qua cautela adhibita, inculpate memorant iidem (*ibid.*) « externum « illud et significativum panis et vini « sacrificium. »

Ex Scholasticis autem prae ceteris expolivit istud doctrinae punctum Canus (*De locis theologicis*, l. 12, c. 12), translata de sacramento ad sacrificium distinctione vulgari inter *signum tantum* et *rem et signum*. Adnotat scilicet « catholicos, si- « cut eucharistiae sacramentum, ita eu- « charistiae sacrificium duobus modis as- « serere. Est enim *sacraméntum tantum*, « hoc est species illae vini et panis exter- « nae, quae corpus Christi et sanguinem « continent. Est item *res et sacramentum*, « nempe corpus Christi et sanguis, quae « res interius sub speciebus continentur. « Similiter etiam in oblatione et missa « nostra est sacrificium externum spe- « cierum panis et vini ;... est et rursus « sacrificium interius corporis et sanguinis « Christi, quod Deo Patri sub speciebus « illis potissimum offerimus. »

Quod si quaeras, quomodo dualitas illa sacrificii apparentis et veri componatur cum unitate singulari nostrae hostiae (sane ex solo corpore ac sanguine dominico constantis), nec laedat ejus identitatem cum Agno in cruce (sine ullis utique panis aut vini tegumentis) immolato : acute tibi respondet Vasquez, dum, distinctione facta inter rem, quae offertur, et actionem qua offertur, ad hanc, non ad illam, revocat et coarctat partes sacrificales panis et vini : « Pronuntio, inquit, species panis « et vini... non pertinere essentialiter ad « rem oblatam,... sed ad ipsam oblatio- « nem et actionem sacrificandi... Dixi ad « ipsam oblationem incruentam pertinere, « nam cum oblatio incruenta tota sit « posita in significatione ipsa per modum « actionis,... et ad hanc significationem « pertineant species, ideo ad ipsam etiam « immolationem[1] eas pertinere necesse est » « (In 3 S. disp. 223, c. 4, n. 43-44). Enimvero cum species, ut suo loco (Elucid. XLII) exponetur, simul cum verbis conducant ad transsubstantiationem operandam, qua peragitur oblatio, haud dubium est quin ad oblationem constituendam ipsae pertineant.

Haec utique a missa ad coenam transferri retro possunt ac debent : ut credatur sub specie melchisedecica sacrificii panis et vini (= *signum tantum*) acta esse vera oblatio dominicae carnis ad mactationem sanguinisque ad effusionem (= *res et signum*) ; quo individuo passionis ac coenae sacrificio significabatur, ut *res tantum*, non solum Christi interna latria et eucharistia, sed etiam, ut dictum est supra (Elucid. II), nostra abalienatio a peccatis : quae rursus non significabatur tantum, sed etiam agebatur.

Sectio III. — Qualiter oblatio mortis in coena postulet praesentiam Christi in eucharistia.

Igitur Christus in coena obtulit suam mortem : id est, dum visus est tractare panem et vinum, revera sacrificavit corpus sui supplicii et sanguinem suae passionis.

Quaeri potest fueritne necessaria in tali sacrificio constituendo praesentia realis corporis et sanguinis. Nonne enim, semel posito Christum se in apparente sacrificio panis et vini voluisse ad mortem offerre, sufficiebat jam ad propositum praesentia ipsius panis et vini, symbolice effingentis mactationem futuram corporis et sanguinis effusionem ? Quod si obtinet, supervacat sane corpus et sanguis Domini in obla-

1. *Immolationem* accipit ibi, ut solet, Vasquez eodem sensu ac sacrificationem, seu oblationem immolati (cf. disp. 222, c. 8, n. 66 et 67).

tione sacrificii, quicquid ad participationem deinde conferat.

At nequaquam istud obtinet. Immo nisi vere adfuisset sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi, nequaquam in coena posset dici oblata mors, aut Christus Deo sacratus in mortem. Etenim sacrificium cum sit *res et signum*, debet ex una quidem parte esse in genere signi[1], portendentis scilicet internam nostram dedicationem ; ex altera autem parte debet esse in genere *rei*, tanquam quaedam actualis traditio[2] ipsius hostiae, quasi ex mea manu in manum Dei transmissae, puta dum altari imponitur (numinis vicario), aut si quid ejusmodi. Igitur si in coena nil tractatum esset praeter panem et vinum, sacrificium nullum esset litatum mortis Christi, nulla esset oblata victimae immolandae caro aut sanguis ; quia tunc non foret actu ipsa hostia Deo exhibita, admota et donata ; sed ad summum FIGURATA[3] censeretur quaedam illius oblatio. Quae figuratio rursus dupliciter consistere posset : tunc enim aut verum quoddam sacrificium haberetur panis et vini absolutum, eodem modo relativo se habens ad sacrificium crucis quo se habebant sacrificia veterum : id est ut typus ad antitypum ; aut ne ipso quidem pane aut vino sacrificato, manifestatio demum symbolica fieret venturi sacrificii mortis dominicae. In hoc sane posteriore casu, nulla foret sacrificii ullius oblatio realis et actualis, sed quaedam adumbratio prophetica tantum oblationis futurae. In casu autem illo priore, realis quidem foret oblatio dapum ; at figuralis tantum (ut apud Hebraeos olim) oblatio corporis dominici immolandi sanguinisque effundendi : cujus nulla realitas ante Deum sistitur ; nec proinde vere offertur, etsi forte repraesentatur offerenda, mors Christi. Potest utique hostia passionis offerri actualiter et realiter in passionis signo, sed in signo donum non praemonstrante tantum, sed demonstrante praesens. In nullo ergo sacramento offeretur mors Christi, nisi corporis ac sanguinis continente veritatem. Alioquin frustra diceretur sub specie panis corpus pro nobis Deo dari, nisi adesset ; frustra diceretur sanguis sub specie vini nos repropitiare, nisi adesset ; frustra in sanguine, frustra in calice diceretur foedus sanciri, nisi calix esset sanguinis. Sed omnia ficte agerentur : ficte Christus offerret seipsum ; ficte proinde Christus repropitiaret, ficte Christus nos Deo confoederaret ; nec veritatem dixisset Veritas — quod absit ! Quare negatores praesentiae realis vix non omnes[4] amovent a coena rationem quamlibet sacrificalem, totam rem gestam ad merum symbolum trahentes : sive (ut Jülicher) parabolicam annuntiationem mortis imminentis, sive (ut Spitta) anticipationem aenigmaticam gaudii messianici, aut si quid ejusmodi, commentantur[5].

Nos autem cum Ecclesia catholica innixi locutioni Christi, credimus sacrificium : proindeque et praesentiam realem corporis et sanguinis dominici ; quae adeo est necessaria, ut, etiam sublata cogitatione tenus participatione convivali hostiae, nihilominus requireretur ad ipsam intrinsecam substantialemque sacrificii rationem constituendam.

Quare nostri doctores, cum mediaevales, ut Gulielmus Parisiensis, tum posteriores, ut Vasquez, id soliti sunt in missa

1. Intellege in genere signi MORALIS, prodentis nimirum aliquam animi affectionem ; non autem necessario in genere signi MYSTICI, typice scilicet repraesentantis quemdam antitypum, ut contingebat sacrificiis veterum respectu sacrificii Christi (cf. Suarez, *De Incarn.* pars 2, in 3 S. 48, 3, commentarius, n. 2).

2. Nec proinde sufficeret ad sacrificium litandum aliqua verbalis (aut scripta) intimatio donationis, qualis in contractibus vulgaribus (praesertim hodiernis) obtinet. Nam, ut saepius notatum est, sacrificium est per prius in genere actionis, non orationis : actione translativa ipsa debet fieri alienatio et mancupatio muneris, ex me ad Deum transmissi, non sermone (orali aut scripto) enuntiari tantum.

3. Sicut figurabatur oblatio corporis et sanguinis Christi per sacrificium Melchisedech et per sacrificia Legis (etiam ab ipso Christo frequentata), sed non efficiebatur.

4. Rarissimas exceptiones videsis apud K. G. Goetz, *Die heutige Abendmahlsfrage*[2], p. 185 sq.

5. Cf. infra, Elucid. XVI.

defendere, quod nos in coena statuimus : postulari scilicet indole ritus sacrificali praesentiam realem Christi : ita ut hanc probaveris, si semel illam demonstraveris. Haec Gulielmus Parisiensis, post recensita quatuor missae beneficia : « Non « enim quemadmodum delirant quidam « haeretici, sufficit designatio, sive signum, « sive figuratio corporis istius vivifici et « sanguinis preciosi ad ista quatuor peragenda, immo necessario requirunt vivi- « fici panis et vini praesentissimam veri- « tatem... Impossibile est per solam et « inanem designationem sacrificii placari « iratum, aut reconciliari offensum absque « sacrificii veritate... Alioquin non indi- « geremus nisi figuris vel picturis ad ista « quatuor, et pro nihilo laboraretur in « missarum solemniis, cum sufficerent pic- « turae altarium et sacrarum oblationum « ad istas quatuor nominatas utilitates. « Haec autem insania ad hoc eos irrefra- « gabiliter deducit ut pictura diluvii sola « sine veritate mundum submergat, et « pictura ignis quo mundus inferior con- « flagrandus est, jam mundum exurat, et « pictura sola panis pascat et reficiat ; sic « et pictura vini potet et inebriet. Sic « igitur dementia eorum est aperta ut « omnino non distinguant qualiter vir- « tutem et efficaciam signis attribuant et « veritati » (*De sacramento eucharistiae*, c. 4, p. 443).

Similiter Vasquez : « Est tamen pri- « mum valde observandum ad sacrificium « commemorativum, quod vere et proprie « sacrificium dicitur, non satis esse, si « solum sit signum nudum mortis alicujus « rei, nullo modo in se continens rem ipsam « cujus mors repraesentatur : sic enim « non diceretur res illa, cujus mors re- « praesentatur, in sacrificium offerri, ne- « que vere commemorativum sacrificium, « quin potius SIGNUM TANTUM et LARVA « sacrificii esset ;... verbi causa, si vera « esset sententia haereticorum, qui negant « sub speciebus panis et vini corpus et « sanguinem Christi,... repraesentari qui- « dem posset mors Christi, ut ipsi etiam « haeretici concedunt ; at Christus in « sacrificium NON VERE et REIPSA sed « TANTUM IN FIGURA offerri... diceretur. « NAM QUO PACTO VERE ET REIPSA IN SA- « CRIFICUM OFFERRI DICI POTEST ID CIRCA « QUOD ACTIO SACERDOTIS OFFERENTIS « NON REIPSA SED TANTUM SIMILITUDI- « NE QUADAM ET IN FIGURA VERSATUR ? » (In 3 S. disp. 222, c. 8, n. 66 et 67). Haec, quae de missa disserit Vasquez, valent similiter de coena : in qua nemo potest admittere veram oblationem sacrificalem corporis et sanguinis Christi, verum dominicae mortis sacrificium, nisi lateat, sub signis passionis, passionis HOSTIA.

Nostris autem diebus lucem non modicam intulit huic quaestioni declaratio collectiva Episcoporum Angliae, vindicantium condemnationem ordinationum anglicanarum : qua parte scilicet sacerdotii proprietatem connectunt quidem cum veritate sacrificii, sacrificii autem veritatem cum praesentia reali. « Such being our « doctrine of the Eucharistic Sacrifice, « its essential dependence on the doctrine « of the Real Objective Presence is mani- « fest. For, if there were no power in the « words of consecration to make the true « Body and Blood of Christ really and ob- « jectively present on the altar, we should « not have on our altars THE VICTIM OF « CALVARY, and without ITS VICTIM the « sacrifice could not subsist » (*A vindication of the Bull Apostolicae Curae* by the Cardinal Archbishop and Bishops of the Province of Westminster. London, 1898, n. 12, p. 26). Porro per prius istud censeatur dictum de coena : in qua quomodo deferretur Deo hostia Calvariae, nisi praesens ?

Elucidatio X.

Illustratur illud historia ac doctrina Concilii Tridentini.

§ 7. Documenta Tridentina.

Cum appellas diffinitionem magisterii ecclesiastici, duobus modis id fieri potest : uno modo, ut vindices tuae sententiae auctoritatem sive pontificiam sive conciliarem ; altero modo, ut nihil tale molitus, arguitive tantum procedas ex principiis diffinitis ad efformandas tuas conclusiones ratione quadam probabili. Hoc altero modo advocabitur in praesente negotio Concilium Tridentinum[1] ; idque dupliciter : primo arguetur ex historia diffinitionis ; secundo, ex diffinitionis tenore.

Sectio I. — Historia diffinitionis.

In deliberationibus Concilii Tridentini, caput I (de institutione missae), in quo de coena agitur, est a permultis episcopis impugnatum, ut videre est sive in *Historia Concilii Tridentini* cardinalis Pallavicini (l. 18, c. 2 et 9), sive multo fusius in *Actis Genuinis... Concilii Tridentini* editis ab Augustino Theiner (t. 2, p. 79 sq.)[2]. Qui impugnatores abiere in tres classes : alii nullam volebant fieri diffinitionem conciliarem de coena ; alii nolebant in diffinitione adnecti coenae rationem oblationis seu sacrificii ; alii rationem oblationis propitiatoriae saltem excludebant. Quorum omnium palmare argumentum erat, quod magnam facesseret difficultatem cum haereticis, si ante sacrificium crucis aliud quodpiam Christo adjudicaretur, praesertim propitiatorium[3]. Supponebant quippe illi omnes coenam cum cruce connumerari tanquam duo sacrificia.

E regione autem stetere qui, istam dualitatem confodientes, toto animo incumberent vindicandae unitati numericae : qua iter tandem pararetur planum ac tutum ad diffinitionem conciliarem constituendam, ut jacet. Quorum igitur opera maximopere factum est ut decretum conderetur.

Habes igitur duas sententias, quarum una parum abfuit quin efformando decreto obstaret, altera inservivit. Quaero utra sit diffinitioni tridentinae cognatior. En quaedam specimina orationum.

1. Quod eo aequius est, quia constat ex historia Concilium noluisse ut sua diffinitione dirimerentur questiones difficiliores circa coenae oblationem. Apposite Pallavicini : «De Christi « oblatione selecti Patres ea digesserant quae « communius probabantur, omissis litigiosis, « dicentes, sicuti nunc habetur : Redemptorem « in coena se obtulisse in sacrificium Patri sub « specie panis et vini ; sed quo genere sacrificii « haud exprimebant » (*Hist. Conc. Trid.*, l. 18, c. 5, n. 5).

2. Nuperius est edita eadem *Actorum* pars denuo a S. Ehses in compilatione quae inscribitur *Concilium Tridentinum. Diariorum, actorum, epistularum, tractatuum nova collectio.* Tom. 8, 1919, p. 755-788.

3. Si enim sacrificium propitiatorium Christus litavit praeambulum ad sacrificium crucis, cum non posset illud esse irritum aut imbecille, aut minoris pretii quam crux (eodem scilicet personaliter et immediate offerente utrumque Christo) necesse igitur erat ut illo jam redimerentur homines, pro quibus repropitiandis erat litatum (testante Christo jam effundi HIC ET NUNC sanguinem pro multis IN REMISSIONEM PECCATORUM). Prius igitur ad sacrificium redemptionis jam redempti fuissent homines. Quod tamen nemo sentit (*Acta Genuina*, 2, p. 82-96, passim). Item quantam difficultatem persenserint illi ex doctrina apostolica ad Hebraeos : Christum semel obtulisse, nec nisi semel nos per sacrificium repropitiasse, vide locis citatis. Nonnulli utique reponebant : per propitiationem praeviam sacramentalis coenae minime derogari propitiationi alteri crucis, cum omnes actus Christi fuerint pariter meritorii ante crucem. At parum satisfacere videbatur objectoribus responsio : nec mirum ; nam alia est ratio actionis meritoriae, alia sacrificii propitiatorii. Per actionem meritoriam, secundum seipsam, nulla pactio fit inter merentem et Deum in favorem tertii ; per sacrificium autem propitiatorium pro aliis, fit talis pactio. Quae nisi sit irrita (quod de Christo cogitare nefas), nequit non tollere debitum ad quod recompensandum ordinabatur. Ordinabatur autem actu, ac de praesente, illa litatio Christi ad satisfaciendum PRO MULTIS (id est, pro multitudine hominum expiandorum) IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Imprimis Episcopus Parisiensis, Eustachius du Bellay, sic dixit : «... CHRISTUSQUE IN ILLA COENA SEIPSUM OBTULIT... NON SUNT TAMEN DUAE OBLATIONES, SED UNA CUM ILLA CRUCIS ; nam « in coenae oblatione coeperat pati, et « fuit continuata cum illa crucis : fuitque « expiatoria, quia est eadem cum illa « crucis » (*Acta Genuina*, t. 2, p. 82). Cui postquam concinuit Episcopus Fesulanus (p. 83), jam Leriensis haec addidit : « Est igitur una hostia et UNA « OBLATIO ILLA COENAE ET ILLA CRUCIS : « estque utraque INDIVISIBILIS[1] » (p. 84). Episcopus autem Calvensis : « Neque alia « oblatio, inquit, est illa coenae et illa cru« cis » (p. 92). Rursus Episcopus Niochensis : « ... Et hoc [sacrificium in coena lita« tum sub specie melchisedecica] est idem « cum illo crucis, quod eo tempore ini« tiatum fuit » *(ibid.)*. Antea Panormita« nus : « Probat Christum se in coena ob« tulisse... Et tunc coepit se offerre, per« fecit autem in cruce » (p. 79). Interim vero Vivariensis[2], Campaniensis (p. 86-87), Theanensis (p. 89), Buduensis[3], etc., similia[4]. His magnam partem debemus caput illud primum de institutione missae.

Circa originale autem schema quod praecesserat, juvat recolere gravem censuram[5] viri amplissimi Adolphi III (de Schaumburg), archiepiscopi Coloniensis apprime catholici, suffecti in locum Hermanni de Wied apostatae. Is contra quosdam aaronico nescio cui sacerdotio Christi deputantes passionem, ut coenam solam reservarent sacerdotio Melchisedecico, sic doctrinam per saecula traditam de unico Christi sacerdotio defendit ipse, ut ex unitate individua dominicae litationis evinceret valide : « Christus, inquit, quo« niam sacerdos erat secundum ordinem « Melchisedech, figuras quidem panis et « vini retinuit in sacrificio, sed tamen res « illas in res praestantiores et sacrificium « potius convertit, et Patri coelesti IN « COENA offerens, SUB SPECIEBUS ISTIS « CORPUS ET SANGUINEM SUUM OBTULIT « SUIS MANIBUS IN SACRIFICIUM QUOD IN « CRUCE MANIBUS ALIORUM CONSUMMA« RETUR ET PERAGERETUR... Sicut sa« cerdotium Melchisedech Christi divinis« simum sacerdotium adumbrabat, ita et « ejusdem [Melchisedech] edibile et fran« gibile panis et vini sacrificium, Christi « sacrificium divinissimum, quod in cruce « atterebatur sed non consumebatur, a « nobis vero in sacramento editur, signi« ficabat... Venerat hora ejus qua tra« deretur in manus peccatorum et transiret « ex hoc mundo ad Patrem. ILLA ITAQUE « HORA CUM JAM ADESSET, SE OBTULIT « PATRI SUIS MANIBUS ; mali vero quibus « tradebatur, ab eo tundendo, atterendo, « flagellando et crucifigendo non cessa« bant, DONEC SACRIFICIUM QUOD IN PANE « ET VINO OFFEREBATUR, IN CRUCE CON« SUMMASSENT... Cui sententiae concor« dant omnes Scripturae et Patres, qui « a sacrificio coenae sacrificium crucis

1. Innitebatur expresse Episcopus Leriensis testimonio supra (Elucid. VII) recitato S. Thomae (3 S. 83, 5, 3m), computantis coenam inter partes passionis tanquam numero tertiam. Praemiseratque : « Fuit propitiatorium [sacri« ficium coenae] per modum hostiae oblatae in « cruce. »

2. « Christus seipsum obtulit in coena expia« tivo modo ; est enim una eadem hostia, et « unum et idem sacrificium cum illo crucis » (p. 85).

3. « Christusque se obtulit in coena : quae « oblatio eadem fuit cum illa crucis » (p. 90).

4. Decem ante annis, inter XIV et XV sessionem, praecucurrerant theologi ac episcopi nonnulli. Inter theologos Franciscus Sonnius : « Christus coepit tunc offerre in coena, et in « cruce consummavit... Una et eadem oblatio « est quae facta est in coena, et quae in cruce » (*Acta Genuina*, 1, 612). Item Jacobus Ferrusius : « [Coena] fuit verum sacrificium respectu « ad mortem quae instabat et postea sequuta « est in cruce » (p. 623). Ex episcopis notatu dignissimus est Clodiensis, in sua refutatione Bituntini. Bituntinus negaverat « Christum in « coena obtulisse seipsum, quia alias gratis [i. e. « frustra] mortuus esset, quia illud [coenae sacri« ficium] suffecisset ad reconciliandum nos Deo » (p. 640). Solvit Clodiensis objectionem hoc uno asserto : « idem esse illud coenae [sacrificium] et « illud crucis » (p. 641) : unde non sequitur otiosam fuisse mortem Christi ; siquidem ambo non fuerunt nisi unum sacrificium.

5. Propositam in Congregatione Generali, ante XV Sessionem, die 14° januarii 1552 (*Acta Genuina*, 1, 645).

« non separant, sed eidem includunt eo « modo quo ei poterat includi, hoc est « modo incruento ; quo tamen modo NON « ERAT ALIUD QUAM IPSISSIMUM ILLUD SA- « CRIFICIUM, QUOD JAM OFFEREBATUR,... « DONEC CONSUMMARETUR. Quae cum sit « VERISSIMA et CATHOLICA sententia, vi- « dentur nobis pauca quaedam doctrinae « verba, QUAE POSSENT IN DIVERSAM SEN- « TENTIAM TRAHI, mutanda esse » (Le Plat, *Monumentorum... Concilii Tridentini*, t. 4, p. 408-409; cf. fusiora in eumdem sensum, p. 410-412). Verba autem quae Coloniensi displicebant, haec erant : « Christus in cruce perfunctus sacerdotio Aaron », etc. : quae, obtemperantibus Patribus saluberrimae sui collegae monitioni, sunt ex schemate deleta[1].

Non igitur solum inservivit doctrina de unitate litationis dominicae commendando decreto Tridentino, sed etiam schemati vitioso emendando.

SECTIO II. — TENOR DIFFINITIONIS.

Concilium aliquam adseruit unitatem inter missam et crucem his verbis : « Una « enim eademque est hostia, idem nunc « offerens sacerdotum ministerio, qui se « ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi « ratione diversa. » Quanquam scilicet sacrificia multiplicantur multiplicatis oblationibus, tamen inter crucem et missam servatur vera quaedem unitas ratione hostiae quae offertur.

Jam vero aut ipsa hostia crucis, omnino in quantum talis, intellegitur offerri Deo in missa (ad modum qui amplius infra, in Elucid. XIX–XX, exponetur) : et tunc clarescit omnino illa unitas quae a Concilio defenditur.

Aut nova quapiam immolatione affectus reali Christus offerri intellegetur (ut mos est apud plerosque modernos) ; aut tandem expers cujusvis conditionis immolatitiae intrinsecae, sive antiquae sive recentis, ut paucis (quanquam egregiis) visum est. Jam vero in hoc ultimo casu, ut infra (Elucid. XXIV) disputabitur, interire videtur sacrificii realitas, deficiente veritate hostiae, siquidem corpus et sanguis Christi nihil immolatitii jam sonant nisi extrinsecum, penes symbola. Casu autem proxime superiore, utique non interit sacrificii veritas, immo exaggeratur ; sed jam difficile perspicitur quomodo servetur illaesa illa unitas quae a Concilio inter sacrificium crucis et sacrificium missae diffinitur, *sola offerendi ratione diversa*[2]. Non sola differt offerendi ratio, ubi differt et immolatio : quam ponis aliam fuisse in cruce, aliam nunc (nec numero tantum, sed et specie aliam) in missa fieri[3].

Jam vero ex missa retro ad coenam argumentari fas est. Si enim in missa Christus offertur ut immolatus in cruce, debuit in coena offerri ut in cruce immolandus. Si nos offerimus mortem Christi anteactam, debuit Christus (ut nos contendimus) offerre suam mortem imminentem. Nequit unum in missa praedicari, nisi et alterum quoad coenam concludatur. Nisi igitur nobiscum sentias in coena, minus videberis Concilio quoad missam consentire[4].

Consentiebat perbelle ille qui paullo

1. Jam nonnulli Patres praeierant Coloniensi in reprobando ordine Christi aaronico ; sed nullus ita efficaciter.

2. Quomodo diversa sit in utroque *ratio offerendi*, etiam juxta acceptionem maxime literalem Decreti, expositum est supra (Elucid. IX).

3. Necesse igitur videtur ut excludatur a missa sacrificium absolutum, id est, tale quod, etiam seclusa cruce, omnia in se integraret elementa sacrificiorum ; et ponatur missa esse non solummodo sacrificium relativum ad crucem (omnia enim sacrificia veteris Legis erant relativa ad crucem, quam repraesentabant venturam, et tamen erant absoluta), sed etiam atque omnino sacrificium ESSENTIALITER relativum, id est tale quod seorsim a cruce nullum foret sacrificium. — Sed (rursus dico) haec nostra ex tenore Decreti illatio pro tanto valere existimanda est, pro quanto Synodus acceptione stricta vocabuli *oblatio* usa esse censebitur (recole adnotata superius in Elucid. IX). Quod si latam et vagam fuisse acceptionem opinaberis, utique effugies nostram conclusionem. At ipse videas sitne tuta satis ista sermonis Tridentini exegesis minus literalis. Et praesertim caveas ne strictiorem, semel a te desertam, nobis unquam opponas.

4. Alia via, videtur sibi Cardinalis Cienfue-

prius quam ederetur Concilii Decretum, jam scripserat : « Missae sacrificium, si « rem omnem aeque perpendimus, est « revera DOMINICAE PASSIONIS et illius « CRUENTI SACRIFICII, quod in cruce pro « nobis est oblatum, sancta quidem et viva « repraesentatio atque simul INCRUENTA et « efficax OBLATIO » (B. Petrus Canisius, *Opus catechisticum*, de sacramentis, q. 7). Qui autem haec scripsit, implicite tradidit : coenam, pro diversitate temporum et respectuum, fuisse oblationem incruentam cruenti sacrificii, quod in passione et cruce erat Christus consummaturus.

gos posse ex doctrina conciliari deducere unitatem numericam sacrificii coenae ac passionis : « Sacerdotium, inquit, per quod conficiendum « erat a Christo Domino sacrificium Crucis, « talis erat naturae et ordinis juxta Concilium, « ut morte extinguendum non foret : *Quia tamen « per mortem sacerdotium ejus extinguendum non « erat* etc. Extingueretur autem secundum ordinem aut ritum secundum quem confecisset cruentum », si foret diversum ab illo sacerdotium secundum ordinem Melchisedech in pane et vino eucharistico (*Vita abscondita*, disp. 6, sect. 2, § 1. Romae, 1728, p. 450). Non neganda forte est vis omnis illius recursus ad sermonem Tridentinum. Attamen vereor ne ultra fas prematur connexio sententiarum logica, ac proinde urgeatur adserti sacerdotii unitas identitasve omnimoda plus quam per se exigit diffinitio.

Elucidatio XI.

Non sine ratione congrua valde Christus in coena factus est particeps cibi atque potus eucharistici.

CAPUT IV.

DE CIBATIONE CHRISTI EUCHARISTICA.

§ 1. Testimonia.

Christus sumpsitne ipse eucharistiam? Multi recentiores negant; at veteres mirabili consensu affirmavere. Et primo quidem ex Scriptura, quidquid in contrarium asserat sive Knabenbauer (*In Matth.*, t. 2, p. 437, et *In Marc.*, p. 378) sive Berning (op cit., p. 87 et 119), nihil obstat[1] quominus illud fecisse censeatur Christus, ut ex protestantibus confitetur Goguel (*L'Eucharistie des origines à Justin, martyr*, p. 80-81).

Immo videtur ex ipsa Scriptura suaderi Christi concoenatio, et quidem dupliciter.

Primo quidem, ex usu qui apud Judaeos vigebat, ut in coena paschali paterfamilias praegustaret calices antequam aliis traderet potandos (Goguel, loc. cit.).

Secundo, ex verbis quibus post coenam[2] Christus, apud *Matthaeum* 26^{29} et *Marcum* 14^{25}, negat se bibiturum amplius de genimine vitis usquedum bibat illud novum in regno Dei. Quorum ultimorum verborum sensus est anagogicus. Sicut enim prior ille calix communis praefigurabat novum pascha in sanguine Christi regnumque Dei in terris instaurandum (*Luc.* 22^{18}), sic ipse calix coenae eucharisticus pignus fuit consummandi regni Dei in caelis communionisque cum Christo fruendae in gloria, sine velo vel fidei vel sacramenti; cum Christus, ipse princeps inter fratres, nobiscum compotabit torrentes voluptatis Dei et epulabitur in bonis ejus, secundum illud *Lucae* 22^{29-30}: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Dum igitur Christus se negat amplius bibiturum de calice eucharistiae, fatetur aut certe innuit se bibisse.

Sed maxime sententia affirmans fulget lumine traditionis. Etenim cum nullum adversarium habeat (quem norim) ex sanctis Patribus, habet praeterea patronos plurimos inter Latinos et inter Graecos et inter Syros.

In affirmatione explicita praeit omnibus Irenaeus in quinto adversus haereses. Christus, inquit, « ad passionem veniens, « ut evangelizaret Abrahae (et iis qui cum « eo) apertionem haereditatis, cum gratias « egisset, tenens calicem, et BIBISSET ab « eo, et dedisset discipulis, dicebat eis : « *Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus* » (*Adv. Haer.* 5, 33, 1. P.G. 7, 1212).

Irenaei discipulus, Hippolytus[3], con-

1. Si quid non asseritur, non eo ipso negatur. Multa enim non expresse asseruntur, quae tamen tacite innuuntur. Alia vero, ne implicite quidem posita, multum abest quin pro tanto excludantur.

2. Quod vero hic supponitur monitio Christi iterata post eucharisticam coenam iisdem fere verbis quibus ante praecesserat, quanquam sensu diverso, illud non magnam faciet difficultatem cogitanti : 1°) sensum quamvis diversum, non esse disparatum ; immo superponi unam monitionem alteri, sicut typo antitypum. Ad cujus intellectum facit non parum verborum geminatio. 2°) Hujusmodi geminationes pertinere maxime ad sollemnitatem amplitudinemque styli liturgici : quo hic utitur Christus, sicut apud Joannem in sermone post coenam habito et potissimum in oratione sacerdotali duplicatis locutionibus referta.

3. Cujus verba refert *Chronicon paschale*, P.G.

tra Asianos, seu quartodecimanos catholicos, defendens usum romanum, negat in nocte coenae esse manducatum a Domino agnum legalem. Censebatur igitur ab Hippolyto Dominus manducasse coenam sacramentalem : siquidem legalis illa excluditur, et tamen (inquit iste) « coenam... coenavit ». Immo de hac jam una potuit, in sententia Hippolyti, dixisse Christus (*Luc.* 22^{15}) : *Desiderio desideravi* HOC PASCHA *manducare vobiscum antequam patiar.* Et reapse testatur Dionysius Bar Salibi[1] Hippolytum voluisse ut, in illo dicto, pascha a Christo intellegeretur non legale, seu figurativum, sed verum, in passione adimplendum, praelibandumque in eucharistia. Nuntiavit ergo secundum Hippolytum Christus, fore ut ipse manducaret eucharistiam.

Non minus diserte quam Hippolytus, Eusebius Caesariensis in eucharisticum passionis dominicae pascha coenandum flectit, apud *Lucam* 22^{15}, Christi desiderium : « Nam prisca illa vel potius « antiquata, quae cum Judaeis mandu- « cabat, non erant desiderabilia : novum

92. 80 : « Quomodo neque initio neque in fine « mentitus sit [Christus], evidens est. Quoniam « qui dudum praedixerat : *Jam non manducabo* « *pascha,* convenienter coenam quidem coenavit « ante pascha, pascha autem non manducavit, « sed passus est. Non enim [pascha] erat tem- « pus cibationis ejus. » Si putaveris coenam hic assignari neque legalem (quam excludit Hippolytus) neque sacramentalem (quam nos intellegimus), parum salsam facis assertionem Hippolyti : convenienter (εἰκότως) Christum coenasse coenam ante Pascha illud suae mortis quod passus est. Non enim, si in communi coena insistas, quicquam convenientius deprehenditur in ultima coena coenanda quam in paenultima aut anteriore ulla. Ceterum, argumentum alterum ex *Luc.* 22^{15} est (quantum ad mentem Hippolyti explicandam) indeclinabile.

1. In *Commentario ad evangelium Matthaei* atque in opere *De feria quinta majore* [vel de paschate] *et de institutione eucharistiae* (R. 2, 297). En verba Hippolyti super illum versiculum Lucae : « Passionem suam designabat, ad cujus « similitudinem accepit panem et fregit, pridie « quam pateretur, docens eos ne cum Judaeis « agnum immolarent et comederent. Ipse enim « erat qui tanquam agnus pro ipsis mactandus « erat ea die quam prophetae de eo praedi- « xerant. » Hippolyto adnumerat Dionysius Bar Salibi duos interpretationis ejusdem auctores Syros (a quibus tamen quoad omissionem paschae legalis dissentit ipse, nec mirum : cum syriacae liturgiae in celebrationem paschae legalis asserendam conspirent ; inter quas, Dionysio antiquiores, videsis Liturgiam Dioscori, Liturgiam Philoxeni I, Liturgiam Philoxeni II, Liturgiam Mosis Bar-Kepha. R. 2, 288 ; 302 ; 312 ; 393 ; cf. B. LVIII-LIX).

Accensendus per omnia Hippolyto est Joannes Philoponus, scribens : « Non typicum ac « legale pascha veteris testamenti Christus cum « discipulis in mystica coena manducavit, sed « proprium ac verum novi testamenti. » Rursusque : « Si novi testamenti fuit [pascha] illud « quod dabatur discipulis, profecto et de hoc « dicebat Dominus : *Desiderio desideravi hoc* « *pascha manducare vobiscum, antequam patiar* » (*Disputatio de paschate,* ed. B. Corderii S. J., Vindob. 1630, p. 298-299 et 292. cf. p. 291). Similiterque Graecus quidam anonymus, quem recenset Photius in sua *Bibliotheca* (cod. 115. P. G. 103, 392) dicentem (remoto agno legali) Christum nullam aliam in coenaculo edisse coenam nisi sacramentalem. Idem asserit Meletius ille qui refertur auctor Epistulae cujusdam ps. damascenicae (P.G. 95, 395). Idem rursus legitur in quodam opusculo ps. athanasiano *De Azymis* (P.G. 26, 1329). De cognatione illorum duorum opusculorum videsis R. S. R., Oct. Déc. 1916, p. 472.

Alii nonnulli, cibationem Christi eucharisticam non explicite jam tradentes, tamen implicite admittunt, qua parte, sicut superiores, removent a Christo manducationem agni paschalis. Oportuit enim ut Christus secundum eos concupisceret (apud *Lucam* 22^{15}) manducare pascha in propria sua carne et cruore. Ita ante Hippolytum atque Irenaeum, sanctus Claudius Apollinaris, Hierapolensis episcopus, in quodam suo libro de Paschate, cujus verba citantur in *Chronico paschali* (loc. cit.). Post Hippolytum vero Clemens Alexandrinus, etiam in suo libro de Paschate, citato ibidem (col. 81 : non sicut « superioribus annis manducavit pascha [typicum] « a Judaeis immolatum » Dominus, cum « ipse « esset pascha, agnus Dei, sicut ovis ad occisionem « ductus », « ipse cum pascha esset, immolatus « a Judaeis ». Petrus deinde Alexandrinus martyr, ibidem allegatus (col. 77) ; cujus opusculum, inscriptum *De eo quod recte Judaei decimam quartam primi mensis lunae statuerint,* videtur Petavius (*De doctrina,* l. 12, c. 15, Antverpiae 1703, t. 3, 240-241) habuisse prae manibus integrum ! Postea in idem conspirant alter quidam anonymus Graecus relatus a PHOTIO in *Bibliotheca* (cod. 116, col. 393), et auctor *Chronici paschalis* (loc. cit.) ; aliique deinceps Graeci permulti in sua cum Latinis disceptatione de fermentato et azymo : v. g. Petrus Antiochenus, *Epist. ad archiep. Gradensem,* n. 13 sq. ; *Ep. ad Michael. Caerul.* n. 22. P.G. 120, 768 sq. ; 813. Idem defenderunt impugnatores Armenorum, utputa Isaacus, *Invectiva I contra Armenos,* c. 7, § 3, et *Invectiva II contra Armenos,* c. 10. P.G. 132, 1177-1180 et 1225.

« autem mysterium Novi sui Foederis, « quod suis discipulis tradebat, merito « erat ipsi desiderabile » (*De solemnitate paschali*, 5. P.G. 24, 700).

Chrysostomus non tam judicandus est probasse factum ex principiis necessariis, quam aliunde notum illustrasse ratione probabili, dum scribit : « Et ipse « quoque ex illo bibit. Ne enim haec audi- « entes dicerent : Quid ergo ? sanguinemne « bibimus, et carnem manducamus ? et « turbarentur (nam cum hac de re verba « faceret, de ipsis verbis multi offensi sunt), « ne itaque tunc turbarentur, primus ipse « hoc facit, ut illos ad mysteriorum parti- « cipationem tranquillo animo subeundam « induceret. Ideo ergo suum ipse sangui- « nem bibit » (*In Matth.*, hom. 82, n. 1. P. G. 58, 739).

Hesychius etiam, typice de Christo interpretans illud (*Lev.* 8^{23-24}) : *De sanguine reliquum fudit super altare per circuitum* : « Quod et Christum, inquit, fe- « cisse invenimus ; bibens enim ipse et « apostolis bibere dans, tunc intelligibilem « sanguinem super altare, videlicet suum « corpus, effudit » (P.G. 93, 883)[1].

Ps. Dionysius in *Ecclesiastica Hierarchia* (c. 3, n. 3, § 1. P.G. 3, 428) Judam vocat « eum qui CUM DOMINO SACRA « animo nec pio nec concordi CONCOE- « NAVERAT. » Unde ejus apparet opinio : cum Juda Dominum etiam coenasse in sacramento.

In eadem sententia est atque Hippolytus sanctus Eutychius Constantinopolitanus, scribens in opusculo *De paschate et sacrosancta eucharistia* (P.G. 86bis, 2393) : « Coena illa mystica est de « qua apud Lucam dicit Dominus : *Desi- « derio desideravi hoc Pascha manducare « vobiscum antequam patiar*. Igitur ante « passionem Pascha manducavit, mysti- « cum scilicet. »

Theophylactus vero de calice eucharistico haec habet (*In Matth.* 26^{29}. P.G. 123. 445) : « SUMPTO POCULO [Christus] « renuntiat deinceps corporali potioni. »

Euthymius autem Zigabenus ulterius et de eucharistico pane : « Quod si « poculum participavit, utique et PANEM » (*In Matth.* $^{28-29}$. P.G. 129, 669).

Similiter ex Syris praestantissimi invocari possunt. Aphraates, cujus verba jam audivimus supra (Elucid. III) dicentis : « Corpus suum manducavit et « bibit suum sanguinem. » S. Ephraem, cujus testimonium recitat in sua *Expositione liturgiae* Dionysius Bar Salibi[2] : « Mar Ephrem dicit : manducaverunt dis- « cipuli corpus ejus, et ipse cum eis man- « ducavit ; biberunt sanguinem ejus, et « ipse cum eis bibit. » (*Exp. lit.*, c. 12. C. S. C. O. t. 93, p. 74).

Latinorum agmen ducit Tertullianus, dum Marcionis errorem, Creatorem a Patre dividentis, ex eo convellit quod Christus panem in suum corpus consecravit, cum Pascha manducare voluit ; quod non manducavit sane ut alienum, id est ex bonis alius cujuspiam creatoris confectum, sed utique ut suum : unde suum Patrem demonstrat esse creatorem panis : « Professus itaque se concupiscentia con- « cupisse EDERE Pascha ut suum (indig- « num enim ut quid alienum concupisce- « ret Deus), acceptum panem et distribu- « tum discipulis, corpus illum suum fecit, « *Hoc est corpus meum* dicendo[3] » (4 *Adv. Marc.* 40. P.L. 2, 460).

Sequitur Cyprianus scribens : « NEC « NOS sanguinem Christi POSSEMUS bibere, « NISI Christus... CALICEM PRIOR biberet, « in quo credentibus propinaret » (*Ep.* 63,

1. Conferantur illa quae habet idem statim post recitatos versiculos 22-26 ejusdem capitis octavi (col. 882 A) : « PASCHA MYSTICUM quod « Christus cum discipulis comedit... »

2. Ex sua secta monophysitica adducit ipse in eumdem sensum Jacobum Edessenum († 708), Cyriacum Antiochenum († 817), Mosen Bar-Kepha († 903) ; quibus assentit ipse (*ibid.* et cap. 18, p. 96). Verba Cyriaci aut Mosis Bar-Kepha non (sicut Ephraemi aut Jacobi Edesseni) recitat noster Dionysius. Sed nuper est edita atque anglice versa ab R. H. Connolly et H. W. Codrington Mosis Bar Kepha *Explanatio Mysteriorum oblationis* (*Two Commentaries on the Jacobite Liturgy*,... Texts and English Translation Oxford, 1913), ubi et verba Mosis reperiuntur et allegantur verba Cyriaci (vid. p. 53 et 55).

3. Cf. supra, Elucid. IV.

n. 7. P.L. 4, 379). Quod quam vere sit dictum, inferius constabit.

Accedit Hilarius, cujus mens inde innotescit quod a participatione eucharistiae removens Judam dicit : « Neque sane « bibere CUM DOMINO poterat, qui non erat « bibiturus in regno : cum universos tunc « bibentes ex vitis istius fructu bibituros « secum postea polliceretur » (*Commentarius in Matthaeum*, cap. 30, n. 2. P.L. 9, 1065). Quod si alii « cum Domino » tunc biberunt, bibit ipse Dominus : qui nisi biberet, non cum eo bibere quis dici posset.

Hieronymus quidem non adeo fidenter est advocandus[1] in *Epistula* 120, c. 2 (P.L. 22, 986), ubi explicans monitionem Domini (*Matth.* 26^{29}) : fore ut jam non biberet de genimine vitis nisi nobiscum in regno Dei, scribit : « Ipse conviva et convivium ; « ipse comedens et qui comeditur. » Sunt nimirum haec verba intellegenda non de manducante eucharistiam Christo in coena cum discipulis, sed utique nobiscum in Ecclesia, quatenus : et nos, implentes praecepta Dei, eodem cibo utamur quo Christus, cujus cibus est ut faciat voluntatem Patris ; et ipse Christus, caput nostrum, censeatur per nos in Ecclesia comedere cibum eucharisticum[2].

Quae interpretatio evidentior sane fiet, si ad Origenis *Commentarium in Matthaeum*[3] respexerimus, unde tacite Hie-

1. Ut fecerunt mediaevales passim : v. g. sanctus Thomas, 3 S. 81, 1, *sed contra*.

2. En locum : « Quomodo accipiendum sit « illud Salvatoris apud Matthaeum : *Dico autem* « *vobis : non bibam amodo de hoc genimine vitis,* « *usque in diem illum, quo bibam illud novum* « *vobiscum in regno Patris mei.* Ex hoc loco qui- « dam mille annorum fabulam struunt, in quibus « Christum regnaturum corporaliter esse con- « tendunt, et bibiturum vinum, quod ex illo « tempore usque ad consummationem mundi « non biberit. Nos autem audiamus panem, « quem fregit Dominus, deditque discipulis « suis, esse corpus Domini Salvatoris, ipso « dicente ad eos : *Accipite, et comedite, hoc est* « *corpus meum* ; et calicem illum esse de quo « iterum locutus est : *Bibite ex hoc omnes : hic* « *est enim sanguis meus novi Testamenti, qui* « *pro multis effundetur*... Si ergo panis qui de « coelo descendit, corpus est Domini ; et vinum, « quod discipulis dedit, sanguis illius est, novi « Testamenti, qui pro multis effusus est in re- « missionem peccatorum : Judaicas fabulas « repellamus, et ascendamus cum Domino « coenaculum magnum, stratum atque munda- « tum, et accipiamus ab eo sursum calicem novi « Testamenti ; ibique cum eo Pascha celebrantes, « inebriemur ab eo VINO SOBRIETATIS : *non enim* « *est regnum Dei cibus et potus, sed justitia et* « *gaudium et pax in Spiritu Sancto* ; nec Moyses « dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, « ipse conviva et convivium, ipse comedens et « qui comeditur. ILLIUS BIBIMUS SANGUINEM, « ET SINE IPSO POTARE NON POSSUMUS, et quo- « tidie in sacrificiis ejus de genimine vitis verae... « rubentia musta calcamus, et novum ex his « vinum bibimus de regno Patris... Hunc panem « et Jacob patriarcha comedere cupiebat, dicens : « *Si fuerit Dominus Deus mecum, et dederit* « *mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad* « *operiendum* ; quotquot enim in Christo baptiza- « mur, Christum induimus, et panem comedimus « angelorum, et audimus Deum praedicantem : « *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus* « *qui me misit Patris, ut impleam opus ejus.* « FACIAMUS IGITUR VOLUNTATEM EJUS, QUI « MISIT NOS PATRIS, UT IMPLEAMUS OPUS EJUS ; « ET CHRISTUS NOBISCUM BIBET IN REGNO « ECCLESIAE SANGUINEM SUUM. »

3. En verba Origenis : « Non est regnum Dei « esca et potus his qui exhibuerunt se dignos pane « coelesti et pane angelorum et esca illa de qua « dicit Salvator : *Mea esca est ut faciam volun-* « *tatem ejus qui me misit et perficiam opus ejus.* « Quoniam autem in regno Dei manducabimus « et bibemus, ex multis locis Scripturarum est « demonstrare, praecipue ex eo quod scriptum « est : *Beatus qui manducaverit panem in regno* « *Dei.* Ergo implebitur in regno Dei hoc pascha, « et manducabit eum Jesus cum discipulis suis « et bibet... Quomodo autem dat Deus panem, « significat et Jacob dicens : *Si fuerit Dominus* « *meus mecum, et dederit mihi panem ad mandu-* « *candum, et vestimentum ad vestiendum, omnia* « *quaecumque mihi, Domine, dederis, decimam* « *decimabo tibi.* Item scriptum est in evangelio « secundum Joannem : *Non Moyses dedit vobis* « *panem, sed Pater meus dat vobis panem de coelo* « *verum*... Nunc quidem nondum impletum [pas- « cha], tunc autem impletum, cum nos praeparati « fuerimus ad capiendum pascha plenum, quod « venit ut impleat qui *non venit solvere legem, sed* « *adimplere* ; et nunc quidem implere *quasi per* « *speculum in aenigmate* impletionis : *tunc autem* « *facie in faciem* implere, cum venerit quod per- « fectum est. Si ergo et nos volumus panem « benedictionis accipere ab Jesu, qui consuetus « est eum dare, eamus in civitatem in domum « cujusdam, ubi facit Jesus pascha cum disci- « pulis suis, praeparantibus ipsum notis ipsius, « et ascendamus ad superiorem partem domus « magnam et stratam, et praeparatam, ubi « accipiens a Patre calicem et gratias agens, dat « eis qui cum ipso ascenderint, dicens : *Bibite,* « *quia hic est sanguis meus novi testamenti,* qui « et bibitur et effunditur : bibitur quidem a « discipulis, effunditur autem in remissionem « peccatorum commissorum ab eis a quibus

ronymus commentarium suum accepit[1].

Ceterum eo ipso quod interventus ille Christi, veluti potantis nobiscum spiritualiter in missa, exhibetur sub specie ac veluti imagine compotantis nobis in coenaculo, nescio annon suadeatur certe : esse ab Hieronymo et ab Origene creditum Christum bibisse de calice eucharistico cum concoenantibus sibi discipulis.

Nec dubitatione caret auctoritas Augustini ex libro *De doctrina christiana*, c. 3, n. 4 (P.L. 34, 37) : « Sacramento « corporis sui PRAEGUSTATO significavit « quod voluit » ; ubi fortasse pro « praegustato[2] » legendum est « per gustatum » (intellege : discipulorum coenantium). At alio loco videtur sanctus Doctor aliquid ad rem habere, cum super illud *Psalmi* 68[22] *Dederunt in escam meam fel*, sic perorat : « Non ipsum quod dederunt esca erat, « potus enim erat ; sed in escam dederunt : « quia jam Dominus escam acceperat, et « in ipsam injectum est fel. ACCEPERAT « AUTEM IPSE ESCAM SUAVEM, quando « pascha manducavit cum discipulis suis : « ibi SACRAMENTUM SUI CORPORIS demonstravit. In hanc escam tam suavem, tam « dulcem unitatis Christi, quam commen- « dat Apostolus, dicens : *Quia unus panis*, « *unum corpus multi sumus*, in hanc escam

« bibitur et effunditur. Si autem quaeris quo- « modo etiam effunditur, discute cum hoc verbo « etiam quod scriptum est : *Quoniam charitas* « *Dei effusa est in cordibus nostris*. Si autem « sanguis testamenti infusus est in corda nostra « in remissionem peccatorum nostrorum, effuso « eo potabili sanguine in corda nostra, remit- « tuntur et delentur omnia quae gessimus ante « peccata. Ipse autem qui, accepto calice, dicit : « *Bibite ex hoc omnes*, nobis bibentibus non dis- « cedit a nobis, sed BIBIT EUM NOBISCUM, CUM « SIT IN SINGULIS IPSE : quoniam NON POSSUMUS « SOLI ET SINE EO VEL MANDUCARE DE PANE « ILLO, VEL BIBERE DE GENERATIONE ILLIUS « VITIS VERAE. Nec mireris quoniam ipse est « panis, et manducat nobiscum panem ; ipse « est et potus generationis de vite, et bibit no- « biscum. Omnipotens est enim Verbum Dei, « et diversis appellationibus nuncupatur, et « innumerabilis est ipse secundum multitudinem « virtutum, cum sit omnis virtus unus et ipse » (Origenes, *In Matthaeum*, juxta *seriem veteris interpretationis commentariorum Origenis* in Matthaeum, n. 86, P.G. 13, 1735-1737).

1. Ex comparatione inter Hieronymum et Origenem abunde claret, non esse intellegendum locum Hieronymi in illo sensu quem, post Suarezium (*De Eucharistia*, in 3 S. 81, 1, commentarius, n. 1), judicat Knabenbauer (loc. cit.) probabilem : « Comedit agnum [legalem] « vel alios cibos, et se praebuit aliis comeden- « dum. » Ceterum interpretationem suam Hieronymus suggerit ipse Origeni consentaneam in suo *Commentario in Evangelium Matthaei* (l. 4, c. 26. P.L. 26, 196) : « ...Cum, inquam, credi- « derint [Judaei] in Deum Patrem, et adduxe- « rit eos Pater ad Filium, tunc de vino eorum « bibet Dominus, et in similitudinem Joseph « regnans in Aegypto, inebriabitur cum fra- « tribus suis. » Similem interpretationem invenies, et Ecclesiae tempora et aevum coelestis aulae complectentem, apud Nazianzenum, *Or.* 45 *in Sanctum Pascha*, c. 23 (P.G. 36, 656). Pariter S. Ambrosius in libro *De Mysteriis*, 57 (P.L. 16, 408), agens de eucharistia, scripserat : « Illud « autem non dubium, quod IN NOBIS IPSE MAN- « DUCAT ET BIBIT. » Transivit autem ista expositio ad alios nonnullos scriptores ecclesiasticos, ut auctorem (latinum) *Operis imperfecti in Matthaeum*, hom. 47, inter opera Chrysostomi, P.G. 56, 899 ; Paschasium Radbertum, *Expositio in Matthaeum*, l. 12, P.L. 120, 895-896, *Lib. de corpore et sanguine Domini*, c. 21, n. 2, col. 1331, et *Epist. ad Frudegardum*, col. 1358-1359 ; Brunonem Astensem, *Commentarius in Matthaeum*, pars. 4, P.L. 165, 291. Nec mirum quod tandem scripsit Honorius Augustodunensis : « Christus verus sacerdos secundum ordi- « nem Melchisedech, qui corpus suum in utero « virginis formaverat, solus etiam per quemlibet « catholicum sacerdotem hoc ipsum consecrat, « et IPSE SOLUS IN SUIS MEMBRIS PERCIPIT ; « et ipse hoc etiam solus suis porrigit, qui in « omnibus electis consummatus coelos ascendit. « Ergo dum nullus sacerdos nisi ipse Christus « per ministerium sacerdotum corpus suum con- « ficere probetur, non minus per flagitiosissimi... « quam per sanctissimi ministerium hoc corpus « conficitur, quod etiam a NULLO NISI A SOLO « CHRISTO in suis percipitur » (*Eucharisticon*, c. 6, P.L. 172, 1253).

2. Quam lectionem testatur editor benedictinus (P.L. 34, 37) perpaucis exhiberi codicibus : aliis quidem optimae notae quinque (quibus concordant Eugippii *Excerpta ex operibus sancti Augustini*, juxta recensionem Pii Knoell, Vindobonae 1885, excerpt. 253, p. 822) referentibus « per gustatum », tribus vero aliis « per gustum ». Et re quidem vera, si attendatur series sententiarum enumerantium signa varia, quibus ad hominum sensus (odoratum, gustum, tactum et auditum) manifestavit Dominus sua consilia, jam, vereor, minus probabilis existimabitur tenor ille editae lectionis.—Notatu interea dignum est, quod Knabenbauer (loc. cit.), excepto Chrysostomo, non putat ullam favere coenationi dominicae auctoritatem Patrum, nisi Augustini et Hieronymi ; quarum utramque certe nos in dubium revocamus.

« suavem quis est qui dat fel, nisi contra-« dictores evangelii, tanquam illi persecu-« tores Christi... Quod ergo fecerunt Ju-« daei, ut in escam quam jam acceperat « darent bibendum illum amarum potum, « hoc faciunt qui male vivendo scandalum « inferunt Ecclesiae ; hoc faciunt haeretici « amaricantes. » Suo more Augustinus rem eucharistia significatam et effectam, unitatem dico Ecclesiae, prae oculis habet potissimum ; at non divulsam illam a re contenta et significante, corpus dico Christi : siquidem appellat ad coenationem quamdam cum discipulis factam, eamque paschalem, in qua sacramentum dominici corporis sit confectum. Hanc porro coenam, hanc escam suavem tenet Augustinus a Domino esse sumptam prius quam, saevientibus Judaeis, crux conscenderetur.

Medio postea aevo Rabanus Maurus (*In Ruth*, 3[7]. P.L. 108, 1212-1213) explicite adserit participem Dominum in coena fuisse traditi discipulis corporis et sanguinis : « *Cumque comedisset Booz* « *et bibisset, et factus esset hilarior, ivisset-* « *que ad dormiendum, juxta acervum mani-* « *pulorum venit abscondite, et discooperto* « *a pedibus ejus pallio se projecit.* Comedit « Dominus noster et bibit, cum in coena « mystica corporis et sanguinis sui sacra-« menta apostolis suis tradidit ; unde *pueri* « *ejus*, sicut scriptum est, *communicave-* « *runt corpori et sanguini, et ipse similiter* « *participavit idem. Factus est hilarior*, « quia certus erat de sua resurrectione et « nostra redemptione[1]. »

Paschasius etiam Radbertus ad coenam consecrati panis et calicis refert illud Domini : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (*In Matthaeum*, l. 12. P.L. 120, 893).

Rupertus autem Tuitiensis verba Hilarii superius recitata refert approbans (*De gloria et honore Filii hominis*, l. 10. P.L. 168, 1544)[2].

Ex tam densissima autem silva scriptorum veterum vel mediaevalium, unus mihi occurrit contradicens Petrus Pictaviensis, cujus haec verba : « Nunquam « sacramentaliter accepit, sed manibus ; « ad sumendum sacramentaliter, discipulis « dedit ; et ideo dicitur sacramentaliter « accepisse, quia in manibus ad dandum, « non in ore ad manducandum » (*Sententiarum* lib. 5, c. 13. P.L. 211, 1254). Hoc autem uno, quem noverim, excepto, omnes scholarum principes, ut Alensis (*Summa*, pars 4, q. 44, art. 1, mbr. 1), Albertus M. (4 D. 12, 15), S. Bonaventura (4 D. 9, 1, 4), S. Thomas (3 S. 81, 1) ceterique omnes, ni fallor, quotquot scholastici de hoc argumento egerunt, veteribus simpliciter resonuerunt. Quare suo tempore scribebat non immerito Vasquez[3] : « Omnes « catholici, quos ego legerim, plane con-« veniunt. Et quamvis S. Doctor dicat « aliquos oppositum sensisse[4] ; tamen qui « illi fuerint, non memorat. Nostro autem « saeculo fuit Lutherus[5], libro *De abro-* « *ganda missa privata* » (In 3 S. disp. 216, n. 81 sq.).

Scriptoribus vero ecclesiasticis et Patribus concinuere liturgiae et Coptarum et Syrorum et Armenorum et Nestorianorum seu Chaldaeorum.

Coptae enim in tribus suis copticis

1. Quam Rabani sententiam implicite videtur sequi Walafridus Strabus (*In Ruth* 3[3]. P.L. 113, 536), cui perperam posteriores tribuerunt verba Rabani. Cf. *In Levit.* 8[14 et 24]. P.L. 113, 321-322, ubi sequitur Hesychium, de quo supra.

2. Potuit etiam Honorius Augustodunensis calculum suum addere his verbis : « Corpus Christi comedit Corpus Christi » (*Eucharisticon*, c. 4, P.L. 172, 1252). Nisi tamen intricato suo stylo forte voluerit e converso Christum perhibere ab Ecclesia manducatum : qui sensus non negandus est contextui magis cohaerere.

3. Adeo suae sententiae securus, ut vix tanti putaverit ullam proferre veterum auctoritatem.

4. Idem dicunt Alensis, Albertus M., Bonaventura, locis citatis, et Petrus de Tarentasia (4 D. 11, 2, 6, 2) : qui nec ipsi contradictores nominant.

5. Dignus sane erat iste, cum everteret dominicum coenae sacrificium, qui everteret etiam participationem dominicam sacrificii (cf. infra). Post Lutherum alter quidam protestans, nomine Joannes Faëns (cujus meminit Le Brun, *Explic. de la messe*, t. 3, p. 546), integrum quemdam tractatum de hac re, in partem negantem, edidit, quem inscripsit, *Christus incoenatus* : repugnantibus adhuc catholicis.

anaphoris, quae nuncupantur *S. Basilii*, *S. Gregorii* et *S. Cyrilli* (B. 177), necnon in graeca[1] illa quae nuncupatur *S. Basilii*, commemorant *praegustatum* a Domino calicem sanguinis (R. 1, 15 ; 31 ; 47 ; 67).

Syri non potationem sed *manducationem* eucharistiae commemorant in *Liturgia Jacobi Edesseni* (VI–VII s.) : « fregit, edit » (R. 2, 373) ; in *Liturgia Dioscori episcopi insulae Kardu* (XIII s., cf. B. LVIII) : « fregit, deditque turbae duode« cim suorum, postquam ipse communi« cavit » (R. 2, 495) ; in *Liturgia Ignatii* [sive *Joannis*] *Bar Ma'dani* (XIII s., cf. B. *ibid.*) : « fregit, comedit « (R. 2, 514). *Potationem* vero, non manducationem, recolunt iidem in vetusta sua liturgia quae insignitur nomine *S. Basilii* : « gustavit et divisit discipulis suis » (R. 2, 552). Utramque tandem *et manducationem et potationem*, in *Liturgia S. Lucae vel Duodecim Apostolorum* (cujus antiquitatem videas commendatam a R. 2, X) : « fregit et comedit », « cum gustasset, dedit » (R. 2, 171).

Ab Armenis, cum catholicis tum schismaticis (quanquam longe abhinc divisis inter se quoad usum librorum liturgicorum), Dominus bibisse dicitur : « bibit, dedit » (Le Brun, op. cit., t. 3, p. 203 ; Max. Saxon. *Missa Armenica*, p. 34 ; B. 437).

A Nestorianis seu Chaldaeis, in *Liturgia Nestorii* dicitur et manducasse et bibisse : « fregit et comedit », « bibit deditque » (R. 2. 629 ; Max. Saxon. *Missa Chaldaica*, p. 32).

Quod si prae manibus nullum ejusdem styli exemplar habetur ex liturgia Graecorum, tamen notandum est ex Graecorum liturgiis derivatas esse et liturgias Armenorum (cf. Le Brun, op. cit., t. 3, p. 42 ; Max. Saxon. *Missa Armenica*, p. VI), et Syriacam *Liturgiam S. Basilii* (cf. B. LVIII).

Longe autem illis liturgiis omnibus videtur esse antiquior anaphora aegyptiaca quam ex Crum Papyris edidit, cooperante P. de Puniet, Dom Cabrol (in D. A. C. 2, 1882-1893), ubi legitur (col. 1892) : « acceptum calicem, postquam benedixit et bibit, dedit eis dicens » etc. (λαβὼν ποτήριον καὶ εὐλογήσας καὶ πιὼν ἔδωκεν αὐτοῖς, εἰπών κτλ.).

§ 2. Ratio intrinseca.

Tantam habentes superimpositam capitibus nostris nubem testium, oportet tandem quaeramus *cur* aut *quo pacto* Domino congruerit sumptio eucharistiae.

Congruentiae *causa* in promptu est, desumenda scilicet ex iis quae olim (Elucid. I) dicta sunt de participatione sacrificii in genere. Dictum est enim oblationi sacrificii accedere aliquam sacrificii consummationem, si oblator esset hostiae particeps. Et re quidem vera, pleraque ex sacrificiis, quibus in Lege praefigurabatur sacrificium Christi, hoc complemento gaudebant, atque prae ceteris sacrificium paschale. Alia, loco cibi, aspersionem habebant sanguinis, quemadmodum in altare, ita in populum sacrificio consentientem : ut in *Exodo* videmus a Moyse factum. Congruebat igitur ut Christus, perfectissimum sacrificium redemptionis offerens, antitypum ceterorum, ipse sacrificator perfectissimus unus, perageret omnia illa quibus et sacrificium compleri et impleri figuras contingeret[2]. Quare voluit vesci hostia passionis, quam in sacramento constituerat offerens passionem. Dum igitur panem sanctificatum accepit, particeps factus est agni ad necem pro peccatis hominum traditi ; dum autem bibit ex calice, seipsum sacerdotem simul cum plebe adspersit cruore victimae. Nec dubium est quin haec mens fuerit, non solum eorum qui, ut Chrysostomus (loc cit.) vel Euthymius (loc. cit.), parallelismo inter celebra-

1. Antiquiores, ut patet, apud Coptas sunt liturgiae graecae, cum praecesserint schismati monophysitico.

2. Hic igitur suum etiam habet locum principium invocatum a Concilio Toletano (A. D. 681, c. 5) in praecipienda sacerdoti celebranti communione eucharistica : « Quale erit illud « sacrificium, cujus nec ipse sacrificans parti« ceps esse cognoscitur ? »

tionem Veteris Testamenti in *Exodo* et Novi in coena subnectunt Christi potationem (quam Hesychius, loc. cit., aspersionem vocavit), sed illorum potissimum qui intellegunt Christum ipsum idem pascha quod passus est manducasse.

Sed haec cum sit assignata causa coenationis, inquires jam *quo pacto* potuerit in Christo habere locum ista sacrificii participatio. Nam cum tota vergat in communionem offerentis ad rem oblatam, videtur ab illo sacrificio removenda, ubi idem est offerens et oblatum. Quid enim insulsius cogitari potest quam communio Christi ut sacerdotis ad seipsum ut victimam : cum unio sit diversorum, nulla autem sit diversitas inter Christum hoc et illo munere fungentem, sed ipsa Dei Verbi perfectissima unitas ? Quare dixerunt quidam recentiores esse Christi coenationem sacramentalem, habito respectu ad principia dogmatica, incogitabilem (Berning, op. cit., p. 87[1], post Schegg, allegatum *ibid.*). Sed non oportet esse incogitabile illud quod ab universitate nostrorum doctorum est cogitatum, et ab ipsa Ecclesia, tam multis linguis, infra actionem, commemoratur. Quare rectius dixerimus, secuti sanctum Thomam (4 D. 11, 3, 1, 3m) : quanquam EFFICI quidem nulla potuerit inter sacerdotem et victimam unio, tamen potuisse in Christo sumptionem sacramenti habere vim SIGNIFICATIVAM. Et hoc quidem multipliciter, juxta disputata supra (Elucid. I) de participatione sacrificiorum in genere.

Primo quidem, habuit significationem anagogicam, sive attenditur Christus ut individua persona, sive attenditur ut caput generis humani.

Secundum priorem considerationem, Christus quatenus est datus Deo in hostiam, factus est, ut olim diximus, agnus Dei et panis Dei, seu Dei ipsius ferculum atque esca : res scilicet divina ac coelestis. Dum autem assidens conviva Dei, suscipit veluti de mensa Dei sacras dapes, pignora coelestium bonorum, significavit profecto futuram suam clarificationem : non ut cujus potiendae jus nullum sibi competeret nisi coenaret ; sed ut coenatione subarrhatam sibi divinitus anticipans[2]. Quare opportune Christus, facta coena, incipit orare, dicens : *Pater, venit hora : clarifica Filium tuum* (*Joan.* 17[1]).

Secundum alteram autem considerationem, ut caput generis humani, coenatus Christus significavit apertum nobis, membris suis, aditum ad bona Dei : quam vocat Irenaeus (loc. cit.) apertionem haereditatis. Quare opportune rursus in sua sacerdotali precatione dixit : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam quam dedisti mihi* (*Joan.* 17[24]) : concilians scilicet suis omnibus fructum communionis suae ad hostiam, quae est gloria, diffundenda ex capite in membra.

Secundo significationem habuit coenatio Christi pertinentem ad praesentis vitae sanctificationem, et hanc rursus dupliciter, titulo scilicet et individuali et capitali.

Titulo primum individuali, nam Christus interim ipsa manducatione epuli sacri demonstrabatur sanctificatus ; non quod ei nova sanctitas accresceret, sed quod titulo sanctitatis novo veluti augebatur,

1. « Freilich wird ja von einigen behauptet mit « Berufung auf den Aquinaten, dass der Herr « sein eigenes Fleisch und Blut unter den sa- « kramentalen Gestalten genossen habe... Aus « dogmatischen [Gründen] ist [diese Meinung] « zurückzuweisen, da sie, wie Schegg richtig « sagt, mit der Idee der Kommunion offenbar « in Widerspruch steht. Das heilige Mahl « schliesst seinem Zweck und Wesen nach den « Selbstgenuss des Spenders aus. » Cf. *ibid.*, p. 241 : « ...eine exegetisch und dogmatisch « schwer oder gar nicht zu erklärende An- « nahme. »

2. Illuc intendens, credo, sanctus Thomas (3 S. 81, 1, 3m) dicit delectationem esse obortam Christo ex coenatione : prius quidem inserta corpori articuli ipsa sententia Rabani, cui istud modo recitatum proxime cohaeret : « Factus est hilarior, quia certus erat de sua resurrectione. » Est quippe eucharistia sacramentum eschatologicum, ut abunde in tertio nostro libro constabit. Quare aut digne sumens, ebibis gloriam tuam, aut indigne, judicium. Ebibebat Christus Dei retributionem venturam, gaudia regni.

dum saginatus ipse carne victimae Deo sacrae, intellegebatur sanctimonia illa repletus quam vehit secum hostia, tractam ex suo ad Deum, cui delata est, accessu.

Deinde titulo capitali, sacerdos et liturgus noster sanctificationem praedictam nobis comparabat, quasi derivandam ex capite ad membra, quibus sub Christo et in Christo competeret ex participatione divini convivii haurire sanctitatem.

Tertio. Ad capitalis Christi influxus intellegentiam confert tandem haec ultima dominicae coenationis significatio, eo spectans quod ipse Dei Filius concoenans nobis, ac vicissim nos sibi adsciscens per omnia saecula concoenatores, ostendebat, unam Dei domum, familiam, sobolem nos esse cum ipso, qui cum ipso Dei panem manducaremus. Quem cognationis effectum, non significabat tantum, sed etiam, quatenus penes nos attenditur, significando inducebat, sicque, conviva cum esset ipse principalis ac naturalis sui Patris, nos adscititios commensales trahebat secum in partem boni omnis circa ipsummet per coenam designati. Non enim coadunatio nostra cum *Christo convivio* (per sumptionem corporis aut sanguinis Christi) est spectanda seorsim a coadunatione nostra cum *Christo conviva*[1] (per concoenationem cum Christo eucharistiam praelibante) ; sed coenatio Christi, sicut nostram dedicabat, sic et vegetat. Non incorporamur quidem Christo nisi percepta aliqualiter carne Christi (ut infra, in libro tertio, constabit) : sed nec percipimus carnem Christi vitaliter nisi Christo incorporati[2]. Quod testati sunt Patres et Doctores modo recitati (Cyprian., Orig., Hieron., Ambr., Honor. Augustod., etc.) : juxta quos non possumus soli bibere de calice aut panem comedere, sed oportet ut sub Christo et in Christo et cum Christo sumamus, concoenante nobis et per nos in Ecclesia, ubi simul idem est et convivium nobis, et per nos atque in nobis conviva. Adeoque necesse fuit non solum ut daret nobis cibum quo vivificaremur, sed ut ipse in coena acciperet prior, cui competebat virtutem coenandi nobis elargiri. Nec sane mirum est quod panem filiorum non potuimus comedere nisi initiati per illum qui est Dei Filius, cujus solius est saturari de mensa Patris. Manducans igitur et bibens Christus, nos initiabat eucharisticae mensae, nil sibi recipiens, sed profundens in nos ut actum ita fructum manducationis.

Et illinc est quod VERIFICATUR in nobis per sacramenti EFFICACIAM significatio sanctitatis epulo sacrificali importata. Quia scilicet in Christo, capite nostro, significatio ista erat adeo vera, ut per identitatis unitatem esset in sumente ipsa sanctitas hostiae, sicut in hostia sanctitas ipsa Dei ; inde est quod in nobis, Christi membris, veritas significationis participatur. Penes nos autem importat veritas efficaciam ; siquidem nequit sanctitas demonstrari in nobis vere, qua ante caruimus, nisi ingeneretur. Ex perfecta igitur in Christo significationis veritate manat apud nos efficacia sacramenti ; sicque ab unigenito ad fratres, ex capite ad membra diffluit secundum evangelii promissum gratia et veritas. Quae omnia Christus orans uno verbo comprehendebat : *Pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Sanctitatem sacrificii mihi vix

1. In quantum conviva, conglutinabat sibi nos effectos unius secum sanguinis et carnis, non solum eo modo quo contribules et convictores solent, in Oriente praesertim (cf. Wellhausen, *Skizzen und Vorarbeiten*, p. 122), inspici ut una individua massa, seu plasma singulare, sed etiam modo specialiore illo quo participes epuli sacrificalis intelleguntur in unam Dei familiam coalescere et veluti in unum divinum genus redigi (cf. Elucid. I). In quantum convivium autem nostrum, seu cibus, incorporat nos sibi eo modo qui perpendetur infra (Elucid. XXXVI).

2. Quemadmodum observant philosophi in animantibus non advenire animam, nisi adsit ultima dispositio ad formam, nec ultimam dispositionem adesse, nisi insit forma seu anima ; sic neque hunc cibum quis salubriter manducat, nisi habeat vitalem intussuscipiendi vim, quam interea non habet, nisi manducato aliqualiter cibo (cf. infra, Elucid. XLIX). Nec mirum si valet analogia, cum sit caro Christi veluti nostrae animae anima, vitale scilicet principium totius massae redemptae ac reparatae (cf. infra, Elucid. XXXVI).

non acquiro, quam ipsis elargiar coenae meae consortibus.

Huic loco specialiter accommodari possunt quae scripsit Rufinus Aquilejensis generaliter : « Benedictiones erunt « super caput Joseph, et super verticem « eorum quibus praefuit fratrum. Competenter omnes istae benedictiones supra « caput Christi positae dicuntur, a cujus « capite veniunt etiam ad verticem eorum « quibus ipse praeest. Nec alia causa est, « quod omnes istae benedictiones in carne « natus accepit, nisi ut eas in semetipsum... « a Patre diffusas, ipse rursum transfunderet ad credentes ; et mediator Dei « atque hominum effectus, benedictiones, « quas pro infirmitate sui suscipere jam « humana natura [non] poterat, ipso me« diante et PRAELIBANTE eas ac TRANS« FUNDENTE, susciperet, sicut et ipse dicit : « *Quia ego sanctifico me pro his* » (*De benedictionibus patriarcharum*, l. 2, bened. Jos., n. 2. P.L. 21, 331). Benedictio autem omnium praecipua, nonne est sacra illa εὐλογία, qua praelibata Christus nos donavit participanda ?

Ex dictis apparet quam perverse sit argumentatus Petrus Pictaviensis, scribens (loc. cit.) : « Ubi veritas est, non « est necessarium sacramentum. Sed Chris« tus veritas manens in se erat, nec propter « sumptionem uniretur sibi, cum ipse esset « ille cui uniri debemus. Ergo non indige« bat tali sumptione, nec etiam poterat « sumere. » Immo quanquam non fuit Christo necessarium, fuit tamen necessarium nobis ut Christus sumeret, et pro tanto Christo ipsi congruum : cui nihil magis competit, quam ut unctus nos ungat sanctitate divina.

Restat dirimenda quaestio quam movebant veteres scholastici, utrum sumptio eucharistiae in Christo possit dici sacramentalis ac spiritualis, necne. Aliter aliis repondentibus, nobis praeplacet solutio sancti Thomae, contra sanctum Bonaventuram[1], tenentis affirmativam (3 S. 81, 1, 3m ; 4 D. 11, 3. 1, 4m). Sumpsit scilicet Christus sacramentaliter, quia non solum sumpsit id quod est in se sacramentum, sed etiam sumpsit per modum sacramenti, id est ad significandum[2]. Sumpsit autem spiritualiter, quia in sacramentaliter suscipiente, hoc est suscipere spiritualiter, quod est suscipere mente signo congrua, id est non ficte. Non autem ficte Christus suscepit, quasi dissentiens intus ab eo quod foris significabatur, sed interne mens ejus atque spiritus congruebat significato externo. Quod autem nullus ei accrevit effectus, hoc non inefficaciae ritus est adscribendum, sed conditioni subjecti, quod ideo fuit incapax augmenti, quia erat in summo, et ideo ex cibo nil lucratus est, quia erat ipse cibus atque lucrum. Ubi, ut diximus, summa et perfectissima illius ritualis significationis veritas deprehenditur, simul atque fontalis respectu nostrae participationis efficacia.

Haec nobis visa sunt necessario dicenda de prima illa communione Christi Servatoris, quae ultima fuit, expletur autem nunc in coelis, pasto Filio Dei secundum totam suam humanitatem et in omnibus suis membris gloria quam habet a Patre propriam quasi Unigeniti.

1. « De spirituali [manducatione] quidam di« cunt quod sic [manducavit]. Dicunt enim « quod fuit ibi unio per actum amoris, et effec« tus fuit non in se, sed in membris : ut sicut « Christus non sibi meruit, sed nobis, sic virtute « illius manducationis meruit ut membra corpo« ris sui magis unirentur sibi. » [Sed] « si istud « verum esset, tunc haberet effectum in non man« ducante et in dormiente » (Bonaventura, 4 D. 9, 1, 4). Idem fere legitur apud Alensem (*Summa*, pars 4, q. 44, art. 1, mbr. 1. Ed. 1482, tom. 3). Sed male objiciunt. Praeterquam enim non agitur de merito (« meruit »), sed de influxu causali, nec de gradu majore nostrae conjunctionis (« magis »), sed de radicali posse, minime sequitur interea fore ut effectus gratiae haberetur « in non manducante et in dormiente » : immo non habetur nisi in consociante se per manducationem sive corporalem sive spiritualem Christo manducanti. Quanquam enim coenatio Christi se habet respectu nostrae sanctificationis eucharisticae per modum causae principalis, non tollit tamen causam proximam, quae est nostra concoenatio.

2. Sic procedente objectione : « Hoc sacra« mentum non sumpsit, quia in vanum acce« pisset », sic respondet S. Thomas : « Illa « manducatio non efficiebat in ipso spiritualem « refectionem, sed significabat ; nullus enim adeo « perfecte in ipso reficitur sicut ipsemet » (4 D. 11, 3, 1, 3m).

Elucidatio XII.

Oblatum in coena et redditum in passione sacrificium Christi consummationem aliquam accepit in resurrectione et ascensione, perseveratque in aeternum, ut constat ex Scriptura, Patribus et ratione theologica.

CAPUT V.

DE CONTINUATIONE COELESTI SACRIFICII CHRISTI.

Postquam Christus doloribus saturatus obiit, finemne accepit sacrificium dominicum, an continuatum est aliqualiter? Sane in genere oblationis aut immolationis accrescere nihil potuit : sufficienter est oblatum per manus Christi, sufficienter est immolatum per manus Judaeorum pretium mundi, corpus nostri Redemptoris ; nec locus est ampliori sacerdotis litationi aut victimationi hostiae. At sacrificio etiam integre peracto nonne potest ut olim (Elucid. I) disputavimus, accedere ex parte Dei aliqua perfectio hostiam consummans ut talem, addensque proinde humanae operae cumulum divinae susceptionis? Porro hujusmodi complemento non caruit sacrificium Christi, sed aeternaliter gaudet, consummatum resurrectione gloriosa atque ascensione in coelum, ubi vivit perennis hostia. Quod nunc est ostendendum ex triplici Christi consideratione :

Primo, ut hostiae ;
Secundo, ut altaris ;
Tertio, ut intercessoris.

§ 1. De Christo ut hostia coelesti.

Sectio I. — Testimonium Scripturae.

I. — *In Epistola ad Hebraeos* 9^{1-24}, sacerdotium Christi extollitur super sacerdotium aaronicum ex comparatione inter annuam pontificis in Sancta Sanctorum ingressionem et introitum Christi in gloriam suam. Quemadmodum scilicet pontifex sanguinem sacrificii trans priores tabernaculi aedes portabat secum in interiores, sic Christus per statum illum passibilem ac corruptibilem suae humanitatis (in quo obtulit seipsum Deo immolandum) transiens in conditionem carnis coelesti gloria sanctificatae, sacrificii sui hostiam coram Deo praesentavit. Exindeque factum est ut Christus, quanquam semel (9^{25-28}, 10^{11-14}, 7^{27}) oblatus in sacrificium olim, tamen rationem habeat aeternam doni, muneris, ac piaculi, objecti divino conspectui semper (8^{3}, 9^{24})[1]. In quantum autem ipse se hostiam Deo exhibet, competit ei esse et mediatorem et intercessorem,

1. Quocirca juvat considerare illud quod notavit C. H. Huyghe, in *Hebr.* 8^{5} (op. cit., p. 166) : « Ibi [i. e. in Sanctis Sanctorum] non « mactabatur sacrificium, sed, MACTATIONE « PRAEMISSA, OFFEREBATUR sanguis. Sic Paulus, « de Christo Pontifice loquens, mactationem sa- « crificii praesupponit (7^{27}, $9^{12, 14, 25-27}$, $10^{12, 14}$). « Habetur utique discrepantia, quod RITUS « OBLATIONIS sanguinis *in sanctuario* ad for- « mam sacrificii pertinebat, quod de OBLATIONE « sacrificii Christi *in coelo*, asseri non potest ; « haec autem discrepantia in epistola nostra... « innuitur... ubi mors Christi θυσία et προσφορά « vocatur. Unde oblatio quae a Christo Pontifice « fit in coelo, non tantum mactationem, sed « integram sacrificationem praesupponit. » Hoc ultimum est verissime dictum ; sed inde fluunt duo consectaria. 1°) Si « ritus oblationis » praecessit non minus quam mactatio, ubinam locum habuit, nisi in coena ? 2°) Si oblatio in coelis non pertinuit ad sacrificationem constituendam, unde jam illi inest momentum tantum, tam grandibus verbis ab Apostolo exaggeratum, nisi perlatione atque invectione hostiae in coelicas aedes constituatur divina illa acceptatio atque assumptio, qua consummatur sacrificium et ad perfectum adducitur ? Ceterum circa ritum ipsam *Levitici* vide infra, p. 179.

seu sacerdotem, assidue nos repropitiantem Deo *(ibid.)*. Quo in utroque munere et hostiae et sacerdotis non perseveraret, nisi, postquam mortuus est, morte victa maneret in aeternum vivens (7^{24-25}).

II. — In *Apocalypsi* autem : 1°) Christus describitur nunc in coelo stans coram Patre in habitu victimae (5^{6}; cf. 5^{9}, 5^{12}), simulque constituens homines Deo sacerdotes (5^{10}; cf. 1^{5-6}); 2°) altare adstruitur ante thronum Dei (6^{9}; 8^{3-5}; cf. 11^{1}, 14^{18}), altare quidem vivum et loquens[1] (16^{7}; cf. 9^{13}) ; 3°) templumque coeleste circumspicitur (11^{19}, 14^{17}, 15^{5}; cf. 11^{1}, 14^{15}, 15^{6-8}, 16^{1}, 16^{13}) ; 4°) diserteque adseritur in Jerusalem nova, quae in locum Ecclesiae militantis sit successura, nullum fore templum aut lucernam praeter Deum et Agnum (21^{22-23}).

Quibus sacrificalibus notis atque metaphoris cultus quidam signatur coelestis atque perennis, consistens in exhibitione ipsius Christi coram Deo, tanquam olim occisi, manentisque inde quadam immolatitia proprietate perenniter insigniti in laudem Dei et clarificationem sanctorum.

Sectio II. — Testimonia Patrum.

Jam vidimus apud Patres coenam concatenatam passioni ; nunc videamus utramque et passionem et coenam colligatam resurrectioni, ascensioni atque gloriae coelesti : ut sacrificium, semel transactum olim, perseveret aeternaliter consummatum in coelis.

Articulus I. — De connexione sacrificii cum resurrectione.

Connexio illa dupliciter potest illustrari : 1°) directe, ex parte hostiae ipsius, 2°) indirecte, ex parte sacerdotis.

Membrum I. De hostia per resurrectionem perfecta.

Apparet *primo* mens Patrum, dum exponunt Pascha novum. Antitypum enim judaici sacrificii paschalis non reponunt in coena aut passione tantum, sed adjecta resurrectione.

Sic S. Joannes Chrysostomus, explicans cur in paschate figurali Judaei nonnisi aenigmatice perspexerint pascha verum, hujus elementa persequitur numero tria : coenam, passionem, et resurrectionem cum ascensione atque adeptione bonorum coelestium nobis communicandorum. Tria illa igitur unum nobis sacrificium perfectum integrant, antitypum sacrificii paschalis. « Pascha in medium « afferamus, et vetus et novum : et scies « hujus excellentiam. Celebrabant enim « Pascha Judaei, sed ***sicut in speculo et*** « ***in aenigmate***. Arcana autem haec mys- « teria Novi Testamenti ne in mentem « quidem illis unquam venerant, ne- « que sciebant quaenam essent quae « per illa [Veteris Testamenti] myste- « ria praenuntiarentur. Sed ovem vide- « bant mactari, et sanguinem bruti, « et portas illo unctas : quod autem « Filius Dei incarnatus MACTANDUS ES- « SET, et orbem liberaturus universum, « DATURUSQUE et Graecis et barbaris san- « guinem hunc DEGUSTANDUM, atque coe- « lum aperturus omnibus, et coelestia « hominibus propositurus ; quodque CAR- « NEM SUAM CRUENTATAM DEDUCTURUS « ESSET SUPRA COELUM et coelum coeli et « omnes omnino supernos angelorum, ar- « changelorum, aliarumque virtutum exer- « citus, atque COLLOCATURUS AD DEX- « TERAM PATRIS, in ipso throno regio « sessuram, FULGENTEM GLORIA INENAR- « RABILI : haec certe neque illorum ne- « que aliorum hominum quisquam vel « praescivit, vel in mentem vocare po- « tuit » (*In I Cor.* hom. 34, n. 2. P.G. 61, 288). Nemo non videt : haec tria, eucharistiae celebrationem, mortis cruentae perpessionem, gloriae coelestis consecutionem, esse a Chrysostomo proposita tanquam unius sacrificii paschalis adimpletionem unam consummatam.

Aliquid istiusmodi prae se fert quod Theophilus Alexandrinus in ***Epi-***

1. Ἤκουσα τοῦ θυσιαστηρίου λέγοντος κτλ.

stula heortastica prima, ingressui Domini in coenaculum, continuat illico ingressum in Sancta Sanctorum, aeternae redemptionis sacrarium. Vult quippe nos, « ablato « velamine verborum et facie revelata, « intendere in festum transitorium divini « Paschatis, clamantes ad Jesum : *Ubi* « *vis paremus tibi comedere Pascha* ? Quan« do discipuli, ab ipso audientes oportere « illud celebrare in coenaculo (ἐν ἀναγαίῳ), « supra terrena negotia (ἄνω τῶν γεωδεσ« τέρων) evecti sunt, in Sancta Sanctorum « alacri mentis et animi cursu properantes ; « ubi ipse Christus pro nobis ingressus est, « atque ejus qui figuraliter munus summi « sacerdotis exercebat, abrogavit jura, « aeternam redemptionem nobis adeptus, « atque apparens pro nobis ante conspec« tum Dei » (P.G. 65, 53-56)[1].

Apud nostros Occidentales, Beda sedulo cavet ne mysterio noctis paschalis putetur commemorari tantum resurrectio Domini, sed cum resurrectione passio et coena. « Hujus SACRATISSIMAE NOCTIS « AC REDEMPTIONIS NOSTRAE, quam coli« mus solemnitas, jam olim est in antiquo « Dei populo mystice designata... Redemp« tio populi illius [ex servitute Aegypti] « spiritualis nostrae redemptionis, quae « resurgente a mortuis Domino HAC NOCTE « completa est, typum gessit. ...Veniens « Agnus immaculatus dignatus est immo« lari pro nobis, dedit sanguinem suum « nostrae salutis pretium ; qui, MORTE ad « tempus suscepta, mortis imperium per« petuo damnavit ; ...Agnus qui nos suae « CARNIS ET SANGUINIS LIBAMINE, ne pe« reamus, REFICIT... Sicuti ergo nocte hac « immolato agno in Aegypto, signatis « ejus sanguine domibus fidelium, comestis « ejus carnibus, venit Dominus repente, « et eos qui mysterii coelestis exsortes « manebant puniens, e contra populum « quem sacramentis salutaribus imbutum « vidit, redemit : ita nimirum Dominus ac « Redemptor noster CUM SUUM PRO NO« BIS CORPUS ET SANGUINEM HOSTIAM « PATRI OBTULISSET, subvertit potentiam « diaboli, et satellitum ejus (spirituum « videlicet immundorum) audaciam com« minuit ; disjecit claustra inferni ; electos « qui ibidem (quamvis in tranquillitatis « sinu) tenebantur, eruit, et HAC IPSA « NOCTE RESURGENS a mortuis ad coelestis « regni gaudia reduxit ;... nec justos solum « quos apud inferos invenit, abstulit, « verum etiam eis quos adhuc in carne « positos suos esse cognovit, necnon et « nobis, quos in se credituros in fine « temporum praevidit, remedium salutis « MORTE SUA AC RESURRECTIONE procu« ravit. Nobis etiam, antequam creare« mur, spiritualem vitae ALIMONIAM QUA « RECREAREMUR SACRAVIT... Unde et ipsi « merito nocte hac, redemptionis nostrae « memores,... corpus sacrosanctum et pre« tiosum Agni nostri sanguinem, quo a « peccatis redempti sumus, denuo Deo « in profectum nostrae salutis immola« mus » (*Homil.* lib. 2, 1. P.L. 94. 138-139). Vides quid complectatur Pascha Domini : oblationem sui corporis et sanguinis in eucharistia factam, mortem pro immolatione susceptam, resurrectionem gloriae, non interim omissa sacri libaminis refectione. Haec omnia paschati judaico existimantur correspondere, uniusque explere sacrificii figuralis mysterium.

Compendiose alibi eamdem declarationem antitypi adhibet : scilicet quod Dominus, « tempore praefixo, desideratum « pascha cum discipulis manducans, ita « demum MANE ILLUCESCENTE mundis« sima SUI CORPORIS ET SANGUINIS MYS« TERIA IN CRUCIS ALTARI CONSECRATA, « quasi AZYMA TERRAE REPROMISSIONIS

1. Sermonem illum Theophili, utique involutiorem, non mihi videtur recte Cosmas Indicopleustes (*Topographia christiana,* lib. 10. P.G. 88, 417) exposuisse istis verbis : « Coena« culum domum esse ait [Cyrillus], ubi Christus « Dominus praecursor pro nobis intravit (cujus « typus erat summus ille sacerdos in taberna« culo Moysis), ut appareat pro nobis ante « faciem Dei. » Non enim ait Theophilus coenaculum fuisse ipsum locum sacrosanctum ubi ingressus Jesus appareret pro nobis ante conspectum Dei ; sed ad talem locum se habuisse coenaculum ut imaginem, et celebrationi in coenaculo respondisse ut finem apparitionem hostiae in sacrario coeli.

« imbuendis fidelibus offerat [*vel probabilius* : afferat] » (*In Lucam* 22[13]. P. L. 92, 595)[1]. Sensus enim apertus est : in paschatis legalis locum successisse eucharistiam, in coena tractatam, in cruce culmen adeptam veritatis suae sacrificalis, in resurrectionis tandem novitate redditam hominibus coelestem.

Copulare etiam passionem cum resurrectione in celebratione paschae nos admonet auctor compilationis *De officiis* dubie Bedae adscriptae : « Diem paschalis re- « surrectionis non solum pro eo celebramus « quod in eodem a mortuis resurrexit, sed « ETIAM PRO ALIIS SACRAMENTIS quae per « eumdem significantur. Quia enim, sicut « dixit Apostolus, *mortuus est propter de-* « *licta nostra et resurrexit propter justi-* « *ficationem nostram*, transitus quidem « de morte ad vitam in illa passione « Domini et resurrectione sacratus est. « Nam... a transitu (hebraeo verbo) « pascha dicitur » (P.L. 94, 536)[2].

Sed magis *secundo* mens Patrum apparet in comparatione inter manipulum sexto decimo die mensis nisan solitum offerri Deo (*Levit.* 23[10–14]), primitias frugum terrae, et Christum in resurrectione sua eodem die deferentem Deo primitias nostri reparati generis[3]. Quam comparationem aliquando intertexunt comparationi agni paschalis.

Omissis aliis, Eutychius C. P. audiatur, in unum fasciculum colligans coenam,

1. Eadem leguntur apud Amalarium (*De ecclesiast. offic.*, l. 1, c. 12. P.L. 105, 1023) ; qui similia rursus habet (*ibid.*, c. 15, col. 1032) citanda infra (Elucid. XX). Conferas Albertum Magnum, citatum supra (Elucid. III).

2. Disputatum est inter doctos quid veteres christiani, in controversiis suis paschalibus, sub nomine paschae quotannis commemorandae proprie intellegerent : passionemne an resurrectionem, an forte coenam eucharisticam. Alii, ut Æmilius Schürer (in commentatione historica, quam edidit, sane cruditam *De controversiis paschalibus secundo p. Chr. n. saeculo exortis*. Lipsiae 1869, p. 8-10 et 65 sq.), opinati sunt coenam solam cum passione recoli. Alii ut Duchesne (*La question de la pâque au concile de Nicée*, in. R. D. Q. H. juillet 1880, p. 6-8 ; *Origines du culte chrétien*[3], 238 ; *Histoire ancienne de l'Eglise*, t. 1, p. 286-287), cum passione solam resurrectionem. Utrinque in eo quod affirmatur verum habetur, dempta exclusione. Ut enim persuadent documenta utriusque partis conjuncta, non passio cum aut sola coena aut sola resurrectione commemoratur, sed cum utraque : adeo ut nostrum pascha sit proprie triduanum. Quod confirmat Hefele (*Hist. des Conc.*, tr. fr., 1907, t. 1, p. 146-148). Ex disputatis autem in hoc nostro capite videbis quid respondeas ad interpellationem Æmilii Schürer : « Si enim proprie [occidentales] memoriam « resurrectionis Christi egissent, neutiquam ex- « plicari posset — neque quisquam adhuc expli- « cavit — qua de causa hanc celebrationem « pascha appellavissent » (p. 65). Immo ratio est in promptu : quia paschale Domini sacrificium, in coena sacerdotaliter oblatum, in passione cruente peractum, in resurrectione divinitus consummatum, commemorabant ; in hoc quippe constat redemptio nostra, quae omnibus fatentibus (*ibid.*), celebrationis paschalis est argumentum et materia.

Haec quae scripseram, non immutanda arbitror, post pellecta ea quae habet Carolus Schmidt in Excursu 3 ad editionem *Epistolae Apostolorum*, seu *Gespräche Jesu mit seinen Jüngern nach der Auferstehung* etc., Leipzig, 1919 (T. u. U. 43). Postquam ille sententias omnes novissimas lustravit, quae interpretentur pascha christianorum primaevum sive de morte, sive de resurrectione, sive de coena commemoranda (p. 597-600), deinde addit : « Die- « sem Dissensus der Gelehrten wird unsere « *Epistola* ein Ende bereiten » : nimirum ex eo quod in illo documento perantiquo (A. D. 160-170, *ibid.*, p. 402) inducatur Christus annuum suorum discipulorum pascha edicens tanquam mortis suae commemorativum (*Epistola*, c. 15, [26], p. 52 : « Ihr aber feiert den Gedenktag meines Todes, das ist das Passah. » — Versionem gallicam *Epistolae* habes apud L. Guerrier, *Le testament en Galilée de N. S. J. C.*, P.O. 9, 177-232 ; cf. p. 198). At cur conclusioni assentiri non possim (in quantum exclusiva est, p. 601 sq.) habes ex superius a me notatis compertum. Ex tribus paschae christianae elementis, nullum unquam exclusit reliqua. Tria unum sunt.

3. Quocirca citantur a Thomassino (*De Incarn.*, l. 10, c. 13) : Epiphanius, *Adv. haer.*, haer. 51, n. 31 ; Chrysostomus, *Homil. in Ascens. Christi*, n. 2 ; Cyrillus Alexandrinus *De adoratione in spiritu et veritate*, l. 17, et *In Joannem*, l. 4, c. 2 (P.G. 41, 945 ; 50, 445-446 ; 68, 1092-1096 ; 73, 568-569).

Addere licet eumdem Cyrillum Al., *In Lucam* 22[14]. P.G. 72, 905-908, et *Glaphyr. in Numer.* P.G. 69, 625 ; Hesychium, *In Levit.* 23[9–14]. P.G. 93, 1084-1085 ; Procopium Gaz., *In Levit.* 23[5]. P. G. 87, 775 ; Rupertum Tuitiensem, *In Levit.* l. 2, c. 36-37. P.L. 167, 824-825, et *De div. offic.*, l. 10, c. 12. P.L. 170, 277 ; sed praesertim Eutychii sermonem quem referimus.

passionem et resurrectionem : « Hac sexta « decima incipiente, quae et dominica di- « citur, Dominus noster a mortuis re- « surgens, SEIPSUM LOCO MANIPULI DEO « PATRI OBTULIT PRO TOTIUS HUMANI GE- « NERIS SALUTE... Sicut autem a mor- « tuis resurgens, seque pro nobis Patri « offerens, manipuli typo finem imposuit, « sic apparet agni loco, quarta decima « incipiente die, seipsum sacrificasse MYS- « TICE ET PER PROLEPSIM, atque anti- « typo inseruisse. MYSTICUM igitur [h. e. « significativum seu symbolicum] INCHOA- « TIO et arrha EST PRAGMATICI [h. e. « significati atque realis]. Pragmaticum « vero consummatio est juxta illud : *Non « comedam ex eo donec adimpleatur in « regno Patris mei* : Quod in sancta ejus « resurrectione locum habuit : hoc est « enim regnum Dei... Quod vero res se « ita habet, ecce mystice et nos morimur « in baptismo sancto ; in martyrio autem « post illud, vel etiam sine martyrio, « pragmatice. Nec differt mystica nostra « mors a pragmatica, etsi consummatur « in pragmatica... NON IGITUR DIVIDUN- « TUR MYSTICA A PRAGMATICIS, ETSI IN « PRAGMATICIS CONSUMMANTUR. Ecclesia « igitur quartae decimae quoque diei « commemorationem facit in magna feria « quinta ; sicuti tunc peractum est a Do- « mino pascha mysticum, cum semet im- « molavit quarta decima die incipiente... « Quinta igitur feria Ecclesia celebrat « festum paschae mystici, qua feria Domi- « nus seipsum mystice immolavit olim. « CONSUMMATIONEM vero et adimpletio- « nem MYSTICI festi in SANCTA RESURREC- « TIONE celebrat, quae incipiente sexta « decima die, et dominica tunc jam prae- « sente, facta est » (*De paschate et sacrosancta eucharistia*, n. 4-5. P.G. 86bis, 2396-2397). His conjunge superiora : « ANTE « PASSIONEM PASCHA manducavit, MYSTI- « CUM scilicet : nam pascha absque passio- « ne[1] non fuisset appellatum. Mystice ergo « seipsum immolavit, cum suis manibus, « postquam coenaverat, panem accipiens, « gratias agens, ostendit ac fregit, antitypis « seipsum inserens » (*ibid.*, n. 2, col. 2393). Sic nimirum Eutychius copulat passionem coenae, atque utrique resurrectionem, quasi ex tribus istis unus sacrificalis complexus exstiterit : inchoante coena, explente passione, atque consummante resurrectione sacrificium. Inchoatio enim atque arrha fuit coena illius quod significabat ; passio hostiam absolvebat ; sacrificationi vero cumulum attulit resurrectio consummans pascham.

Tandem *tertio*, omni semota comparatione aut figura, notant nonnunquam Patres, quam arcte resurrectio cohaeserit sacrificio Christi : ut per eam se reddens Deo Patri, conciliaret hostiae suae perfectionem quamdam immolatitiae dignitatis.

Id sonant verba Origenis : « Ne- « cessarium fuit Dominum et Salvatorem « meum, non solum inter homines nasci, « sed etiam ad inferna descendere, ut...

1. Cf. *ibid.*, n. 3, col. 2396 : « Fractio venerandi « panis necem significat, quare et Pascha deside- « rabile appellata est. » Eamdem mendosam ac portentosam etymologiam, aliqualiter a Philone (*Quis rerum divinarum heres sit*, § 40. Op. omn. ed. P. Wendland, 1898, t. 3, p. 42), ut notat T. Zahn (*Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, II Theil, 1883, p. 136), praeformatam, sed etiam ab Irenaeo (*Adv. Haer.* 4, 10, 1 ; cf. supra, Elucid. IV) implicite, ut mihi videtur, adhibitam, quanquam exclusam deinde a Gregorio Nazianzeno (*Or.* 45, n. 10. P.G. 36, 636), tradidit tamen postea Procopius (*In Exod.* 12^2. P.G. 87, 562). Quod si viri etiam Graeci tam insigniter errare potuerunt, quid mirum quod in eodem errore fuerunt Tertullianus (*Adv. Jud.*, 10. P.L. 2,630) aliique, quos reprehendunt Hieronymus (*In Matth.* 26^1. P.L. 26,190) et Augustinus (*In Joan.*, Tr. 54, 1. P.L. 35, 1784-1785). Unde liquet perperam esse Augustino adscriptum sermonem qui inter editos a Michaele Denis septimus numeratur, ubi haec leguntur (P.L. 46,837) : « Pascha « hebraeus sermo est, quod interpretatur transi- « tus ; graece autem paschin, pati ; latine pas- « cha, pascere, ut dici solet : pascam amicos. » Interim notandum est, auctorem illius sermonis etiam invexisse in paschatis christiani fines, simul cum passione (« paschin »), et coenam (« pascam ») et resurrectionem (« transitum »). Lege integrum locum. Post Hieronymum et Augustinum rursus ventilat inter mediaevales commenta istiusmodi auctor libelli *De officiis* Bedae adscripti (loc. cit.).

« inde regressus, opere consummato, as« cenderet ad Patrem, ibique plenius « apud altare illud coeleste purificaretur, « ut carnis nostrae pignus, quod secum « evexerat, perpetua puritate donaret. « Hic ergo est verus dies propitiationis, « cum propitiatus est Deus hominibus » (*In Leviticum*, hom. 9, n. 5. P.G. 12, 514). Puritas illa est, qua caro Christi, omni similitudine peccati exuta, in incorruptibilitatem et immortalitatem transiit divinam. Haec demum divinae conditionis adeptio fuit ultima et consummata hostiae sanctificatio.

Eodem pertinet illud Damasceni (*In dominicum pascha*. P.G. 96, 841) : « Sal« vator meus, atque VIVA, NEC JAM MAC« TABILIS, VICTIMA ! dum TEIPSUM ut Deus « sponte OFFERS PATRI, suscitasti omnige« num Adam, SURGENS E SEPULCHRO. »

Rursus pertinet eodem Augustini istud : « Accepit abs te quod offerret pro te ; « quomodo accipit sacerdos a te quod pro « te offerat, quando vis placare Deum pro « peccatis tuis. Jam factum est, ita factum « est. Sacerdos noster a nobis accepit « quod pro nobis offerret : accepit enim « a nobis carnem : in ipsa carne victima « factus est, holocaustum factus est, sa« crificium factus est. IN PASSIONE SA« CRIFICIUM FACTUS EST : IN RESURREC« TIONE INNOVAVIT ILLUD QUOD OCCISUM « EST, et tanquam primitias tuas DEDIT « DEO, et ait tibi : consecrata sunt jam « omnia tua, quando tales primitiae datae « sunt de te Deo » (*In Psalm*. 129, n. 7. P.L. 37, 1701). Rursusque : « Illud « ergo est sacrificium vespertinum, passio « Domini, crux Domini, oblatio victimae « salutaris, holocaustum acceptum Deo. « ILLUD SACRIFICIUM VESPERTINUM FECIT « IN RESURRECTIONE MUNUS MATUTINUM » (*In Psalm*. 140, n. 5. P.L. 37, 1818) : munus nimirum perfusum luce aeternae gloriae ac decoratum : tale transmisit Christus munus ad Deum, talem hostiam.

Sed quid sermone S. Zenonis Veronensis efficacius : « Hic sempiternus, « quia occisus est et inventus est vivus... « Hic inquam AGNUS PERFECTUS ; QUIA « IN IPSO magnus ille sacerdos, pio mys« terio sua victima inclusus, HODIE [i. « e. die resurrectionis] DEUM REDDIDIT « HOMINEM QUEM LITAVIT » (*Tract*. 55. P.L. 11, 511). Intellege : transmittitur hodie ad Patrem in conditione divina id quod erat Patri mancipatum in conditione humana.

MEMBRUM II. DE SACERDOTIO PER RESURRECTIONEM DIVINITUS RATO.

Jam major lux accedet ex altero capite doctrinae apud Patres frequentissimo : Christum in sua resurrectione maxime exstitisse sacerdotem[1].

Non sane quod caruerit antea suo sacerdotio : quod ipsi, ut supra dictum est (in Elucid. II), ex incarnatione competebat, et sortitum est suum exercitium in litatione corporis et sanguinis ; sed quia istud sacerdotium, quod in litando sibi vindicavit Dominus, resurrectio demum signavit ex parte Dei tanquam *verum* et *efficax*, nec fictitium aut imbecille. Adeo ut inclaruerit Christus tanquam sacerdos per resurrectionem, immo et confirmatus sit atque, venia sit verbo, auctorizatus : qui *non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret*, sed clarificatus est ab illo *qui locutus est ad eum* : *Filius meus es tu, ego hodie* [suscitando e mortuis : cf. *Act*. 13^{33}, et commentatores in h. l. *Epist. ad Hebr.*, passim] *genui te... Et consummatus, factus est obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech* (*Hebr*. 5^{5-10})[2].

Et *primo* quidem dedicatio illa sacerdotii gloriosa adseritur.

Athanasius in primis tum demum ait Christum factum esse pontificem confessionis nostrae, « cum postquam se ob« tulisset pro nobis, corpus excitaret ex

1. Quocirca lege Thomassinum, *De Incarnatione Verbi Dei*, l. 10, c. 11-14.

2. Quomodo connexio sacerdotii cum resurrectione in *Epistola ad Hebraeos* explicetur ab aliis, non sine « aliquali subtilitate », quam confitentur ipsimet, videsis ap. Huyghe, in *Hebr.* 5^{5}, op. cit., p. 118.

« mortuis » (*Or.* 2 *contra Arianos*, n. 7. P.G. 26, 161)[1].

Cyrillus item Alexandrinus per octavum illum diem, in quo, succedens in locum Moysi, Aaron sacerdotio functus est (*Levit.* 9), reputat praefiguratum tempus simul et resurrectionis et sacerdotii dominici : « Tempus enim sacerdotii « Christi illud congruenter intellegitur, « quod post Legem [= Moysen] fuit, id « est octavus dies, in quem[2] incidit re- « surrectio » (*De ador. in spir. et verit.*, l. 11. P.G. 68, 768). Sequitur Procopius in eumdem *Levitici* locum : « Novum sa- « cerdotium Christi coepit die octavo, quo « resurrexit Christus » (P.G. 87, 719).

Apud Latinos, Tertullianus Christum indutum (ad instar Jesu filii Josedech, *Zach.* 3^{3-5}) podere sacerdotali non vult nisi in resurrectione : « Post resurrectionem « suam indutus podere, *sacerdos in aeter-* « *num* Dei Patris nuncupatus est » (*Adv. Jud.* 14. P.L. 2, 640 ; cf. Lactant. *Divin. instit.* l. 4, c. 14. P.L. 6, 488-490).

Eodem sensu resurrectio veluti initiat sacerdotium quo perficit sacrificium. Tunc enim sacerdotium est verum ac perfectum undequaque, cum signatur Deo ratum ; est autem Deo ratum, cum sacrificium a Deo acceptatur. Sacerdos enim seu pontifex, tanquam mediator Dei et hominum, humanae quaedam devotionis pignora satagit ad Deum transmittere, ut cum facta fuerint divina, iisdem vicissim a Deo oppigneratis remuneretur homo. Ille igitur perfectus est sacerdos, nec imbecillis, cujus dona ad Deum vere transeunt, in divinum recepta mancipium. Quae si dedignatus erit Deus ad se sumere et facere sua, nonnisi irritum aut imbecille est sacerdotium atque sacrificium. Porro in resurrectione, Christi hostia ad Deum transiit ; Christi hostia est a Deo suscepta ; Christi hostia, velut edulium Dei, absorpta est Igne increato divinae gloriae : longe excellentius quam per ignem de coelo lapsum aut holocausti incendium hostiae figurales consummabantur[3]. Consummatio quippe hostiae, Dei est acceptatio ; acceptatio autem nonnisi figuralis per ignis pastum fiebat : facta est autem vera per Christi clarificationem : quam idcirco Patres holocausti nomine donarunt quasi habuerit gloria rationem ignis, totam vorantis victimam, et trajicientis, consumpta corruptibilitate, in incorruptibilitatem suam.

Sic Origenes, ad Christum referens legem holocaustorum (*Levit.* 1^{1-9}) interpretatur illud : *Decoriantes holocaustum,... imponent filii Aaron sacerdotis ignem super altare, et constipabunt ligna in ignem* : « Desursum est enim divinitas Christi, « quo ignis iste festinat. Convenienter ergo « omnia haec quae in corpore a Salvatore « gesta sunt, coelestis ignis absumpsit, « et ad divinitatis ejus naturam cuncta « restituit. Lignis tamen adhibitis ignis « iste succenditur : usque ad lignum enim « in carne passio fuit Christi ; ubi autem « suspensus in ligno est, dispensatio carnis « finita est ; resurgens enim a mortuis « ascendit in coelum, quo [*legendum forte* : « quod] iter ejus natura ignis ostendit. « Unde et Apostolus dicebat, quia *etsi* « *cognovimus Christum secundum carnem,* « *sed nunc jam non novimus*. Holocaustum « namque carnis ejus, per lignum crucis « oblatum, terrena coelestibus et divinis « humana sociavit » (*In Leviticum*, hom. 1, n. 4. P.G. 12, 410).

Rationem eamdem subdit Cyrillus (loc. cit.), cur exordia dominici sacerdotii

1. « Quandonam nostrae confessionis pontifex factus est ? Nonne tum, cum postquam » etc.

2. Octavo diei idcirco, credo, deputat resurrectionem, quia facta est postridie Sabbati. Quemadmodum scribebat paullo post Hesychius, *In Levit.* 9^{1-4} : «...dies incidit in hac qua Salvator « resurrexit, quae esse octava creditur. » Per aliam viam eodem revertitur Rupertus Tuitiensis (*In Leviticum*, l. 2, c. 5. P.L. 187, 761) : « Quod *septem*, inquit [Moyses], *diebus finitur* « *consecratio*, quid significat, multis Scriptura- « rum locis certum est : quia videlicet septem « diebus omne praesentis saeculi tempus volvi- « tur, quod octava, id est futurae resurrectionis « tempore, clauditur, quae in magno pontifice « Christo jam impleta, in nobis autem implenda « non dubitatur. »

3. Qualiter ignis sacer consumendo hostias consummaret, expositum est supra (Elucid. I).

in resurrectione eluxerint ; perinde ac ignis a Domino egressus, dum depascit sacrificium Aaronis (bovem, arietem, similam), aaronicum sacerdotium sanxit atque adprobavit : « ...Professus est Moyses octavo « die visum iri Domini gloriam (nam Lex « tempus commemorationis nostri Salva- « toris praenuntiavit) : *apparuitque gloria « Domini omni multitudini* ; *et ecce egressus « ignis a Domino devoravit holocaustum « et adipes qui erant super altare* (*Levit.* « 9^{23-24})... Visa est ergo revera gloria « Domini octavo die, id est, Filius mani- « festus est factus, qui est gloria Dei ac « Patris... Sacros autem nos efficit : dum « ipse in bove mactatur... ut aries in « odorem suavitatis spiritualis consumma- « tur[1] ; factus et ipse hostia salutis, pro- « prio suo nos sanguine sanctificans, et « veluti simila oleo lita, se exhibens Deo « Patri pro nobis in hilaritate vitae sanc- « tae. »

Similiter Procopius holocausto parificat resurrectionem immolati Christi, dum persequitur partes ritus illius (*Exod.* 29^{12-14}) quo taurus in consecratione sacerdotum Deo erat sacrificandus : sicuti enim mactatio tauri mortem Christi praefigurat, sic incensio resurrectionem. « Praesignis « et splendida gloria illius mortis [domi- « nicae] delineatur per ignis naturam, quae « sacrificia absumit. Eadem ignis natura « adumbrat divinitatem Christi, quemad- « modum accidisse cognovimus quoque « in rubo et in Sina monte. Ingente « autem gloria extollitur Christus, quod « sustulit mortem : nam supplicii igno- « miniam vicit resurrectionis gloria. Hu- « jus rei argumentum est vituli cadaver, « quod igne absumitur » (*Commentarii in Exod.* P.G. 87, 657-658)[2]. Descendit quidam ignis divinitatis in corpus immolati Christi, absumens mortalitatem : et haec fuit sacrificii dominici gloria, id est susceptio divina ac sublimatio ad coelestia[3].

Idem subindicat Augustinus, cum tot tamque elegantibus locis, quos omnes congestos reperies apud Thomassinum (op. cit., l. 10, c. 15, § 1-5), resurrectionem corporum gloriosam exhibet ad modum ignis mortalitatem nostram comburentis atque aeternaliter consumentis. Cujus incendio omnes nos in holocaustum transibimus, illuc rapti quo nobis praecessit Christus, ferens ex utero virginali primitias (*Enarratio in Psalm.* 64, n. 4 et 5. P.L. 36, 775-776). Sicque fiet quod scriptum est : *Absorpta est mors in victoria* : namque « victoria quasi ignis divinus est : « cum absorbet mortem nostram, holo- « caustum est... TOTUM EX MORTALI VITA « CONSUMETUR, UT AETERNA VITA CON- « SUMMETUR. Erunt ergo illa holocausta. » De quibus scilicet Psalmista : *Introibo in domum tuam in holocaustis.* (*Enarr. in Psalm.* 65, n. 18. P.L. 36, 798). Quippe tunc « substantia corporis in coelestem « commutabitur qualitatem ; quod ignis « in sacrificio significabat, velut absorbens « mortem in victoriam » ; qua legalis sacrificii figura promittebatur Christus (*Contra Faust. Manich.*, l. 22, n. 17. P.L. 42, 409) : sacrificium verissimum, vere[4] in resurrectione consummatum[5].

1. In bovis mactatione attendit Cyrillus passionem Christi ; in arietis incensione suaveolenta, resurrectionem. Eamdem seriem sententiarum observa in sequente membro, respectu hostiae cruentae et similae litae oleo laetitiae.

2. Conferatur Cyrillus Al., *De adoratione in Spir. et ver.*, l. 11. P.G. 68, 756-757).

3. Indicatur idem, super istud *Levitici* 7^{17} : *Quod residuum fuerit de carnibus sacrificii usque in diem tertium concremabitur* : « Nobis in men- « tem revocatur dies tertius quo magnifice resur- « rexit Salvator noster, qui pro nobis ultimum « sustinuit supplicium » (*Commentarii in Leviticum.* P.G. 87, 718).

4. Mors fidelium, etiam martyrum, improprie sacrificium est : quare et improprie dicitur sacrificium ipsorum gloria resurrectionis consummari. Quia autem proprie mors Christi fuit sacrificium, ideo etiam proprie sacrificium Christi dicitur gloria resurrectionis consummatum.

5. Nescio annon aliquid istiusmodi sapiat apud quemdam Pseudo-Augustinum, auctorem *Libri de quatuor virtutibus charitatis*, sermo quo interpellatur Abraham : « Tu quidem licet, « resurrecturum credens, pleno et perfecto voto « puerum ducas immolandum, filius tuus in « isto sacrificio non cremabitur, quia resurrec- « tio Dei Filio reservatur » (P.L. 47, 1130). Quanquam potest alius ibi cogitationum nexus attendi.

Super illud *Levitici* 6[30] : *Hostia enim quae caeditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni*, mediaevalis vir, Rupertus Tuitiensis, caute secernens a specie sacramentali in qua comeditur Christus, speciem propriam in qua passus est ac resurrexit, at non comeditur, haec habet : « Species illa corporeae visionis, in qua « caesa est pro peccatis nostris hostia « viventium, Christus, Filius Dei, cujus « sanguis, imo sanguinis causa [*legendum* « *forte* : caro] semel illata est in illa coelestia « sancta ante oculos Dei Patris ad expianda « et repropitianda delicta populi ; illa « inquam species, tunc quando caesa est, « contemptibilis, non debuit comedi, sed « COMBURI IGNI (ID EST PER SPIRITUM « SANCTUM), EX VIRTUTE RESURRECTIONIS « AB OMNI MORTALITATIS VEL PASSIBILITA- « TIS CORRUPTIONE... EXIMI, et in coelum « levari » (*In Leviticum*, l. 1, c. 34. P.L. 167, 780)[1]. Haec de consummatione divina dominici sacrificii senserunt nostri majores.

Secundo, efficacia sacerdotii gloriosi indicatur.

Quia scilicet consummatum fuit divinitus sacrificium Christi, ideo etiam est efficax. Quod et in ipsa resurrectione attenditur, ubi bona coelestia, quorum conciliatio finis erat sacrificii, noster sacerdos percepit reapse sibi personaliter, nobis autem capitaliter. Hinc etiam, ratione effectus seu fructus, ratum censetur sacerdotium Christi, qui jure meritoque prae imbecilli sacerdotio Legis, praedicatur *pontifex futurorum bonorum*. Qua de re vix operae pretium est congerere Patrum testimonia; sed recurret istud explicandum infra penitius.

ARTICULUS II. — DE CONNEXIONE SACRIFICII CUM ASCENSIONE.

Scribit Benedictus XIV (*De sacros. sacrif. missae*, l. 2, c. 11, n. 5. Op. omn., Prati 1842, t. 8, p. 71) : « In sacrificiis « judaicis victima incendebatur super al- « tare holocaustorum, ut quicquid in ea « vitii esset, flammis absumeretur, et « fumus ad coelum tolleretur *in odorem* « *suavitatis*, ut sacra Scriptura loquitur. « In nova Lege consumpta fuit victima in « Christi resurrectione et ascensione. Nam « in resurrectione absorptum fuit in Christo « *quod mortale est a vita*, ut ait Apostolus « 2a *Epist. ad Corinthios*, absumptumque « fuit quicquid inesse poterat corruptibile ; « et in ascensione victima a Deo accepta « in odorem suavitatis, et ad ejus dexteram « fuit collocata. » Sicut igitur resurrectio parificabatur igni holocausti, sic fumo suaveolento ascensio. Quapropter Patres non minus hanc quam illam conseruere sacrificio Christi. Attendunt quidem in resurrectione descensum quemdam Dei ad victimam ; in ascensione vero victimae quamdam ad Deum perlationem[2]. Suscipi enim tunc illa censebatur a Deo atque intussuscipi, cum concludebatur circulus introducti olim Christi in mundum ut sacerdotis, reducis vero jam ad Deum ut hostiae : ubi demum quiesceret Christi et sacrificium et sacerdotium, veluti in adeptione sui finis, dum et hostia immobiliter in conspectu Dei jacet, et sacerdos ad dexteram Dei aeternaliter sedet : illic potitus sua gloria sacerdotali, quo eum perduxit virtus sui sacrificii.

Audiatur Epiphanius ea de causa illum declarans in ascensione sua factum pontificem aeternum : « Quod factus est « pontifex, id eo pertinet, quod in suo cor- « pore Patri seipsum obtulit pro omni

1. Inferius pariter haec habet (*In Levit.*, l. 2, c. 6, col. 792) : « Aliam hostiam, quam in holo- « caustum vel pro peccato offerret, non habuit, « nisi semetipsum. Et descendit ignis super « ipsum... et devoravit holocaustum, illa scilicet « devoratione sua, quam secundum Apos- « tolum recte immutationem dicimus, quia « profecto *resurgens ex mortuis, jam non moritur,* « *mors illi ultra non dominabitur.* »

2. Utrolibet quippe motu perficitur acceptatio divina : sive illapsu Dei, sive assumptione hostiae. Quare et nos duplici modo postulamus nostri sacrificii acceptationem, quae in transsubstantiatione sita est : sive invocantes Deum ut descendat super oblata, sive rogantes ut ad Deum oblata perferantur : ut constabit infra (Elucid. XXXIV).

« creatura, sacerdotem agens. Ascendens « vero spiritualiter et gloriose in eodem « corpore, sedit ad dexteram Patris, fac- « tus pontifex in aeternum, transgressus « coelos » (*Adv. Haeres.* haer. 69, § 34. P.G. 42, 261).

Eodem collineant carmina quibus S. Ephraem extollit Christum, quod ascendit ut oblatio ; quod ascendit et obtulit : perferens scilicet ad Deum dona prius in terris oblata. « Panis autem no- « vus et mysticus hac die in coelos « ascendit ; explicata fuerunt mysteria « in tuo corpore quod ascendit ut « oblatio. Benedictus sit, Domine, panis « tuus[1] ! Venit ad nos Agnus e domo David, « sacerdos ex Abraham ; idem factus est « nobis Agnus, idem factus est nobis sa- « cerdos ; corpus ejus est victima, sanguis « ejus libatio. Benedictum sit ejus sacri- « ficium ! E coelo descendit ut lux, et e « Maria ut germen ; e cruce descendit ut « fructus, ascendit in coelum ut primitiae. « Benedicta sit voluntas ejus!... Oblatio es « supra et infra, quia fuisti occisus et ado- « ratus ; descendisti quippe in terram et « factus es victima ; ascendisti et factus « es oblatio magna ; ascendisti, Do- « mine, et obtulisti » (*Hymni dispersi*, hymn. 18 in ascensionem — e breviario Syrorum ad diem ascensionis — str. 8, 9, 10, 12. ed. Lamy, t. 4, p. 748-750).

Chrysostomus similiter ovat quod Redemptor noster « ascendit cum sacri- « ficio quod potest placare Patrem » (*In Hebr.* 9^{24}, hom. 17, n. 1. P.G. 63, 128). Hesychius (*In Levit.* 16^{16-18}. P.G. 93, 901) in loco sancto, id est in Ecclesia, vult manducari a nobis hostiam Domini, propterea quod Dominus hostiae suae sanguinem intulit in locum sanctum, hoc est in coelum, obtulitque Deo. « Ipse autem suae « oblationis sanguinem, quae pro nostro « sanguine oblata est, in Sanctum (intus « videlicet in coelestem habitationem) in « conspectu Patris sui obtulit. Et in loco « sancto (dicimus autem Ecclesiam) com- « edi hoc sacrificium ad remissionem « et propitiationem peccatorum praece- « pit. » Haud aliter auctor *Historiae ecclesiasticae et mysticae contemplationis* (jam ante tempora Anastasii bibliothecarii adscriptae ab aliis Basilio ab aliis probabilius sancto Germano Constantinopolitano : cf. Brightman, J. T. S., t. 9, p. 248-267 et 387-398, et F. Cayré, D. T. C., art. *Germain*, col. 1308), intertexit Christi oblationem et ascensionem. « Fi- « lius Dei carnem quam portavit et ovem « quam suscepit super humeros..., sustulit « supra omnem principatum et potestatem « et dominationem superiorum virtutum, « et obtulit [προσήγαγεν] eam Deo et Patri :... « quam propter dignitatem offerentis et « ob munditiam oblati, suscepit Deus et « Pater ut sacrificium et oblationem be- « neplacentem pro humano genere. Ad « quem et *dixit Dominus Domino meo*, « id est Pater Filio, *sede a dextris meis* ; *qui « et sedit in dextera sedis majestatis in « excelsis* ; hic est Jesus Nazarenus, ponti- « fex futurorum bonorum » (Brightman, loc. cit., p. 266-267)[2]. Rursusque : « Coe- « lestia et non manufacta sancta ingressus « est Christus, et apparuit in gloria Dei « et Patris, pro nobis factus pontifex « magnus, qui penetravit coelos : et ha- « bemus eum advocatum apud Patrem et « propitiationem pro peccatis nostris, ut « qui praeparaverit (ὡς καταρτισάμενον) no- « bis suum sanctum et pretiosum corpus « redemptionem pro omnibus nobis » (ibid., p. 362-362). Consonat inter Latinos sanctus Phoebadius Aginnensis, si ipse[3]

1. Non te fugit, opinor, quantum eucharistiae continuet ascensionem : monstrans quam sit unum sacrificium decurrens ab oblatione sua eucharistica ad consummationem suam coelestem.

2. Eadem leguntur ex nostro Germano deprompta, in compilatione illa quae sancti Sophronii Hierosolymitani nomine insignita, inscribitur *Sermo complectens totam historiam ecclesiasticam et subtilem expositionem rerum omnium quae in divina liturgia peraguntur* (P.G. 87ter, 3996).

3. Ut vult Durengues, *La Question du De Fide*, Agen, 1909, post auctores *Hist. Littér. de la Fr.*, t. 1, 2e part., 1733, p. 273-279 ; contra alios adscribentes istum tractatum Gregorio Eliberitano, ut Dom. Morin, *l'Attribution du De Fide à Grégoire d'Elvire, Revue*

conscripsit tractatum *De fide orthodoxa contra Arianos* : « Passum, inquit, credi« mus [Filium Dei] et sepultum : ...tertia « quoque die resurrexit ; ...ascendit in « coelos, obtulit Patri suo hominem illum « [i. e. humanitatem assumptam], gra« tissimum munus » (P. L. 20, 48).

Consonat autem maxime sanctus Augustinus : « Semel ergo in toto tempore « intravit in sancta sanctorum, non figura« ta, sed vera, ultra velamenta coelorum, « unus sacerdos noster, resurgens a mor« tuis, Dominus Jesus Christus, OFFERENS « SE IPSUM PRO NOBIS » (Fragmentum *Sermonis de calendis januariis*, inter collectanea Joannis Diaconi in *Leviticum*, P.L. 38, 1736).

Huc etiam referuntur ea quae Gregorii Magni perorantis auditor, Claudius abbas, descripsit ita sollerter, ut testaretur Gregorius dictorum suorum sensum « valde in utilius[1] fuisse permuta« tum » (*Epist.*, l. 12, ep. 24. P.L. 77, 1234). Sic enim ille enarrationem nobis reddebat Gregorii in *I Reg.* 1^{21-22} : « Redemptor « noster jam de morte triumphans, jam « possibilitatis [= passibilitatis ?] nostrae « tenebras superans, carnem quam pro « nostra salute suscepit ad coelestia subli« mavit... Tunc immolavit solemnem hos« tiam, cum se aeterno Patri per glorifica« tae carnis materiam in coelo exhibuit » (*In I Reg.*, l. 1, c. 1, n. 40. P.L. 79, 42).

Inter viros mediaevales, Richardus Weddinghusanus[2] in suo *Libello de canone mystici libaminis* (c. 6. P.L. 177, 463), qui vulgatissimus fuit illa aetate, haec super verba *hostiam puram*, *hostiam sanctam*, *hostiam immaculatam*, commentatur : « Dominus Jesus in passione sua « fuit hostia pura, IN RESURRECTIONE « HOSTIA SANCTA, IN ASCENSIONE HOSTIA « IMMACULATA[3]. »

Consentanee igitur ad doctrinam veterum recentiores quidam, viri piissimi, C. de Condren[4] et J.-J. Olier[5], assumptio-

Bénédictine, 1902, p. 229-237, post Quesnellum, diss. XIV, *De variis Fidei Libellis* etc. P.L. 56, 1049-1053.

1. Sic videntur verba secanda, quae ab editoribus sunt contracta in unum « inutilius ». At qui potest esse grammaticalis sensus istius locutionis « valde inutilius permutatum » ? Ceterum in laudata epistula, qua nonnisi laudibus afficitur Claudius, ne uno verbo quidem indicatur intentio quam sibi visi sunt deprehendere editores benedictini (P.L. 77, 1233, et 79, 9), illas *Expositiones in I Reg.* emendandi, aut prohibendi quominus incorrectae in lucem prodirent, sed tantummodo voluntas procurandi ut potiretur suis, quibus careret, operibus, atque cavendi ne ulla sua scripta, quamdiu ipse viveret, hominibus innotescerent.

2. Potius quam Joannes Cornubiensis : cf. Hurter, *Nomenclator*[3], 2, col. 95. 3, et 212.

3. Quia autem consessus sacerdotalis Christi in dextera Patris non innotuit nisi missione Spiritus Sancti, ad quam ordinabatur ; et quia tunc demum exseruit suum effectum hostiae dominicae sanctificatio, cum sanctificata est Ecclesia in apostolis, secundum quod dixerat Christus : *Ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* : ideo Beda diei Pentecostes demum deputat consummationem ultimam sacrificii paschalis nostri Servatoris : « cujus hostia tempore paschae immo« lata, sed die Pentecostes Spiritu Sancto in « igne apparente vere consumpta est » (*Super Acta Apost. exp.*, c. 1. P.L. 92, 945). Adeo ut Spiritus Sancti illustratione, non resurrectione Domini, velit consecratam esse primam hebdomadae diem in dominicam (op. cit., c. 2, col. 946): sed nos dicimus utraque.

Omnia istius doctrinae puncta complectitur Instructio celeberrima Ludovici Alberti Joly de Choin, Episcopi Toulonensis, data die 15° novembris A. D. 1748 : «Cette divine victime a « été immolée sur la croix ; elle a été consommée, « pour ainsi dire, par la résurrection et par l'as« cension de Jésus-Christ : car par la résurrec« tion tout ce qu'il y avait de mortel et de corrup« tible en Jésus-Christ a été détruit, et a été « *absorbé par la vie* ; c'est alors que son corps a « été revêtu de l'immortalité ; et par l'ascension « cette victime a été présentée devant la face de « Dieu et placée à la droite de Dieu le Père. En« fin, nous trouvons, au jour de la Pentecôte, « une espèce de communion à la victime ; car « c'est en ce jour que les fidèles ont été, pour « ainsi dire, incorporés à Jésus-Christ, étant de« venus participants de son esprit et les membres « de son corps, comme le dit saint Paul » (*Instructions sur le Rituel. Du sacrifice de la Messe*, ed. Bisunt., 1827, p. 302-303). Ampliora de nexu inter Pentecosten et eucharistiam habebis infra (Elucid. XXVI).

4. *L'idée du sacerdoce et du sacrifice de Jésus-Christ*, Paris 1677. Quoad resurrectionem : 2e partie, ch. 8 et 20-22, p. 68 et 93-103. Quoad ascensionem, ibid. ch. 23, p. 103.

5. *Explication des cérémonies*. Quoad resurrectionem, l. 2, c. 4, et l. 7, c. 5. Quoad ascensionem, l. 2, c. 9. Cf. Lepin, *L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne*, p. 151-157 et 161-164.

nem hostiae ad Deum in ascensione, sicut et consumptionem illam in resurrectione praenotatam, habuere tanquam communionem Dei ad sacrificium Christi : sine qua nec nos, dum Christo vescimur, foremus Dei convivae et commensales[1]. Adeo ad nostrae cibationis spiritualis sacramentum pertinet, sicut passio ita et resurrectio et ascensio Christi !

Sive autem haec communio Dei ad Christi hostiam attenditur, sive illa Christi (de qua dictum est supra[2]) ad bona Dei, utrinque addit et resurrectio et ascensio sacrificio Christi excellentiam super reliqua sacrificia, quae, utpote infirma, neque offerentem valuerunt perducere in consortium Dei, neque vertere oblationes in Dei alimoniam ac pastum. Quorum igitur significatio mendax exstitit, et dolosa promissio, nisi in illud unum verum respexit sacrificium, quod, in terris oblatum, in coelis est consummatum, et, redditum passione, est gloria coronatum. Eo igitur verius sacrificium Christi, quod transiit in coeleste ; eo verior hostia, quo gloriosior. Omnis quippe hostiae nisus fuit ut in Deum transiret : quod tamen nulli contigit nisi victimae nostrae paschali, cujus transitus ad Deum, ex vita per mortem, ex morte per resurrectionem, in ascensione est completus. Undequaque igitur resurrectio et ascensio cumulant sacrificium Christi.

Nec mirum proinde quod in omnibus fere liturgiis (cf. infra, Elucid. XVII) fit alterutrius vel utriusque recordatio seu anamnesis, post narratam coenam memoratamque passionem[3]. Una enim sunt omnia illa mysteria mysterii unius integratio, quod est sacrificium redemptionis a Christo peractum et a Deo susceptum.

Nec mirum rursus, quod eucharistia nostra, sicut est sacramentum passionis Christi, etiam dicatur sacramentum commemorativum dominicae resurrectionis (cf. infra, Elucid. XVII et XXII) : non quod sensibiliter repraesentet resurrectionem sicut passionem, sed quia commemoratio est sacrificii, ut veri nec attentati tantum, ut rati nec irriti, ut consummati nec imperfecti, ut coelestis nec umbratici. In coena autem, sicut praenuntiativum fuit sacramentum passionis, ita etiam resurrectionis ascensionisque fuit sacramentum praenuntiativum : pro quanto is qui sacrificabat, Deus cum esset, credebatur per spiritum aeternum suum obtulisse se immaculatum Deo ; adeo ut invisibiliter quidem, sed tamen infallibiliter, esset hostiae Christi conciliata acceptatio divina. In cujus venturae consummationis exspectatione manducaverunt et biberunt, sicut Christus, ita apostoli[4]: hi quidem secundum fidei obscuritatem, ille autem secundum claritatem visionis. Quamobrem memorata est in articulo coenae futura Domini potatio et manducatio in regno Dei (*Matth*, 26[29], *Marc.* 14[25], *Luc.* 22[29-30]), exorataque clarificatio coelestis (*Joan.* 17[1 et 5]).

Articulus III. — De perennitate sacrificii Christi.

Sacrificium[5] Christi evasit quidem per resurrectionem gloriosum, per ascensionem coeleste ; immortalitas autem vitae aeternae illud effecit perenne. Ut enim indicatum est supra (Elucid. I), status victimalis, ipsa sacrificatione inductus, perseverat

1. Condren, op. cit., 4[e] partie, p. 367.

2. In hac nimirum et superiore Elucidatione. Coenatio enim eucharistica, ut diximus, futuram communionem Christi ad bona Dei significabat, in resurrectione et ascensione adipiscendam, nec es solum quod hostia sublimaretur, sed et quod particeps hostiae sacerdos clarificaretur.

3. Quod cum attendatur etiam in oratione nostra *Suscipe sancta Trinitas*, scribit apposite Benedictus XIV :« In hac oratione Ecclesia « Graeca de Incarnatione, de Nativitate, de « Passione, de Resurrectione, de Ascensione, « deque Spiritus Sancti adventu mentionem « facit. Quod si nunc Romana Ecclesia in eadem « oratione PASSIONEM, RESURRECTIONEM et « ASCENSIONEM solum commemorat, in causa « illud est, quod IN TRIBUS HISCE MYSTERIIS, « QUAE SUNT PRAECIPUAE SACRIFICII PARTES, « optime repraesentatur IMMOLATIO victimae « ET CONSUMPTIO » (*De sacros. Missae sacrif.*, l. 2, c. 11, n. 6).

4. Cf. infra, Elucid. XXII.

5. Vix operae pretium est notare vocem *sacrificium* hic accipi sensu passivo, pro re sacrificata ; non sensu activo, pro actione sacrifica.

quamdiu manet hostia incorrupta. Jam vero non solum incorruptam ac illaesam reliquit resurrectio sanctificationem carnis dominicae victimalem (secundum illud *Psalm.* 15^{9-10} : *Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam in inferno : nec dabis* SANCTUM TUUM *videre corruptionem;* cf. *Act.* 2^{26-31}), sed etiam per resurrectionem ipsam obtigit carni hostiae incorruptibilitas gloriae : quae, ut dictum est, nedum officiat statui victimali, multo magis ei accessit cumulus, sanctitatem hostiae ex parte divinae acceptationis sanciens et complens. Est ergo inde sacrificium Christi immortale, aeternum, unde est gloriosum et coeleste[1].

Perseverat igitur Christi sacrificium, non quidem activum : sacrificatio enim transiit, nec iteratur aut veluti in continuo *fieri* agitur ; sed perseverat utique sacrificium passivum : hostia enim durat in suo *esse* hostiae acceptatae.

Nec metaphoricum est istud juge sacrificium (passivum) coeli, quasi denominet affectum Christi internum duntaxat : sicut metaphorice dicimur immolati Deo per devotionem. Sed proprium sacrificium est, denominans scilicet proprietatem quamdam dominicae humanitatis externam : ipsam dico gloriam, pro quanto parta est per litationem illam semel a Christo coenante et patiente factam in aeternum, ac in aeternum a Patre ratam atque sancitam. Quemadmodum sacrificium proprie intellegebatur a veteribus quodvis theothytum, quamdiu durabat in ratione theothyti.

Proprium autem cum sit sacrificium coeli, non tamen est computandum inter *mera* signa aut symbola, alio scilicet referentia : siquidem exsulant imitamenta veritatis ab illo regno, quod sua luce veritas tota illuminat. Sed ita illic sacrificium significat sacricolae devotionem, ut unum idemque sit id quod denotat et id quod denotatur, signum et significatum. Quod ideo obtinet, quia Christus fuit simul hostia et sacerdos : non aliud a seipso offerens Deo ; unde sacrificium ejus fuit plenum, ut in quo *signum* aequaret *rem.* Quod et nunc in coelo non solum habetur, sed et manifestatur. Quare recte Guitmundus Aversanus, in celeberrimo suo tractatu adversus Berengarium, de ipso Christo glorioso ac coelesti agens, haec habet : « Idem igitur Christus suiipsius est sacrum « signum, id est sacramentum » (*De corporis et sanguinis Christi veritate*, l. 2. P.L. 149, 1460), absque velis tamen quibusvis sacramentalibus. Unde fluit efficacia sacrificii illius ad sanctificandum nos, non imaginaliter tantum, sed realiter, per sacramenta quibus suam nobis admovet virtutem. Neque enim ipsa inania sunt aut deficientia, sed ut signa sacrificii pleni instrumentaque hostiae in nullo deficientis, exserunt efficaciam significationi suae neutiquam imparem[2].

1. Equidem si Christus resurrexisset in statu passibili ac mortali, sicut Lazarus, jam non foret hostia. Sanctificatio enim qua sacrificans se veluti auxit, in hoc constitit ut exueret similitudinem quam gerebat carnis peccati, vitam scilicet mortalem ac passibilem, et transiret inde in justitiae ac vitae divinae splendorem omnimodum. Eo quippe aliquid est sacrum, quod secretum a rebus profanis appropinquat Deo. Quod si igitur ad vitam passibilem ac mortalem reverteret, quid nisi corrumperetur sanctitas hostiae et vanesceret ? Hoc confirmat Apostolus scribens : *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera (Hebr.* 8^4*)*. Id est : si esset super terram, vitam terrenam degens, non esset resuscitatus in novitatem vitae coelestis. Proindeque sacrificium ejus non foret aeternum ; et pro tanto inter imbecilla et fluxa sacrificia numerandum esset. Sed ad istiusmodi sacrificia frequentanda, institutum est proprie sacerdotium legale. Ergo ne tale quicquam quidem ipse offerret, cum sit aaronico sacerdotio extraneus. Ergo nec esset sacerdos ullatenus. Chrysostomus : « Ostendit [Paulus] nec fieri potuisse ut esset « sacerdos super terram. Quomodo enim [foret] ? « Siquidem [in terris] neque resurrectio erat, « inquit » (*In Hebr.* hom. 14, n. 1, P.G. 63, 111).

2. Noscuntur enim sacramenta Novae Legis esse, suo quodque modo, signa sacrificii dominici. Sunt enim ex sua primaria essentia signa (commemorativa) rei sacrae (quae passio est Christi), in quantum (ista res sacra) est sanctificans homines (cf. S. Thom. 3 S. 60, 3 c. et 2^m). In quantum autem adhibita a Redemptore nostro, sunt ejusdem rei sacrae instrumenta ; et pro tanto sunt signa practica simul ac demonstrativa effectus per ipsam inducti, id est sanctitatis nostrae (cf. *ibid.* et 3 S. 62.5). Sed de his plura suo loco, in libro tertio.

Jam audiantur Patres. Imprimisque Athanasius, « fidelem » declarans administrationem Christi sacerdotalem ex aeternitate sacrificii : « Carnem nostrae « similem induit, quam per se ipse offerens, « pontifex appellatus est, factusque est « misericors et fidelis : misericors quidem, « quia, cum seipsum pro nobis obtulit, « nostri est misertus ; fidelis vero,... quia « FIDELE SACRIFICIUM OFFERT, PERDURANS « NEC INTERCIDENS (ὅτι πιστὴν θυσίαν « προσφέρει τὴν μένουσαν καὶ μὴ διαπίπτουσαν). « Nam legalia sacrificia nihil fidele habuere, cum singulis diebus praeterirent, « opusque esset nova purgatione. At Sal- « vatoris sacrificium semel peractum per- « fecit omnia, ac FIDELE FACTUM EST, « CUM MANEAT PERPETUO » (*Or.* 2 *contra Arianos*, 9. P.G. 26, 165).

Nazianzenus ipsis sacrificiis caducis Legis ostendit quodammodo insertam a Deo hostiam Christi perpetem. « Ne illa « quidem [veterum sacrificia], inquit, re- « liquit Deus totaliter sanctitatis expertia « aut inutilia aut sanguine demum anima- « lium madentia ; sed magna illa, et, quan- « tum ad primam naturam, immactabilis, « ut ita dicam, victima legalibus sacrifi- « ciis immixta est : illa, inquam, non exi- « guae partis terrarum, neque fluxa, sed « SEMPITERNA TOTIUS MUNDI EXPIATIO « (διαιωνίζον καθάρσιον) » (*Or.* 45 *in S. Pascha*, n. 13. P.G. 36, 640).

Rationem aeternam rei oblatae aperte vindicat Epiphanius Christo. « Sacer- « dotale Patri suo munus offert, accepta « ex humano genere massa ut pro nobis « sacerdos exsistat secundum ordinem « Melchisedech omni successione carentem. « Manet enim pro nobis assidue dona offe- « rens, qui se primo quidem obtulit ut « aboleret hostiam veteris testamenti, per- « fectiorem sacrificatus vivam pro uni- « verso mundo : ipse hostia, ipse sacrifi- « cium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse « Deus,... ut fieret nobis vita secundum « omnem modum, sacerdotiique sui stabi- « litatem firmaret in saecula immobilem » (*Haeres.* 55, n. 4. P. G. 41, 980).

Chrysostomus quidem videtur a Christo glorioso abjudicare cum sacerdotali munere etiam proprietatem sacrificalem, dum scribit : « Ne putaveris, audiens « eum sacerdotem (ἱερέα), semper eum « sacrificare (ἱερᾶσθαι). Semel enim sacri- « ficavit, et reliquum sedet... Ne putaveris « in superis eum stare, et liturgum (λει- « τουργόν) esse : sicut fuit servus ita et sa- « cerdos et liturgus ; sed sicut factus servus, « non remansit servus, sic factus liturgus, « non remansit liturgus. Non enim liturgi « est sedere, sed stare » (*In Hebr.*, hom. 13, n. 3. P.G. 63, 107). At per hoc id unum a sancto Doctore intenditur : quod Christus nulla jam nova egeat litatione, quasi sacrificii adhuc inops. Sacrificii autem semel oblati, ac apud Deum delati ut maneat in aeternum, neutiquam excluditur perennitas[1]. Quod primo constat ex verbis cum subjectis, tum praemissis. Pergit enim continuo S. Doctor : « Hinc suspicare licet « sacrificii magnitudinem, quod unum cum « esset, suffecit, et semel oblatum, tantum « potuit quantum non potuere omnia... « Non est aliud sacrificium ; unum nos « purgavit. Postea autem ignis et gehenna. « Propterea enim hoc susque deque versat « [Apostolus], dicens unum esse sacer- « dotem, unum sacrificium ; ne quispiam « putans esse multa [adhuc litanda], se- « cure peccet » *(ibid.)*. Unum igitur sacrificium, quia sufficientissimum ; sed hoc sacrificium unum ac sufficientissimum nobis jam praefatus erat Chrysostomus esse asservatum in coelis. « Ecce enim « in supernis habemus hostiam (ἱερεῖον), « in supernis sacerdotem (τὸν ἱερέα), in « supernis sacrificium (τὴν θυσίαν) » (*In Hebr.* hom. 11, n. 3. P.G. 63, 92). Immo negat sacerdotium Christi consistere perfectum nisi ex sacrificio coelesti : « *Omnis* « *enim pontifex*, inquit [Apostolus], *ad*

1. Multum affinis est sensus hujus loci sententiae Gregorii Nazianzeni infra perpendendae, secundum quam Christus liber est ab omni supplicationis humilitate. Porro qui est in actu litandi, non est ab istiusmodi conditione liber ; sed est liber utique ille, cujus sacrificium penetravit coelos et quiescit, potitum Dei gloria. Vide infra (Elucid. XIV).

« *offerendum munera et hostias constituitur* : « *unde necesse est et hunc habere aliquid* « *quod offerat*. Ne quoniam audis eum « sedere, existimes esse nugas quod dic- « tus sit pontifex (ἀρχιερέα)... Quaerebant « aliqui : cur dicitur mortuus esse quia « sacerdos ? Quippe sacerdos non est abs- « que sacrificio : oportet ergo eum quo- « que habere sacrificium. Alioquin autem, « cum dixisset eum esse in superis, dicit « et ostendit eum sacerdotem undequa- « que : ex Melchisedech, ex jurejurando, ex « eo quod offert sacrificium. Ex hoc cete- « rum alium connectit syllogismum : *Si* « *ergo esset super terram*, inquit, *non esset* « *sacerdos*, etc. Si ergo est sacerdos, sicut « certe est, oportet ei quaerere alium lo- « cum. Nam si esset super terram non « esset sacerdos... Et ostendit fieri non « potuisse ut esset sacerdos super terram. « Quomodo enim [foret] ? Siquidem [in « terris] neque resurrectio erat, inquit » (*In Hebr.* hom. 14, n. 1, col. 111). Ibi igitur Christus est sacerdos perfectus, ubi est in novitate vitae gloriosus. Quia autem non nugatorie est illic sacerdos, etiam necesse est ut ibidem habeat secum sacrificium suum. Consequenter, si dixerit Apostolus : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei* (*Hebr.* 10^{22}), hoc, interpretante Chrysostomo, est propter invisibilitatem hostiae sublatae per sacerdotem aeternum in altare coeleste : « *In* « *plenitudine fidei* : id est, quia nihil est « adspectabile, neque sacerdos, neque sa- « crificium, neque altare » (*In Hebr.* hom. 19, n. 1. P.G. 63, 139). Haec Chrysostomus.

Quanquam igitur discrepant voces, tamen consentit Cyrillus Alexandrinus Chrysostomo, dum Christum in coelis ait esse sacerdotem, hierurgum et liturgum. « Qui litat (λειτουργῶν) Deo, « non paris honoris cum Deo erit, neque « gloriam illi soli competentem reportabit. « Quomodo igitur Christus pontifex noster « effectus in dextera Dei sedet, thronumque majestatis occupat in coelis, et sanc- « torum est liturgus ?... Videlicet unus « est Christus et Filius, sedens quidem pro « divina sua natura in propriae divinitatis « throno, dispensatorie vero sacerdos et « liturgus oeconomice pro natura sua hu- « mana » (*De recta fide ad principissas*. P.G. 76, 1312). Rursusque : « Si verum est « omnem sacerdotem semper stare dum « litat, nec intellegitur unquam Deo, cui « sacrificat, considere, aut aequalem ha- « bere gloriam, quomodo non inauditi « generis est hierurgus (ἱερουργός) Chris- « tus, qui in divinitatis sedibus est ut « Deus, et litat secundum humanitatem » ? (*De recta fide ad augustas*, 44. P. G. 76, 1397).

Medio aevo testem habemus traditionis orientalis non spernendum Symeonem Thessalonicensem, aeternum Christi sacerdotium explicantem ex duplici capite : primo quidem quod ipse per nos in eucharistia sacrificat ; secundo vero et potissimum, quod ipse secundum se aeterna quaedam est hostia sacrificii in cruce oblati. En verba : « Ipse *sacerdos* est *in aeternum* « *secundum ordinem Melchisedech* (in pane « videlicet et vino) nequaquam cessans. « Eo magis vero aeternus sacerdos, quod « sacrificavit seipsum voluntarie per cru- « cem, ET SACRIFICAT, atque obtulit semet- « ipsum Patri, et OFFERT ; et HOSTIA JACET « PERENNIS atque AETERNA PRO NOBIS « VICTIMA PROPITIATIONIS. Quem et ha- « bemus *pontificem magnum*, *qui pene-* « *travit coelos*, *Jesum Filium Dei* » (*De sacramentis*, cap. 44. P.G. 155, 189). Rursusque : « Tunc [scil. post judicium ulti- « mum] erit unanimitas, cunctique amici « et dilecti erunt ; et Jesus OPTIMA VIC- « TIMA in medio erit omnium sanctorum « suorum, pax omnium exsistens et unitas : « et sacerdos et SACRIFICATUS (ἱερεὺς καὶ « ἱερουργούμενος) et uniens omnes, et uni- « tus omnibus » (*De sacra liturgia*, c. 98. P.G. 155, 296).

Latini consentanee ; imprimisque Ambrosius Christum in coelis aeternam nostram hostiam commonstrans : « Sa- « cerdos enim aliquid debet offerre, et « secundum Legem in sancta intrare per « sanguinem. Ergo quia sanguinem tau- « rorum hircorumque repudiaverat Deus,

« hunc utique sacerdotem per suum sanguinem, sicut legisti, in Sancta Sanctorum, coeli summa penetrantem, oportebat intrare : ut AETERNA NOSTRORUM ESSET OBLATIO PECCATORUM. Idem ergo sacerdos, idem et hostia » (*De fide*, l. 3, c. 11, n. 87. P.L. 16, 607).

Gregorius M. pariter, in illud *Job.* 1[5], *Sic faciebat Job cunctis diebus* : « Cunctis diebus Job sacrificium offerre non cessat; quia sine intermissione holocaustum pro nobis Redemptor immolat, qui sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem [i. e. carnem assumptam] demontrat. Ipsa quippe ejus incarnatio [i. e. caro assumpta] nostrae emundationis oblatio est ; cumque se hominem ostendit, delicta hominis interveniens diluit. Et humanitatis suae mysterio PERENNE SACRIFICIUM IMMOLAT, QUIA ET HAEC SUNT AETERNA QUAE MUNDAT » (*Moral.*, l. 1, c. 24, n. 32. P.L. 75, 542).

Inter mediaevales, putat (satis mirabiliter) Gerhohus Reichersbergensis aeternitatem dominici sacrificii denotatam in psalmis per interpositam vocem *Sela*. Sic super illud *Psalm.* 19[4] : *Memor sit omnis sacrificii tui et holocaustum tuum pingue fiat* : « Hoc adverbium, inquit, psalmis crebro interpositum... aeternitatis est significativum; cujus interpositio congrue est in hoc loco subjuncta HOLOCAUSTO IN AETERNUM FLAGRATURO : illo sacerdote illud offerente secundum ordinem Melchisedech, qui non ut Aaron temporale sacerdotium, sed sicut Melchisedech sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro suis, OFFERENS VIDELICET HOLOCAUSTUM PRO HUMANA SALUTE, HOMINEM ASSUMPTUM, ET TOTUM DIVINITATIS IGNE INCENSUM ; QUOD HOLOCAUSTUM IN CONSPECTU DEI PATRIS EST PINGUE SEMPER. Et quidem tu, Christe, sacerdos magne, *in tempore iracundiae factus es reconciliator*, quando in die tribulationis obtulisti sacrificium et holocaustum, de quo jam, prout te donante potuimus, aliqua diximus » (*In Psalm.* 19. P.L. 193, 967)[1].

Testimonia alia supersunt perpendenda infra (Elucid XXI), cum ventum erit ad missam cum hostia coelesti connectendam[2].

SECTIO III. — RATIO THEOLOGICA.

Perseverare in coelis sacrificium Christi ostendit duplex ratio theologica : una desumpta ex justificatione nostra ; altera ex sacrificio missae.

ARTICULUS I. — JUSTIFICATIO NOSTRA EVINCIT AETERNITATEM SACRIFICII DOMINICI.

Admirationem habet, quod scripsit Paulus : Christum traditum esse propter delicta nostra, et RESURREXISSE PROPTER JUSTIFICATIONEM NOSTRAM[3] ; causam ponens justificationis resurrectionem[4]. Quin, et *si Christus non resurrexit, vana*

1. Patet nonnisi frivole posse demonstrari aeternitatem dominici sacrificii per vocem *Sela*. Sed non inde perit valor hujus testimonii. Immo tanto magis apparet fuisse aliunde menti nostri Gerhohi fidem illius aeternitatis impressam. Quo fit ut traditioni cuidam theologicae testetur iste locus magis quam si ex intrinseca quadam ratione peteretur demonstratio. Quod velim notes similiter de multis scriptorum mediaevalium locis aut allegatis jam aut allegandis, sive in praesente causa sive in aliis.

2. Interim noto perennitatem hostiae crucis gloriosam esse in Concilio Tridentino memoratam (nullo repugnante) ac praedicatam a Francisco Sonnio (ap. Theiner, *Acta Genuina*, 1, 612), postmodum episcopo Antverpiensi, et Bartholomaeo Miranda, O. P. *(ibid.*, p. 633), qui professus est sententiam se reddere Cajetani, quam referemus cum reliquis infra opportunius.

3. *Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram (Rom.* 4[25]*)*.

4. Cum legis apud doctores resurrectionem Christi esse causam nostrae resurrectionis vel justificationis (v. g. S. Thom. 3 S. 56, 1 et 2), praesertim efficientem, noli intellegere resurrectionem Christi *in fieri* (quod praeteritum est), sed *in facto esse* (quod perseverat) : hoc est, Christum prout ex morte suscitatum in vitam gloriae. Apposite Suarez : «Duo sunt in resurrectione Christi consideranda. Primum est ipsa resurrectio, prout fuit in fieri, seu quatenus fuit quaedam actio seu mutatio quae pertransiit. Alterum est, terminus hujus resurrectionis, qui est Christus homo vivens vita

est fides vestra, adhuc [enim] *estis in pec-* « *catis vestris* (*I Cor.*, 15[17]). Cujus loci non jam (sicut superiorum versiculorum 15[14–15]) sensus est : adhuc estis peccatores, quia vana, id est falsa (utpote carens fundamento) fides vestra est ; sed potius : vana est fides vestra, id est inutilis seu inefficax, siquidem justificatore carentes adhuc estis in peccatis vestris[1]. Peccatores estis quia justificationem non adepti, cujus causa una censetur esse Christi passi ac mortui resurrectio : sublata enim causa, tollitur effectus. Utique salvi facti sumus Christi sacrificio ; at ea lege ut sacrificii hostia principium justitiae nobis exsistat prout adepta resurrectionem gloriae.

In quantum autem talis, erit nobis justitiae principium *dupliciter*. Principiat enim justitiam primo, ut removens prohibens : dum, pro sua ratione propitiatoria, est debitorum nostrorum exsolutum pretium. Secundo principiat justitiam ut causa efficiens : dum pro suo influxu sanctificativo nobis ipsa communicat suam sanctitatem et gratiam.

Primo quidem[2], si de *propitiatione* sit sermo, obtulit Christus Deo munus vel hostiam, qua compensaret nostra delicta : corpus scilicet suum cruentatum passione mortis. Dabat igitur proprium corpus Deo, ut in rem Dei transiret. Pactum tunc a Christo initiabatur ; quod ex parte sua sanxit Deus, hostiam acceptans et adsumens ad se in gloriae suae recessum[3]. Utique in quantum acceptatio est actus formaliter Deo immanens, est aeterna ; neque proinde fuit usque ad resurrectionem dilata. At hic spectatur prout est virtualiter transiens ad ipsam rem sumendam ac captandam. Cujusmodi consideratio est necessaria in contractu sacrificali, qui in genere signi consistere debet. Quae nisi interveniret divina subscriptio pacti atque sigillatio, nequaquam repropitiaremur ; nam quantuscumque sit valor compensationis oblatae, etiam condignus, tamen nullum censetur transactum negotium, donec utriusque partis sit expressus consensus. Non redimet igitur hostia Christi nostra peccata, nisi a Deo in solutionem nostri debiti recepta. Ante divinam acceptationem habuit quidem valorem compensandi, sed actum vel effectum compensandi non habuit nisi accedente acceptatione. Quanquam igitur ex parte Christi redimentis totum actum est in articulo passionis, tamen ex parte Dei cui obstringebamur, oportuit ut adjiceretur opus illud resurrectionis, qua veluti intimatione sui consensus susciperet ad se Christi hostiam, pretium nostrae salutis. Tunc demum constitit pactum. Pacto autem salvi facti sumus. Ante resurrectionem igitur Christi non constabat salvatio nostra.

Praeterea oportet ut maneat apud Deum aeternaliter nostrum pretium. Christus enim se dedit Deo in aeternum, ut aeternam nobis propitiationem conciliaret[4]. Quod autem est Dei, Deus numquam aut perdit aut a se alienat ; sed, quantum est ex sese, servat perpetuo. Si igitur Christus (per insipientiam dico) cessaret aliquando

« immortali et gloriosa. Cum ergo dicitur resur- « rectio Christi causa nostrae resurrectionis, « non est intelligendum, ratione mutationis « quae transiit, secundum seipsam, sed ratione « termini qui manet, et potest habere rationem « causae » (*In* 3 S. 56, 1, *Commentarius*).

1. Quod praeclare exposuit Chrysostomus, in h. l. (P.G. 61, 335).

2. Nostrae praesenti disputationi affinia sunt quae habent Salmanticenses, *De incarnatione,* disp. 31, dub. 4, n. 47.

3. Utique in quantum acceptatio est actus formaliter Deo immanens, est aeterna ; neque proinde fuit usque ad resurrectionem dilata. At hic spectatur prout est virtualiter transiens ad ipsam rem sumendam ac captandam. Cujusmodi consideratio est necessaria in contractu sacrificali, qui in genere signi consistere debet.

4. Quae aeterna propitiatio nobis ideo necessaria erat, quia aeternum erat nostrum erga Dei justitiam debitum ; nec aeternum solum ex parte subjecti (hominis dico peccatoris), inepti ex se solo ad damnum resarciendum aut culpam reparandam (cujusmodi irreparabilitas, citra gratiam, etiam veniali peccato inhaeret), sed etiam aeternum ex parte objecti (Dei dico deserti), quod cum sit simplex Totale Bonum, nullas habens partes neque suae molis neque durationis, nequit rejici ex parte, ex parte retineri, sed aut respuitur totum, aut totum admittitur, amaturque pro semper aut pro semper refugitur (est enim Deus ipsa sua aeternitas). Quare debitum si contrahitur, contrahitur erga ipsius aeternitatem, sicut et contra

esse in gloria Dei, hoc non posset esse, nisi quia ipse se retraheret : quo casu pactum frangeret, fraudans Deum re oppignerata ; nec proinde peccata nostra manerent propitiata, cadente compensatione quam afferebat munus : quod tamdiu compensat, quamdiu munerat ; nec retractum gratiam ullam habet[1]. Sed fidus est noster pontifex, fida nostra victima, fidum pretium nostrum, quo nunquam defraudabitur Deus : et pro tanto securi sumus, aeterna per Christum redemptione inventa. Est ergo gloriosa Christi vita cautio nostra.

Id voluerunt Patres nomine pretii intellegi, quod a Christo semel solutum, semper apud Deum nos redimeret ; adeo ut, si a conspectu Dei vanesceret, salvi nequaquam foremus a peccatis nostris : pretium autem deficeret, si deficeret hostia. Quod adversus Lutherum valide urgebat Georgius Wicelius (Witzel), sacrae antiquitatis sagax interpres : « Si igitur Christi « corpus atque sanguis non EST[2] hostia, « inanis est fides nostra, et hactenus in « peccatis nostris manemus » (*De Eucharistia*, Coloniae 1549, p. 322-323). Haec de repropitiatione nostra dicta sint, in qua intercedit hostia ut causa moralis.

Secundo requirit sacrificii aeternitatem processus nostrae *sanctificationis*, in quo partes habet hostia causae efficientis. Per ipsam enim hostiam passionis sanctificamur participandam, efficientemque nos consortes suae sanctitatis, in quantum tale quid operatur in nobis quale significat, plena ipsa veritatis. Sed si hostia jam nulla est, nullus ejus in nos influxus, nec proinde ulla sanctitatis infusio. Hostia enim nostra est causa, non *in fieri* tantum, sed *in esse* nostrae gratiae. Cujusmodi causa si cessat influere, cessabit etiam et conservari et esse effectus. Est ergo vita Christi gloriosa origo et fons nostrae vitae spiritualis secundum gratiam et gloriam. Quare dicit Paulus convivificatos nos secundum gratiam esse a Deo cum Christo suscitato e mortuis in gloriam (*Coloss.* 2[13] ; *Ephes.* 2[5-6]). Quippe vivificamur per carnem sacrificii aeterni spiritualiter nos vegetantem[3].

Multum congruit quod docet sanctus

cetera attributa (cf. Augustin. Ep. 102, n. 27. P.L. 33, 381 ; coll. Suarez, *De vitiis et peccatis*, disp. 7, sect. 3, n. 5. S. Thom. 3 Cg. 144, § *Naturalis aequitas* et sq.). Decurret ergo aeternaliter : nec recompensatio ulla erit adaequata nisi totam durationem debiti contegens atque adaequans. Pretium igitur pro peccato solutum compensando, rerum natura fert ut sit aeternum.

1. Haec non ita intellegantur quasi peccata nostra non vere deleta sint, sed solummodo obtecta. Immo sunt prorsus deleta et sublata et mortificata, adeo ut, quamvis iterum peccem, tamen non reviviscant. Sed hoc utique (in praesente oeconomia nostrae salutis per sacrificium Christi comparatae) totum est ex suppositione aeternae infrustrabilisque compensationis semel Deo pro offensa a reo praestitae, dum homo factus est per fidem particeps pretii a Christo persoluti et veluti ipse erogator. Quemadmodum igitur vitae nostrae seu gratiae causa *in esse* est hostia redemptionis (ut infra notabitur), sic pretium nostrum, in coelis repositum, est veluti causa *in esse* nostrae liberationis a reatu injustitiae erga Deum. Cujusmodi causa si (absurdo supposito) corrueret, corrueret (absurda conclusione) effectus. Quare supralaudatus Ambrosius : Christum in coelum « opor« tebat intrare, ut aeterna nostrorum esset obla« tio peccatorum » ; et distinctius Gregorius : « PERENNE sacrificium immolat, QUIA et haec « [*scilicet* : delicta hominis] sunt AETERNA quae « mundat ». Habesque tandem cur dicatur Christus, in suam immortalem gloriam ingressus, invenisse nobis REDEMPTIONEM AETERNAM (*Hebr.* 9[12]).

Sequitur illinc, beneficii aliquid resultare ex sacrificio coelesti in damnatis omnibus, quotquot in sua vita fuerunt aliquando justificati. Vi aeternae redemptionis enim fit ut demeritorum suorum semel exstinctorum non recipiant vicem. Qui est effectus duplicis causae : Misericordiae quidem Dei olim condonantis ob Christi merita, quam irritare per suam malitiam homo non potest (3 S. 88, 1) ; sed etiam Fidelitatis Christi, qui « fidelis pontifex », pretium quod semel persolvit, nunquam retrahit, sed exstincti debiti manet perpetuus exstinctor : ut misericordiae divinae semel condonanti, non sit ulla necessitas recedendi. Quae duae sunt causae inter se ordinatae : siquidem ad priorem altera habet ordinem ut ad causam finalem ; et prior alteram disposuit ut causa efficiens.

2. Esse Christum hostiam permanenter penes seipsum, per prius ad nostram litationem, hic ab auctore proprie defenditur.

3. Ex carne sacrificii passionis elici adhuc omnem nostrae sanctificationis gratiam, lege apud alexandrinos doctores, super illud *Levitici* 6[27] : *Quicquid tetigerit carnes ejus sanctificabitur.* Origen. *In Levit.* hom. 5, n. 7 et 8. P.G. 12,

Thomas (3 S. 62, 5 et 6) : sacramenta, secundum ordinem efficientiae, comparari ut instrumenta ad passionem Christi, unde derivant suam virtutem ; sicut ipsa passio habet rationem instrumenti respectu divinitatis, quae est causa principalis (art. 5) ; fierique inde ut sacramentalis efficacia non potuerit praeexsistere passioni : siquidem « illud quod nondum est « in rerum natura, non movet » per modum causae efficientis (art. 6). Igitur secundum sanctum Thomam inter divinam efficaciam et sacramenta novae legis mediat causaliter, tanquam movens motum, passio « qua Christus initiavit ritum chris« tianae religionis, offerens se *oblationem « et hostiam Deo*, ut dicitur *Ephes.* 5 » (art. 5). Non autem actu agit aut movet efficienter, quod non actu est. Ergo oportet ut perduret sacrificium Christi, Christo scilicet adhuc exsistente hostia suae passionis. Quare opportune antea monuit S. Thomas : « Resurrectio Christi habet « instrumentaliter [sub causa principali « Deo] VIRTUTEM EFFECTIVAM, non so« lum respectu resurrectionis corporum, « sed etiam respectu resurrectionis ani« marum » (3 S. 56. 2). Itemque : « Divina « justitia, quantum est de se, non est « obligata ad resurrectionem nostram « causandam per resurrectionem Christi : « potuit enim alio modo nos Deus liberare « quam per Christi passionem et resurrec« tionem. Ex quo tamen decrevit hoc modo « nos liberare, manifestum est quod re« surrectio Christi est causa nostrae re« surrectionis » (3 S. 56, 1, 2m)[1].

Nisi igitur Christus resurrexit, sumus in peccatis nostris, deficiente et pretio apud Deum nostro et gratiae in nobis divinae ingeneratore. Sin autem Christus resurrexit, primo quidem pretium quod olim Deo est solutum, a Deo acceptatum, sacrificium dico peractum a Christo in

442-443 ; Cyril. Al. *Glaphyr. in Levit.* P.G. 69, 549-552. Cf. Procop. Gaz. in h. l. P.G. 87, 715.

Certissime, sicut poterat nos, de potentia absoluta, Deus sanctificare aliter quam per Christi humanitatem ; sic poterat nos Christus, de potentia absoluta, sanctificare per suam humanitatem nequaquam gloria donatam aut donandam unquam. Quare contendit firmiter adversus Arianos Athanasius (*Or. 3 contra Arianos*, n. 40. P.G. 26, 408-409) Verbum incarnatum omnia potuisse ante suam resurrectionem peragere eadem quae nunc potest ; attamen fatetur ipsum, « quae, ut Verbum habe« bat, eadem... post resurrectionem accepisse « secundum humanitatem, [eo fine] ut per ipsum « homines... in coelis, tanquam corruptione « liberati, perpetuo regnarent. » Quod alibi explicat hoc modo : « Corpus quod mori posset « sibi assumpsit, ut... MORTI pro omnibus « SATIS ESSET, ATQUE, PROPTER VERBUM IN « SE HABITANS, INCORRUPTUM PERMANERET, « denique in posterum ab omnibus recederet « corruptio per gratiam resurrectionis. Hinc « corpus quod ipse sibi accepit, velut hostiam « et victimam omni labe puram, offerens ad « mortem, mortem statim ab omnibus sui « similibus elongavit, proprio oblato pro « alieno. Super omnes enim exsistens Dei Ver« bum, convenienter, suo templo et corporeo « organo oblato in redemptionem pro omnibus, « debitum exsolvit in morte, et sic omnibus, « per id quod simile habet, conjunctus, INCOR« RUPTUS DEI FILIUS CONVENIENTER OMNES « INDUIT INCORRUPTIONE, repromissa resur« rectione. Ipsa enim mortis corruptio nullam « jam vim adversus homines habet, PROPTER « VERBUM IN ILLIS HABITANS PER UNUM COR« PUS [διὰ τοῦ ἑνὸς σώματος. Cf. *I Cor.*, 10[17]. » (*Oratio de incarnatione Verbi*, 9. P.G. 25, 112). Quasi profundat se incorruptio ex Christi corpore in nostrum. Ceterum, omissis sexcentis illiusmodi testimoniis, notabuntur infra (Elucid. XXII, XXXVIII) multorum Doctorum auctoritates distinctius in immortalitatem corporis sacramento contenti refundentes nostram vivificationem omnem.

1. Praeclare et piisime B. Albertus M. in 4 D. 43, 5 : « In hac questione, inquit,... sanctis « divinam inspirationem habentibus omnino « consentiendum videtur. Et quia ipsi dicunt « quod Christi resurrectio sit causa efficiens et « sacramentalis nostrae resurrectionis, ideo etiam « hoc dico, nihil mutando de dictis eorum. » Quod deinde explicat, distinctione facta inter causam primam atque aequivocam, Deum, et causam immediatam ac univocam, quam rursus dividit in habitualem et actualem : causa univoca habitualis nostrae resurrectionis est humanitas Christi ratione status gloriosi per resurrectionem ex mortuis comparati ; actualis autem univoca, est eadem prout applicans ad actum per nutum voluntatis virtutem illam sibi habitualiter inditam (= « causa voluntaria formam « causati apud se habens »). Aliis verbis, principium formale, quo Christus influit nobis resurrectionem, est gloria proprii corporis e passione mortis erepti. Operatio autem secundum illud principium formale tunc habebitur, cum « portans insignia nostrae redemptionis » Christus judicabit mundum. Lege integrum articulum, sat prolixum.

terris et susceptum a Patre in gloria coelesti, aeternaliter manet, et aeterna est propitiatio nostra ; secundo vero, hostia nobis praesto est jugiter qua sanctificemur saginati.

Secundum utrumque respectum innuitur a sancto Paulo utilitas resurrectionis in *Col.* 2^{12-14} : *In quo* [Christo] *et resurrexistis per fidem operationis Dei qui suscitavit illum a mortuis. Et vos, cum mortui essetis in delictis et praeputio carnis vestrae, convivificavit* [Deus] *cum illo.* En utilitatem resurrectionis quantum ad communitatem inducendam vitae inter Christum gloriosum et nos gratificatos atque clarificandos. Pergit autem apostolus continuo : *donans vobis omnia delicta ; delens*[1] *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*[2]. En utilitatem alteram resurrectionis quantum ad acceptilationem Christo a Patre datam, seu acceptationem oblatae a Christo in cruce compensationis, ac syngraphae, qua erga Deum creditorem obligati eramus, obliterationem. Schedula enim nostri debiti est deleta in resurrectione a

1. Hucusque certe videtur subjectum sententiae esse, non Christus, sed Deus, ut optime demonstrat cl. Prat (*Théologie de saint Paul*[2], t. 2, p. 331).

2. Χαρισάμενος ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, κτλ. Chirographum nominat in genere manuscriptum, specialim autem schedulam seu syngrapham qua quis erga creditorem se fatebatur obligatum. Metaphorice hic usurpatur pro alia re. Quaenam sit illa alia res, non uno ore pronuntiant doctores. Veteres omnes, atque imprimis S. Ephraem (*Hymni dispersi*, 22, 8, ed. Lamy 4, 772), Serapion Thmuitanus (*Eucologium*, 12. F. D. 2, 170), Chrysostomus (in h. l. Hom. 6, n. 3. P.G. 62, 340 ; *Homil. ad neophytos*, ap. August., *Contra Julianum*, 1, 6, 21. P.L. 44, 658), Augustinus (*Confess.* 9, 13, 36. P.L. 32, 778), concinentibus liturgiis (ut v. g. in Missali bobiensi oratio 4ª pro defunctis, ap. Mabillon, *Sacramentarium gallicanum*. P.L. 72, 568), atque accedente inter mediaevales S. Thoma (in h. l.) : per chirographum sentiunt designari reatum nostrum, seu nostri conscientiam debiti erga divinam justitiam. Recentiores autem nonnulli (Padovani, *In S. Pauli epistolas*, 1892, t. 4, 218 ; Prat, loc. cit., p. 330), habito potissimum respectu ad 2^{16} et ad *Eph.*, 2^{15}, intellegunt legem mosaicam, in quantum homines facit debitores operum et poenarum.

Ambae explicationes, si res exacte perpendantur, possunt in unum conflari et debent, ordinate tamen. Prae oculis enim habendum est, quod apud Paulum est sollemne : propter peccatum homines fuisse subditos et Legi et angelis (*Gal.*, $3^{19 \text{ et } 22-23}$; 4^{1-5} ; *I Tim.*, 1^{9}). Quia scilicet homo erat debitor erga offensum Deum, necdum liberatus, ideo factus erat a Deo servus seu debitor Legis et angelicarum (per quas Lex administrabatur) potestatum. Sublato debito peccati, omne debitum sustulit Christus, liberans nos et a potestate Legis et a dominatu angelorum. Sed per prius est intellegenda liberatio a reatu peccati, et de consequente ac posterius liberatio a servitute legali. Hoc autem loco *Epistolae ad Colossenses*, chirographum proprie nominat reatum peccati, seu debitum erga Deum ; nec tamen praetermittitur debitum erga Legem (vers. 14) et erga angelos (vers. 15). Ad quam interpretationem persuadendam valet omnino illud τοῖς δόγμασιν. Quo quidem vocabulo designari Legem mosaicam patet ex contextis versiculis 2^{20} (δογματίζεσθε) et 2^{21}, collato *Eph.*, 2^{15} (cf. Prat, loc. cit., p. 332). At exsurgit difficultas, quomodo possit explicari ille dativus. Infelices explicationes nonnullas refert Prat (ibid.), quibus addit suam haud feliciorem. Jamvero verior explicatio videtur esse, si dativus ille ponatur esse commodi, vel potius incommodi. Lex scilicet veluti debitores habebat homines (angelique veluti subditos), quia homines erant obligati erga divinam justitiam. Erat Lex igitur munita atque, ut ita dicam, contra nos armata ipsa originali syngrapha nostrae obligationis erga Deum. Qua erepta e manu ejus, jam nihil ILLI remanebat, quo nos sibi devinciret. Si peribat syngrapha, peribat igitur IPSI LEGI. Interemptum porro est chirographum a Christo in cruce : interemptum est ergo LEGI (et angelis). Delebatur : delebatur LEGI (τοῖς δόγμασιν). Sic ergo videtur intellegendum illud τοῖς δόγμασιν : *delens quod adversus nos erat chirographum* [peccati] DECRETIS [h. e. LEGI quae illo contra nos utebatur et pollebat], *quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio* [veluti ereptum de manibus Legis], *affigens illud cruci* [ubi per Christi sacrificium perivit Legi et administrantibus Legem angelis]. *Et exspolians* [chirographo peccati quo in nos pollebant], *principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos* [destitutos potestate dominationis in homines], *in semetipso* [crucifixo et redivivo apud Deum].

Personificavit Paulus Legem, simul cum angelis. Legem inducit sicut possessorem vel detentorem funesti nobis chirographi, quod illi erat veluti in manibus a Deo concreditum : cui proinde adimitur, interimitur, deletur chirographum ; chirographum dico debiti quo per peccata nostra erga Deum obligabamur. Quare sensum non male reddidit Vulgata, dum habet *chirographum decreti* : quasi possideretur chirographum a Decreto seu Lege. Quia enim possidebat Lex chirographum, ideo est IPSI deletum ; sicut si combusta est mea domus, possum dicere mihi combustam esse domum.

Deo, atque peccata pro tanto sunt nobis donata : quando victima crucis est in nostram redemptionem a Deo suscepta.

Articulus II. — Sacrificium missae evincit aeternitatem sacrificii dominici.

Rationi illi theologicae, ex nostra justificatione desumptae, accedit altera, desumpta ex sacrificio nostro missae. In quo sane Christus tam vere est hostia, quam vere missa est sacrificium : ubi enim hostia nulla est nisi penes apparentias, nec sacrificium est nisi apparens ; siquidem sacrificium est oblatio hostiae. Attamen non a nobis Christus efficitur hostia : cum quia immutatus terminat transsubstantiationem, ut suo loco constabit ; tum quia absit ut a nobis vere mactetur Dominus : qui nec sine piaculo grandi mactari unquam potuit ; nec nova ullatenus potest immolatione mactari ; nec, si immolaretur, sacrificium gauderet ex parte victimae, ut talis, intrinseco ac essentiali respectu ad sacrificium crucis. Est ergo Christus hostia, antecedenter ad nostram litationem, penes seipsum. Qua de re plura disputabuntur, cum de sacrificio missae agetur. Interim haec sufficiant dicta de Agno nostro paschali, qui *mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.*

Conclude : interempto peccato, vel peccati schedula deleta, interemptam esse vim obligantem Legis : quod tantumdem valet ac si dicatur interimi Lex, vel deleri, quoad suam vim obligantem. Attamen chirographum non est ipsa Lex, sed illa (unde accrescebat Legi vis obligans) conscientia nostra debiti erga Deum ex peccato nondum per sacrificium dominicum repropitiato. Ergo non ipsa Lex dicta est ab Apostolo affixa cruci : quasi in ultionem suae propter Legem crucifixionis, Christus crucifigeret Legem, ut exponit (ibid.) Prat consentanee ad suam chirographi interpretationem.

Interim manifestum est ex dictis, quomodo cohaereant inter se et compleant *Col.* 2^{13-16} et *Eph.*, 2^{13-16}.

Conferatur R. S. R., oct.-déc. 1916, p. 468-471.

Elucidatio XIII.

Cum statu illo victimali connexa apparet dignitas quae Christo competit altaris aeterna.

§ 2. De Christo ut altari aeterno.

Arcte cum sacrificio cohaeret altare. Si Christus altare sui sacrificii demonstratur aeternum, aeternum necesse est ut sit altaris illius sacrificium.

Sed jam adscribere Christo non solum sacerdotis et hostiae, sed etiam altaris partes, nonne stomachum movet aut certe risum ? Quasi non absurde tam multa tamque diversa aut officia aut munera in uno Christo congererentur ; nec vesane homo, idemque Deus, aut lapidi aut aeri aequipararetur cruoribus hostiarum excipiendis addicto !

Attamen, quicquid prima fronte in contrarium videatur praescribendum, explorabuntur ex fontibus catholicae doctrinae haec tria : *primo*, sitne Christus altare ; *secundo*, sitne altare post suam resurrectionem ; *tertio*, quaenam sit istius altaris theandrici ac coelestis habitudo ad reliqua quaecumque solent altaris nomine insigniri.

Sectio I. — Sitne Christus altare sui sacrificii.

Solutio desumetur ex trina comparatione altaris : primo cum hostia sanctificanda ; secundo cum cruore hostiae excipiendo ; tertio, cum Numine supplendo.

Primo igitur comparetur altare cum hostia sanctificanda.

Principii instar in quaestione de sacrificio id assumi potest : non esse majorem sanctitatem hostiae quam altaris. Etenim, si recolueris ea quae prius dicta sunt, non te fugiet ex sanctitate altaris derivari sanctitatem hostiae : siquidem quam sanctificationem habet altare ex quodam veluti contactu divinitatis praesidentis ac insidentis, eam elargitur hostiae sibi (quasi vice Dei fungenti) concreditae. Porro, ut habet Philosophus, « propter quod unumquodque tale et illud magis. » Nequit igitur hostia esse sanctior altari. Quod principium nobis sua munivit auctoritate Christus, sic increpans scribas et pharisaeos : *Stulti et caeci, quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum ?... Caeci, quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum* ? (*Matth.*, 23 [17 et 19]). In sacrificio igitur Christi, si quod fuit altare, non infra Christi hostiam esse potuit. Debuit igitur esse idem cum hostia et sacerdote.

Quare recte orientalis theologiae expositor Nicolaus Cabasilas : « Omnia « quae intercedendi[1] vim habent, et sanc- « tificationem nobis praebent, solus est ipse « Salvator. Quaenam ergo sunt quae inter- « cedendi vim habent et sanctificant ? Sa- « cerdos, hostia, altare. Etenim et altare « sanctificat, ut vult sermo Domini. *Altare « enim*, inquit, est *quod sanctificat donum.* « Ergo quoniam solus ipse est qui sancti- « ficat, solus fuerit sacerdos et hostia et « altare » (*Liturgiae expositio*, 30. P.G. 150, 436).

Apud Occidentales vero dudum scripserat Augustinus : « Quod Dominus « dixit : *Quid enim majus est, aurum, an « templum, quod sanctificat aurum* ? et « item dixit : *Quid enim majus est, donum, « an altare, quod sanctificat donum* ? intelli- « gendum templum et altare [esse] ipsum « Christum » (*Quaestiones Evangeliorum*, lib. 1, c. 34. P.L. 35, 1329)[2].

Per modum unius accipi potest cum altari templum : sicut Christus ipse, apud Matthaeum, loco citato vim sanctificandi

1. *Intercedere* idem est ac *mediare*. Mediat sane altare inter sacricolam et Deum.

2. Augustinum Secuti sunt Beda et Rabanus, in h. l., P.L. 92, 99 ; 107, 1070.

eamdem tribuit et templo et altari [1]. Unde, si Christus est sui sacrificii altare, est suae propitiationis templum, et vice versa. Porro ipse se nominat templum : templum scilicet gratiae spiritalis subrogandum pro templo materiali Judaeorum ; templum litationi verae hostiae deputatum, pro templo figuralium hostiarum stragibus addicto. Sic enim, apud *Joannem* 2^{19} : *Solvite templum hoc*, inquit, *et in tribus diebus excitabo illud*. Hoc est : postquam vos *templum hoc* hierosolymitanum [2], Dei hactenus aedem, sedemque cultus judaici, veteris sacrarium foederis et legitimi sacrificii locum unum, scelere vestro ad quoddam suae sanctitatis ac electionis exitium perduxeritis [= *solvite*] [3] (mox eapropter a Romanis diruendum) : tunc ego meliore modo *excitabo illud* commutatum *in tribus diebus* in aedem Dei propriam, in sanctuarium foederis novi atque aeterni, in tabernaculum sacrificii veri nunquam exsecrandum, in corpus scilicet meum *secundum virtutem vitae insolubilis* (*Hebr.*, 7^{16}) suscitatum e morte, ut sit universae propitiationis vas, arca, atque templum perpetuum. *Ille autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan.*, 2^{21}). Pro cultu igitur terreno et umbratico, circa hostias visibiles laborante, praenuntiat aenigmatice Dominus subrogandum cultum perfectum ac spiritualem, coelestis hostiae gratia decorum.

Indicat ergo Scriptura, aut certe innuit, Christum esse et altare et templum, sicut est et sacerdos et hostia.

Sequitur comparatio altaris cum cruore hostiae excipiendo.

Ista in uno eodemque homine convenientia titulorum ac munerum tam variorum,

1. Abrupto modo aequivalentiam hanc templi et altaris Hesychius ingerit, cum super illud *Levitici* 5^{9} *Aspergat de sanguine ejus parietem altaris*, sic disserit : « Paries altaris corpus Christi « intelligitur, de quo ipse Christus dicebat : « *Solvite templum hoc, et tribus diebus aedificabo illud* » (*In Leviticum*, l. 1. P.G., 93, 836).

2. Per templum solvendum intellegebat Dominus per prius ipsam materialem sedem cultus judaici, quæ et præsto erat, et sermonis erat argumentum (*Joan.*, 2^{14-17}). Per templum triduo aedificandum intellegebat, teste *Joanne* 2^{21}, corpus suum post passionem suscitandum ; cujus sacrificio consummaretur vetus testamentum, instaurato novo, lexque ita a Judaeis solveretur, ut a Christo adimpleretur. Etenim duo ibi (quanquam minime disparata, sed connexa inter se et continuatione temporis et habitudine typica) esse admittenda templa, unum in priore sententiae membro lapideum, alterum in posteriore vivum, suadetur ex sermone a falsis testibus apud *Marcum* 14^{58} allegato : *Ego dissolvam templum hoc manufactum, et per triduum aliud* NON MANUFACTUM *aedificabo*. Distinguendum enim caute in allegatione ista, ubi sit falsum testimonium, ubi non sit. Falsum utique testimonium in hoc est, quod inducitur Christus quasi destructurus ipse templum (*dissolvam*, cf. *Matth.*, 26^{61} : *possum destruere*; et *Matth.*, 27^{40} : *qui destruis*. Coll. *Act.*, 6^{14} : *destruet*). Non dixit Christus se esse destructurum ; sed dixit : *Solvite* ; quasi SINENS Judaeos esse judaici templi invasores atque eversores, peremptoresque sacerdotii aaronici : dum morte afficiunt eum qui se, sacerdos cum esset secundum ordinem Melchisedech, litabat Deo hostiam gratam, suscipiendam in gloria, evacuaturamque ceteras. Quare non ipsi imputanda erat ruina templi, sed Judæis ; nec sibi ipse illam imputasse poterat (nisi ab homine pejerante) dici. Falsum autem testimonium non videtur esse in oppositione inter templum *manufactum* et templum *non manufactum*. Quae oppositio : 1° sublimior est quam ut a vulgari quopiam excogitetur ; 2° quantum ad alterum membrum, habet confirmationem implicitam ex *Joanne* 2^{21} : ...*de templo corporis sui* ; 3° cohaeret et sensu et stylo, sermoni Scripturae (*Hebr.*, 9^{11-12}) : *Per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem*, etc. ; ubi tabernaculum non manufactum (quae est assumpta humanitas, ut diximus), comparatur, tanquam amplius et perfectius, cum tabernaculo sane manufacto, hircorum et vitulorum sacrificiis imbecillis ac figuralibus sufficiente. Quod si vero Christus in hoc altero membro suae sententiae usurpavit locutionem « templum non manufactum », quid per illum potuit designare *proprie* et *literaliter* nisi suum corpus ?

Apposite cl. L. de Grandmaison (art. *Jésus-Christ*, in *Dictionnaire Apologétique*, col. 1511) : « Le grand duel tragique des deux esprits « et, pour ainsi dire, des deux religions, se « résume et se symbolise dans les deux Temples. « Au magnifique édifice (*quelles pierres et quelle « structure !*) où résidait exclusivement pour « tout bon Israëlite, la gloire de Dieu, va se « substituer un culte plus large, en esprit et en « vérité. »

3. Quod ipsa hora dominicae mortis innotuit, cum *velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum* (*Matth.*, 27^{51} ; cf. *Marc.*, 15^{38} et *Luc.*, 23^{45}).

sicut foret alias absurda, ita in Christo nil habet nisi rationi consentaneum. Aliter enim res habet, ubi cultus ad mensuram humanae artis atque industriae persolutus, continetur terminis rerum corporalium ; aliter, ubi exercetur secundum virtutem Dei propriam, transcendens omnem ordinem atque differentiam rerum sensibilium. In cultu scilicet illo corporali, sicut aliud est sacerdos, aliud hostia, ita insuper aliud necesse est ut sit altare suscipiens de manu sacerdotis hostiae cruorem, aliudque rursus delubrum altari circumductum. Sed in cultu spirituali[1], cum sit idem sacerdos atque hostia, NEQUIT COGITARI ALTARE EXTRAPOSITUM, cui occisae hostiae sanguis per manus sacerdotis affundatur : sed ipse Sacrificator sibi locum tenet altaris, dum symbolica immolatione offerens corpus suum ad immolationem cruentam, CRUENTAT IPSE SACRAMENTALITER SUUM CORPUS, cruentandum exhinc in passione realiter. En ALTARE CRUORE VICTIMAE PERFUSUM[2] : perfusum quidem A SACERDOTE incruente, sed non sine ordine ad cruentam perfusionem. Eodem igitur pacto tituloque fuit corpus Christi altare in coena, quo fuit hostia : prout scilicet deputatum cruentationi passionis per aspersionem sanguinis sacramentalem[3]. Eodemque rursus fuit titulo et pacto altare in passione, quo et hostia : prout profluvio sanguinis respersum, quem scaturire fecit calix coenae.

De coenae altari audias sanctum Ephraem sic alloquentem coenaculum : « O « beate loce, non vidit quis nec videbit « quod vidisti : Dominum nempe altare « verum, sacerdotem, panem ac calicem « salutaris effectum... Ipse altare est et « agnus, victima et sacrificator, sacerdos « et esca » (*Hymnus de crucifixione tertius*, str. 10, ed. Lamy, t. I, p. 660). De coena Epiphanius rursus extollens melchisedecicum Domini sacerdotium, haec habet : « Semetipsum obtulit, ut aboleret Veteris « Testamenti sacrificium, dum pro uni- « verso mundo hostiam perfectiorem sacri- « ficat (ἱερουργήσας) VIVAM ; ipse cum sit « victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, « ipse altare » (*Advers. Haeres.*, haeres. 55, 4. P.G. 41, 980).

Hesychius assonat : « Intelligibilem « [h. e. non adspectabilem nisi fidei] san- « guinem super altare, videlicet suum « corpus, effudit » (*In Levit.*, 1. 2. P.G. 93, 883). « Ipse enim Christus ad sanctifica- « tionem nostram, aspersione proprii san- « guinis videlicet, passionem suam pro « nobis obtulit » (col. 885). « Christus enim « ipse omne sui sacrificii factus est : et sa- « cerdos et sacrificium... et altare. Ipse « est et *praeparatus homo* (*Levit.*, 16²¹), « paratus pro nobis ad passionem » (*In Levit.*, l. 5. col. 1001)[4].

De altari passionis, non alio sed eodem, procedit istud Ambrosii ad Simplicianum : « Motum te, cum legeres, signifi- « casti mihi, quid sibi velit, quod Moyses, « post oblatum sacrificium, et immolatas « Domino salutares hostias, dimidiam par- « tem sanguinis in crateres miserit, dimi- « diam autem ad altare effuderit... Quia « nihil prae caeteris in Lege nisi Christi « adventus annuntiatur, atque ejus prae- « figuratur passio : vide ne ista sit hostia « salutaris quam Verbum Deus in semetip- « so obtulit, atque in suo immolavit cor- « pore ; ...deinde accedens ad altare effu- « dit hostiae suae sanguinem ...Annon tibi « videtur effudisse sanguinem suum, DE « CUJUS LATERE SUPRA IPSUM PASSIONIS « ALTARE aqua cucurrit et sanguis ? »

1. Spiritualis dicitur a sacris scriptoribus alter hic cultus : et quia per spiritualem divinitatis potentiam (διὰ πνεύματος αἰωνίου) perficitur, et quia divina res, quae sub symbolis sensibilibus agitur, nonnisi fidei oculis est adspectabilis. Praeterquam quod spirituales sunt tanti sacrificii fructus, nec in sola carnis munditia legali positi.

2. Recole, quaeso, quae dicta sunt in Elucidatione I de partibus altaris in ritu oblationis sacerdotalis integrando primitus.

3. Sacramentaliter aspergitur corpus Christi sanguine, dum separata consecratione corporis et sanguinis effingitur corpus sanguine effuso perfusum.

4. Ceterum posset produci in infinitum ecloga testimoniorum ex Hesychii *Commentario in Leviticum* : cum vix una pagina præsertim in duobus primis libris temperet a conferendo in Christum laudem et nomen altaris.

(*Epist.* 65. P.L. 16, 1222-1224). Obtulit passionis hostiam Christus immolatam in suo corpore sacramentaliter ; et « deinde », accedens ad sui corporis passionem, sanguine et aqua rigavit corpus vulneratum, altare passionis[1].

Quare medio aevo, eximius ille liturgista, Joannes Belethus scribebat : « Corpus Christi, verum altare, sanguine « et aqua in cruce aspersum fuisse cre- « ditur » (*Rationale divinorum officiorum*, c. 104. P.L. 202, 109). Eademque aetate vir Syrus, Dionysius Bar Salibi, in sua *Expositione liturgiae* (C. S. C. O., t. 93, p. 87) notat « occisum [corpus Christi] « suo sanguine conspersum fuisse et in « coenaculo, quando dixit Jesus : *hic est* « *sanguis meus* ; et in cruce, quando aper- « tum est latus ejus lancea, et fluxit ex eo « sanguis et aqua, et conspersum est eis « corpus[2] ». Haec veteris et constantis, ut magis infra clarebit, traditionis ecclesiasticae sufficiant interim specimina.

Accedit comparatio altaris cum Numine supplendo.

Porro Christi corpus fuisse verum altare sacrificii dominici, qui tandem est incredibile ? Quid sunt, quid fuere carnalium sacrificiorum altaria, et apud Judaeos et inter gentes, nisi inconcessi numinis sedes quaedam vicaria ? Sed quae sedes magis propria est Dei quam corpus Verbi, in quo habitat divinitas, non secundum accidentalem aut scheticam, ut aiunt, sanctificationem, sed omnino physicam ac substantialem ? Unctus est igitur Christus in incarnatione, quemadmodum ut sacerdos, ita ut altare[3]. Utraque enim dignitas in Christo competit humanitati quanquam per divinitatis unctionem. Amplius, altare quodlibet victimas natum erat suscipere pro Deo, cujus veluti vice fungebatur visibiliter. Quare quicumque Deo sacrificium offerre volebat, necesse erat ut per altare offerret. Christus autem per seipsum accessit ad Deum hostia salutis. Quare et altare fuit sibi sui sacrificii : quemadmodum etiam et nobis est altare omnis nostri sacrificii ; siquidem nullam possumus ad Deum perferre oblationem nisi per Christum. Sed de nostro altari disputatio ad alium locum opportuniorem (Elucid. XVII et XXI) remittenda est. Sufficiat hic inquirere amplius de altari ipsius Christi.

Sectio II. — Sitne Christus sui sacrificii altare post resurrectionem suam.

Si altaris et templi, ut supra exposuimus, rationes in Christo convertuntur, potissimum post resurrectionem attendenda erit in corpore dominico proprietas altaris : aiente Domino (*Joan.*, 2[19]) suscitatum iri suum corpus ut templum. Ut altare igitur post resurrectionem exstat verum quam maxime ac perfectum, figuralium altarium sanctitatem simul evacuans ac implens.

Quod insinuatum hac via est, expressis praeterea declaratur Scripturae verbis, *Epistolae* dico *ad Hebraeos* 13[10] : *Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Quo loco, (ut tum exponetur cum agetur de missa, in

1. Familiarem crediderim fuisse Ambrosio hanc sententiam, si quid conjicere liceat ex tractatu *De Sacramentis*, cujus concinnator, certe adhaerens sententiis ambrosianis, bis illud protulit, quod apud liturgistas omnium aetatum habet vim inconcussi dogmatis : altaria materialia nostra esse figuras corporis Christi : « Forma corporis altare est » (l. 4, c. 2, n. 7. P.L. 16, 437). « Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi ? » (l. 5, c. 2, n. 7, col. 447). Antitypus igitur nostrorum altarium, altare verum, corpus est Christi.

2. Haec ceterum deprompserat de verbo ad verbum Dionysius ex Mosis Bar Kepha (IX s.) *Explanatione mysteriorum oblationis*, edita atque anglice versa ab R. H. Connolly and H. W. Codrington (*Two Commentaries on the Jacobite Liturgy*, Oxford, 1913, p. 67).

3. Illud notarat M. J. Scheeben (*Handbuch der katholischen Dogmatik*, vol. 3, Friburgi, 1882, n. 1472, p. 431) : « Dasselbe göttliche « Prinzip welches als geistliches Oel Christum « in seinem menschlichen Geiste zum erhabend- « sten Priester weiht, weiht ihn ebenso auch zum « erhabendsten Altare, der sein Opfer tragen « sollte. » Secuti sunt Scheeben, ut assolent, J. Wilhelm et T. B. Scannel (*A Manual of Catholic Theology*, vol. 2, London 1898, p. 203).

Elucid. XVII). Christus etiam nunc exsistere dicitur nobis altare, de quo edendum nobis prostat sacrificium, non tabernaculi mosaici, sed coelestis illius ac veri in quod intravit *per proprium sanguinem* (9^{12}) pontifex noster, *qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis, sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo* (8^{1-2}).

Omitto altare[1] quod in *Apocalypsi* nobis exhiberi coeleste (6^{9}; 8^{3-5}; 9^{13} etc.), et LOQUENS (16^{7}), supra (Elucid. XII) memoravi.

Nec sane minus post resurrectionem suam quam ante competit corpori Christi immolato ratio sive altaris sive templi. Cum enim semel introducta est hostia spiritualis sacrificii in sacrarium gloriae Dei, non amittit, facta coelestis, inhaerentem sibi templi aut altaris rationem, sed habet ex contactu divinae gloriae splendidiorem : ut late disserit Cyrillus Alexandrinus in libro nono *De adoratione in Spiritu et veritate* (P.G. 68, col. 596-604 ; 616-625), ostendens in resurrectione exstitisse demum corpus Christi templum corruptionis expers atque altare aureum ; conclusioque haec est : « Ipse « igitur est altare, ipse thymiama, atque « pontifex » (cf. ibid., col. 648, et l. 10, col. 664).

Apud primaevos Patres frequens est in Christo coelesti haec appellatio altaris. Sic et altare et templum nuncupatur ab Ignatio (*Magnes.* 7^{2}. F. P. 1, 236) Filius ad Patrem reversus : « Omnes ad unum « Jesum Christum, qui ab uno Patre pro« diit, et apud unum fuit, et ad unum dis« cessit, concurrite ut ad unum templum « Dei, et ad unum altare[2]. »

Indigitat nobis altare illud coeleste Irenaeus, cum oblationes nostras eucharisticas (de his enim sermo est) ait illuc dirigi : « Nos quoque [Dei Verbum] offerre « vult munus AD ALTARE frequenter sine « intermissione. EST ERGO ALTARE IN « COELIS : ILLUC enim preces NOSTRAE et « OBLATIONES DIRIGUNTUR » quippe quae non terrenae sint, sed coelestes, a Deo confectae (*Contra haereses*, l. 4, c. 18, n. 6. P.G. 7,1029-1030)[3]. Syllogismum facit Irenaeus. Offerimus ad altare secundum mandatum

1. De hoc altari habet Andreas Caesariensis in *Apol.* 8^{3} (P.G. 106, 288) : « Altare « aureum Christus est, in quo omnis liturgica et « sancta sita est virtus, et martyrum sacrificia « offeruntur [cf. infra, Origen.] : cujus typus « erat ostensum Moysi in monte altare cum « tabernaculo. » Similia loquitur Arethas in h. l. (P.G. 106, 613). Consonant inter Latinos Apocalypseos expositores : Walafridus Strabus, in *Apoc.*, 6^{9}, 8^{3} (« Christus est altare, « qui se obtulit... Aureum altare : ...secun« dum humanitatem, secundum quam est al« tare Trinitatis »), 9^{13}. P.L. 114, 722, 725, 728. Anselmus Laudunensis in *Apoc.*, 6^{9} (« Altare Christus accipitur, super quem Deo « offerimus : nihil enim prodesset quidquid « faceremus, nisi ipso mediante, id est nisi « in virtute passionis ejus ; et significatur « hic altare a nostra cognitione jam remo« tum, per *altare aureum*, quod est in Sancto « Sanctorum »), 9^{13}. P.L. 162, 1524, 1530, 1535. Richardus a S. Victore, in *Apoc.*, 6^{9}, 8^{3} (« *Stetit ante altare.* De hoc altari typice scrip« tum est : *Altare de terra facietis mihi.* Altare « de terra, humanitas assumpta. Sed sicut veni« re oportet ad carnis assumptionem, ita stare « pertinet ad divinitatis immutabilitatem. Qui « ergo venit per carnem, per divinitatem ante « altare *stetit*, quia divinitate, in qua immuta« bilis permansit, humanitate, quæ nobis altare « est, prior et sublimior fuit... *Super altare* « *aureum*, id est super semetipsum. Ipse est « namque altare, quia super eum offeruntur « Patri omnia vota humanae justitiae. Aureum, « quia in ipso sunt omnes thesauri absconditi « sapientiae et scientiae » etc., etc. P.L. 196, 768, 776 sq.). Notandus prae ceteris sanctus Bernardus, in sermone quem ex professo habuit « de altari illo coelesti sub quo beatus « Joannes sanctorum voces audivit », haec pronuntians : « Altare ipsum, de quo nobis ha« bendus est sermo, ego pro meo sapere nihil « aliud arbitror esse quam corpus ipsum Do« mini Salvatoris. Credo autem quod et ego « super hoc sensum ejus habeam » (*Sermo in festo omnium Sanctorum IV.* P.L. 183, 472).

2. Alii loci conformes Ignatii perpendentur infra (Elucid. XVIII).

3. Alibi dicit Irenaeus : « Sacerdotes autem « sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, « neque domos haereditant hic, sed semper « ALTARI et Deo serviunt » (*Contra haereses*, 4, 8. P.G. 7, 995). Ex hoc loco, ubi de nova Lege loquitur, ad veterem alludens, non potest discriminari satis de quonam altari loquatur Irenaeus : vero et vivo, an materiali et repraesentativo. Interea mihi videtur potius illud intellegendum : ob rationes quae ex mox dicendis de stylo veterum Patrum sponte enascentur.

Christi. Unde sic : ibi est altare, quo diriguntur oblationes ; atqui diriguntur in coelum ; ergo altare est in coelo.

Origenes multum spatiatur circa coeleste altare. Imprimisque vult ad altare istud accedere Christum ut sit propitiatio (*I Jo.*, 2^{1-2}) pro peccatis nostris cottidianis piaculumque juge, adeo ut vinum laetitiae nequeat ipse bibere, donec nobiscum in regno aeternae gloriae sanctificatis bibat novum. « Quomodo potest iste, qui « accedit ad altare ut repropitiet me pecca- « torem, esse in laetitia, ad quem peccato- « rum meorum moeror semper ascendit[1] ? » (*In Levit.*, hom. 7, n. 2. P.G. 12, 478). Quin et necessarium fuit ut Christus « plenius « apud altare illud coeleste purificaretur, « ut carnis nostrae pignus quod secum « evexerat, perpetua puritate donaretur » (*op. cit.*, hom. 9, n. 5. col. 514)[2], ut supra (Elucid. XII) est expositum.

Ad hoc coeleste altare per martyrium potissimum accedemus, facti et nos veluti hostiae repropitiantes caeteros : « Attende « etiam nonne martyrii nostri baptisma, « sicut illud Salvatoris fuit purgatio mundi, « et ipsum fiat in multorum sanationem « qui eo lustrentur. Ut enim qui secundum « Moysis legem altari assistebant, minis- « trare videbantur per sanguinem tauro- « rum et hircorum remissionem peccato- « rum illis, sic animae eorum qui propter « testimonium Jesu percussi securi fuerint, « non frustra coelesti altari assistentes mi- « nistrant precantibus remissionem pecca- « torum. Simul etiam novimus, ut summus « pontifex Jesus Christus seipsum hostiam « obtulit, sic sacerdotes, inter quos ille « summus est, seipsos hostiam offerre, ac « propterea juxta altare, ut in proprio loco, « conspici... Quis autem immaculatus ille « sacerdos est, qui hostiam immaculatam « offerat, nisi qui constanter confitetur, « et martyrium perficit, suis omnibus « numeris absolutum ? » (*Exhort. ad martyrium*, 30. P.G. 11, 601). Per martyrium enim cognati ac congeneres (συγγενεῖς) cum simus Agni quem vidit Joannes in altari jacentem, digni sane sumus qui altari admoveamur. « In *Apocalypsi* videtur ag- « nus stans ceu immolatus... Huic hostiae « sane cognatae sunt ceterae, quarum « symbolum sunt legales ; per ceteras vero « victimas huic victimae cognatas, effu- « siones intellego sanguinis generosorum « martyrum, qui non sine causa conspici- « untur a Joanne stantes juxta coeleste « altare » (*In Joan.*, tom. 6, n. 35-36. P.G. 14, 292-293). Servata usque adhuc vita, spe gaudet conscendendi per martyrium ad altare illud : « Meminerimus singuli « quoties morte vulgari interire periclitati « simus ; cogitemusque num forte simus « ideo servati, ut proprio sanguine abluti, « et omni peccato mundati, apud coeleste « altare, cum iis qui similiter certaverint

1. Quae Christi quasi lugentis imaginatio, quanquam reprehensa nonnihil a sancto Bernardo (*Serm. de div.* 34. P.L. 183, 630 sq.) atque multo acrius a Petavio (*De incarn.*, l. 12, c. 8, n. 13) et Huetio (*Origeniana*, l. 2, c. 2, q. 3, n. 29), tamen est probe in rectum sensum interpretanda, cum constet ex *Hom.* 23 *in Numeros*, n. 2 (P.G. 12, 747-748), talia non esse ab Origene nisi « tropico et humano more », ut ipse dicit, prolata : quod scite annotaverunt Patres C. et C. V. Delarue ad supradictum locum Huetii (P.G. 17, 835-836). Accedit etiam quod Origenes ipso illo loco *homiliae* 7 *in Levit.*, significat eatenus carere Christum laetitia, quatenus nondum laetitiam habet in omnia membra diffusam corporis cujus caput est. « Donec ego non sum subditus Patri, nec ipse « dicitur Patri esse subjectus. Non quod ipse « subjectione indigeat apud Patrem ; sed pro « me, in quo opus suum nondum consummavit, « ipse dicitur non esse subjectus. Sic enim legi- « mus quoniam corpus sumus Christi, et membra « ex parte... Non bibit autem nunc, qui assistit « altari, et luget peccata mea, et rursum bibet « post haec, cum subjecta ei fuerint omnia... « ... Habebis ergo [christiane] laetitiam de hac « vita discedens, si fueris sanctus. Sed tunc « erit plena laetitia, cum nullum tibi membrum « corporis deest. Exspectabis enim tu alios, « sicut et ipse exspectatus es. Quod si tibi, qui « membrum es, non videtur esse perfecta laetitia « si desit aliud membrum, quanto magis Domi- « nus et Salvator noster, qui caput et auctor « est totius corporis, non sibi perfectam dicit « esse laetitiam, donec aliquid ex membris « deesse corpori suo videt ? » (col. 479-481).

2. Cf. ibid., col. 513, dicta de Christo carnem suam lavante ad vesperam in sacrificio suo, quo factus est mundus : mundum intellege a similitudine carnis peccati, passibilitate dico et mortalitate.

« conversemur » (*Exhort. ad martyrium*, n. 39. P.G. 11, 616). Beatitudo tandem martyrum tota in tanti ministratione altaris sita est. « Quis enim sequi possit animam « martyris, quae supergressa omnes aerias « potestates, ad coeleste tendit altare ? « Ibi enim sub altare Dei animae martyrum « positae dicuntur... Ibi enim positae di- « vinis assistunt sacrificiis... Beatae sunt « ergo animae quae sic Christum sequun- « tur, quomodo eas Christus praecessit. « Et ideo quia sic sequuntur, usque ad ip- « sum Dei altare perveniunt, ubi est ipse « Dominus Jesus Christus, pontifex futuro- « rum bonorum » (*In Judic.*, hom. 7, n. 2. P.G. 12, 981).

Fateor, non magis quam Irenaeus Origines explicite dicit Christum esse illud altare sui sacrificii coeleste. Sed quidnam, altare asserentes, intellegere ambo possunt aliud, quo aut nostris donis sanctificatio devinciatur (transmutandis videlicet in corpus Christi), aut Christo dudum passibili ac mortali sanctificatio quaedam plenior gloriae adjiciatur, aut martyrum passionibus concilietur simul virtus propitiatoria ac dignitas quaedam et sacrificalis et sacerdotalis ? Quidnam aliud quaeso, intelligere possunt praefati Doctores praeter substantialem humanitatis assumptae per ipsum Verbum sanctificationem, ex qua competit Filio hominis et suam mortalitatem transferre in immortalitatem, et donum quod a nobis terrenum proficiscitur sistere Deo coeleste, et passionum suarum consortes facere consortes suae gloriae ? Aliis verbis, Christus sibi locum tenuit et tenet altaris, quia hostiae, quam obtulit, nulla est indita sanctitas, quae non ex incarnatione habeat ortum ; nulla, cujus non sufficiens exsistat in substantiali humanitatis sanctitate principium[1]. Quam fuisse mentem plus minusve involutam, et Origenis et Irenaei, suadet analogia sermonis cum Patribus illis, qui, ut Ignatius et Cyrillus Alexandrinus, aliique aut citati jam aut citandi, apertius rem declarant.

Similiter ratiocinare circa orationem Nazianzeni, altare sibi ob oculos ponentis, unde eum inimici dimovere nequeant, etiamsi ab episcopatu dejiciant (*Or.* 26, 16. P.G. 35. 1248-1249)[2]; vel adhortantis nos ut in superno altari nos Deo immolemus, imitati Christi passionem (*Or.* 45, c. 23. P.G. 36, 656)[3].

Ex infinitis Hesychii testimoniis pauca haec excerpere liceat. In *Leviticum* 1[5] (P.G. 93, 796-797) : « Fundit autem [sanguinem] in altaris circuitu, videlicet in « Unigeniti corpus : hoc enim revera altare « dicitur... Hoc altare significans Moyses « dicebat : *Altare de terra facietis mihi.* De « nostra enim terra, id est conspersione « sive massa, corpus dominicum factum est. « Et rursus ipse : *Quod si altare lapideum « feceris mihi, non aedificabis illud de sec- « tis lapidibus : si enim levaveris cultrum « tuum super eo, polluetur.* Neque enim sec- « ta neque dolata ab hominis manu est « Christi caro. » Iterumque : « Omnem « reliquum sanguinem vituli fundi circa « basim altaris holocausti, quod est in « tabernaculo testimonii, praecepit. Altare

1. Infra autem, suo loco (Elucid. XLI), exponendum veniet, quomodo substantialis humanitatis dominicæ sanctitas omnem gratiam et gloriam principiet in Christo, et per Christum in nos.

2. « Quid postea ? ab altaribus arcebunt ? « At altare aliud scio, CUJUS FIGURAE SUNT EA « QUAE NUNC OCULIS CERNIMUS : super quod « nec ascia, nec manus ascendit, nec auditum « est ferrum, aut instrumentum ullum fabrorum « vel coloratorum [ποικιλτῶν legendum esse credo « potius quam ποικίλων] ; sed totum negotium « circa illud est spirituale, et per contemplatio- « nem conscenditur : huic adstabo ; super illud « grata immolabo, sacrificium nempe et obla- « tionem et holocausta, tanto iis quae nunc « offeruntur meliora, quanto melior est veritas « quam umbra. De quo magnus ille David « philosophari videtur, dicens : *Et introibo ad « altare Dei, qui laetificat spiritualem meam « juventutem.* Ab hoc altari non me abstrahet « quisquis volet. »

3. « Immolemus Deo sacrificium laudis, in « superno altari, cum chorea superna. Penetre- « mus primum velamen ; ad secundum acceda- « mus, in sancta sanctorum perspiciamus : et « ut majus quid dicam, immolemus nos Deo ; « immo immolemus per singulos dies et singulos « motus : omnia pro Verbo excipiamus, per « passiones passionem imitemur, per sanguinem « sanguinem honoremus, crucem alacres con- « scendamus. »

« holocautomatis rursus Christi corpus in« telligamus : sicut enim ipse sacerdos et « sacrificium est, sic et altare est. » Tandem in *Levit.*, 6^{12} (P.G. 93, 848) : « *Ignis*, ait « [Dominus ad Moysen], *est iste perpetuus*, « *qui nunquam deficiet de altari*. Spiritus « est enim Deus, et qui adorant eum, in « Spiritu et veritate oportet adorare. Unde « et intelligibile altare, quod est Christi « corpus, inextinguibilem habet ignem sub« ministrationis Spiritus. »

Augustinus, sicut supra notavit Christum esse altare, sic jam a terreno altari, quod frequentant cum justis scelerati, discernit altare coeleste : cui unus adstat sacerdos Christus, non solus tamen, sed totus, ipsum scilicet caput cum membris coagmentatum (*In Psalm.* 25, Enarr. 2, n. 10. P.L. 36, 193[1]; *Sermo* 351, n. 7. P.L. 38, 1543. Cf. *Contra advers. leg. et proph.*, l. 1, c. 19. P.L. 42, 26) ; ad quod altare si te receperis, in holocaustum assumeris, factus ex mortali immortalis (*In Psalm.* 42, n. 5 ; *In Psalm.* 50, n. 23. P.L. 36, 479 et 599)[2].

Inter viros mediaevales quorum plures alibi (Elucid. XVII et XXI) allegabuntur, citandus interim unus aut alter. Sanctus Bruno Signiensis (*In Psalm.* 42. P.L. 164, 848), super illud *Introibo ad altare Dei* : « Hoc altare in coelis est : hoc altare Sal« vatoris nostri humanitas est [3]. » Gerhohus Reichersbergensis (*In Psalm.* 25. P.L. 193, 1166), super illud *Circumdabo altare tuum* : Circumdabo, inquit, « al« tare coeleste, id est humanam naturam « Christi, quam ipse Christus, verus pon« tifex, *erexit in titulum, fundens oleum* « *desuper*[4]. » Joannes Belethus dum more liturgistarum habitudinem altarium nostrorum ad Christum typicam illustrat, antitypum ostendit coelestem : « Altare « enim Christum significat. Praecepit nam« que Deus in Lege : *Altare de terra faci*« *etis mihi*[5]. Altare de terra est Christus, « natus de Virgine. Unde dicitur : *Veritas* « *de terra orta est*. Haec est terra quae de« dit fructum suum, fructum sublimem, « Christum videlicet sublimatum super « choros angelorum in coelis » (*Rationale divinorum officiorum*, c. 104. P. L. 202, 109).

Pluribus igitur auctoritatibus in alium locum dilatis, jam satis constat majoribus nostris solitum esse altare quoddam in coelis aeternum obversari, Christum. Aeternitas autem altaris cum aeternitate sacerdotii aeternitatem etiam demonstrat sacrificii.

Sectio III. — Quaenam sit altaris theandrici ac coelestis habitudo ad reliqua quaecumque solent altaris nomine insigniri.

Comparatio fiet primo cum Ecclesia vel Ecclesiae membris, secundo cum mensa coenaculi et ligno crucis ; tertio cum altaribus nostris manufactis.

1. « Est et altare coram oculis Dei, quo in« gressus est sacerdos, qui pro nobis se pri« mus obtulit. Est coeleste altare » etc.

2. Compendium doctrinae augustinianae habes in his verbis Gerhohi Reichersbergensis : « Tabernaculum Ecclesiae praesentis habes al« tare quod est commune bonis et malis... Est « aliud altare sublime, invisibile, solisque bonis « accessibile, ad quod sicut solus pontifex, et « semel, non sine sacrificio, intrat in sancta « sanctorum, solus justus intrat semel, secundum « corpus et animam in holocaustum assumptus, « ut ibi totus juvenescat, neque ulterius vetus« tate hominis exterioris interiorem affligente, « tristis incedat, sed totus ex toto adhaereat ad « Deum, qui laetificat juventutem suam. Ad « hoc altare tandem introibo ego poenitens, ad « Deum qui laetificat juventutem meam » (*In Psalm.* 42. P. L. 193, 1530).

3. Pariter in *Exod.* 30^{10} : « Ipse enim sacerdos, « ipse hostia, ipse altare, in proprio sanguine « *introivit semel in sancta, aeterna redemptione* « *inventa*.... Quod autem sequitur : *Sanctum* « *sanctorum erit Domino*, de altari intelligi debet : « corpus enim Christi *Sanctum Sanctorum* est, « quoniam ab eo cetera sanctificantur » (P.L. 164, 360).

4. Cf. Augustin., *Quaest. in heptateuch.*, l. 1, c. 84. P.L. 34, 570 ; Cyril. Alex., *Glaph. in Genes.*, l. 4, c. 4. P.G. 69, 189.

5. Ille versiculus *Exodi* 20^{24} saepe saepius in eumdem modum est a mediaevalibus viris de Christo, eoque coelesti, expositus. Cujusmodi interpretatio reperitur in *Expositione in septem Psalmos poenitentiales*, a nonnullis viris eruditis adscripta Gregorio Magno, super illud *Psalmi* 50 : *Tunc imponent super altare tuum vitulos* (P.L. 79, 600). At gregoriana auctoritas istius scripti, jamdudum in dubium a quibusdam criticis revocata, nunc videtur pessumdata,

Cum ratio illa altaris ac templi principaliter[1] pertineat ad corpus Christi, etiam transfertur ad Ecclesiam, quae Christo coadunata est ut capiti corpus, unaque caro cum illo exsistit. Quare et dicitur ipsa templum in *Eph.*, 2[21], et templum dicuntur fideles in *I Cor.*, 3[16-17] et 6[19], atque *II Cor.*, 6[16]. Idemque fuit stylus Patrum, ut Ignatii Ephesios vocantis templum Patris et templum Domini vel Dei (*Eph.*, 9[1] et 15[3]. F.P. 1, 220 et 224), atque Polycarpi viduas specialiter[2] commonentis ut se gerant tanquam altare (θυσιαστήριον) Dei (4[3]. F.P. 1, 300); pariterque Clementis Alexandrini (*Strom.*, 7, 6. P.G. 9, 445) et Origenis (*Contra Celsum*, 8, 17. P.G. 1, 1540-1544), quibus placet christianum animum esse Dei aram (βωμόν). Deinde pervulgata est istiusmodi appellatio apud scriptores christianos[3].

Et re quidem vera ipsa Ecclesia sub Christo et in Christo, sibi est templum et altare; quae cum significetur per corpus Christi sacramentale, necessario, dum litat

postquam A. Mercati (*Revue Bénédictine*, jul. 1914, p. 250 sq.) auctorem multo verisimiliorem exhumavit, quemdam Heribertum, episcopum Regii Lepidi in Italia, qui floruit exeunte saeculo XI.

1. Opinatur Renz (op. cit., 239-240) Deum secundum divinam naturam nuncupatum esse aliquando a Patribus altare, prout suscipientem oblata dona. At non constat id allatis (ibid.) exemplis evinci, quorum omnia forsitan rectius de divina assumptae humanitatis unctione et claritate intellegi queant. Attamen, si minus a Patribus, certe a sancto Thoma nuncupatus est Deus, ut talis, altare (3 S. 83, 4, 9m). Alibi tamen habet : « In Christo, qui est nostrum « altare, debemus confiteri veram carnis natu« ram, quantum ad humanitatem : quod est « *altare de terra* facere » (1-2, 102, 4, 7m). Ante sanctum Thomam etiam, in divinitate collocarat altare (inter alios paucos) Alanus ab Insulis : « In templo Christi, inquit, id est in ejus « humana natura, tria resultant altaria : primum « altare est holocaustorum, scilicet caro ejus « gloriosa, in qua nostra consumpta sunt pec« cata ; secundum anima, quia sicut in altare « thymiamatis offerebantur aromaticae species, « sic anima Christi variis virtutibus referta est ; « tertium DIVINITAS, in qua elucescit divinae « auctoritatis majestas » (*Sermo in annuntiatione Beatae Mariae*. P.L. 210-212). Ut superius diximus, rectior modus loquendi est, ut dignitas altaris ADSCRIBATUR humanitati, et REPETATUR ex divinitate. Propter enim insidentem substantialiter divinitatem est humanitas dominica altare perfectissimum. De ratione autem templi notandum est, quod in sua *Ad Elipandum epistola* (l. 1, c. 66. P.L. 96, 936) scripserunt Heterius et Beatus: « Ipse [Christus] scilicet « sacerdos et sacrificium. Ipse Deus et TEMPLUM. « SOLUS tamen [ex tribus personis] sacerdos, « sacrificium et TEMPLUM, qui haec omnia, est « secundum formam servi ; non autem solus « Deus, quia hoc cum Patre et Spiritus Sancto « secundum formam Dei. » Templum igitur est ut homo, sed utique ut Homo-Deus.

2. Praeter Polycarpum, viduis dignitatem altaris tribuerunt titulo quodam peculiari auctor *Didascaliae* (2, 26, 8 ; 3, 6, 3 ; 3, 10, 7. F. D. 1, 104; 190; 204. Cf. locos correspondentes in *Constitutionibus Apostolorum*, 2, 26, 8; 3, 6, 3; 3, 14, 1) et Ps. Ignatius, *Ad Tarsenses* (9, 1. F. P. 2, 102). Ratio istius nuncupationis assignatur in ultimo loco *Didascaliae* citato (cf. ibid., 4, 3, 3. F. D. 220) : quod viduae oblationibus fidelium (iisque liturgicis, ac cum oblatione eucharistiae concretis) onustae, tenebantur fidelium vota veluti ad Deum transmittere per suas preces : quo in munere altaribus parificabantur. Tertullianus etiam viduam univiram aequiparat arae Dei mundae (*Ad uxorem*, 1, 7. P.L. 1, 1286), sed, ut opinor, alia de causa.

3. Inter alios veteres illustrius persequitur in Ecclesia rationem templi a prophetis praenuntiati Lactantius : « Apparet, inquit, « prophetas omnes denuntiasse de Christo, fore « aliquando ut ex genere David corporaliter « natus constitueret aeternum templum Deo, « quod appellatur Ecclesia, et universas gentes « ad religionem Dei veram convocaret. Haec est « domus fidelis, hoc immortale templum, in quo « si quis non sacrificaverit, immortalitatis prae« mium non habebit » etc. (*Divin. Institut.*, l. 4, c. 14. P.L. 6, 487). Ecclesiam decantat ut templum praefulgidum eucharistici sacrificii in armenica liturgia populus : « Jubila fortiter, « filia lucis, mater sancta catholica cum filiis « tuis, o Sion ! Ornatam et pulchram te redde, « sponsa inclyta, tabernaculum lucidum, coelo « simile, quia Deus unctus, Ens ab Ente, sanc« tificatur indeficienter in te semper. In recon« ciliationem Patris et in remissionem nostram « distribuit corpus et sanguinem suum sacrum, « per quae ad perfectionem deducit sanctam « incarnationem suam » (Max. Saxoniae, *Missa Armenica*, 14. Cf. B. 420). Nemo nescit quam vivida donetur templi vivi specie Ecclesia in festo nostro *Dedicationis*.

Trinam vero acceptionem altaris de Christo, de Ecclesia, de sanctis, reperies (omissis sexcentis exemplis antiquioribus et posterioribus, quorum nonnulla, occasione data, recitabimus passim) in commentario Berengaudi (probabiliter IX s.) super *Apocalypsim* (P.L. 17) : 1° « Al« tare Dei Christus est » (col. 921, in 6[9]) ; 2° Altare est Ecclesia (col. 931, 932, 943, in 8[3 et 5] et 9[13]) ; 3° Altare sunt « sancti et perfecti viri, qui « in Ecclesia consistunt » (col. 950, in 11[1]).

visibiliter, etiam se immolat invisibiliter (cum oblatione rei significantis denotetur deditio rei significatae) ; in omni autem spirituali sacrificio, idem, ut praenotavimus, est et sacerdos et hostia et altare.

Secundario vero modo nihil prohibet quominus etiam vel mensa coenaculi vel crux dicatur altare, quatenus haec cruento, illa sacramentali substrata est corpori Domini : SINE MUNERE TAMEN HOSTIAM SANCTIFICANDI, AUT SUSCIPIENDI PRO DEO SANGUINEM.

Ad mensam coenae quod attinet, primus quidem quem norim, sanctus Ephraem haec, allocutus coenaculum, scribebat : « O « beate loce ! In te panis primitiarum fractus est ; tu fuisti prima Christi ecclesia, « primumque altare » (*op. cit.*, str. 12, p. 660-662). Expressiusque in *Sermone secundo in hebdomadam sanctam*, n. 8 (Ed. Lamy, t. 1, p. 384-386) : « Mensa, inquit, « fuit ei altare, quod totum consecravit. « In hujus paschatis vespera coenaculum « Ecclesia fuit ; mensa sanctum altare. » Rursus in *Sermone tertio in hebdomadam sanctam*, n. 6 et 7 (p. 426-428) : « Altare « haec mensa est, templum coenaculum... « Benedicta mensa, quae altare facta est « apostolis. »

Comparationis autem inter crucem et altare forsitan videatur sibi quis indicia detegere : 1° in *Epistola ad Hebraeos*, 13^{12-13}, ubi Christi SUUM IMPROPERIUM extra portam PORTANTIS mors correspondet cremationi corporum extra castra. 2° In *Epistola prima Petri* 2^{24}, ubi simile quid videtur exprimi his verbis : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 3° In *Epistola Barnabae* 6^3 (F.P. 1, 58), ubi aliqualiter insinuatur Dominus esse « cruxifixus » (σταυρωθείς) ideo, « quia « et ipse pro peccatis nostris vas spiritus « erat oblaturus in hostiam, ut et impleretur figura facta in Isaac, qui super al« tare (θυσιαστήριον) fuit oblatus. » 4° in Tertulliani opere *Adversus Judaeos*, 10 (P.L. 2, 626), ubi « Isaac cum a patre hos« tia duceretur, et lignum ipsi sibi porta« ret », praesignificasse dicitur « Christi « exitum... in victimam concessi a Patre, « lignum passionis suae bajulantis. » Sed si quis rem diligentius consideret, non tam apparebit crux comparari cum altari, quam aut cum lignis quibus cremari oportebat extra castra corpora victimarum prius ad altare tabernaculi Deo litatarum (*Hebr.*, *I Petr.*, coll. *Levit.*, $16^{18 \text{ et } 17}$), aut cum ligno quo adurendus erat Isaac, POSTQUAM jugulatus foret in altari, quod Scriptura (*Gen.*, 22^9) a lignis expresse distinguit (*Barnab.*, *Tertull.*). Quae ratio fortasse fuit cur, cum coepta est a Patribus assimilari crux altari, potius nomine ARAE designaretur : aris enim imponebantur proprie suffimenta. Cujus styli atque sensus exemplum habes in pristina forma (perperam Ambrosio adscripta) hymni nostri paschalis *Ad regias agni dapes*, cujus secunda stropha sic decurrebat :

« Cujus sacrum corpusculum
« In ara crucis torridum », etc.[1].

In oratione etiam sancto Ambrosio adscripta solemus ante missam dicere : « Summe sacerdos et vere pontifex, Jesu « Christe, qui te obtulisti Deo Patri hos« tiam puram et immaculatam in ara crucis « pro nobis » etc. (Cf. Trid., sess. 22, cap. 1, D. 938). Auctor certe *Libri de promissionibus et praedictionibus Dei* [2] (pars 1, c. 17. P.L. 51, 747) passionem Christi in hoc demonstrat per sacrificium Abrahae figuratam, quod is « velut ad ARAM CRUCIS tri« duo cum insonte victima convolavit. » Leo vero Magnus utrumque et altare et aram in cruce conjunxit, cum diceret : « Extra castra crucifixus est, ut veterum « victimarum cessante mysterio, nova hos-

1. *Hymnus in Resurrectione Domini ad Vesperas*, A. H. 51, 87. De quo hymno plura infra (Elucid. XX) notabuntur. Similis locutio exsistit in variis aliis hymnis (A. H. 12, 34 ; 30, 32, etc.). Vide etiam infra (Elucid. XX) quomodo ab Hincmaro et aliis sit locutio intellecta de pane eucharistico quasi in cruce torrefacto.

2. Inter A. D. 444 et 450, secundum P. Schepens, *Un traité à restituer à saint Quodvultdeus, évêque de Carthage, au ve siècle*, in R. S. R., mai-sept. 1919, p. 234.

« tia novo imponeretur altari, et crux « Christi non templi esset ara, sed mundi » (*Sermo* 59, c. 5. P.L. 54, 340. Cf. *Serm.* 55, c. 2, col. 324). Exemplum autem istiusmodi locutionis, qua crux designetur tanquam altare vel ara Christi, nullum memini mihi per quatuor prima saecula[1] occurrisse unquam genuinum : quanquam interim saepe crux donata est aliis nominibus, iisque mirificis : ut scalae (Zeno Veronensis, *Tractat.*, l. 2, tr. 14, c. 5. P.L. 11, 433), currus (Ambros., *Expos. evang., sec. Luc.*, l. 10, n. 109. P.L. 15, 1831), navis (Ambros., *In Psalm.* 47, n. 13. P.L .14, 1151), muri atque scuti (Chrysostom., Homil. in illud : *Pater, si possibile est*, etc., P.G. 51, 35). et si quid ejusmodi.

Antiquius longe quam cruci, accedente etiam paulatim institutione ecclesiastica ac symbolica unctione, inolevit nomen altaris tabulae illi (= mensa, τράπεζα), ligneae primum, deinde lapideae, celebrationibus nostris eucharisticis deputari solitae. Erecta quippe in sacris christianorum aedibus altaria (θυσιαστήρια) commemorant jam[2] Origenes (*In librum Jesu Nave*, hom. 2, 1, et hom. 10, 3. P.G. 12, 833 et 881. Cf. hom. 3 in *Jud.*, n. 2. P.G. 12, 962), consecrationem eorum vel ornatum inducens, et Cyprianus (*Ad Demetrianum*, 12. P.L. 4, 553. Cf. Ep. 40, 5 ; 63, 5 ; 64, 1 ; 66, 1 et 2. P.L. 4, col. 336, 377, 389, 398-399), conquerens quod, cum tanta sit relligio idolorum, « Dei altaria vel nulla « sunt, vel occulta ». « Aram Dei » interim praedicabat Tertullianus (*De oratione*, 19. P.L. 1, 1182)[3] ; quanquam concesserat antea Minucius Felix (*Octavius*, 32. P.L. 3, 339) nullas esse aras christianorum, dum scribit : « Putatis autem « nos occultare quod colimus, si delubra « et aras non habemus » ; et concessit idem postea Origenes (*Contra Celsum*, 8, 17. P.L. 11, 1540-1544), cui solae probantur arae (= βωμοί) animi justorum. Inter aras enimvero seu βωμούς et altaria seu θυσιαστήρια, hoc apud veteres illos distabat quod victimis carebant arae[4], onerabantur autem altaria[5]. Ceterum longe etiam postea non solum Lactantius excludebat aras (*Divin. Instit.*, l. 2, c. 2. P.L. 6, 259), sed etiam Arnobius (*Advers. Gent.*, 6, 1. P.L. 5, 1162) et aras et altaria. Postea libere et crebro nostri doctores de altaribus materialibus scripserunt : ut S. Hilarius in operis sui historici *Fragmento* 2, c. 16 (P.L. 10, 613. Cf. Fragm. 3, c. 9, col. 665) et S. Optatus (*De schismate Donatistarum*, l. 6, c. 1. P.L. 11, 1063 sq.)[6].

Re quidem vera unum nobis templum et altare verum est Christus, per quem unum defertur Deo vera veri sacerdotis hostia. Nec proinde competit materialibus nostris fabricis augusta illa ratio, nisi in quantum deputatae sunt ad repraesentandum Christum. Quemadmodum enim (3 S. 83, 1, 3m) sacerdos ministerialis repraesentat summum sacerdotem, et apparentia sacrificii melchisedecica repraesentat hostiam passionis, sic et altare vivum ac coeleste repraesentat tabula illa, quae

1. Non antiquior quinto saeculo est *Epistola presbyterorum et diaconorum Achaiae*, ubi illud legitur satis intricatum : « Omni die offero hos- « tiam,... immaculatum agnum quotidie IN « ALTARI CRUCIS SACRIFICANS. »

2. Non constare idem ex Irenaeo, *Contra haer.* 4, 8, jam notatum est supra. In Ignatii autem epistulis non materialia commemorari altaria, infra (Elucid. XVIII) constabit.

3. Praeterea inter inscriptiones Africae Latinae (Orléansville), haec edita est (ceterum authentiae non indubiae), quae exhibetur ut christiana simul ac perantiqua (*Corpus Inscriptionum Latinarum*, vol. 8, pars 2, n. 9704) :

ARAM DEO
SANCTO AETERNO

4. Cf. Dom Leclercq, D. A. C., t. 1, col. 3155. Legetur etiam utiliter de altaribus atque aris Romanorum Döllinger, *Heidenthum und Judenthum*, 1857, p. 540.

5. Praeterea in usu biblico solebat plerumque βωμός reservari cultui idololatrico (Westcott, *The Epistle to the Hebrews*³, p. 445) ; quem sequitur usum Chrysostomus, cum, in homilia 24 in *I Cor.*, n. 1 (P.G. 61, 200), loquens in persona Christi, opponit inter se τὸν τῶν εἰδώλων βωμόν et τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐμόν.

6. Quanquam loqui non desistunt interim Patres de « mensa sacrificiorum » (Vide Hilarium, *In Psalm.* 68, n. 19. P.L. 9, 482. Cf. *In Psalm.* 128, n. 10, col. 700). De usu autem perpetuo vocis τράπεζα apud Graecos videsis Dom Leclercq, loc. cit., col. 3157, et liturgias graecas passim.

suscipit oblationes populi sacrandas Deo (quanquam ad efficiendas eas sacras ipsa nihil confert). Igitur Christus non per analogiam ad materialia ecclesiarum nostrarum altaria dicitur altare, sed omnino ista per analogiam ad ipsum : cui per prius competit ut sit altare nostri sacrificii, sicut fuit et sui. Quae dignitas et nomen per proportionalitatem quamdam ei illinc inest, quod ipse ad suam hostiam habuit eamdem habitudinem, quam olim habuere ad cruentas hostias altaria sacrificiorum corporalium. CORPUS ENIM CHRISTI PERFUSUM EST SANGUINE HOSTIAE ET SACRAMENTALITER IN COENA ET INDE REALITER IN CRUCE ; ET IN SEIPSO AC PER SEIPSUM, NULLA MEDIANTE SEDE DEI MELIORE, DEO ADMOVIT SANGUINIS HOSTIAM.

Christus ergo, sicut una est nostra hostia, et unus sacerdos, ita unum nostrum est altare, in quo plebs sacerdoti adunata sub Christo magno sacerdote, offert Deo sacrificium corporis et sanguinis Christi. In nostrum censum quippe transfert consecratio eucharistica simul cum hostia altare. « Nec corpus sine altari, nec cor« pus sine sacerdote perficitur ; Emmanuel « autem est haec omnia : altare et corpus « seu hostia, et oblatio, et sacerdos, et « offerens » (Dionysius Bar Salibi, *Expositio liturgiae*, C. S. C. O., t. 93, p. 99).

Quod si ergo apud primaevos Patres non fuerit mos nomen dignitatemve altaris ad alia transferre, qualia etiam praeter Christum obtinuere postmodum, non pro tanto evacuatur aut obscuratur fides pristina nostri sacrificii missae. Utique solet connotari sacrificio altare ; sed etiamsi careat, ut aliquando fieri potest, sacrificium nostrum altari manufacto, non tamen caret altari principali, nec manufacto, qui Christus est. Qui, ex dictis, non foret suae hostiae altare, nec proinde nostrae, nisi litasset in sacramento. Quare quo magis Patres dicunt Christum altare unum, eo magis inculcant sacrificium eucharisticum. Ceterum quid adhuc nobis enarrat *Breviarium Romanum*, ad diem nonam novembris, in *Dedicatione Basilicae SS. Salvatoris* ? « Etsi jam ab apostolorum tempore « loca fuerunt Deo dicata..., ubi... christia« nus populus... eucharistiam sumere soli« tus erat : non tamen illa adeo solemni « ritu consecrabantur, nec in eis adhuc in « titulum erectum erat altare, quod, chris« mate delibutum, Domini nostri Jesu « Christi, qui altare, hostia et sacerdos nos« ter est, figuram exprimeret » (Lect. 4)[1].

1. Ejusdem fere styli est illud apud Nicolaum Cabasilam (*De vita in Christo*, 5. P.G. 150, 633) : « Primis sacerdotibus altare erant « manus. » Noscitur etiam ineunte sæculo quarto S. Lucianus Antiochenus, presbyter et martyr, super proprium pectus consecrasse in carcere eucharistiam (si tamen fontibus historiae Arianis hac in re credendum est. Cf. P. Batiffol, *La passion de S. Lucien d'Antioche*, in *Compte Rendu du Congrès Scientifique International des Catholiques*, 1891, 2e sect., p. 184). Certe Theodoretus ipse in sua *Religiosa historia seu ascetica republica*, c. 20 (P.G. 82, 1429) narrat se in cella cujusdam Maris anachoretae fecisse sacra, « usum (inquit) manibus diaconorum pro « altari ». Sed et Theodorus Cantuariensis in suo *Poenitentiali* (c. 2. P.L. 99, 927) generaliter licitum pronuntiat presbytero « in campo « agere [i. e. sacrificare], si diaconus vel pres« byter ipse calicem et oblationem manibus « tenuerit. » Quanquam scilicet vel apud illos veteres nulla fiebat, in communiter contingentibus, celebratio legitima, nisi adhibito altari consecrato, tamen non ad casum necessitatis videtur se extendisse illa obligatio. Apud nos, severiores fuere theologi morales plerique, dum nulla necessitate arbitrantur sacerdotem posse ab obligatione ista (quamvis mere positiva) excusari : NE AD REFICIENDUM QUIDEM VIATICO FIDELEM POPULUM MORTI PROXIMUM. Rigida sane legis interpretatio ! cum praesertim nostris temporibus saepe ingentes turmae uno praelio in extremum discrimem adducantur, prohibente aliunde difficultate maxima, immo insuperabili, capellanos militares, quominus pro lapide quavis de causa vel distracto vel fracto alius substituatur pariter consecratus. Miror nonne ista severitas ortum habuerit ex persuasione, secundum se verissima : sacrificio cohaerere, ex natura rei, altare. At altare nostrum est Christus. Permittunt quidem, apud Ballerini-Palmieri, *Op. theolog. mor.*, t. 4, n. 772, cf. n. 771, auctores quidam graves celebrationem sine altari in quodam casu necessitatis, non quidem publicae, sed privatae temporalisque : si mors mihi nimirum a tyranno intentetur, nisi celebrem. Qui casus est valde chimaericus, et nihil ad bonum commune pertinet. Certe uno quodam casu (quem nunquam vidi apud casuistas discussum), omnes concedere debent, licite sine altari consecrari : scilicet cum post consecrationem panis,

Non erat igitur cur adversus Ecclesiae fidem, veluti novam quamdam machinam agitaret carentiam pristinam altarium neotericus vir, cujus infra (Elucid. XVIII) sententia exagitabitur.

Interim hoc unum nobis cordi fuit, ut ex aeternitate altaris aeternitas confirmaretur sacrificii. Nunquam enim caret oblato semel dono altare coeleste ; nec unquam desistit Deum in illo altari donum sibi adscriptum et ratum continere.

altari diruto (quod locis minus tutis accidere potest), superest calix consecrandus sive ab eodem sacerdote, sive in ejus defectu (puta si ipse occubuerit) ab altero quopiam forte adstante. Tunc enim praevalet lex divina de complendo sacrificio legi ecclesiasticae de altari adhibendo. Adverte, in illo casu, jam OB IPSAM REVERENTIAM SACRAMENTI imminere necessitatem consecrandi sine altari, potius quam non consecrandi. Sed et propter fidelium spiritualem necessitatem videtur idem posse esse licitum, nostris etiam temporibus. Ad rem Corblet (*Histoire... du Sacrement de l'Eucharistie*, 1885, 2, 61-62) : « En 1865, Pie IX autorisa les prêtres « catholiques déportés en Sibérie, à célébrer la « messe dans n'importe quel lieu, soit sur une « table ordinaire, soit sur une pierre ou un tronc « d'arbre, dans n'importe quel costume, toutes « les fois qu'il leur serait impossible de se con- « former aux prescriptions du Rituel. »

Quibus omnibus perpensis, equidem libenter assenserim sententiae (hactenus, ut mihi videtur, solitariae) Zachariae Pasqualigo (†1664), scribentis in suo opere *De sacrificio Novae Legis* (Romae, 1707, tom. 1), 1° quidem, sub n. 102 : « In locis in quibus non est liberum exercitium « catholicae religionis, deficiente altari, potest « offerri sacrificium in quocumque altari, omni « meliori modo erecto » (p. 590) ; 2° vero, sub n. 703, de locis jam ubi est liberum exercitium catholicae religionis : « Si vero loquamur de « necessitate quae oritur ex jure divino aut « naturali, ut quando urget obligatio juris « divini ministrandi alicui eucharistiam, aut « obligatio juris naturalis offerendi sacrificium... « censerem praevalere necessitatem legi de « offerendo sacrificio in altari consecrato. Ratio « est, quia lex humana non potest praevalere « contra jus divinum et naturale » (p. 591). Ubi advocat ille notabile istud principium : « Neces- « sitas facit licitum, quod per dispensationem « non concederetur » (p. 591) ; et hoc quidem, « quia ad dispensationem non requiritur neces- « sitas, quae solvat obligationem legis de se, « seu potius quae non sinat ipsam extendi ad « casum, sed sufficit causa rationabilis, quae « relinquat in suo vigore obligationem legis » (p. 592). Haec ille, cujus haud mediocris est in Urbe auctoritas ; quem non videntur satis attendisse casuistae.

Conferas velim ea quae adnotabuntur infra (Elucid. XLIII) de obligatione azymi, non multum dissimili.

Elucidatio XIV.

Cohaeret et traditum nobis dogma de intercessione Christi perpetua.

§ 3. De Christo ut intercessore perpetuo.

Tria hoc loco quaeruntur : 1° oretne Christus in coelis ; 2° adoretne ; 3° geratne in carne insignia suae passionis. Ex dicendis autem apparebit qualiter illa cohaereant quaestioni nostrae de sacrificio coelesti.

Sectio I. — De oratione.

Sexcentis locis, quos collegerunt Suarez (*De Incarn.*, disp. 45, s. 2) et potissimum Petavius (*De Incarn.*, l. 12, c. 8, § 10-16), Patres Christum aiunt in coelis pro nobis orare, postulare, rogare, et si quid ejusmodi. Aliunde contra Suarezium Vasquez (*De Incarn.*, disp. 82, c. 2), et Thomassinus (*De Incarn.*, l. 9, c. 6) contra Petavium, fusissime ostenderunt non solitam esse intellegi a Patribus in Christo glorioso proprie dictam precationem, sed nominibus illis orationis, postulationis, deprecationis, aliisque hujusmodi, nihil aliud occurrere nisi mediationem ipsam seu intercessionem Christi, quae est ejus ante conspectum Dei, in carne quam ex nobis assumptam obtulit pro nobis, aeterna praesentia[1]. Qui modus intercessionis nemo non intellegit quam sit proprius victimae, cujus est per solam sui exhibitionem conciliare hominibus Dei misericordiam : arcte igitur apparet connexus cum statu victimali Christi aeterno, ut qui non sit nisi sacrificii adspectus impetrativus.

Porro id unum genus, in Christo coelesti nobis commendat Scriptura ; sive cum aequivalent inter se in *Epistola ad Hebraeos* illa duo : *Semper vivens* [Jesus] *ad interpellandum* (εἰς τὸ ἐντυγχάνειν) *pro nobis* (7^{25}, cf. *Rom.*, 8^{34}), et *Jesus introivit... in ipsum coelum ut appareat nunc vultui Dei* (ἐμφανισθῆναι *pro nobis* (9^{21}) ; sive cum munus advocati pro nobis ad Patrem (παράκλητον πρὸς τὸν Πατέρα) censetur a Joanne in hoc consistere ut Christus propitiatio (ἱλασμός) pro peccatis nostris exsistat (*I Jo.*, 2^{1-2}).

Praecipuus vero hujus interpretationis nobis adest auctor sanctus Gregorius Nazianzenus, non solum a Christo humilitatem precum omnem arcens, sed nihil retinens nisi meram ostensionem humanitatis olim passae. « Advocatum habemus « Jesum Christum, non ut nostra causa sese « ad Patris pedes advolventem, servilique « modo abjicientem. Procul sit ista servilis « sane suspicio, Spirituque indigna. Neque « enim Patris est hoc exposcere, aut Filii « pati : nec de Deo hoc cogitare pium « atque aequum est. Sed ex his quae « perpessus est ut homo, [Patrem] ad « [me] tolerandum inducit ut Verbum et « admonitor. Hoc mihi sonat advocatio » (*Or.* 30, n. 14. P.G. 36, 121-124).

Eadem doctrina Theodoreti : Christum eo postulare, quod primitias nostrae carnis Dei oculis objiciat : « Christus Do- « minus pro nobis est mortuus, et e mor- « tuis suscitatus Patri assidet, et ne sic « quidem nostri curam gerere desivit : sed « quas a nobis accepit primitias ostendens « et demonstrans Patri inculpabiles, per « illas nobis salutem exorat » (*In Rom.*, 8^{34}. P.G. 82, 144).

Sententiam Patrum illorum Graecorum reddit probe Nicolaus Cabasilas, dum scribit : « Est enim [Christus] interces- « sor per quem omnia assecuti sumus « bona quae a Deo nobis data sunt, vel « potius semper dantur. Non enim POST- « QUAM SEMEL FUIT INTERCESSOR, ET

1. Unus mihi videtur forte tali interpretationi repugnare locus apud Eusebium Caesariensem, in oratione super fabricam ecclesiae Tyri (H. E. 10, 4. P.G. 20, 877 B.) : ubi et oratio et adoratio proprie dicta Patris, quantum intellego, Christo, pro praesente conditione, adscribitur. Cujus ceterum viri auctoritas theologica in iis quae ad propriam Unigeniti gloriam pertinent diffiniendam, satis exigua est.

« OMNIA NOBIS TRADIDIT PRO QUIBUS IN- « TERCESSERAT, recessit, sed SEMPER IN- « TERCEDIT, NON VERBIS QUIBUSDAM ET « PRECIBUS, sicut solent legati, SED RE « (ἀλλὰ πράγματι). Res autem illa quaenam « est ? Sibimetipsi conjungere [nos], et « per semetipsum proprias impertiri gra- « tias » (*Liturgiae expositio*, c. 45. P.G. 150, 464). Intercessio ejus est ipsius mediatio efficax.

Latini idem sentiunt expressius. Ambrosius imprimis scribens : « OFFERT « SE IPSE TANQUAM SACERDOS [Christus]... « ibi in veritate, UBI APUD PATREM PRO « NOBIS QUASI ADVOCATUS INTERVENIT » (*De officiis ministrorum*, 1, 238. P.L. 16, 94). Intercessio ejus est aeterna ipsius oblatio .

Gregorius item Magnus, interpretans Paulum et Joannem, dum intercessionem Christi reponit in exhibitione humanitatis ad Deum raptae, haec habet : « Unigenito Filio pro homine interpellare « est apud coaeternum Patrem seipsum ho- « minem demonstrare ; eique pro humana « natura rogasse est eamdem naturam in « divinitatis suae celsitudine suscepisse. « INTERPELLAT IGITUR PRO NOBIS DOMI- « NUS, NON VOCE, SED MISERATIONE, quia « quod damnari in electis noluit, susci- « piendo liberavit[1] » (*Moral.*, l. 22, c. 17, n. 43. P.L. 76, 238). Rursusque : « Per hoc « pro nobis Patri loquitur, per quod se- « metipsum nobis similem ostendit. Loqui « quippe ejus, vel interpellare, est ipsum « se pro hominibus hominem demonstrare. « Intercedens enim pro peccatoribus, se- « metipsum justum hominem, qui pro aliis « indulgentiam mereatur, ostendit » (*op. cit.*, l. 23, c. 2, n. 4. col. 288-289. Cf. ibid., c. 3, n. 5 et 6 ; c. 5, n. 9, col. 289-291, et potissimum locum supralaudatum ex l. 1, c. 24. n. 32. P.L. 75, 542). Similiter juxta recensionem Claudii abbatis, in *I Reg.*, 1²³ idem sanctus Doctor perorabat : « Quia « per sanguinem ejus reconciliamur Deo, « ipse pro implendo verbo precatur, cujus « obtentu salus nostra perficitur. Precari « etiam ei est SE IN HUMANITATE ASSUMP- « TA PRO SALUTE NOSTRA AETERNO PATRI « CONTINUO EXHIBERE ; quod dum sic SE « OFFERRE NON DESINIT, receptioni nos- « trae aditum ad vitam facit » (*In I Reg.*, l. 1, c. 1, n. 45. P.L. 79, 45). Non indiget expositione locus expositione omni clarior.

Apud sanctum etiam Paulinum Aquileiensem interpellare, advocatum agere, nihil aliud est Christo quam seipsum praesentem objicere : « Humanam Deo « Patri in unitate Dei hominisque per- « sonae naturam ostendit. HOC EST ENIM « DEUM PATREM PRO NOBIS INTERPELLA- « RE. Joannes non interpellare, sed ipsum « etiam propitiationem pro peccatis nos- « tris declarat » (*Contra Felicem Urgellitanum*, l. I, c. 23. P.L. 99, 376).

Nec nullius pretii est testimonium quod ex Pelagii commentariis super *Epistolam ad Romanos*. olim adscriptis sancto Hieronymo (P.L. 30, 685), ad verbum fere deprompsit fecitque suum Pseudo-Primasius (*In Rom.*, 8³⁴. P.L. 68, 466). « Solent Ariani dicere : minor est qui in- « terpellat. Respondendum est Dominum « oblivionem non pati, ut pro illis semper « commoneatur quos ipse justificavit. Sed « in hoc interpellare dicitur, dum semper « hominem quem suscepit GLORIFICATUM, « quasi nostrum pignus Patri ostendit et « OFFERT, UT VERUS ET AETERNUS SACER- « DOS. » Hominem hic intellege humanitatem[2].

Ad mentem Gregorii Magni Hincmarus Remensis in *Epistola ad Hincmarum Laudunensem*, c. 11 (P.L. 126, 325) scribit : « *Sedensque ad dexteram Patris*, id « est in gloria Paternae Majestatis, *in-* « *terpellat*, non voce, sed miseratione, *pro* « *nobis.* »

Pariter Remigius Antissiodorensis, in *Hebr.*, 7²⁵ : « Interpellat au- « tem pro nobis per hoc quod naturam

1. Quae etiam verba Gregorii commentario suo *In Epistolam ad Romanos* (P.L. 181, 719) saeculo XII Venerabilis Herveus Burgidolensis inserebat.

2. Ut mos est illius temporis apud Patres maxime orthodoxos, utputa Augustinum.

» assumpsit humanam, quam assidue os-« tendit vultui Dei pro nobis, ut miserea-« tur secundum utramque substantiam » (Inter opera Haymonis Halberstatensis. P.L. 117, 883)[1].

S. Bruno Carthusianus in commentario super *Psalm.* 109[4], melchisedecicum sacerdotium Christi perenniter, etiam post resurrectionem, duraturum revocat quidem ad orationem : « In sui quidem « persona sacerdos in aeternum dicitur, « non quod sacrificium corporis atque san-« guinis in aeternum offerat, quod tantum « semel obtulit, sed quoniam in aeternum « pro illis orat apud Patrem. Sacerdotum « enim non tantum est offerre, sed et pro « populo orare » (*Expositio in Psalm.* 109. P.L. 152, 1228). At cum in commentario super *Epistolam ad Hebraeos* disputat quid sit Christo in coelis orare, haec determinat : « Commendat etiam nunc [apostolus] ac-« tum et exhibitionem sacerdotalis officii « in Christo, deprimendo per contrarium « operationem veteris sacerdotii, dicens : « Potest Jesus salvare in perpetuum ipse, « dico, *accedens* (sic) *ad Deum*, non per « alienas hostias animalium, sed *per se-« metipsum*, HOSTIAM VIVAM, in ara crucis « oblatum. Jesus, dico, *semper vivens ad « interpellandum* Patrem *pro nobis*, quia « CARO EJUS AD HOC SEMPER IN COELIS « VIVIT UT REPRAESENTATIONE SUA JUGI-« TER PULSET PATREM PRO NOBIS » (*Expositio in Epist. ad Hebr.*, 7[25]. P.L. 153, 527). Inferiusque, in *Hebr.*, 9[11] : « *Christus assis-« tens* Patri, repraesentatione sua semper « interpellans pro nobis » (col. 538). Opportunissime et plenissime sanctus vir interpellationem dominicam exponit praesentationem aeternam hostiae vivae in coelis coram Deo.

Unus addatur, pro reliquis, Gulielmus a Sancto Theodorico, haec scribens : « Pro nobis quasi advocatus intervenit, « cui est pro nobis intervenire, carnem « quam pro nobis et de nobis sumpsit, « Deo Patri quodammodo pro nobis in-« gerere » (*De corpore et sanguine Domini*, c. 10. P.L. 180, 358).

Praetereunda ceteroquin non est auctoritas sancti Thomae, superioribus consentientis, his verbis : « Christus intravit « coelum *ad interpellandum pro nobis*, ut « dicitur *Hebr.* 7. Ipsa enim repraesentatio « sui ex natura humana quam in coelum « intulit, est quaedam interpellatio pro « nobis » (3 S. 57, 6). Quod autem sanctus Doctor (in *Hebr.* 7, lect. 4), postquam dixit : « Interpellat autem pro nobis, primo « humanitatem suam, quam pro nobis « assumpsit, repraesentando », deinde addit : « Item sanctissimae animae suae desi-« derium, quod de salute nostra habuit, « exprimendo, cum quo interpellat pro « nobis » ; nihil per hoc inducit extraneum illi pragmaticae intercessioni sacrificii, cujus utique sensus Deo panditur : est enim Christus hostia volens nostrae salutis, et voluntatem suam non abdens, sed pandens. Sed aliud est eum voluntatem habere et intimare Deo (quod nulli doctorum nostrorum unquam fuit dubium), aliud eum rogare aut flagitare, quod nunc cum veteribus doctoribus excludimus, et ipse sanctus Thomas diserte excludit, cum *in Rom.*, 8 (lect. 7) ista duo distinguit ac secernit : rogare, quod fuit quidem Christi viatoris, atque potissimum litantis ; et velle nostram salutem, quod jam nunc unum, exclusa rogatione, Christo competit : « Dici-« tur autem pro nobis interpellare dupli-« citer. Uno modo pro nobis orando, se-« cundum illud *Joan.*, 17[20] : *Non pro his « rogo tantum* (scilicet Apostolis), *sed pro « his qui credituri sunt per verbum eorum « in me*. NUNC AUTEM ejus interpellatio « pro nobis est VOLUNTAS IPSIUS de nostra « salute : (*Joan.*, 17[24]) *Volo ut ubi sum*

1. Saeculo sequente, interpretationem consimilem intertexit defensioni sacrificii Missae Adelmannus Brixiensis (*De eucharistiae sacramento ad Berengarium epistola.* P. L. 143, 1293) : « Nec aliter melius posse intelligi puto « quod Apostolus de illo ait : *qui est ad dexteram « Patris, qui etiam interpellat pro nobis* : quam « ut interpellatio ista fiat, NON VERBA PROFE-« RENDO, sed obedientiam atque humanitatem « suam per commemorationem passionis [quae « in missa peragitur] Deo Patri commendando. »

« *ego, et illi sint mecum.* Alio modo interpellat pro nobis, HUMANITATEM PRO « NOBIS ASSUMPTAM ET MYSTERIA IN EA « CELEBRATA conspectui paterno repraesentando. »

Cum tanto polleat auctoritatis robore haec veterum ac mediaevalium sententia, mirum non est quod stylo acriore oppositam sententiam recentiorum configit, sexto decimo saeculo, praesul Ecclesiae Antverpiensis doctissimus, Franciscus Sonnius : « Sacrificium illud cruentum in ara « crucis, inquit, transiit olim, nec repetitur « unquam in ea qualitate qua cruentum « erat. Verum RES OBLATA, hoc est Chris- « tus, MANET IN AETERNUM, *sempiternum « habens sacerdotium,... semper vivens ad « interpellandum pro nobis* : ad interpellan- « dum dico SUI OLIM PRO NOBIS PASSI « REPRAESENTATIONE, NON AUTEM FUSIS « IBI CORAM PATRE PRECIBUS, UTI QUIDAM « OPINANTUR SATIS IMPIE » (*Demonstrationum religionis Christianae*, lib. 2, tract. 3, cap. 14. Paris, 1567, fol. 61)[1].

Jamvero nostra aetate cardinalis Franzelin (*De Verbo Incarnato*, p. 546-549), exclusa quidem oratione quae praetendatur ad Dei misericordiam, tamen Christo coelesti tribuit veram quamdam orationem innixam meritis redemptionis. At quomodo sibi constet vir eminentissimus, parum video. Etenim ubi meritum praetenditur, justitia appellatur ; ubi autem appellas justitiam, non rogas : nunquam enim exigentia debiti censeri potuit aut poterit proprie dicta precatio. Precatio enim, etiamsi minus ad misericordiam illam quae exercetur erga demeritos respiciat, certe quamdam liberalitatem, erga immeritos se habentem, connotat ; precatio enim est gratuiti, aut est nulla. Cum autem confitendus sit Christus ex justitia nunc (non enim jam locus est oeconomiae exinanitionis vel κενώσεως) interpellare Deum, etiam censendus est interpellare, non ut orans, sed ut intimans voluntatem ; non ut supplex ad Deum, sed ut Dei potentia utens tanquam sua[2] ; non ut implorans misericordiam, sed exercens ; nec ut impetrator gratiae, sed Dominus gloriae ac veniae largitor. Quemadmodum enim Patri non imperat, qui cum Patre imperat, sic nec impetrat a Patre, qui cum Patre impetratur. Nec Spiritum Sanctum nobis adprecatur, quem cum Deo Patre in nos effundit Deum, Deus ipse Christus : haec omnia agens jure, non nativo tantum, sed et quaesito ; quale ei non ratione incarnationis demum competit, sed utique per viam passionis veluti accrevit, propter quam vidimus Jesum gloria et honore coronatum. Hoc igitur est Christo ex justitia Deum provocare ad misericordiam in homines, quod est divitias misericordiae, factas sibi proprias, in nos impendere. « Interpellat igitur pro nobis Dominus, « non voce, sed miseratione » (Greg. M.). Clamor scilicet nostrae hostiae exauditus est a Deo, penetrans coelos, ubi consummatus Christus non incumbit reconciliationi quasi adipiscendae, sed inventam nobis impertit, *factus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Pro precibus enim quas litans olim noster sacerdos obtulit Deo, superest jam pontificis benedictio, missio scilicet Spiritus Sancti. (*Hebr.*,

1. Paucos ante annos, Lovanii, adversus Protestantes dimicans, exposuerat similiter interpellationem Christi Ruardus Tapperus, « novitatis omnis osor » (Hurter[2], 1451) : « IN ECCLESIA TRIUMPHANTE IPSE CHRISTUS « SESE DEO PATRI INDESINENTER OFFERT PRO « NOBIS, SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDUM « PRO NOBIS » (*Declaratio articulorum a veneranda Facultate Theologiae Lovaniensi adversus nostri temporis Haereses, simul et earumdem reprobatio* per eruditissimum virum S. Paginae professorem D. Ruardum Tappaert,... Academiae Cancellarium. Lugduni, 1554, p. 266).

Undecim autem annis post Sonnium, magnus ille Bartholomaeus a Medina, non minore perspicuitate excludit flagitationes, ut retineat solam hostiae efficaciam : « Christus « Dominus dicitur interpellare pro nobis apud « Patrem coelestem, non quod modo se humi- « liet, et veluti genibus flexis submissa postu- « latione orationes et supplicationes offerat. « Interpellat itaque pro nobis PER VICTIMAM « SUAM, quae Patri semper est praesentissima, « in quam Pater aspiciens largitur nobis re- « missionem peccatorum et alia quae ad salu- « tem nobis sunt necessaria » (in 3 S. 57, 6. Ed. venet. 1602, fol. 681).

2. In quo capitale apparet discrimen inter mediationem Christi et mediationem Mariae, quae jure dicta est « omnipotentia SUPPLEX ».

5[6-10]). Uno verbo, interpellatio Christi est hostiae nostrae aeterna mediatio qualis supra (Elucid. XII) exposita est.

Sectio II. — De adoratione.

Cum oratione arcte conjungitur adoratio. Ejusdem enim est adorare, cujus est orare. Adoravit quidem in terris Christus cum esset in forma servi, propter dispensationem illam seu ordinationem temporariam, qua necesse fuit eum venire in similitudine carnis peccati (i. e. in carne passibili atque mortali), ut se operi redemptionis exsequendo attemperaret. Tunc enim nondum manifestata divinitate, aut humanitate in divinam conditionem totaliter translata, eodem quo occultabatur increata persona miraculo, potuerunt illi, titulo naturae creatae, quaedam competere puri hominis officia aut defectus, ut ab aliis affligi, a Deo sublevari, subditum esse, orare, adorare. *Esse* quippe divinum, quo gaudebat homo ille, nondum omnem suam exseruerat efficaciam, et quanquam occupabat substantiam assumptae humanitatis, nondum tamen per omnes facultatum ramos veluti effloruerat. Qui omnes defectus evacuati sunt postquam, invadente gloria inferiores Christi partes ac sublimante, quasi cumulata est incarnatio, inclaruitque in carnis veritate veritas ipsa Dei[1].

Quo sensu Ambrosius : « Tunc secundum carnem homo, nunc per omnia « Deus » (*De Excessu fratris sui Satyri*, l. 2, n. 91. P.L. 16, 1341) ; vel Prosper, aut alius ipsi coaevus auctor carminis *De providentia divina* :

« Hactenus in nostris te, Jesu, novimus ; [exhinc
« In tua nostra abeunt » (Vers. 542-543. P.L. 51, 629).

Non enim sine causa Petrus Jesum aiebat in ascensione ad coelum et sessione ad dexteram Patris factum esse a Deo et

1. In ipsa incarnatione, qua factus est homo, sane Dei Filius exinanitus est *(Phil.* 2[7]*)* ; sed non in hoc praecise consistebat ejus exinanitio, quod homo fiebat (qui etiam nunc homo est, nec tamen reputatur jam exinanitus : cessavit enim nunc secundum omnes Patres, sicut et secundum sanctum Paulum, *Phil.*, 2[9-11], oeconomia κενώσεως) ; immo in hoc exinanivit semetipsum, quod caruit secundum humanam naturam conditione sibi, utpote Deo, connaturaliter debita. Non enim, cum esset ille homo Deus et Dominus gloriae, tamen in gloria Dei aut Domini inventus est, sed in quodam statu meri hominis et in loco servi ; non regnans cum Patre, sed cum hominibus subditus ; subditus quidem Deo Deique vicariis, sed etiam Legi, quae tamen *propter transgressiones posita est... ordinata per angelos (Gal.,* 3[19]*). In similitudinem* videlicet *carnis peccati* (*Rom.*, 8[3]) missus, omnia (excepto peccato ipso et peccati elemento materiali, quae est concupiscentia) assumpsit in se peccati dedecora : corruptibilitatem, passibilitatem, mortalitatem : ADEO UT AD SUI TUTAMEN ET INCREMENTUM EGERET DEI AUXILIIS ET DONIS (ut in prece sacerdotali ac agonia in horto maxime apparuit). Eo enim se demiserat, ut, quanquam omnimoda gloria ac dominatio, plenissimaque rerum omnium potestas, sibi debita esset, tamen cum ea per dispensationem exinanitionis careret, et mereri et impetrare poterat ut sibi concederetur. Secundum summum quidem animi acumén, ubi residet visio beatifica, gloria ejus erat quasi gloria Unigeniti ; sed exsulabat ab omnibus activitatibus animi inferioribus, et multo magis a sensibus, sive internis sive externis. Quarum omnium virium complexu constituitur homo socialis : siquidem ea quae per viam solam visionis beatificae cognoscuntur, cognoscuntur secundum modum essentiae divinae ; nec proinde possunt secundum modum cognitionis inferioris, qui analogicus est, cogitari, et multo minus sermone humano enuntiari, qui flatui aurae mandatur. Quare, ad commercium humanum quod attinet, sunt talia veluti incognita ac inscita *(Marc.,* 13[22]*)* : nisi ulterius ope scientiae infusae deducantur atque transferantur in humanos conceptus. Quod quantum (sicubi deest gloria accidentalis) fiat, penes Dei arbitrium est. Si quis homo igitur supponatur gloria donatus nulla nisi essentiali, is in omnibus quae humanam conversationem vitamque socialem attingunt, nequaquam transcendet ex sese humanum ordinem aut naturae nostrae lapsae infirmitatem. In cujusmodi statu Christus, sicut erat carens perfectione divina suae humanitatis, sicut erat serviens Patri, sicut erat minor angelis, sicut erat debitor Legis, sic et adorare debebat, et orare opus habebat, donec transiret in statum beatum, gloriosum, incorruptibilem, in locum Filii proprium, in locum scilicet Domini, ubi par affulget Deo et Patri Verbum caro factum, nulla jam nota aut servitutis aut humilitatis indecorum, nulla suae humanitatis parte inglorium : ut jam sit gloria ejus, secundum totum hominem, gloria quasi Unigeniti, quasi Dei.

« Christum » et « Dominum » : *Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Recte dicit eum esse factum Dominum, siquidem tunc conditio divinitatis praevaluit ; et recte dicit factum eum esse Christum, siquidem tunc unctio seu chrisma divinitatis a vertice Nazaraei[1], id est consecrati, descendit ad inferiora ejus, et veluti ad oram decurrit vestimenti : jam nullis se continente aut animae aut carnis latebris gloria Unigeniti.

Petri praedicationi resonabat Pauli doctrina ut imago : secundum quam, pro sua obedientia, qua se in terris demiserat usque ad mortem, eamque crucis, renuntiatus est Jesus Christus post mortem « Dominus » (*Philip.*, 2^{6-11})[2].

Alios locos Scripturae a plurimis Patribus in eumdem sensum expositos videsis apud Thomassinum (*De incarn. Verbi Dei*, l. 8, c. 11).

Nos vero a Patribus de sacrificio et oratione disserentibus audivimus jam quantum repugnet ut se demittat, ut se provolvat ad Patris pedes, ut creaturae more adoret, qui nunc in gloriam suam provectus, incolumi sane humanitate, unus cum Patre et Spiritu Sancto Deus et conspicitur et conglorificatur et coadoratur, Redemptor noster, Christus, « sacrificiorum aeter- « norum antistes, regni aeterni aeternus « dominator » (Tertull., infra, Elucid. XVIII).

Sectio III. De stigmatibus passionis.

Exhibitio ista humanitatis ante Deum, qualem habeat rationem, qualiterve interpellet, illustrant suo modo cicatrices passi corporis, quas intulit Christus in coelum insignia sui sacrificii. Ut enim scribit Thomassinus (*De incarn.*, 10, 13),

1. Circa Nezirim multa apud Wellhausen (*Skizzen und Vorarbeiten III*[1], 1887, p. 116-118) et Smend (*Lehrbuch der alttestamentlichen Religionsgeschichte*[2], 1889, p. 93-96) legi possunt utilia, quae in Christum transferantur Deo obstrictum relligione sacratissima sui voti sacrificalis.

2. *Nomen* enim *super omne nomen,* Christo datum in remunerationem suae obedientiae et mortis, non videtur esse nomen Jesu, sed nomen, Domini. Etenim :

Primo, nemo ex veteribus illo priore modo interpretatus est verba Pauli. Vide in h. l. Chrysostomum, Theodoretum, sanctum Thomam.

Secundo, habebat Dei Filius illud nomen Jesu ante suam mortem ; nec proinde post mortem, et propter mortem, ei est datum. Nisi dicas datum esse in circumcisione in mercedem praevisae obedientiae et mortis : sed haec non indicantur a Paulo ; sunt valde mystica, et aliena a simplici et directo intuitu apostolorum ; immo sapiunt aetatem multo seriorem.

Tertio, dicit Paulus : ἐχαρίσατο αὐτῷ τὸ ὄνομα. Non potest igitur verti gallice : « Dieu lui a « donné un nom qui est au-dessus de tout nom » (sicut vertit Prat, *Théologie de saint Paul,* I, 439), sed omnino : « Dieu lui a donné le nom qui « est au-dessus de tout nom » (Crampon). Non igitur dedit Deus Jesu Christo aliquod nomem cui accideret ut esset super omne nomen ; sed illud nomen dedit quod ex sese habet ut sit super omne nomen. Tale autem nullum est (aut erat apud Hebraeos) nisi aut nomen Dei, quod assolet Paulus reservare Patri, aut nomen Domini, quod tribuit Christo.

Quarto, habet Paulus : πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός. Attento illo εἰς δόξαν, patet sensum non esse : omnis lingua confiteatur Dominum Jesum Christum *in gloria* esse Dei Patris. Attamen necesse est ut subintellegatur vox ἐστιν. Non potest autem subintellegi ita ut Κύριος Ἰησοῦς Χριστός ponatur esse subjectum, et εἰς δόξαν [in gloriam] Θεοῦ Πατρός ponatur esse loco attributi : primo, quia omnino tunc esset exprimendum verbum ἐστιν, ut apparet legenti ; secundo, quia tenuissimum sensum haberet sententia. Igitur restat ut subintellegatur ἐστιν inter Κύριος et Ἰησοῦς Χριστός ita ut Ἰησοῦς Χριστός sit subjectum et Κύριος sit attributum. Conclude igitur hoc [scil. Κύριος] esse nomen omni nomine majus datum Christo a Patre, ut cum sonaret nomen Jesu, omne genu flecteretur, omnisque lingua confiteretur Jesum Christum esse Dominum ; quae confessio cederet in laudem Patris. « Utique omnes illud dicant ; « hoc autem gloria est Patris. » Ita Chrysostomus, *in h. l.*, P. G. 62, 234, atque Theodoretus, *in h. l.*, P. G. 82, 572. Ante hos vero scripserat obiter Didymus in sua *Enarratione in Epistolam I S. Petri.* P. G. 39, 1770 : « Omnis lingua ad gloriam Dei Patris Jesum « Dominum esse confiteatur » (juxta versionem utique Epiphanii scholastici).

Quinto, nec deest nobis ad confirmationem parallelismus *I Cor.*, 12^3 : Οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριος Ἰησοῦς, εἰ μὴ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. Ubi sensus evidenter est : Nemo potest dicere : Jesus est Dominus [Jésus est Seigneur] nisi in Spiritu Sancto. Conferatur etiam *II Cor.*, 4^5, ubi Κύριον est attributum sicut δούλους.

Concordat porro nostra interpretatio omnino quoad sensum cum his quae scribit Chrysostomus *(loc. cit.)* : « Christus usque ad ima « obedientiae se demisit, propterea accepit « supernam gloriam. Servus factus est : propter

« patescet rursum Christi in coelo sacer-« dotium non feriatum aut otiosum, sed « exercitum et a sacerdotali officio nun-« quam vacuum, si cicatrices vulnerum, « tanquam nuper mactatae victimae notas, « adhuc recentes spectemus, iisque insig-« nitum corpus instar habere hostiae sem-« piternae. » Servatas in carne Christi cicatrices perpetuas explorata est Patrum et Doctorum sententia[1]. Scopum autem asservationis declarat praecipue Ambrosius (*In Luc.*, 24^{35-39}. P.L. 15, 1846) : « Vul-« nera suscepta pro nobis coelo inferre ma-« luit, abolere noluit : ut Deo Patri NOS-« TRAE PRETIA LIBERTATIS OSTENDERET. « Talem sibi Pater ad dexteram locat, tro-« paea nostrae salutis amplectens. »

Bedae (*In Luc.*, 24^{40}. P.L. 92, 630) sententia multum apud posteros[2] valuit : ideo clarere Christum suis cicatricibus, « ut « Patri pro nobis supplicans, quale genus « mortis pro mortalium vita pertulerit, « semper ostendat. » Quo supplicat apud Bedam, eodem interpellat apud Guitmundum Aversanum (*De corporis et sanguinis Christi veritate*, l. 2. P.G. 149, 1460) Christus. « Sed et nunc quoque pro « nobis interpellans, hodieque corpus suum « cum cicatricibus vultui Patris ostendens, « se pro nobis natum, passum ac resur-« rexisse atque ad coelos ascendisse desi-« gnat. » Breviter Sicardus Cremonensis (*Mitrale*, l. 3, c. 6. P.L. 213, 232) : « Cicatrices ostendens interpellat ad Pa-« trem pro nobis. » Plenius interea[3] scripserat Ernaldus Bonaevallensis in suo libro *de cardinalibus operibus Christi* (c. 4. P.L. 189, 1631) : « Per omnia sibi « Pater in Filio complacuit, nec ulla in « eo serpentis sunt reperta vestigia, nec « sacerdotii ejus poenituit Deum : quoniam « SACRIFICIUM QUOD IN CRUCE OBTULIT, « SIC IN BENEPLACITO DEI CONSTAT AC-« CEPTABILE, et perpetua virtute consistit, « UT NON MINUS HODIE IN CONSPECTU « PATRIS OBLATIO ILLA SIT EFFICAX, quam « ea die qua de saucio latere sanguis et « aqua exivit, ET SEMPER RESERVATAE « IN CORPORE PLAGAE[4] SALUTIS HUMANAE « EXIGANT PRETIUM et obedientiae dona-« tivum requirant. »

Videtur igitur cicatricum illa declaratio fuisse apud homines mediaevales trita. Attamen noli putare Christum conservari formaliter in suo statu victimali per cicatricum notas residuas. Immo victimalis status conservatur per gloriam, qua absorpta est mors, ut superius est expositum. Sed gloria ipsa respondebat immolationi; et vulnera Christi tanto magis decorat. Quare dictus est Christi status victimalis illustrari stigmatibus : quamvis etiam stigmatibus obductis, perseveraret substantialiter idem.

« hoc omnino est Dominus [Δεσπότης] et angelo-« rum et ceterorum omnium. » De his plura infra (Elucid. XXII), ubi dicetur de filiatione Christi secundum quid incrementum capiente in resurrectione.

1. Citat *(ibid.)* Thomassinus dicta Cyrilli Alexandrini (*In Joan.*, 20^{97}, et *Epist.* 41. P.G. 74, 728-729 et 77, 216), Ambrosii, Augustini (*Epist.* 102, n. 7. P.L. 33, 373), Guitmundi et Ernaldi, pulcherrimisque adornat commentariis.

Praemitti autem poterat his omnibus Gregorius Nazianzenus (*Or.* 45 *in S. Pascha*, 25, P.G. 36, 657), quem sequitur fere ad verbum Cyrillus. Omnibus autem testibus praeierit forte *Epistola Apostolorum* (ut fertur, intra A. D. 160 et 170) haec in ore Domini ponens : « Jusqu'à ce que je revienne d'auprès du Père « avec mes plaies » (trad. Guerrier, P. O., 9, 199 ; cf. ed. C. Schmidt, T. u. U., 43, 56) ; si modo fides adhibenda sit aethiopico textui prae coptico aliud referente, aptius, ni fallor, sententiarum seriei atque texturae connexum.

2. Verba Bedae, tacito auctore, faciunt sua, v. g., Honorius Augustodunensis (*Sacramentarium*, c. 90. P.L. 172, 796) et sanctus Thomas (3 S. 54, 4).

3. Interim vero, unus (quem quidem legerim) Guibertus Novigentinus negavit adhuc patere in Christo coelesti « cicatricum antra ». « Quid post resurrectionem vulnera illa reser-« vata portenderent, si etiam hucusque mane-« rent ? An ut Patrem, ac si virum obliviosum, « per eadem, dispensationis pro hominibus « susceptae commemoret ? Esto. Certe alia cu-« ranti Patri sola sine vulneribus caro suae dex-« terae assidens commonere sufficeret... Et quid « tibi lacerum faciet latus, quid in manibus « pedibusque fixurae clavorum, ubi Filii homi-« nis parebit signum ? In illius gloriae throno « quomodo conveniet quinquipertiti vulneris « horror ? Et certe cum discipulis comedens ac « bibens manibus mandenda tractabat, numquid « sanies hianti ulcere tunc fluebat ? Absur-« ditas infinita » (*De pignoribus sanctorum*, l. 3, c. 4. P.L. 156, 661).

4. Edit. habet : *plagis* ; quod evidenter mendosum est.

Elucidatio XV.

Hinc judicari facile potest de diversis sententiis ad sacrificium Christi coeleste spectantibus.

§ 4. Conclusio de diversis sententiis ad sacrificium coeleste spectantibus.

Corpus Christi, oblatum in coena, et in passione immolatum, quam sortitum est ex sacrificio rationem hostiae, perennem servat, non resurrectione abolitam, immo auctam ratihabitione atque consummatione divina : translatione dico in sacrarium coelestis gloriae, ubi Deum obligat erga sacerdotem Christum ad commiserendum nobis.

Quibus positis, facile jam judicium fertur de diversis sententiis ad sacrificium Christi coeleste spectantibus. Cum enim sacrificium sumatur et active et passive, active quidem pro actione qua quid litatur; passive autem pro re oblata in hostiam, videntur nobis aberrare a vero, primo quidem *per defectum*, illi qui perennitatem *hostiae*, ut talis negant ; secundo autem *per excessum*, illi qui perennitatem *litationis* formaliter sumptae adstruunt. Litatio enim transiit, nec remanet nisi virtute, quatenus ille qui dedit manet fidelis, nec fraudat Deum dono suo, quasi retrahens se e sacrario Dei atque profanum faciens. Hostia autem perseverat formaliter, et quidem cumulatissime, ut in Deum trajecta, qui contractum donationis acceptatione sua sanxit et sancit aeternaliter.

Peccant igitur *per defectum*, qui aut simpliciter praetermittunt sacrificium coeleste, ut plurimis mos est theologis recentioribus, aut, quod gravius est, adeo excludunt, ut naturaliter cum Lugone (*De mysterio incarnationis*, disp. 29, n. 33) deventuri sint ad arcendam a Christo omnem propriam rationem sacerdotii, postquam revoluto die ultimi judicii, cessaverit in terris sacrificium eucharistiae. Peccant etiam qui, quanquam retinent verbotenus sacrificium aeternum, tamen non hostiam formaliter ut talem intellegunt perdurantem, sed adorationes inducunt Christi, aeque ac beatorum, coram Deo aeternas[1]. Sic Grimal (*Le Sacerdoce et le sacrifice de N. S. J. C.*, 2e éd., p. 225-226, 230, 248).

Omissis autem socinianis haereticis, qui omnem actionem Christi sacrificalem, a terris amotam, ad coelos amandant, censendi sunt ex catholicis peccare *per excessum* quicumque actionem Christi sacrificalem, in terris inceptam, volunt in coelis continuatam formaliter. Quorum forte duae scholae possunt distingui : una potissimum gallica, altera germanica. Inter quas hoc aliqualiter distat, quod germanica schola magis propendet in actum sacrificum nostri Sacerdotis inter actus internos recensendum, quanquam non negat innotuisse illos actus aliqua affectione corporali ; schola autem gallica magis insistit sensibili actus sacrifici conditioni enucleandae.

Praecipuus inter Germanos[2] Thalhofer (*Das Opfer des alten und des neuen Bundes mit besonderer Rücksicht auf den Hebräerbrief und die katholische Messopferlehre.* Ratisb., 1870, p. 210 sq.); expresse constituens actionem sacrificalem in interno actu obedientiae circa passionem mortis subeundam, hunc existimat a Christo in coelis innovari jugiter (manifestatum nunc cicatricibus, sicut manifestabatur olim tormentis) : unde exsurgat continuatio quaedam activa sacrificii[3].

1. In quo non solum per defectum errant, sublata hostiae proprietate, sed etiam per excessum, dum Christo tribuunt partes adorantis, cui in cœlo competit coadorari Patri, sed minime coadorare nobis. Ceterum excludit, ut supra vidimus, ipsa hostiae consummatae mediatio exinanitionem adorationis.

2. Minime tamen nobis prætermittenda est lucubratio antiquior Alberti Stoeckl (*Das Opfer nach seinem Wesen und nach seiner Geschichte*, Mogunt. 1861, p. 448, sq.), ubi simpliciter defenditur Christum aeterno quodam actu Deo in coelis offerre suam mortem praeteritam, additis quibusdam precibus.

3. Ad ultimi duntaxat judicii diem (p. 219) : qua limitatione peccat Thalhofer per defectum, veram æternitatem sacrificii redemptionis pessumdans. Eamdem coelestis sacrificii durationem assignaverat Estius, *In Hebr.*, 7[17] et 8[3].

Ita plus minus, post Thalhofer, J. T. Franz (*Die eucharistische Wandlung und die Epiklese der griechischen und orientalien Liturgien*, 2, p. 61-63, Herbipol. 1880)[1]. Pro quanto vero ab illis scriptoribus essentia actionis sacrificalis ad internum quid revocatur, aliqualiter destruitur. Sacrificatio enim substantialiter est in genere signi. Perit autem signum, nisi habeat *esse* externum[2]. Quare cum peccent per excessum circa continuationem sacrificii coelestem, tamen peccare videntur per defectum non minus damnosum circa proprietatem ipsius redemptionis sacrificalem.

Gallis ex opposito placuit indesinenter peragi in coelo oblationem quamdam corporis Christi externam. Ita Condren (*op. cit.*, 1re partie, § 3, n. 5, p. 37-38) : « Que peut-il avoir à offrir que ce qu'il « a une fois offert sur la terre, c'est-à-dire « la victime de son propre corps, dont il « RENOUVELLE ET CONTINUE sans cesse « l'oblation dans le ciel ? L'oblation de « Jésus-Christ n'a donc pas été tellement « consommée et épuisée sur la terre, qu'elle « ne se fasse plus dans le ciel ; mais plutôt « elle n'a fait que COMMENCER ICI-BAS POUR « ÊTRE CONTINUÉE au ciel, où se trouve « la perfection du sacrifice. » [Jésus-Christ] « n'a fait la première oblation de soi-même « sur la terre, que pour en faire dans le ciel « une seconde pour l'expiation des péchés « des hommes » (*ibid.*, n. 8, p. 43). « Outre « la première oblation que Jésus-Christ a « faite de soi-même à la mort, pour transférer et porter sur soi la peine de nos « iniquités, il en faut encore reconnaître « une seconde, qui s'est faite à son élévation au ciel, qu'il y continue toujours par « lui-même... Cette oblation est comme « une commémoration de sa mort, accompagnée de la prière sacerdotale, par laquelle, comme Pontife des biens futurs « et véritables, et comme ministre du sanctuaire céleste, il demande à Dieu que la « satisfaction nous soit imputée et appliquée pour la rémission de nos offenses, « et notre réconciliation avec lui » (*ibid.*, n. 9, p. 45-46). Quae tamen verba ipse Pater de Condren videtur aliquanto post emendare atque castigare (*ibid.*, n. 13, p. 50-52).

Similiter quaedam in illum sensum videtur tradere Dominus Olier (*Explication des cérémonies de la grand'messe de paroisse*. Paris, 1858, p. 11-14. Cf. Lepin, p. 201). « Il y a un sacrifice dans le paradis, « lequel en même temps est offert en la « terre, puisque l'hostie qui s'y présente « est portée sur l'autel du ciel ; et il est « différent en cela SEULEMENT qu'il se « présente ici sous des voiles et des symboles, et là IL EST OFFERT A DÉCOUVERT « ET SANS VOILE. »

Expressius etiam quam ambo sui patroni, Dominus Lepin : « De l'âme du « Christ, en effet, s'élève incessamment « vers son Père l'hommage infini de son « adoration réparatrice... Mais Jésus-Christ « ne se contente pas de cet hommage intérieur. Éternellement il continue, en qualité de Religieux pour la création universelle et de Médiateur pour les hommes, « d'appuyer sa religion intérieure sur une « OBLATION EXTÉRIEURE ET SENSIBLE de « son sacré corps » (*L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne*, 1897, p. 187).

Praeterea iidem scriptores oblationi isti aut addunt aut identificant quamdam perpetuo decurrentem Christi annihilationem seu destructionem. Ita Lepin *(loc. cit.)* : « Sans doute, l'humanité du Sauveur n'est « plus anéantie dans les humiliations et la « mortalité ; son corps n'est plus immolé

1. Non multum diversa proposuit nuperius Pell (*Noch ein Lösungsversuch zur Messopferfrage* in *Theologisch-praktische Monats-Schrift*, XVIII, 655-657). Novissime vero (dum haec sub prelo sunt) videtur superioribus accensendus plus minus Max Ten Hompel (*Das Opfer als Selbsthingabe und seine ideale Verwirklichung im Opfer Christi*, Frib.-i.-Brisg., 1920, p. 147-149).

2. Aliud enim est dicere : actio oblativa est interna, quanquam ei accedit ut manifestetur ; aliud vero, dicere : actio oblativa, utpote significativa, intrinsece constituitur elemento externo simul ac interno. Porro primum illud videntur intellegere praefati auctores, potius quam alterum.

« sous les coups de la souffrance et de la « mort : le temps de l'expiation actuelle « n'est plus. Mais cette humanité sainte « continue DE S'ANÉANTIR glorieusement « dans le feu dévorant de la gloire divine » (*op. cit.*, p. 187, cf. 158-159)[1]. Antea Dominus Olier : « Non content de s'être « immolé sur le calvaire et d'y avoir perdu « la vie, voyant qu'il lui restait encore « quelque chose de l'être infirme qu'il « avait reçu de sa Mère, il voulut le con- « sommer entièrement au jour de sa sainte « résurrection. C'est de la sorte qu'il porte « sa religion au plus haut point où elle « pouvait aller ; car il ne sacrifie pas seule- « ment une portion de lui-même, mais il « s'offre d'une manière si entière et si par- « faite, qu'il ne reste plus rien de lui qui ne « soit consommé dans la gloire de son Père, « et pour ainsi dire ANÉANTI dans ce feu « dévorant dont il est dit : *Deus noster « ignis consumens est.* C'était alors une « religion parfaite que celle de Jésus-Christ « qui S'ANÉANTISSAIT TOUT SOI-MÊME en « son Père » (*Traité des saints Ordres*, 3[e] partie, ch. 5, Paris, 1856, p. 420-421). Audacius Pater de Condren Christum coelestem in quodam veluti mortis et immolationis statu exsistentem fingit : « Pour « entendre en quelle manière Jésus-Christ « est en état de mort au ciel..., il faut re- « marquer que la mort est la privation de « la vie présente ; que quand Jésus-Christ « est ressuscité, il est demeuré dans la « PRIVATION de cette même vie mortelle et « passible (puisqu'il en a reçu une autre « immortelle, impassible et glorieuse) et « qu'il est par conséquent et sera éternelle- « ment dans la privation de cette vie pré- « sente, et ensuite en quelque façon dans « un état de mort » (*op. cit.*, 2[e] partie, n. 26, p. 110. Cf. 3[e] partie, n. 37, *Perfection de* L'IMMOLATION *et de l'inflammation dans le ciel*, p. 231-235).

Cohaerenter satis praedicti scriptores istiusmodi destructionem cogitaverunt : cum enim formalem illam, quam Christo tribuebant, oblationem nollent fieri in coelis (ut nostrae in terris contingit) per sacramentum quoddam seu signum immolationis praeteritae (quippe quia a coelo sacramenta exsulant), et aliunde tamen sacrificium seorsim ab omni immolatione non consisteret (Lepin, *op cit.*, p. 64-65. Condren, 2[e] partie, n. 1 et n. 2, p. 53-57) : ideo oportebat ut Christus offerretur in coelo immolatione quadam seu destructione nova ; quae, quia destructio gloriae non potest esse, debet esse destructio per gloriam. In quo, praeter imaginationem illam falsam continuatae oblationis formalis, decepti sunt maxime quantum ad identitatem quam finxerunt inter immolationis (seu destructionis) proprietatem et glorificationem vel consummationem hostiae. Non enim ullatenus habet glorificatio rationem immolationis, aut consummatio secundum se rationem destructionis ; quinimmo nil infert ex seipsa nisi perfectionis ultimae additamentum et vivificationis fastigium. Praeterea mutatio ex corruptibilitate in incorruptibilitatem, seu amissio quam allegant corruptibilitatis, quae est incorruptibilitatis inductio, non pertinet ad opus SACERDOTIS LITANTIS, sed ad opus DEI ACCEPTANTIS[2]. Nulla igitur ex parte potest istiusmodi mutationi competere ratio aut immolationis

1. Revera apud Patres annihilatam vidimus in coelesti gloria non naturam humanam Christi, sed mortalitatem : quae mortalitas erat quaedam annihilatio Verbi seu κένωσις. Annihilata est igitur annihilatio. In hoc autem noli videre repositam oblationem sacrificalem Christi, sed Patris acceptationem ac consummationem.

2. Vide quam sedulo discernat partes Dei et partes Sacerdotis S. Maximus Taurinensis (*Homil.* 5. P.L. 57, 235) : « Maria enim « tanquam in sacrario ventris sui portavit cum « mysterio Sacerdotem ; nam quicquid in saeculo « profuturum erat, id totum de ejus ventre : « Deus, Sacerdos et Hostia ; DEUS RESURREC- « TIONIS, SACERDOS OBLATIONIS. Hoc autem « totum in Christo agnoscimus. Deus enim est, « quod ad Patrem redit ; pontifex, quod se « obtulit ; victima, quod pro nobis occisus est. » Ad sacerdotem igitur refertur, quod se Christus obtulit in hostiam seu victimam passionis. Non ad sacerdotem, sed ad Deum refertur, quod resurrexit et ad Patrem reversus est. Quanquam, ut etiam docuere Patres, inde ratum est ejus sacerdotium et consummatum est sacrificium, quod divinitatis potentia suscitatus est in vitam gloriae ad thronumque Dei assumptus.

aut oblationis (quae ab eo necesse est ut proficiscatur qui offert, non cui offertur sacrificium) ; sed una est illi assignanda ratio assumptionis ad Deum, qua velut in ultimos tandem suos effectus perducatur (ex vi oblati sacrificii) incarnatio. Quare dictum est : *Ego hodie genui te.* Nativitatis enim, non mortis, incrementi non detrimenti fuit haec dies : quam fecit Dominus, sumendo ad se munus ; non liturgus, hostiam amplius interimendo.

Aliqualiter forte huic scholae accensendus est Thomassinus, qui non semel rationem oblationis coelestis nimis visus est premere : « Permanentem, nec intercidentem victimam, NON OBTULIT, SED OFFERT Christus » (*op. cit.*, l. 10, c. 11, n. 10) ; et mactationem immolationemque nobis in resurrectione fingit conspiciendam : « Resurrectio in sacris litteris ea « nomina sortita est quae speciem sacri« ficii totam ingerant oculis. Regeneratio « enim vocitatur. At regenerari et renasci « quis potest nisi interempta mactataque « priori substantia ? DENASCITUR PLANE « QUI RENASCITUR[1], MORITUR QUI REGE« NERATUR, MACTATUR QUI RESURGIT... « Mutatio quaecumque mors est ;... mu« tatio autem maxima et absolutissima, « qualis per resurrectionem obtinget, plane « mors est peraeque maxima et absolutissi« ma... Sacrificium quodcumque victimae « immutatio est ; duplex est autem mu« tatio, altera in defectionem, altera in « profectum... Plenissima hominis totius « immutatio fit per resurrectionem, sed « qua non deficit nisi defectibilitas, qua « proficit anima, proficit corpus in for« mam priori inexplicabiliter praestantio« rem. Hoc igitur Deo suavius accommo« datiusque sacrificium erit » (*ibid.*, c. 14, n. 9)[2].

Communis contra utramque adversariorum scholam[3] objectio, eaque insuperabilis, haec est : Aut sacrificatio ista, in perenni quodam fieri formaliter perdurans, pars quaedam est operis illius sacrificalis, quo proposuit sibi Christus redemptionem nostram promerendam ; aut dividitur ab eo, tanquam altera a Christo instaurata oblatio sacrificalis. Si primum admittitur, statim pessimum sequitur consectarium : nos nondum esse redemptos, nondum quippe cum sit peractum sacrificium redemptionis (cf. Renz, *op. cit.*, p. 404) ; si praeplacet alterum, jam oblationi Christi uni, cujus sufficientiam tantopere exaggerat *Epistola ad Hebraeos*, fatenda est nihilominus addi,

1. Praeter alias praescriptiones, advertendum quantum sibi illudat qui in resurrectione Christi commutationem quamdam vitae *(denascitur, moritur)* sibi videatur reperire, cum jam ante tres dies fuisset vita prior interempta, per veram utique immolationem, nec nisi transitus postmodum fiat ex non vita in vitae fastigium.

2. Anglicani nonnulli idem genus sacrificii perennis, quo offeratur Deo a Christo vita ipsa gloriosa, defendunt : cui connexam ac subordinatam eucharistiae oblationem volunt esse ipsum ecclesiasticum sacrificium. Ita Milligan, Heavenly Priesthood, p. 266, ap. Hastings, D. B. 4, 347.

3. Cumulat utriusque scholae incommoda, vereor, doctrina cardinalis Cienfuegos : « Extiturum quidem post saeculi consummatio« nem... VERUM AETERNUMQUE IN TOTO RIGORE « SACRIFICIUM a summo Sacerdote nostro in « propria specie existente CELEBRANDUM ... « Illud esse conficiendum per reproductionem « ejusdemmet actus interni Christi Domini, aut « sacrificationis, qua nunc immolat seipsum et « offert in ara incruenta, et qua mactavit « seipsum in Cruce, quaeque est potissimum « sacrificii constitutivum... Dicimus itaque « ACTIONEM ILLAM SACRIFICATIVAM IMPERATU« RAM pro eo statu SUSPENSIONEM OMNIS VITAE « ACTUALIS CORPORIS PHYSICI Christi Domini, « vel A CORPORE QUOQUO MODO PENDENTIS, « QUAE PRAEEXISTAT ACTU (nequaquam tamen « visionis beatae aliorumque actuum indepen« dentium). Ceterum ea lege, ut loco ipsorum « imperet in eodem instanti productionem alia« rum operationum corporearum, quae omnes « in divinam laudem dirigantur, ita ut anima, « cor et caro exultent in Deum vivum ejusque « laudes suavissime personent, etc. Unum ta« men actum existentem, quantumvis a corpore « aliquatenus pendentem, nempe ipsum impe« rium (quae utpote actio sacrificativa, debet « esse Christi Domini, ut Sacerdos et homo est) « minime sacrificat, uti fit in Cruce et in altari, « in quibus ideo sacrificium non completur nisi « in sequenti instanti. Discriminis ratio de« sumitur ex eo quod ille actus in hoc sacrificio « debet positive inducere actus externos laudis, « eoque titulo persistere pro omni instanti sa« crificii » (*Vita Abscondita*, disp. 7, sect. 1, § 2, n. 9, p. 512-513). Lucem accipient ista ex recitandis infra (Elucid. XIV) ex eodem de sacrificio missae.

ne dicam subrogari, altera a Christo ipso profecta — quod absit[1] ! — Neque velim reponas : oblationem superaddi ab omnibus catholicis eucharisticam. Nam, ut suo loco constabit, nulla est oblativa actio Christi nova per nos offerentis sacrificium eucharistiae ; sed actio tantum ex parte nostra recens, dum, ut membra, participamus oblationem qua caput nostrum semel in aeternum Deo obtulit hostiam corporis et sanguinis sui. Nulla igitur paritas cum oblatione coelesti nova ex parte Christi[2].

Quare medii inter duos scopulos incedentes, nullam formalem oblationis activae continuationem aut instaurationem fingimus, virtualem autem oblationis durationem profitemur, in hoc consistentem, quod ex oblatione sua temporali una, valida in aeternum (cum ex parte donantis irrevocabiliter, tum ex parte acceptantis aeternaliter[3]), manet Christus Deo in perpetuum sacer, seu theothytus[4].

Quo posito, jam illucescit qua arte possit Christus a nobis in sacramento offerri tanquam nostra hostia. Nisi enim primo Christus active se obtulisset olim, non pos-

1. Prat (*Théologie de saint Paul*, l. 6, ch. 2, § 3, Paris, 1908, p. 536) : « ... Ou bien ils voient « dans les deux actions deux sacrifices distincts, « et, sans nier la valeur du sacrifice de la croix, « ils rêvent d'un sacrifice céleste, différant de « l'autre par le mode d'oblation, un peu comme « l'eucharistie diffère du sacrifice sanglant du « calvaire ; mais cette opinion nouvelle, sus- « pecte par sa nouveauté même, n'a pas dans « notre épître [aux Hébreux] le moindre fon- « dement. » Immo prorsus excluditur.

2. Multis quidem locis hoc capite lustratis, Patres verbotenus adscripsere Christo coelesti aliquam oblationem hostiae. Immo Gregorius M. immolationem non semel praedicavit. At immolationem sumi pro oblatione saepe, in antecessum notavimus. Oblationis autem praedicationi satisfacit oblatio illa virtualis quam retinemus. Oblationi insuper valde affinis est praesentatio, qua quid sistitur praesens Deo. Magnum tamen intercedit discrimen inter praesentationem, qua se Deo praesentem exhibet Christus, manens duntaxat apud eum qui suscepit illum ; et oblationem sacrificalem, qua quid traditur Deo suscipiendum. Porro praesentationem rei jam dudum oblatae, non rei sacrandae oblationem, Patres Christo adscripsere in coelo versanti, ut constat generaliter ex unitate quam praedicant sacrificii dominici, et specialiter ex diserta exclusione cujusvis a Christo in coelis peragendae ministrationis liturgicae. Brevi, quod se offerat Christus in coelo, idem sonat ac si dicatur esse illic hostia, seu oblatio (passiva), seu res oblata : quod verissimum est, quamvis nulla ibi exerceatur actio oblativa, sed praecesserit. Praesentationem illo sensu intellectam, ipse Vasquez, in sua *Paraphrasi* super *Hebr.*, 9^{24}, sine difficultate et admittit et praedicat, dum scribit : « Christus ingrediens in coelum non « sacrificat, neque denuo orat, sed tantum appa- « ret, et antiquam oblationem sui, factam in « hoc mundo, continuo sine novis precibus « praesentat Patri. »

Propter correspondentiam autem inter typum et antitypum, operae pretium est aliquid multum simile notare de pontifice intrante in Sancta Sanctorum *non sine sanguine quem offert* pro se et populi ignorantiis (*Hebr.* 9^{7}). Sanguis videlicet ille quanquam dicitur a Paulo offerri (προσφέρει) intra velum, tamen, ut recte notavit B. Weiss (*Der Brief an die Hebräer*[6], p. 215), non ipsa illatio sanguinis aut aspersio in propitiatorium constituebat oblationem sacrificalem, sed succedebat sacrificio jam peracto foris.

3. Quod prae ceteris distinctius, credo, enuntiavit Chrysostomus, cum, ex una parte, ostendit Christum ascendentem in coelum « cum « sacrificio quod potest placare Patrem » (cf. supra, Elucid. XII), scilicet, cum sacrificio in terris oblato ; et ex altera parte, Patrem ostendit assumentem ad se illud sacrificium cum gaudio : « Detulit ergo primitias nostrae naturae « ad Patrem ; atque ita donum admiratus est « Pater, et propter dignitatem offerentis et « propter puritatem oblati, ut propriis illud « manibus acciperet, sibique proximum admo- « veret donum, ac diceret : *Sede a dextris meis* ». (*Sermo in Ascensionem D. N. J. C.*, n. 3. P. G. 49, 446).

Qui locus allegatus est a Leone M. scribente ad Leonem imperatorem, inter alia testimonia quae congeruntur ad calcem Epistulae 165 (P.L. 54, 1183) ; et recitatur a nobis clericis in II Nocturno feriae II post Dom. infra oct. Ascens.

4. Optime ex omnibus modernis, quos norim, exposuit doctrinam sacrificii coelestis M. J. Scheeben, cum scripsit (*Handbuch der katholischen Dogmatik*, vol. 3, Frib.-i.-B., 1882, n. 1496, p. 445) : « Demgemäss schliesst DIE « HIMMLISCHE AUFOPFERUNG DES KREUZES- « OPFERS eine solsche Darstellung oder Verge- « genwärtigung desselben ein, worin es ALS « AKT ZWAR NICHT FORMELL, ABER VIRTUELL « INNERLICH UND AEUSSERLICH FORTLEBT, und « worin darum die *victima immolata* als das « WAS SIE DURCH DIE IMMOLATION GEWORDEN « IST, nähmlich FEUERUNG UND WOHLGERUCH « GOTTES, in lebendigster Weise so fortsteht, « als ob die Immolation erst jetzt vollzogen « würde, worin sie also auch beständig die- « selbe Würde und Weihe besitzt, mit welcher « sie im Augenblicke der Immolation beklei- « det worden. » Quod paullo ante (ibid., p. 444)

semus nos eum nunc offerre, cum non sit nostra potestas sacerdotalis nisi participatio quaedam sacerdotii Christi atque instrumentum. Secundo, nisi maneret Deo sacrum Christi corpus olim immolatum sanguisque olim effusus, nos non possemus in sacramento verum habere sacrificium, sed hostia vera careremus. Etenim non possumus per sacramentum conferre realiter Christo ut sit hostia, sed tantummodo symbolice[1]; quantumvis vere fiat praesens per consecrationem. Offerremus igitur tunc in veritate carnis et sanguinis similitudinem hostiae, non hostiam. Nunc autem offerimus hostiam, et ita est sacramentalis seu similitudinaria nostra sacrificatio ut sit tamen vera. Unde, quaeso, nisi quia in sacramentali immolatione offerimus sensibiliter Christum prout, ex propria sua ad passionis immolationem oblatione, relictum in perpetuas aeternitates theothytum ? Quod est, non ex Christo facere hostiam, sed ex hostia summi nostri Sacerdotis facere hostiam plebis ejus, cui contulit esse sacerdotes Deo et Patri. Non eget jam hostia fieri, qui hostia est ; sed qui est hostia sua, fit nostra : ut suo loco exponetur.

auctor scripsit : « Vielmehr ist zunächst der « am Kreuze gesetzte Opferakt selbst, d. h. « die dort geübte Hingebung und Immolation, « als ein fortdauender Akt anzusehen, « etc. » : illud necessario exigit sobriam interpretationem, qua componatur cum loco superius a nobis allato atque cum integro subsequente num. 1499.

Similem interpretationem patiuntur, ni fallor, ea quae leguntur apud L. Zill, *Der Brief an die Hebräer*, Mogunt. 1879, p. 484-486.

1. Ratio est, ut saepe diximus, quia per nostram symbolicam immolationem non offertur Christus ad immolationem realem (ut in coena a Christo factum est). Tolle igitur immolatitium statum Christi perennem : non habebis jam unde Christus, in nostra consecratione, vera hostia dicatur et sit.



Opus Magistri a Cognatione Beatae Virginis.

MISSA SANCTI GREGORII

Dum litat pontifex, apparet Christus, cruore passionis implen missae calicem.

Bruxellis, in Pinacotheca Regia.

LIBER II.

DE SACRIFICIO ECCLESIASTICO.

Elucidatio XVI.

Instituit celebrandum a nobis Christus ritum eucharisticum.

CAPUT VI.

DE INSTITUTA A CHRISTO OBLATIONE CORPORIS ET SANGUINIS SUI SACRIFICALI NOSTRA.

§ 1. De institutione ritus.

Non celebravit tantum Christus coenam, sed celebrandam etiam nobis mandavit. Quae institutio ritus adeo in Scripturis sacris et historiae ecclesiasticae factis effulget, ut vix unquam ad nostra usque tempora negata sit ab haereticis ullis nisi infimae notae[1]. Quales fuerunt imprimis, quarto certe saeculo ineunte ac decurrente, gnostici *Archontici*, quos commemorat Epiphanius (*Haer.* 40. P.G. 41, 680-684) refudisse eucharistiae originem in quemdam Sabaoth, principem seu archontem septimi orbis, Judaeorum Deum et patrem diaboli. Quos secuti sunt saeculo IV-VI Enthusiastae illi qui semitico nomine *Massaliani*, vel graeco *Euchitae*, vocati sunt, utpote nullum in re spirituali valorem nisi orationi tribuentes, quos testatur Theodoretus (*Eccl. Hist.*, l. 4, c. 10. P.G. 82, 1144) in ea sententia fuisse, ut nihil inesset eucharistiae neque nocivum neque utile. Quibus affines fuere ab saeculo inde VII usque ad IX, atque etiam ulterius, manichaei *Pauliciani*, nullam profitentes nobis esse a Christo commendatam celebrationem eucharistiae praeter prolationem verborum : *Accipite*, *comedite*, *et bibite*, absque tractatione ulla panis aut calicis, ut referunt una voce Photius (*Contra Manichaeos*, l. 1, c. 19. P.G. 102, 56), Petrus Siculus (*Historia Manichaeorum*, c. 10. P.G. 104, 1256 ; *Sermo* 3 *adv. Manichaeos*, col. 1348-1349), Euthymius Zigabenus (*Panoplia*, tit. 24. P.G. 130, 1196). Hos exceperunt saeculo XII *Bogomili*, seu graece *Theophili*, in Bulgaria reliquisque deinceps partibus imperii constantinopolitani sparsi, qui testante Euthymio Zigabeno (*Panoplia*, tit. 27. P.G. 130, 1313), negabant coenae nobis a Christo injunctae panem fuisse alium nisi orationem dominicam, qua petimus panem quotidianum ; volebantque calicem esse ipsum sermonem illum novissimum, quo post coenam habito, Dominus quasi reliquit nobis suum testamentum : *calix* siquidem erat *novum testamentum.* Eadem aetate in Gallia vigebat haeresis *Petrobrusianorum*, quos, ex manichaeis[2] potissimum ortos, constat, ex epistula adversus ipsos

1. Quare citra omnem admirationem accidit, quod vir literatissimus, Matthaeus Galenus Vestcapellius, sexto decimo saeculo haec in suo *De sacrificio missae commentario* (c. 13, p. 159) scribebat : « De institutione « autem horum mysteriorum divina neminem « hactenus, quod equidem audierim aut lege- « rim, ambigere sivit historia evangelica, a « tribus evangelistis et apostolo Paulo literis « mandata. » Quanquam plerosque ex illis veteribus negatoribus memoravit eodem ferme tempore Suarez, *De sacram.*, disp. 39, sect. 1.

2. Paullo ante, scilicet ineunte saeculo XI, coacta erat jam contra quosdam manichaeos in Gallia septentrionali locatos synodus Atrebatensis sub Gerardo I Cameracensi, qui sic describit eorum haeresim : « ...Dicebant « baptismatis mysterium et dominici cor- « poris et sanguinis sacramentum nullum esse, « et idcirco rejiciendum, nisi simulationis « causa ministraretur » (*Geraldi Epistola.* P.L. 142, 1270).

a Petro Cluniacensi scripta (P.L. 189, 787 et 808 sq.), negasse, non quidem eucharistiam a Christo celebratam, sed omnino potestatem faciendae eucharistiae aliis a Christo hominibus concessam[1].

Isti omnes praejudiciis suis, sive gnosticis, sive manichaeis abducti, quibus in odium carnis rapiebantur, cum nollent a Christo nobis corporis et sanguinis sui commercia injuncta, Scripturas in suum sensum, quo quisque poterat modo, torquebant. In quo vix ab illis dissimiles[2] inveniuntur moderni negatores institutionis a Christo profectae. Cum enim veteres praedicti conditioni nostrae humanae, quae corporea est, Christum subtraherent, in ipsa eum nostri moderni demergunt totum, sublata divinitate, adeo ut nequiverit Christus, quasi certo praescius suae mortis et resurrectionis, Ecclesiam condere, conditamve instruere ritu commemorationis sacramentali. Utrinque praejudicium ducatum habet, regitque mentem, et facta corrigit. Nec semper sunt hodiernae interpretationes a commentis illorum temporum adeo alienae. Circa quas videsis Berning, *Die Einsetzung der heiligen Eucharistie*, p. 7-17 ; Batiffol, *Etudes d'Histoire et de Théologie positive*, 2e série, 3, p. 53-77 ; Rauschen, *L'Eucharistie et la Pénitence*, trad. fr., p. 50-60 ; Lebreton, *Dictionn. Apol.*, art. *Eucharistie*, col. 1548-1554 ; Ruch, D. T. C., art. *Eucharistie d'après la sainte Ecriture*, col. 1024-1031.

Praesens quae agitatur quaestio non est, qui sit genuinus textus narrationum scripturisticarum; nam : 1° omnes admittunt genuinam esse in *Epistola ad Corinthios* mentionem praeceptae iterationis ; 2° admittunt et apud *Paulum* et apud *Marcum* atque *Matthaeum* genuinam esse copulationem corporis et panis, sanguinis et calicis ; 3° nonnulli etiam ex adversariis admittunt esse genuinam apud *Lucam* 22 incisam 19^{b}-20, de qua supra (Elucid. III) dictum est[3]. Quaestio igitur non est quid narraverint hagiographi, sed quid reapse egerit dixeritve Christus. Praecepitne, annon, ut coena sua instauraretur in Ecclesia, et perpetua per saecula decurreret usque ad adventum suum de coelis ? Quaestio non est genuinitatis, sed historicitatis.

Negatorum fere antesignanus[4], Adolf Jülicher (*Zur Geschichte der Abend-*

1. Concilium etiam Londinense, anno 1382, inter decem haereticas propositiones Wicleffi hanc confixit sextam : « Non esse fundatum in « Evangelio quod Christus missam ordinave- « rit » (Mansi, *Concil.*, 26, 696). Hic fortasse notari potest Lutherum, media quadam via inter illos superiores et catholicos incedentem, voluisse ut per verba *hoc facite...* nullum intimaret Christus praeceptum, sed facultatem concederet. « ...Non quod peccent in Christum qui « una specie utuntur, cum Christus non prae- « ceperit ulla uti, sed arbitrio cujuslibet reli- « quit, dicens : quotiescumque hoc faceritis, « in mei momoriam facietis » (*De captivitate babylonica Ecclesiae praeludium. D. Martin Luthers Werke*, kritische Gesammtausgabe, 6 Bd. Weimar 1888, p. 507, 7-10). Rursusque A. D. 1522 : « Die liebe ist eyn ding das seyn « muss und soll, des sacraments gestallt « entpfahen muss nicht seyn, ssondern man « kann sie lassen und alleyne die wort halten, « denn Christus hatts nicht gepotten, das sa- « crament tzu niessen, er hats aber frey « gesetzt zu niessen, wer do will » (*Von beider Gestalt des sakraments zu nehmen.* Ead. edit. Bd. 10, 2, p. 30, 22-25, servata ejusd. ed. orthogr.).

2. Sane si ingenium atque eruditio spectetur, nemo nisi vesanus poterit cum auctoribus stolidarum illarum haereseon haereticos theologos nostri temporis conferre, viros haud raro apprime literatos, atque in rebus mere humanis scientiae criticae vere peritos. Attamen vitium praejudicatae sententiae atque potissimum perversae philosophiae ita per invia abduxit scholam criticam, ut invita aperiret viam novissimis deliramentis scholae mythicae, vix veteribus aut gnosticis aut manichaeis sapientioris. Quanquam enim sobrii voluerunt esse critici rationalistae, sobolem longe seipsis nequiorem tulerunt, cui tamen non omnis deest ex ipsorum principiis et methodo desumpta excusatio.

3. Quidam, tenentes genuinitatem *Lucae* 19^{b}-20, negant historicitatem institutionis, ut Adolf Jülicher (infra). Alii negantes loci genuinitatem, tamen admittunt facti historicitatem, ut Erich Haupt (*Ueber die ursprüngliche Form und Bedeutung der Abendmahlsworte*, Halis, 1895, p. 27) et Franz Dibelius (*Das Abendmahl*, 1911, p. 92 et passim), praeter Anglos multos.

4. Eos qui nostra aetate ante annum 1892 negaverunt historicitatem praecepti dominici, videsis diligenter recensitos a R. A. Hoffmann, *Die Abendmahlsgedanken Jesu Christi*, 1896, p. 98 sq.

mahlsfeier der alten Kirche, in *Theologische Abhandlungen C. v. Weizsäcker gewidmet*, 1892, p. 215-250), in coena panis et calicis nil aliud a Domino vult enuntiatum esse nisi extemporaneam[1] quamdam parabolam[2], indicativam mortis sibi imminentis, discipulis profuturae[3].

Amovens a Christo propositum denuntiandae suae mortis[4] Spitta vult verba ex intima ipsius conscientia messianica de repente prorumpentia[5], hoc unum prae se tulisse, ut praedicerentur discipulis in aenigmate gaudia epularum illarum, in quibus quasi vescentur Christo quicumque bonis salutis et vitae aeternae delectabuntur[6]. Cui nuper interpretationi vix non calculum suum dedit Harnack (*Dogmengeschichte*[4], t. 1, p. 76), quanquam concludit his verbis : *Non liquet (ibid.)*[7].

Post hos J. Hoffmann (*Das Abendmahl im Urchristentum*, 1903) putavit nil aliud intentum esse a Christo in coena, nisi ut, per communicationem ejusdem calicis et panis factam omnibus discipulis, portenderetur convivalis quaedam amicorum fratrumque unitas[8]. Dum autem postea de pane Christus dicit : *Hoc est corpus meum* (nullo tamen super calicem addito verbo de sanguine[9]), significat eos omnes in unum corpus seu socialem

1. Jülicher, *op. cit.*, p. 239 : « Für mich « würde die Handlung, wenn ich sie mit Keim « für eine prämeditirte halten müsste, das « Beste verlieren. » « [Jesus] hat damit über- « haupt nichts für eine Kirche der Zukunft « thun wollen. Er hat nichts eingesetzt, nichts « gestiftet » (p. 244-245. Cf. p. 235).

2. Op. cit., p. 240. Nomen parabolae mutuatus est quidem Jülicher a Weizsäcker, qui tamen minime recensendus est inter eos qui negaverint institutionem dominicam nostrae coenae, siquidem aperte scribit : « Diese Feier « beruht auf einer Anordnung Jesus selbst... « Jede Annahme eines Aufkommens derselben « erst in der Gemeinde durch die Erinnerung « an die Tischgenossenschaft mit ihm und das « Bedürfniss der Erinnerung an seinem Tod ist « ausgeschlossen. Vielmehr muss die Feier von « Anfang an eine allgemein verbreitete gewesen « sein » (Weizsäcker, *Das Apostolische Zeitalter der christlichen Kirche*[2], 1892, p. 574). Etiam Harnack illo tempore rotunde affirmabat : « Der Herr hat ein Gedächtnissmahl « seines Todes eingesetzt » (*Dogmengeschichte*[2], p. 139, apud Jülicher, op. cit., p. 236).

3. « Für sein Gedächtniss sorgte er nicht ; « auf eine so lange Trennung hat der, der *Matt.* « 26[29] sprechen konnte, nicht gerechnet. Er hat « nur feierlich, nach seiner Gewohnheit an einen « unbedeutenden Brauch das Bedeutendste an- « knüpfend, von den seinigen Abschied genom- « men, hat ihnen klar gemacht, dass seine Hin- « richtung schon im Werke sei, und zugleich « angedeutet, dass dieser sein Tod eine Quelle « des Segens werden solle. Dadurch hat er « auch sein Herz erleichtert ; nicht nur den « Jüngern, auch sich selber hat er jene Worte « zugerufen » (op. cit., p. 245).

4. *Zur Geschichte und Literatur des Urchristentums*, Bd. I, 1893, *Die Urchristlichen Traditionen über Ursprung und Sinn des Abendmahls*, p. 284. Cf. p. 333.

5. *Op. cit.*, p. 287 : « Wie jene Worte nicht « von lange her vorbereitet gewesen, sondern « unwillkürlich aus den Tiefen seines Messias- « bewustseins hervorgebrochen sind, so haben « sie auch nicht die Absicht gehabt eine Stiftung « einzuführen, die Jesus seiner Gemeinde ver- « machen wollte .»

6. *Op. cit.*, p. 282. Cf. p. 333. « Ich vermag im « Abendmahle keine Stiftung Jesu zur Feier « des Gedächtnisses seines Todes in der Ge- « meinde zu erkennen... Statt dessen ergiebt sich « mir der ursprüngliche Sinn der Einsetzungs- « worte aus dem Anschluss der Rede Jesu an die « Vorstellungen vom messianischen Endmahle, « wo man die geistigen Gaben des Messias, ja « ihn selbst, in unbeschränkter Weise zu genies- « sen hoffte. »

7. Etiam eschatologicam interpretationem propugnavit A. Schweitzer (*Das Abendmahl im Zusammenhang mit dem Leben Jesu und der Geschichte des Urchristentums*, 1901, Heft I, p. 61) non tamen sine connexione cum praenuntiatione mortis, tanquam conditionis ad gaudia futura praeviae : «Nicht von seinem Tod, son- « dern von seinem Tod und der baldigen Wieder- « vereinigung mit ihnen beim Mahle im neuen « Reich hat Jesus zu den Seinen geredet.» Magis exclusive videtur auctor insistere eschatologiae in suis subsequentibus operibus, *Von Reimarus zu Wrede, Eine Geschichte der Leben-Jesu-Forschung*, 1906, p. 377, et *Geschichte der Leben-Jesu-Forschung*, 1913, p. 625-626. At in ipsius sententia, etiamsi forte Christus non formaliter praeceperit iterationem, tamen intendebat; immo virtualiter saltem seu implicite instituit, cum traderet suum panem et calicem per modum cujusdam sacramenti, sacramenti scilicet eschatologicorum gaudiorum (*Abendmahl*, p. 30 sq., et *Von Reimarus*, p. 377). Quare revera auctor extra numerum eorum est quibuscum rem nunc habemus.

8. P. 87.

9. P. 89-90 : « Alle Worte die zur Erklärung « gesagt sind, können nicht ursprünglich sein, « weil schon die blosse Deutung des Weines als « Blut den Gedanken des Todes anzeigt... Das « Unsprüngliche ist demnach dass der Herr « allen Jüngern das Brot mitteilt mit den Wor-

communitatem transire, in qua ipse centralem locum obtineat[1]. Sic Christus, imminente separatione[2], at fervente eo magis conscientia suae eschatologicae victoriae[3], voluit interim per istam coenam foedus quoddam amicitiae *(einen Treubund)* cum suis fidelibus discipulis pacisci[4].

Habuit igitur coena apud Jülicher vim parabolicae praenuntiationis, apud Spitta vim prophetiae eschatologicae, apud Hofmann vim symboli socialis : apud Goguel (*op. cit.*, p. 97-101) tandem et significatio mortis, et victoriae messianicae conscientia, et vinculum societatis, — passio, regnum, foedus, — in unam coeunt efformandam explicationem, secundum quam significabat Christus se, etiam damno propriae vitae, velle dare discipulis suis, id quod est sibi maxime intimum, sensus scilicet suos, suam mentem atque virtutem, ut socii secum forent et laboris et regni.

Jamvero si habuit tantummodo vim aut indicativam aut propheticam, aut paraeneticam, actio illa Christi, non erat sane cur commendaretur iteranda per modum sacramenti. At jam exsurgit quaestio cur, cum non sit praecepta iteratio, facta sit ; et facta sit quidem ut a Christo praecepta. Quam quaestionem alii aliter solvunt.

Secundum Adolf Jülicher repetitio coenae orta est ex quadam exigentia interna (einem inneren Bedürfniss, *op. cit.*, p. 245) mentium animorumque permotorum nimis facto tam grandi insignique Christi suam mortem in pane et vino praenuntiantis[5]. Dum enim discipuli omnes in eodem coenaculo congregati ejus reditum exspectant, necessario in cottidianis suis coenis sibi in memoriam revocant quicquid in illa novissima coena dominica sunt experti : quod nullo aptiore modo fieri potuit quam si idem repeterent quod a Domino gestum erat[6]. Unde ulterius factum est, ut pro mirabili activitate psychologica illius primaevae aetatis, fabulas innumeras pullulantis[7], sibi viderentur discipuli, nec possent non videri, mandatum a Christo accepisse innovandae coenae[8].

Rursus Spitta appellat ad elabora-

« ten : *Das ist mein Leib,* und dass er darauf « den Wein im Becher kreisen lässt, ohne eine « Deutung dazu zu geben. » Ante J. Hoffmann negaverat (retenta aequatione inter panem et corpus) comparationem inter vinum et sanguinem W. Brandt (*Die evangelische Geschichte und der Ursprung des Christentums,* 1893, p. 292-294) : « Jesus hat bei dem Brot sogleich « an das Ganze [i. e. Fleisch mit Blut] gedacht ; « wenn er darauf noch einen Becher darreichte, « war zu diesem nur ein Segen zu sprechen... « Der Becher des Segens beim Herrenmahl war « also ein letzter Trunk, bei dem für die genos- « sene Mahlzeit gedankt wurde » p. 294). Quamdam etiam ipse communionem socialem discipulorum vult esse a Christo per distributionem panis significatam : « Es ist kaum anders zu « verstehen, als dass er die gemeinsamen Mahl- « zeiten dadurch zum Symbol der Gemeinschaft « gemacht habe : die mit einander von einem « Brote essen, bilden zusammen eine Familie » (p. 294-295). Post J. Hoffmann, rursus Goguel (*L'eucharistie des origines à Justin martyr,* p. 86) ad solum panem restrinxerat prolationem verborum dominicorum.

1. *Op. cit.*, p. 87-89.
2. *Op. cit.*, p. 93.
3. *Op. cit.*, p. 79 et 93.
4. *Op. cit.*, p. 93.
5. « Die Feier hatte auf die theilnehmenden « Jünger sofort tiefen Eindruck gemacht... « Diese Passafeier blieb für die Jünger Jesu der « unvergesslichste Moment in dem Zusammen- « leben mit ihm ; das war der Höhepunkt ge- « wesen, grösser hatte er sich nie gezeigt als « in dieser würdigen, heilig-stillen Art wie er « seinen Tod definitiv ihnen ankündigte » (*op. cit.*, p. 245-246). Quasi non sexcenta essent a Christo acta insigniora quam praenuntiatio aliqua parabolica suae mortis !
6. « So oft es nun dazu kam, dass beim Essen « das Brot zerstückelt und herumgereicht wurde « und der Becher kreisend sich leerte, konnten « sie gar nicht anders als sich wiederholen was « er damals gesagt hatte » (op. cit., p. 246). Quasi rursus iteratio praedictionis istiusmodi parabolicae posset habere ullum sensum nisi substerneretur alia ultimae coenae significatio et vis ! Sed quaenam ? et unde accrescens ? (Vide Batiffol, *op. cit.*, p. 63.)
7. « Zu solchen Entwickelung braucht man « auch nicht viele Jahrzehnte ; in Zeiten, wo « das religiöse Leben so kräftig pulsirt wie da- « mals, ist die Productivität in Vorstellungen, « in Erfahrungen, in Legenden, eine märchen- « haft reiche und rasche » (*op. cit.*, p. 245).
8. « Das erste Abendmahl in der Passa- « nacht hatte keinen weiteren Zweck gehabt « als τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλειν ; diesen « Zweck verlor man auch später nicht aus den « Augen... Nun, gegen Jesu Willen, ohne seinen « Auftrag konnte diese tägliche Versammlung « um seinen Tod, diese sehr bald stereotype « Feier,... gewiss nicht abgehalten werden. Es

tionem quamdam coenae factam a christiana communitate[1], quae primo instar ceterorum judaicorum coetuum suas habuerit religiosas epulas : quae haberi non potuerint, quin simul recoleretur promissio Christi, fore ut inter suos versaretur invisibilis, et verba rememorarentur quae in novissima coena protulerat. Quae cum ita essent, actio gratiarum in pane et vino sponte versa est in gratiarum actionem pro spirituali cibo animae et verae vitis genimine. Inter quas preces necessario et promissio parusiae et futuri saeculi convivium ob oculos habebatur[2]. Sed non potuit ibi consistere evolutio fidei et ritus ; debuit immo vergere in recordationem mortis dominicae celebrandam[3]. Quod sic explicari potest. Assumpto scilicet quod novissima coena habita sit die 13° mensis Nisan, nec proinde fuerit paschalis, discipuli, quippe qui nullum in mense Nisan celebraverint pascha, debuerunt celebrare illud die 14° mensis sequentis, secundum *Num.*, $9^{10\text{ sq.}}$ (cf. *II Paral.*, $30^{2\text{ sq.}}$). Quo in convivio paschali non potuerunt convenientias multimodas non advertere inter agnum paschalem et Jesum in 14° Nisan cruentatum (osse nimirum nullo comminuto) suosque per suam mortem ex Aegypto servitutis in terram promissionis perducentem[4]. Quin et verisimiliter, pro visionario statu[5] in quo tunc erant apostoli, sibi visi sunt illum inter se istud Pascha comedentem conspicere[6]. Tale utique Pascha debuit iis pro nova quadam institutione exsistere[7]. Ex influxu autem paschalis analogiae semel inductae, factum est primo ut verba dominica deflecterentur in significandam mortem ; deinde, ut quemadmodum paterfamilias in Lege diceret : *Hoc est pascha quod comedimus ideo quia Deus transiit, etc.*, sic christiani sibi persuaderent esse verbum dominicum *Hoc est corpus meum* recitandum ad commemorandum sacrificium Christi in cruce caesi : interim petita ex alio fonte, atque sanguini indita, proprietate et vi testamenti[8]. Sicque perventum est et ad factum dominicae coenae paulatim deformandum atque conformandum ritui Ecclesiae evolutiori[9], et ad institutionem ritus Christo ipsi adscribendam[10].

At splendidius J. Hoffmann (p. 94-95) et deinde Goguel (p. 101-102) coenam christianorum inductam volunt sine ullo respectu ad coenam Christi, deincepsque, volventibus annis, esse unam cum altera, per progressum quemdam fidei, concretam.

Unde duae quaestiones exsurgunt (J. Hoffmann, p. 95) : cujus generis fuerit primitiva illa coena christianorum, non orta a coena Christi ; et quomodo originem illam sibi deinceps vindicaverit, quam non habuit.

Ad priorem quidem quaestionem, de primigenia coenae christianae indole, respondet Goguel (p. 131) coenam illam, fractionem scilicet panis, fuisse effectum vitae collectivae quam agebat prima communitas christianorum : communis scilicet mensae usum cottidianum. Vividius

« wäre ein Wunder, wenn nicht sehr früh das « τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν oder etwas « Aehnliches in die Erzählung vom ersten Abend- « mahl eingestellt worden wäre » (*op. cit.*, p. 247). Miraculum foret si talis narratiuncula vel ab uno homine credi posset !

1. *Op. cit.*, p. 301 : « ... Zu jener sicher schon « in frühe Zeiten zurückgehenden populären « Anschauung. »

2. *Op. cit.*, p. 289.

3. P. 290 : « Es KONNTE bei dieser reinsten « Wiederholung der ersten Abendmahlsfeier « NICHT bleiben. Es mussten NOTWENDIGER- « WEISE neue Elemente hinzutreten, jene wel- « che den Prozess einleiteten, in dem das « Abendmahl ein christliches Passamahl, eine « Verkündigung des Todes Jesu wurde. »

4. *Op. cit.*, p. 290-292.

5. *Op. cit.*, p. 292 : «Ueberall da wird man sich « leicht eine besondere Disposition zu visio- « nären Zuständen vorstellig machen können : « vor allem bei den gemeinsamen Abendver- « sammlungen. »

6. *Op. cit.*, p. 292-293.

7. *Op. cit.*, p. 292 : «Ueberhaupt aber MUSSTE « ihnen dieses Passamahl, mit neuem Gehalt « erfüllt, gleichsam wie eine neue Stiftung « erscheinen. »

8. *Op. cit.*, p. 292-294.

9. *Op. cit.*, p. 295.

10. *Op. cit.*, p. 294 : « Durch die Deutung der « Einsetzungsworte nach den Riten des Passa- « mahles ergab sich schliesslich die Auffassung « des Ganzen als einer Stiftung Christi. »

rem descripserat J. Hoffmann (p. 108) « religiosas symbolas » *(religiöse Pickniks)* oculis nostris subjiciens, habitas ad instar judaicorum conviviorum, in quibus, plerumque religioso charactere insignitis, mos erat benedici a patrefamilias panem et vinum (104-107).

Ad alteram quaestionem de concatenatione hujus coenae christianorum ad illam Christi, responsiones non desunt. Sic nimirum J. Hoffmann : In conviviis illis religiosis ardebat fides eschatologica (quae nexus erat primaevae communitatis[1], atque fideles impellebat ut secundum *Act.*, 2[46], *cum exultatione et simplicitate cordis, frangentes circa domos panem*, cibum sumerent[2]) ; fervebatque exspectatio parusiae adeo ut redivivus Dominus quasi sentiretur ab omnibus invisibiliter praesens[3]. Deinde factum est ut, tardante parusia, magis volveretur animo passio Domini et mors[4] ; quae proinde visa necessario est tanquam scopus et finis totius vitae Christi in terris[5]. Sicut Scripturae mortem Messiae nuntiaverant, sic etiam necessario DEBUIT credi Christus eam nuntiasse[6]. Inde ejus ultima coena novam significationem accepit : NECESSE ENIM FUIT ut intellegeretur tanquam convivium valedictorium *(Abschiedsmahl)* in quo et per quod praenuntiaretur mors Christi[7]. Quapropter aequiparationi inter panem et corpus verisimiliter coepta est addi in descriptionibus coenae dominicae aequiparatio inter vinum et sanguinem[8]. Discrimen autem ipsum inter talem Christi coenam et cottidianam coenam fidelium hos impulit ad conferendas ambas inter se atque exquirendam relationem inter unam et alteram[9]. Quae relatio tam obvia jam erat, ut mirum foret si non detegeretur[10]. Si enim Christus in fractione panis atque propinatione vini nuntiarat suam mortem, istam christiani debebant recogitare secum quotiescumque panem vel calicem dividebant, id est in cottidianis suis mensis[11]. Recordatio fuit quaedam « involuntaria necessitas » *(ein unwillkürliches Bedürfniss)* christianae communitatis. Unde paulatim inductus est mos narrationem coenae dominicae in communibus coenis recitandi paulo post preces quibus benedici solebat panis et vinum[12]. Postea, cum, crescente fide christologica, Christus cogitaretur pro peccatis mundi mortem obiisse, existimatus est ipse in coena piacularem suae mortis effectum enuntiasse et promisisse[13]. Cujus promissionis consolationem sibi admovebant christiani quotiescumque suis coenis coenae dominicae recordationem inserebant. Quare non quasi involuntarie jam, sed consulto commemorabant mortem Domini redemptricem in laetitia et exsultatione[14]. Deinde non solum ex industria recoluerunt mortem, sed quasi ex officio quodam gratitudinis erga Christum[15]. Quae officii conscientia peperit opinionem : Christum mandasse ut sui commemoratio fieret in coenis ad instar suae habendis[16]. Supererat tandem ut sub influxu Pauli effloreret coena in mysterium communionis cum Deo per sumptionem corporis et sanguinis Christi in remissionem peccatorum[17].

Apud Goguel non praecessit prae-

1. *Op. cit.*, p. 101.
2. *Op. cit.*, p. 107-108.
3. *Op. cit.*, p. 107-108.
4. *Op. cit.*, p. 112.
5. *Op. cit.*, p. 112-113.
6. *Op. cit.*, p. 113.
7. *Op. cit.*, p. 114-115.
8. *Op. cit.*, p. 115.
9. *Op. cit.*, p. 115-116 : « Weil sich eben zwi« schen beiden Mählern jetzt ein bedeutender « Unterschied zeigt, so kommt man dazu, auf « das Mahl Jesu zu reflectieren. Eben deshalb « vergleicht man unwillkürlich beide Mähler, « und ist unwillkürlich bestrebt eine Beziehung « zwischen ihnen herzustellen. »
10. *Op .cit.*, p. 116 : « Diese lag nun in der Tat « so nahe, dass es zu verwundern gewesen wäre, « wenn man sie nicht entdeckt hätte. »
11. *Op. cit.*, p. 116 : « Wenn Jesus mit dem « Brotbrechen und Weinausschenken seinen « Tod symbolisch angekündigt hatte, so musste « mann daran stets ganz von selbst denken, « so oft man dieselbe Handlung vollzog, d. h. « bei jedem der täglichen Mähler. »
12. *Op. cit.*, p. 117.
13. *Op. cit.*, p. 119-121.
14. *Op. cit.*, p. 121.
15. *Op. cit.*, p. 121.
16. *Op. cit.*, p. 122.
17. *Op. cit.*, p. 123-163.

sentia Christi memoriae passionis, sed haec illam induxit. Magis in dies scilicet christiani recordantes mortis Christi salutiferae atque coenae novissimae, coenam suam pro imitatione illius aut continuatione sponte habuerunt, eo vel magis quod redivivus Christus inter convivia potissimum apparuerat. Unde facile proclives fuerunt in Christum veluti inter se versantem adspiciendum (p. 131-133). Opera autem Pauli devenerunt in habendam coenam pro medio communionis cum Christo, atque ipsum panem et vinum pro corpore et sanguine Christi (187-188 et 289)[1].

Jam vidimus qui calicis cum sanguine connexionem a dominica coena removerent. Supererat ut habitudo panis ad corpus etiam e sermone Christi tolleretur. Quod praestiterunt radicaliores critici : Axel Andersen (*Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus*[2], p. 35)[2], Loisy (*Les Evangiles synoptiques*, t. 2, p. 538-540; cf. *L'initiation chrétienne*, loc. cit., p. 280) : quod tantum fere valet ac si neges omnem historicitatem coenae dominicae[3]. Illis accessit fere J. Réville (*Les origines de l'Eucharistie*, p. 145), dum omni mentione sublata sanguinis et corporis Christi, non vult panem fuisse in Christi sermone connexum nisi cum corpore morali seu confoederatione Christi et discipulorum ejus.

Attamen his etiam audaciores exstitere, qui coenam Ecclesiae vellent esse ortam ex superstitionibus paganorum, puta ex totemicis ritibus barbararum gentium stolidissimarum, ut nuper impudentissimus defendebat Salomon Reinach (*Cultes, Mythes et Religions*, t. 2, 1906, p. VI. cf. *Orpheus*[3], p. 126), nihilominus retinens et ipse aliquam coenam Christi historicam, qualem certe definivit Loisy, cui assentit in recentiore suo opere *Orpheus*[3] (1909, p. 330-331), fassus interea se nonnihil totemismi pertaesum (*Transactions of the third international congress for the history of religions*, 1908, t. 2, p. 118. Cf. Huby, *Christus*, 1912, p. 26.)[4]

Sed quid jam dicendum de illis qui,

1. Conferas genesim missae apud Loisy, *l'Evangile et l'Eglise*[2], p. 227 ; *Autour d'un petit livre*, p. 244; et nuperius atque distinctius in *Revue d'Hist. et de Litt. Relig.*, mai-juin 1914, *L'initiation chrétienne*, p. 210-213. Interim nos juvat a criticis etiam protestantibus, iisque liberalibus, agnosci tandem consonantiam perfectam inter mentem ipsam Pauli et praedicationem Ecclesiae constantem de vera praesentia Christi in sacramento, nec symbolica aut virtuali tantum, sed reali. Quocirca, praeter Hoffmann et Goguel, adeas etiam W. Bousset, in *I Cor.*, 10[16] sq., et J. Weiss, in *Marc.*, 14[22–25] (*Schriften des N. T.*[3], t. 2, p. 121-122, et t. 1, p. 203).

2. En juxta illum originalia verba Domini : λάβετε, φάγετε. ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω ἀπ' αὐτοῦ ἕως κτλ ...λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς. ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐ μὴ πίω ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως κτλ.

3. De negatoribus coenae qui per saeculum XIX his praecucurrerunt, vide R. A. Hoffmann, *Die Abendmahlsgedanken Jesu Christi*, 1896, p. 47.

4. Antea P. Gardner (*The origin of the Lord's supper*, 1893) non assertive quidem, sed quasi inquisitive subjecerat, eucharistiam potuisse oriri partim ex influxu mysteriorum Eleusiniorum, quibus Corinthi Paulus commoratus est per 18 menses proximus : ad quorum instar forsan Apostolus invexerit eucharistiae sacramentum, tanquam medium communionis cum numine et pignus resurrectionis (p. 18-19). Sed postea ipse hypothesim illam reprobavit, ut videre est ap. C. Clemen, *Religionsgeschichtliche Erklärung des N. T.*, 1909, p. 188, vel Lebreton (*op. cit.*, p. 1551). Postea memoratur ab eodem Clemen in istum sensum Butler, *The Greek mysteries and the Gospel narrative*, in *Nineteenth Century*, 1905, t. 57, p. 492 sq.

Hypothesim alicujus influxus mysteriorum orientalium in ortum eucharistiae proposuerunt A. Dietrich (*Eine Mithrasliturgie*[2], 1910, p. 106 sq.) et Reitzenstein (*Die Hellenistischen Mysterienreligionen*, 1910, p. 50-53 et 204). Confutationem videsis apud Schweitzer (*Geschichte der Paulinischen Forschung*, 1911, p. 150 sq.), qui ceterum est ipse caute legendus, et antea jam apud Clemen (*op. cit.*, p. 201-207). Revera talis hypothesis ne meretur quidem describi, ut semel accidit apud Reitzenstein (p. 51), tanquam « ein Spiel « von Möglichkeiten », sed potius et undequaque *ein Spiel von Unmöglichkeiten*.

Nuperius in *Revue d'Histoire et de Littérature Religieuse*, jan.-febr. 1913, A. Loisy coepit affinitates quasdam excolere inter *mysteria* Dionysi, Eleusinia, Attidis, Isidis, Mithriaca, et christianae mysterium fidei, eucharistiam. Sed vane. Praeter ingentia alia discrimina, hoc enim omnino semper aequiparationi cui-

praetergressi omnes socordiae limites, in vesaniae castra transierunt, infitiantes exstitisse unquam Jesum : quem volunt aut heroem quemdam eponymum fuisse magnae revolutionis illius socialis quae initium dederit Ecclesiae, et proinde eucharistiam non esse aliud quam transformationem atque adaptationem conviviorum in sacris paganorum mysteriis usitatorum : ita Kalthoff (*Das Christus-Problem, Grundlinien zu einer Sozialtheologie*[2], 1903, p. 48) ; aut somniantur esse vitam Jesu depromptam ex vetustissimis mythis, puta babylonicis, ut opinatur Jensen (*Das Gilgamesch-Epos in der Weltliteratur*, t. 1, *Die Ursprünge der alttestamentlichen Patriarchen-Propheten-und Befreier-Sage und der neutestamentlichen Jesus-Sage*, 1906, et *Hat der Jesus der Evangelien wirklich gelebt*? 1910), qui nec dubitat Paulum inter mythos collocare (*Moses, Jesus, Paulus*[2], 1909), eucharistiam autem refundit in sacrificium quod Xisuthros, post diluvium, in monte, priusquam immortalitate donaretur, diis obtulit (*Das Gilgamesch-Epos*, etc., p. 900, et *Moses, Jesus, Paulus*, p. 32, 43), atque in panes illos quos dedit Xisuthros nepoti suo Gilgamesch e somno expergiscenti (*Moses, Jesus, Paulus*, p. 46-48). Quorum scriptorum laudem alii deinceps aemulati sunt ; inter quos famosissimus Drews, non mirum si eucharistiam inter mythos relegat (*Die Christusmythe*, verb. und erweit. Ausg. 1910, p. 89-99)[1], qui cum Jesu (ibid. et *Hat Jesus gelebt* ? 1910) mythologizavit et Petrum (*Die Petruslegende, Ein Beitrag zur Mythologie des Christentums*, 1910) ! Vix igitur meliores in assignando eucharistiae ortu jam apparent nostri moderni fabularum cultores, quam erant olim gnostici aut manichaei. Nec sane sibi injuriam facit Salomon Reinach (*Mythes, Cultes et Religions*, loc. cit.), cum se in docetarum schola gnostica hyperdocetam profitetur ; aut ipsi Jensen displicere debet affinitas et aequiparatio cum babyloniorum sobole manichaea.

Scholae porro mythicae peccata contra leges criticae et logicae, quanquam graviora, non sunt tamen alterius generis ab illis in quae incidunt negatores quilibet institutae a Christo eucharistiae. Sive enim effrenatiores alii fuere, sive alii cautiores, utique methodus, utrinque in hoc communis quod praeponuntur subjectiva commenta testimoniis objectivis[2], nequivit non pullulare infinitas deliramentorum

vis obstabit, quod in *mysteriis* superstitionum ethnicarum, mythus, per ritum repraesentatus et commemoratus, nihil habet historici ; adeo ut ipse autumet Loisy : « Dans « la réalité, les rites ont précédé les mythes ; le « fait divin, fondement supposé de la foi, n'a « jamais eu lieu ; c'est la foi elle-même qui le « conjecture et le crée pour l'explication des « rites et pour se contenter elle-même » etc. (*op. cit.*, p. 14 sq.). At in mysterio fidei christianae, factum historicum mortis piacularis et resurrectionis gloriosae Christi rationat ritum, et non e converso. Rationat dico, eo modo quo causa exemplaris rationat in effectu imaginem sui. Aliunde per modum causae efficientis rationavit nostrum ritum Christi institutio. Uno verbo, commemoramus symbolice mortem et resurrectionem Christi, quia *historice* Christus mortuus est *pro multis in remissionem peccatorum*, resurrexitque in novitatem vitae coelestis, et *historice* voluit ut suae mortis et resurrectionis ageretur a nobis symbolica commemoratio. Nihil tale in mysteriis ethnicorum.

In fine vero suae disquisitionis, excluso influxu mysteriorum paganorum in ortum christianae coenae, auctor defendit influxum in coenae interpretationem (sept.-déc. 1914, p. 440). « Les premiers chrétiens n'ont pas institué la « cène pour imiter un mystère quelconque mais « ils ont bientôt et de plus en plus compris la « cène à la façon des rites de communion mys- « tique usités dans le paganisme. » Veritas est, non quod influxum *mysteriorum* sive eleusiniorum sive mithriacorum, sive aliorum quorumlibet, christiani passi sint ullum (cujus processus nullum vestigium est, multa vestigia opposita exstant), sed omnino, quod habuerunt coenam pro epulo sacrificali mortis Christi, sicut inter omnes homines, cum ethnicos, tum Judaeos, sacrificalia epula in communi ac sociali usu erant. Quare habet sensum oppositio (comparationem importans) quam instituit Paulus inter idolothyta et carnem Christi theothytam.

Nuperius scripsit de comparatione inter mysteria et eucharistiam E. Jacquier, *Mystères païens (les) et Saint Paul*, in *Dictionn. Apologét.*, t. 3, p. 1008-1010. — Quale sit mysterium eucharistia, concludemus in fine operis.

1. Cf. inter alios Arthur Böhtlingk, *Zur Aufhellung der Christusmythologie*, 1910.

2. Sub ducatu utique alicujus praeconceptae opinionis, ut puta : Christus quia non erat Deus,

varietates pro variis quibus addicuntur critici singuli studiis atque literarum disciplinis. Nec sane potest magis a mutila illa jejunaque coena, quam moderatiores inter rationalistas et protestantes liberales Christo affingunt, derivari coena christianorum eucharistica, quam potest utraque explicari per mythos.

Conatui enim istiusmodi primum obstat testimonium Pauli, in prima *Epistola ad Corinthios* referentis nos ad id quod tradiderat Corinthiis circiter quinque ante annis. Quo fit ut intra viginti annos post mortem Christi, tota fieri debuerit illa evolutio, qua coena non solum ex quadam sua primitiva nihilitate in veram aliquam tractationem corporis pro nobis caesi atque sanguinis novi testamenti transiret, sed etiam haberetur pro instituta atque celebrata, ut tali, ab ipso Christo[1]. Cui usui et fidei non solum attestatur Paulus, sed ipse tanquam acceptum a Domino[2] se perhibet dogma tradidisse. Jamvero ista transformatio aut est inventum Pauli, aut non est. Si non est inventum Pauli, est commune totius Ecclesiae primaevae commentum. Sed quid, quaeso, incredibilius quam UNIFORMIS et CONCORS illa unius seminis adeo imperfecti evolutio tanta in tot millibus credentium toto orbe dispersorum, genere, conditione, cultura adeo diversorum ! Quantum mehercle miraculum, stupendissimis unquam in Scriptura relatis miraculis longe prodigiosius ! Quod si autem doctrina illa atque transformatio est inventum Pauli, jam in alterum inconveniens incides non minus reformidandum. Etenim quomodo posset Paulus innovare in re

nequivit cogitare de Ecclesia post resurrectionem suam exstitura et de sacramentis ei commendandis ; ergo mortem suam tantummodo praesignificavit. Immo quia non poterat purus homo praevidere mortem suam, aliud quid in tractatione panis et vini ob oculos habuit, puta gaudia coeli vel concordiam fraternam. Immo, quia jam parum corporis et sanguinis in pane et vino praedicatio satisfacit, tollenda est, et corruit coena novissima. At tunc ritum nostrum eucharisticum et evangelicam dominicae coenae narrationem oportet refundere in aliquid antiquius : quod sive judaicum fuerit, sive graecum, sive barbarum, quid tandem refert ? Et sic de uno in alterum errorem fit progressus, et primo lapsui criticorum continuatur extrema mythicorum commentorum absurditas.

1. Praeter scriptores catholicos supralaudatos, etiam inter protestantes liberales R. A. Hoffmann (*Die Abendmahlsgedanken Jesu*, 1896, p. 103-115) nervose ostendit nunquam fore ut possit, secluso praecepto dominico, explicari ortus nostrae eucharistiae. Recentius etiam F. Dibelius, (*Das Abendmahl*, 1911, p. 5) postquam delineatam a W. Heitmüller (art. *Abendmahl*, in *Die Religion in Geschichte und Gegenwart*, t. 1, 1909, p. 20-52) originis atque evolutionis illius formam, superioribus parum dissimilem, oculis subjecit, statim subdit : « Man wird sofort empfinden, dass die « meisten dieser Sätze keine Erklärungen sind, « sondern andere Ausdrücke für das Rätsel. « Es sind grösstenteils die vorhin erhobenen « Fragen, aus der Frageform in die Aussa- « geform übersetzt. Damit ist aber nichts ge- « wonnen. »

2. Minime constat, hoc loco mentem Pauli fuisse ut appellaret immediatam Domini doctrinam. Nam oppositio inter mediatam et immediatam doctrinam hic vix quicquam interest. Verum videtur oppositio quaedam fieri oratoria inter Corinthiorum aestimationem mundanam et apostoli fidem divinam. Quasi diceret : Vos haec et illa agitis : rectene, ut vobis videmini (*laudo vos* ?), an male ? Immo male *(In hoc non laudo)* ; nam quicquid vobis carnem et mundum sapientibus videtur, ego a Deo qui non fallit edoctus (mediate an immediate : parvi refert), scio vos in interitum vestrum id agere : etenim profanatis corpus et sanguinem Domini, dum sine caritate fraterna ad illam coenam acceditis, in qua non aliud vobis datur, teste Domino, quam caro ipsius et sanguis, sacramentum unitatis nostrae, in corpore Christi pro nobis caesi qua profanatione vobismetipsis emeremini condemnationem vestram : cujus non desunt signa, morbi scilicet a Domino immissi. Igitur condemnetis vosmetipsos, hoc est : fatemini vos male egisse, et malefacta corrigite ; ne a Domino condemnemini, hoc est malefactorum vicem recipiatis. — Confer in eadem epistula, paullo infra (15^{3}) similem locutionem (παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις ὃ καὶ παρέλαβον, ὅτι κτλ.) usurpatam in re quae vix fuerit objectum revelationis privatae : in referendis scilicet apparitionibus quibus gavisi sunt ceteri apostoli. Ceterum etiamsi tibi videatur in capite undecimo intellegenda revelatio immediata, tamen non hoc nobis nocebit : nam primo manebit integrum argumentum a nobis in littera confectum. Secundo constat praeterea Paulum praedicationem suam (praesertim, ut videtur, quantum ad mysterium redemptionis) contulisse cum doctrina Petri, Jacobi et Joannis, cui per omnia sit inventa conformis (*Gal.*, 2^{2-9}). Haec dicta sint contra eos qui, ut Andersen et Goetz, putant se per revelationem Pauli evacuare historicitatem narrationis.

tam grandi tamque praecipue ad vitam ecclesiasticam pertinente ? Non scilicet ipse erat solus in Ecclesia apostolus aut doctor ; nec ceteris apostolis, qui coenae interfuerant, is sane qui non interfuerat, persuadere poterat, Dominum haec vel illa fecisse aut dixisse, immo praecepisse, quae neque praecepisset, neque fecisset, neque dixisset[1]. Quod si tamen illis persuaderetur, oportebat praeterea apostolos duodecim fateri se hactenus celebrasse coenam seu fractionem panis alio ritu, aliis verbis, alia tandem ratione ab ea quam jam sibi (suasu Pauli) perhiberent monstratam a Domino olim atque praeceptam. Qua admissione se stultificarent coram ecclesiis suis, omnemque testimonii sui auctoritatem subruerent[2]. Nisi forte malis Paulum et illis duodecim et ceteris christianis persuasisse coenam ab ipsis assidue esse celebratam eo modo quo non fuerat. At reclamantem audias Petrum : *Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt* (*Act.*, 2^{15}). Sin autem inventum suum Paulus apostolis minime persuaderet, quomodo non exsurgeret dissidium ingens inter ipsos et illum, inter ecclesias a Paulo fundatas et ecclesias fundatas a reliquis ; immo in iisdem ecclesiis, puta Hierosolymitana, vel Antiochena, vel Ephesina, vel Romana, inter asseclas Pauli et sectatores aut Jacobi, aut Joannis, aut Petri ? Porro neque tunc, neque postea, inter apostolos, aut intra ecclesias, dissidium ullum notatum est circa celebrandam eucharistiam, cujus ritus ubique terrarum identicus arguit summam in ipsa vulganda atque propaganda concordiam.

Testimonio insuperabili Pauli accedit testimonium non minus insuperabile *Lucae* (22^{15-20}), cujus genuinum nobis prostare textum, nec interpolatum, supra est demonstratum[3]. Jamvero narratio Lucae non simpliciter Pauli praedicationi tanquam imago resonat, sed ipse Lucas criticus est, contenditque suum scopum fuisse ut rerum gestarum ordinem describeret qualem *tradiderunt*, inquit, *nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis*, et hoc sane potissimum in rebus majoris momenti. In re igitur illa tam praecipui momenti compertum profecto Lucas habuit relationem suam congruere non solum praedicationi Pauli, sed factis ipsis coenae Christi novissimae. Tenenda igitur descriptio lucana coenae ut historica.

Eo ipso corruit objectio quam contra identitatem primitivae coenae ecclesiarum (qualis habebatur in ecclesia hierosolymitana) cum coena ecclesiastica posterioris aetatis (qualis describitur in prima ad Corinthios) videntur sibi quidam critici posse deducere ex nomine fractionis panis in *Actibus* usurpari solito (*Act.*, $2^{42 \text{ et } 46}$ et 20^{11}; cf. *Luc.*, 24^{35}), quasi inde concludi posset primitivam illam christianorum coenam aut caruisse calice (Goguel, *op. cit.*, p. 130-131) aut certe comparatione inter calicem et sanguinem (Brandt, *op. cit.*, p. 293)[4]. Nam aut locis illis significatur reapse Ecclesiae coena primitiva, aut non. Si, ut placet paucis catholicis[5] atque non paucis acatholicis, minime hic significatur coena ecclesiastica, nil inferri potest istiusmodi. Quod si autem significatur, ut placet plerisque catholicis et adversariis nostris nonnullis, jamvero, cum idem sit scriptor *Evangelii* et *Actuum*, isque in scribendo

1. Robertson et Plummer, *Commentary on the first Epistle of St. Paul to the Corinthians*, 1901, p. 245 : « The authority of St. Paul « was quite inadequate to this immense result. « Nothing less than the authority of Christ « would have sufficed to produce it. »

2. Ruch, *loc. cit.*, col. 1086-1087.

3. Elucid. III.

4. « Nach dem überlieferten Einsetzungsbe« richt ist die Darreichung des Bechers ebenso « wichtig, und die Bilderrede bei diesem sogar « zutreffender als bei dem Brot. Jesu Blut ist « geflossen, wie das Wasser oder der Wein in « dem Becher ; sein Leib ist nicht zerbrochen « wie das Brot gebrochen wurde. Woher mag « es denn kommen, dass die heilige Handlung « niemals nach dem Becher *die Darreichung des* « *Bechers*, oder *das Weingiessen* benannt wor« den ist ? Doch wohl daher, dass der Name sich « zu einer Zeit fortgesetzt hat, als das Brot« brechen noch viel mehr, nicht nur die Hälfte « des Ganzen ausmachte » (Brandt, *op. cit.*, p. 293).

5. Meo quidem judicio, in oppido Emmaus fractio panis non potuit esse sacramenti tractatio. Aliter in *Actibus*.

Evangelio compererit coenam Christi fuisse identicam coenae ecclesiasticae posterioris aetatis, immo hanc habeat pro iteratione illius a Christo injuncta, nequit sane in *Actibus* fractionem panis habere pro ecclesiastica coena, nisi fuerit illa fractio panis identica et exemplari evangelico et similitudini corinthiacae. Cur autem eam fractionem panis nominet, nec divisionem calicis, non videtur obscurum. Secundum leges scilicet sermonis vulgaris convivia potius denominantur a comestione quam a potatione. Quare ipse Paulus in capite illo undecimo *Epistolae ad Corinthios*, sermonem habens de coena (δεῖπνον) in qua admiscebantur solidis liquida (ὃς δὲ μεθύει), tamen bis, initio scilicet (11^{20}) et in fine (11^{33}), absolute loquitur de manducatione (φαγεῖν), non addita potatione ; ubi sane illud φαγεῖν, vel δεῖπνον φαγεῖν, aequivalet alteri locutioni, quam interim usurpat : ἐσθίειν καὶ πίνειν. Adeo manducatio aliquando sumitur pro comestione simul et potatione. Non igitur mirum quod fractio panis designavit coenam in qua etiam biberetur. A potiori scilicet, spectatis utique speciebus, nominabatur convivium.

Tertio, neque ab evangeliis Matthaei et Marci exsulat implicita inculcatio mandatae iterationis. Nam primo, ut pascha novum inducitur coena. Jam pascha vetus, semel in liberatione populi sub Mose peracta, deinde tanquam pars ritus legalis non destitit singulis annis celebrari et ab omnibus israelitici populi generationibus participari. A pari igitur suadebatur fore ut iteratio hujusmodi paschatis tanquam lex novi foederis in posterum vigeret (Berning, *op. cit.*, p. 140). Sed amplius, ratio cur edere et bibere eucharistiam juberentur apostoli, satis declarabatur esse[1] quia haec participatio esset corporis et sanguinis, seu, ut vidimus, hostiae ad mortem traditae. Sed si necessarium fuit apostolis hostiam nostrae redemptionis coenare, non minus erat necessarium aliis, *pro* quibus (inquit) *multis* (*Matth.*, 26^{28}, *Marc.*, 14^{24}) cruentae morti Christus dabatur. Ratio manducationis erat pro nobis ac pro ipsis eadem ; proindeque et ad nos pervenire debebat cibus ille sacrificalis, cujus igitur copia nobis iterum erat facienda.

Quarto, nec Joannis nobis deest auctoritas, quanquam insulse satis scripsit Loisy : « Il y a peut-être lieu de noter « que le quatrième évangile ne veut rien « savoir de cette institution et ne dit rien « de cette volonté » (*Les évangiles synoptiques*, 2, 541). Etenim per totum caput sextum Joannis clamat Christus nemini fore ut obtingat vita sine corporis manducatione et sanguinis potatione : ergo per omnes omnium saeculorum generationes prostare debebat ex intentione Christi eucharistia hominibus[2]. Praeterea quomodo adversaretur institutioni eucharistiae quartum evangelium, eo tempore conscriptum quo vulgatissimum constat fuisse eucharistiae usum et ritum ? (Lebreton, *op. cit.*, p. 1554).

1. Adverte speciatim illud *Matth.*, 26^{28} : τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμα κτλ.

2. Quare nunc ipse Loisy ut de Marco et Matthaeo, ita de Joanne, haec habet : « Il y a dans les Evangiles l'équivalent du précepte formel qu'on trouve dans Paul » (*L'initiation chrétienne*, loc. cit., p. 211).

Elucidatio XVII.

Cui veram indidit rationem sacrificii a nobis in terris offerendi coelestis.

§ 2. De institutione ritus ut sacrificalis.

Sectio I. — De oblatione nostra dominicae passionis.

Articulus I. — Ex verbis institutionis res declaratur.

Quem ritum in pane et vino Christus nobis celebrandum instituit, voluit esse penes nos sacrificalem quamdam oblationem corporis et sanguinis sui. Quod, praesuppositis iis quae de coena, ut a Christo celebrata, jam scripta sunt, immediate patet ex adjectis verbis : *Hoc facile* [*I Cor.*, 11[25] : *quotiescumque bibetis*] *in meam commemorationem* (*Luc.*, 22[19]. *I Cor.*, 11[24–25]). Siquidem,ut supra ostensum est, Christus obtulit corpus et sanguinem suum sacrificaliter, igitur nos, idem jussi facere quod ipse fecit, offerimus sacrificaliter corpus et sanguinem ejus. Postquam scilicet in eucharistia Christus obtulit victimam sacrificii illius quo nos redemit, jam nos offerimus in eucharistia victimam eamdem ejusdem sacrificii in passione completi.

Quod est intellegendum probe juxta differentias et temporum et offerentium. Et primo quidem, ad differentias temporum quod spectat, cum litarit Christus ante passionem, ad passionem se obtulit immolandum ; cum autem nos post passionem offeramus, victimam Deo damus jam immolatam dudum, residuamque in suo statu victimae perenni. Offerimus scilicet corpus et sanguinem Christi, non amplius ad hoc ut passionis hostia fiat, sed quatenus ex passione jam hostia facta est. Oblatio autem nostra, sicut et illa Christi, similitudinaria quadam immolatione involvitur ; sed pro differentiis temporum immolatio ista symbolica habet indolem diversam : in coena enim referebatur ad passionem ut futuram, proindeque erat tunc praenuntiativa ; in missa vero significat passionem ut anteactam, et pro tanto est nunc commemorativa : *in mei memoriam*. In hac autem, sicut et in illa, oblatio est realis et praesens (nec solum, repraesentata tanquam futura aut praeterita, ut immolatio). Non igitur immerito dicimur per celebrationem eucharisticam offerre Deo vere, in quadam incruenta effigie vel commemoratione sacramentali ipsam Christi mortem cruentam. Idem est enim offerre corpus Christi in quantum passi et mortui, ac offerre ejus mortem et passionem ; idem, offerre sanguinem prout effusum, ac offerre ejus effusionem ; idem , offerre Christum ut hostiam ex praemissa immolatione exsistentem, ac offerre ipsam immolationem.

Secundo, spectata differentia offerentium, Christus est causa principalis et universalis in litando, nos autem causae particulares atque subordinatae : siquidem ipse est unus Dei altissimi verus sacerdos, post quem nullus est surrecturus ; nec sacerdotium nobis competit nisi derivatum a suo, sicut e fonte rivulus et a sole radius. In virtute igitur sacrificationis illius unius a Christo olim peractae, nos nunc sacrificamus. Non igitur connumerantur sacrificia nostra sacrificio Christi ut in eodem genere (univoco) exsistentia, sed solum ut in eodem ordine (analogiae), cujus principium exsistit sacrificium Christi, nostra sibi subordinans. Nec proinde haec illi addunt quicquam aut augmentum praestant, sed plenitudinem ejus ita participant deficienter ut, quantumvis multiplicata, nunquam adaequent aut exhauriant. Non enim ad id quod est per se tale commensurantur ea quae sunt talia per participationem. Nec verendum proinde ne detrahant sacrificia nostra sacrificio Christi : siquidem nonnisi vim

ipsius et propitiatoriam et latreuticam nobis admovent et veluti in manibus collocant, exsecrendam a nobis pro nostro modulo, particulate atque finite, ut amplius suo loco constabit.

Quae omnia utinam intellegant protestantes et sapiant, abstineantque ab insimulanda Ecclesia catholica quasi laesae majestatis Christi pontificiae. Non enim dignitati aut sufficientiae sacrificii dominici injuria ulla irrogatur, ubi neque ulla a nobis offertur victima nisi passionis, neque valorem ullum sibi vindicat nostra sacrificatio recens nisi derivatum ab oblatione illa capitali coenae. Sed fatendum interea non satisfieri omnibus difficultatibus perfecte, nisi inter prius illud sacrificium et nostra posteriora servetur illaesa et unitas ex parte rei oblatae, et subordinatio ex parte oblationis activae. Nec unitas servatur quantum ad hostiae rationem, si verus censeatur a nobis induci in Christo status victimalis, quo ante caruerit ; nec subordinatio servatur praesentis oblationis ad dominicam illam qua redempti sumus, si putetur Christus personaliter ipse novam quamdam quibusque nostris sacrificiis sacrificationem suam intermiscere. Non enim talis praesens Christi sacrificatio accrescens veteri posset ipsa haberi ut subordinata (tanquam imparticipatae participata), cum nequeat Christus esse sibi ipsi aut caput aut minister ; sed profecto coordinaretur, commensuraretur, et augmentum praestaret. Ceterum constabit suo loco quantum careat auctoritate Patrum sanctorumve Doctorum ista opinio, quae nunc Scripturae documentis minus consona deprehenditur, dicente scilicet Christo : *Hoc facite* [vos utique, non ego] *in meam commemorationem* ; *Epistola* autem *ad Hebraeos* commonente (9^{25}, 9^{28}, 10^{14}) semel eum obtulisse, nec iterum. Eadem difficultate premuntur quicumque, ut diximus (Elucid. V et VI), duas Christo in terris affingunt sacrificationes, quarum unius valor et virtus virtuti et valori alterius necesse est ut, velint nolint, accedat, tanquam non solum commensurabilis, sed etiam aequalis, ex parte non hostiae solum, sed et activae ipsius oblationis : multiplicata proinde efficacia Christi sacrificali, contra praerogativam sacrificii redemptionis sufficientissimi. Sicut igitur Christus absolute simpliciterque unum peregit in terris sacrificium, sic dualitas inter ipsius sacrificium et nostra est tenenda ejusmodi, quae nullam inducat Christi litationem iteratam, sed immediate nostram sacrificationem subalternet ipsi Christi litationi praeteritae, quae virtute sua perseverat in aeternum. Quae omnia distinctius post recitatas Patrum et theologorum lucubrationes expolientur (Elucid. XXIII et XXIV).

Articulus II. — Idem confirmatur ex doctrina Pauli de idolothytis.

Parificat enim Paulus (*I Cor.*, 10^{16-22}) eucharistiae indolem sacrificalem cum ratione sacrificali idolothytorum atque judaicarum hostiarum. Quemadmodum scilicet manducatione legalis hostiae Judaeus particeps censebatur sacrificii altari impositi, quemadmodum rursus gentiles idolothytorum manducatione censebantur participes sacrificii daemoniis oblati, sic christiani manducatione panis et potatione calicis participes efficiuntur victimae Deo sacrae, corporis scilicet et sanguinis Christi[1]. Corpus igitur quod sub specie panis

1. Valde notandum est, quod supra est explicatum saepe, communione (corporali) ad victimam sacrificii iniri communionem (spiritualem) ad numen cui oblatum est sacrificium. Sic pagani communicantes idolothytis communicabant etiam daemoniis (« Jussus non communicare cum daemonibus, per illud [idolothytum] communicasti [daemonibus] » Chrysost., *In Tim.*, 4^5. P.G. 62, 559). Sic christiani communicantes corpori et sanguini Christi theothyti, communicant Deo, cujus ea est hostia : et pro tanto calicem Dei bibunt et mensae Dei (vers. 20-21) accumbunt christiani, potantes calicem sanguinis et manducantes corpus Christi (vers. 16), quemadmodum idolothyta manducantes pagani calicem daemoniorum bibebant et mensae daemoniorum (vers. 20-21) accumbebant. Duo sunt igitur gradus communionis nequaquam confundendi : communio cum hostia, et communio cum numine. Ratione posterioris

tractamus, sanguis qui in calice potatur, eumdem respectum habent ad Deum quem idolothyta ad daemonia. Est igitur corpus atque sanguis Christi apud nos in genere dapis sacrificalis : Christum habemus in eucharistia theothytum. Theothytum autem effecit eum sua passio[1]. Accipimus ergo in cibum hostiam passionis. Non dicit quidem Apostolus offerri a nobis illam ; sed noscimur aliunde idem obtulisse quod recipimus : obtulimus igitur passionis hostiam.

Articulus III. — Comprobatur rursus sermone Epistolae ad Hebraeos de altaris nostri participatione.

Sicut super, in Epistola ad Corinthios, prohibebat Apostolus commercia sacrificiorum ethnicorum, sic nunc prohibet observationes escarum legalium, idque iterum argumento ducto ex eucharistia.

Habemus, inquit, *altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* (*Hebr.*, 13[10]). Cujus versiculi haec est cum contexto sermone colligatio atque vis : Pro illis escis sacrificiorum legalium[2], saluti nequaquam profuturis, quibus vescuntur ii qui altari umbratico deserviunt, comedenda nobis est alia esca stabiliens cor, qua participamus de alio quodam altari : quonam ? de altari scilicet sacrificii pro peccato veri, nec figurativi, hoc est Christi, ita extra portam passi, sicut cremabantur[3] apud Judaeos extra castra corpora victimarum piacularium[4]. Quae cum ita sint, in interpretatione hujus loci, minime pugnant inter se (sicut multis recentioribus falso persuasum est) illa duo : 1° per eucharistiam edi de altari (quod plerisque catholicis[5] probatur) ; 2° altare esse ipsum Christum (quod placuit inter alios[6] sancto Thomae, in h. l.). Immo ista duo mirifice inter se conveniunt : est enim altare nostrum ipsum corpus Christi, ut supra est expositum ; edimus autem de sacrificio illius altaris per eucharistiam : affert quip-

ostendit apostolus damnosam idolothytorum manducationem : quippe quae inducat societatem spiritualem cum daemoniis, adversam societati nostrae cum Deo. Ratione autem prioris nos in praesente demonstramus indolem corporis et sanguinis Christi sacrificalem (Cf. Origen., *Contra Cels.*, l. 8, n. 24, 30, 31. P.G. 11, 1553, 1560, 1562).

1. Theothytum hic obversari Christum (primario saltem) ex passione, sicut ex immolatione hostiarum intellegebantur carnes idolothytae, quemadmodum satis obvium per se videtur, sic corroboratur ex *I Cor.*, 5[7] (ἐτύθη) et *I Cor.*, 11[26] (τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε). Quare non inepte in (edito a T. Zahn) *Kommentar zum N. T.*, tom. 7, Lipsiae, 1905, in h. l., p. 346, P. Bachmann adnotavit « dass « Leib und Blut Christi dabei von Pl als die « Organe des heilschaffenden Sterbens Christi « gemeint sind. »

2. Sic interpretandum puto illud *escis*, βρώμασιν, cum Vasquezio (*Paraphrasis* in h. l.), Cornelio a Lapide (in h. l.), contra omnes fere antiquos intellegentes ibi discretionem ciborum mundorum et immundorum : quae ideo vix satisfacit, quia : 1° si de ea sermo fieret, non escas prohibere ut inutiles Paulus deberet, sed abstinentiam ab escis ; 2° nulla jam cohaerentia sermonis attenditur cum proxime sequentibus de participatione altaris et sacrificio Christi. Favent nobis moderni, etiam acatholici permulti, ut puta B. F. Westcott, *The Epistle to the Hebrews*[5], 1906, in h. l. ; B. Weiss, in h. l., 1897, in Commentario edito a Meyer ; E. Riggenbach, in h. l., in Commentario edito a T. Zahn, 1913.

3. Passionem mortis Paulus parificat cum crematione hostiarum, non cum oblatione sacrificii, quae minime extra castra fiebat, sed praecedebat in tabernaculo. Oblationem igitur dominici sacrificii nullatenus hic describit ut in calvaria factam. Immo videtur eam praesupponere factam alibi, scilicet intra civitatem. Non igitur exhibet crucem ut altare per quod sit oblatus Christus. Quare me juvat quod scripsit, quanquam alias ob causas, Aemilius Dorsch: « Auch ist vom Kreuze « als einem Altar in der ganzen Ausführung « des Apostels, ja im ganzen Briefe nirgends « die Rede » (*Der Opfercharakter der Eucharistie*, Oenip., 1909, p. 46).

4. Ex hac paritate inter victimas pro peccato oblatas juxta *Levit.*, 16[27], et Jesum in calvaria passum, Apostolus deducit, more suo rabbinico, non licere sacerdotibus legalibus de nostro sacrificio edere : siquidem de sacrificio pro peccato nil ex Lege reservandum erat in cibum aaronici sacerdotii. Haec est vis vocis *propter quod* (διό, *Hebr.*, 13[13]), ut bene notat Vasquez, in sua *Paraphrasi* (in. h. l.). Sed ista impotentia non ad nos transit, qui ad sacerdotium aaronicum non pertinemus. Immo possumus edere.

5. Nec desunt protestantes etiam liberales, qui idem sentiant. Vide K. G. Goetz (*Die heutige Abendmahlsfrage*[2], p. 195-197) aliosque ab ipso ibidem citatos.

6. Praeter reliquorum scriptorum testimonia infra citanda, legesis commentarium Oecu-

pe, ut verbis Dionysii Bar-Salibi utar, consecratio eucharistiae cum Emmanuele sacerdote et altare et hostiam. Nec mirum proinde quod eucharisticam interpretationem comestionis *(de quo edere non habent potestatem)*, et christologicam altaris *(habemus altare)* composuerunt veteres expositores, ut inter Graecos Hesychius : « Quia autem intelligibile altare « corpus Domini et beatus Paulus intelli- « git, ipso dicente cognosce. Ait enim : « *Habemus altare de quo edere non habent* « *potestatem hi qui tabernaculo deserviunt ;* « corpus videlicet Christi dicens ; de illo « enim comedere Judaeis fas non est » (*In Levit.*, 4[7]. P.G. 93, 824). Inter Latinos autem Walafridus Strabo in *Glossa ordinaria* ad vers. 10 et 11 : « *Habemus* « *altare*, id est corpus Christi... Probat « corpus Christi non esse edendum ab his « qui tabernaculo deserviunt » (P.L. 114, 669). Item Lanfrancus in h. l. (P.L. 150, 405) : « Edendum est corpus Christi, quod « et in aliis divinarum locis scripturarum « altare vocatur. » Nec aliter S. Bruno Carthusiensis, in h. l. (P.L. 153, 564) : « *De quo altari*, id est corpore Christi, *non* « *habent potestatem edere, quicumque* », etc. Obiter, tanquam in re nota, Thomas Vercellensis (*In Cantica Canticorum*, l. 6. P.L. 206, 400) : « Dicitur et Christus « altare. Unde Apostolus : *Altare habe-* « *mus*, etc.[1] ».

Edimus igitur, juxta *Epistolam ad Hebraeos* per eucharistiam carnem ipsam et cruorem sacrificii passionis, ut aperte exponit Chrysostomus (in h. l., Hom. 33, n. 3 et 4 ; cf. n. 1. P.G. 63, 229 et 227). Unde concludetur eodem discursu qui factus est supra de idolothytis, offerri a nobis, sicut a Christo olim, in eucharistia ipsam passionis hostiam[2]. Certe catholico viro non debet esse dubium quin, quod a Deo recipimus communicantes, idem sit a nobis Deo oblatum sacrificantibus.

Sed praeterea oblatio hostiae hic disertius quam in *Epistola ad Corinthios* inculcatur. Postquam enim de participatione actum est, ad oblationem se vertit auctor, connectens cum versiculis 10-14, ut tenore sermonis, ita sententiarum sequela, versiculum 15 : *Per ipsum* ERGO *offeramus hostiam laudis* (ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως) *semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Quae est illa θυσία αἰνέσεως offerenda per Christum, et quidem idcirco offerenda quia habemus altare sacrificii veri qui Christus est? Nonne forte ea ipsa est quae hujus altaris est propria, scilicet Christus ? Quod si obtinuerit, jam habes in ipsa *Epistola ad Hebraeos* commendatam nostram oblationem eucharisticam corporis et sanguinis Christi. Objiciet fortasse quis, non posse intellegi eucharistiam in illa hostia laudis, quae dicitur *fructus labiorum confitentium* Dei *nomini*. Sed, ut prudenter animadvertere commentatores plurimi, inter quos Estius (in h. l.), videtur respexisse auctor Epistolae ad *Oseam*,

menio perperam attributum in *Epist. ad Hebr.* (in h. l. P.G, 119, 445) : « Quod si victima factus « est pro omnibus, quomodo etiam non altare « est ? » — Et re quidem vera, praeterquam quod crux illo apostolico tempore non solita est donari nomine altaris, non ipsa hic potest intellegi : agitur enim de quodam altari nobis praesente : *habemus*, inquit, altare. Porro non nobis adest aut praesto est crux. Adest vero atque habetur a nobis corpus Christi, altare vivum, cui ministrare fas est nobis.

1. Addi potest inter alios Petrus de Tarentasia (Innocentius V) in *Postilla*, quae edita est sub nomine Petri de Gorham, in h. l. : « *Habemus altare*, i. e. corpus Christi. » Cf. Petr. Lombard., in h. l. (P.L. 192, 513) etc.

2. Consonanter satis apud protestantes K. G. Goetz *(loc. cit.)* : « Wir... wissen dass im N. T. « das Abendmahl tatsächlich von ihm [Paulus] « und auch von andern Schriftstellern als Opfer « an sich aufgefasst ist, und zugleich gewisser- « massen als der geopferte Leib und das Blut « Christi, wenn auch in geistiger Form. Zumal « zu letztern Anschauungen stimmt, dass der « Verfasser des Hebräerbriefs zwar Christus « seinen Leib nur einmal geopfert haben lässt, « daneben jedoch betont, wie sein Blut zum « Himmel uns immerdar Eingang schaffe und « sein Fleisch ein lebendiger Weg sei. Desshalb kann auch er sehr wohl angenommen « haben, dass CHRISTI EINMALIGES OPFER auf « Erden VON DEN SEINIGEN IMMERFORT GEIS- « TIG IM ABENDMAHL DARGEBRACHT UND GE- « NOSSEN WERDE. »

14^3, intellectum juxta lectionem LXX interpretum : « reddemus fructum labiorum nostrorum », ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν (pro recepta lectione hebraica : *reddemus vitulos labiorum nostrorum*). Ubi sat probabilis sensus est : reddemus hostias quas vovimus, reddemus vota nostra : proindeque intelleguntur sacrificia[1] ; sicut dicitur in missa : «... qui « tibi offerunt hoc SACRIFICIUM LAUDIS, « tibique reddunt VOTA SUA. » Ceterum, ut infra (Elucid. XVIII et XXXV) abundantius ostendetur, veteres semper consideraverunt sacrificium nostrum tanquam verbis precationis et laudis confectum : nec immerito, siquidem non gladio aut igne sacrificamus, sed verbo oris. Quare interim arridet explicatio Salmeronis (in h. l.) : « Verba optime quadrant missae « sacrificio, quod nullus sacerdos sine laude « Dei et divini invocatione numinis un- « quam obtulit[2]. » Sane in hac θυσίᾳ

1. « ... Ut vituli labiorum sint promissa « sacrificia » (Benedictus Justinianus, in h. l.).

2. Antea, credo, scripserat Matthaeus Galenus in suo posthumo *Commentario in D. Pauli ad Hebraeos epistolam* (edito ab Andrea Croquetio, Lovanii 1599) : « *Per eum offeramus.* « Arbitror apostolum missam intelligere, quae « non semel in scripturis sacrificii laudis appel- « lationem sortitur... Sed quare tandem missa « laudis sacrificium nuncupatur? Quia a Christo « Domino Deo Patri primum fuit oblata in « gratiarum actionem et laudem ; nosque ut id « ageremus instituit, dicens : *Hoc facite. ... Fruc-* « *tus labiorum.* Videtur alludere ad 14 c. Oseae, « ubi preces et gratiarum actiones vituli labio- « rum vocantur ; neque ob aliud quam ut dissi- « mulet rem arcanam... Fructus autem labio- « rum dicuntur [sacra], quia pronuntiantur « labiis » (fol. 230-231). Post Salmeronem, Ludovicus Tena (in. h. l.) similiter : « Infero non « esse sermonem hic de quocumque sacrificio « laudis, sed de illo praecipue quod fit in missa.» Item Cornelius a Lapide : « Per ipsum « ergo, Christum scilicet, tanquam pontificem « et mediatorem nostrum, qui haec omnia bona « nobis conciliavit, quique vota nostra Deo « offert, offeramus hostiam laudis, id est sacri- « ficium missae, quae recte dicitur hostia « laudis, quia a Christo Domino Deo Patri pri- « mum fuit oblata in gratiarum actionem et lau- « dem, idemque Christus nobis ut imitaremur « praescripsit et instituit ; indeque dicta est « eucharistia, id est gratiarum actio. Videtur e- « nim Apostolus persistere in altari eucharistico, « quod nobis commendavit vers. 10... Hymnos, « psalmos, gratiarum actiones, labiis nostris « Deo offeramus, quibus confiteamur Dei no- « men. Hisce ergo hymnis et laudibus semper « Deum celebrare debemus, praesertim in missa, « quae ut recte advertit Galenus, proprie est « sacrificium laudis et gratiarum actionis. » Auctores pariter commentarii inserti *Cursui Scripturae Sacrae* edito a Migne (in h. l.): « Bene « etiam per hostiam laudis sanctissima eucha- « ristia potest intelligi, quae per excellentiam « est hostia laudis et gratiarum actio, estque « fructus labiorum confitentium nomini ejus, « id est, opus labiorum sacerdotalium, Dei no- « men benedicentium. Et hunc sensum vide- « tur exigere v. 10 : *Habemus altare.* » Neque apud protestantes hodiernos liberales desiderantur qui hanc genuinam agnoscant loci interpretationem. Sic K. G. Goetz post verba supralaudata mox subjungit : « Tatsächlich « spricht er freilich im Folgenden nur vom im- « merwährenden Darbringen des Lobopfers « an Gott durch Jesus, das ist der Frucht der « Lippen, die seinen Namen bekennen, und von « der Pflicht des Wohltuns und der Mitteilung « als den Gott wohlgefälligen Opfern. Allein « AUCH HIERIN KÖNNTE SEHR WOHL, WIE SPITTA « BEOBACHTET HAT, EINE ANSPIELUNG AUF DAS « ABENDMAHL ALS OPFER LIEGEN, weil der « Opfergedanke schon bald enge auch mit sol- « chen Dingen beim Abendmahl verknüpft war « wie Bekenntniss des Namens Jesu, Loben und « Danken, Wohltun und allgemeinem Mittei- « len » (*op. cit.*, p. 196-197).

Adverte etiam quomodo de sacrificio nostro eucharistico explicet Augustinus versiculos similes *Psalmi* $49^{9, 14, 25}$ in libro *De Gratia N. T.* : « Illa mutanda praenuntians quae tum « in umbra futuri offerebantur : *Non accipiam,* « inquit, *de manu tua vitulos, neque de gregibus* « *tuis hircos.* Et paulo post, UT OSTENDERET « SACRIFICIUM NOVI TESTAMENTI, quando illa « fuerant cessatura : *Immola,* inquit, *Deo sacri-* « *ficium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Et « in fine ejusdem Psalmi : *Sacrificium,* inquit, « *laudis glorificabit me* ; et *illic via est, qua os-* « *tendam illi salutare meum* » (*De Gratia N. T.*, Ep. 140, n. 46. P.L. 33, 557). Qualiter autem isto loco intellegat sacrificium Novi Testamenti, claret ex n. 48, ubi haec dicit : « Est magnum « Sacramentum in sacrificio Novi Testamenti, « quod ubi, et quando, et quomodo offeratur, « cum fueris baptizatus invenies » (col. 558).

Jamvero in explicando *Hebr.*, 13^{15}, contentus erat olim Florus Diaconus (P.L. 119, 420) remittere nos ad illa dicta Augustini de sacrificio laudis.

Nec distat Hesychius, super illud *Psalm.*, 49^{23}: *Sacrificium laudis honorificabit me* : « Quae- « nam et qualis est haec via ? Nimirum dominici « corporis et sanguinis communicatio, quam « prius ipse nobis in Sion demonstrare coepit » (*In Psalm.*, 49^{23}. P. G. 93, 1197).

Operae etiam pretium est videre quomodo explicet de sacrificio missae Verecundus, episcopus Juncensis (546-552), similem loquelam hanc Jonae prophetae : *Ego autem cum voce*

αἰνέσεως, seu sacrificio laudis, intellexerunt eucharistiam Chrysostomus (ut mihi videtur) probabiliter, et certo Damascenus (τὸ τὴν εὐχαριστίαν ἀναφέρειν λέγει in h. l. P.G. 95, 996) atque Theophylactus [1].

Quod si eucharistia in θυσίᾳ αἰνέσεως intellegatur, jam dicendus erit scriptor sacer eamdem quam nobis proposuit participandam hostiam passi Christi, hic praedicare offerendam *(offeramus)*. Sicque, ut ex *Epistola ad Corinthios*, ita ex *Epistola ad Hebraeos*, atque etiam clarius, elucet quantopere sit sacrificium nostrum cum dominico sacrificio unum : unum scilicet non solum identitate materiali corporis et sanguinis, sed unitate hostiae formalissima ; pro quanto una intercessit immolatio qua Christus in victimam transierit altaris aeterni.

Sectio II. — De nostra oblatione hostiae coelestis.

Offerimus igitur hostiam passionis, sed aeternam, sed coelestem, hostiam sacrificii unius nec unquam transituri. Etenim scribit Paulus : *Habemus altare* ; non dixit : habuimus, aut fuit nobis altare, sed : *habemus* : est ergo Christus etiam nunc NOBIS altare ; altare igitur jam non terrenum, sed coeleste : coelestis igitur sacrificii, quod ut manducamus, ita offerimus. Oblatores ergo sumus sacrificii coelestis atque aeterni.

Quam ad rem illustrandam pertinet aliqualiter apud Paulum *(I Cor.*, 11[26]*)* indicatio, verbis institutionis adjecta, rerum per eucharistiam confitendarum. Legitur enim : Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε [2] ἄχρι οὗ ἔλθῃ. Annuntiatio igitur quaedam, ritui eucharistico indita, perhibetur, annuntiatio dico Christi, non solum mortui quondam, sed etiam venturi rursus ad nos, interimque proinde viventis in coelis. Sicque resurrectio atque ascensio illius denotatur, cujus mors commemoratur. Ita scilicet Christus in eucharistia a nobis repraesentatur mortuus, ut praedicetur vivus et gloriosus [3]. Non quod offeratur a nobis, sicut mors, ita resurrectio et ascensio ejus : siquidem non se tenuit resurrectio aut ascensio ex parte donationis a Christo factae, sed ex parte acceptationis a Deo signatae ; nec nos aliud damus praeter id quod a Christo est datum : sed damus ratum atque acceptum. Habes igitur in descriptione paulina sacrificii ecclesiastici, in unum conjuncta elementa illa, quae hucusque ad sacrificium dominicum ostensa sunt, suo quodque modo, pertinere : cruentae mortis effigiem, vitae gloriosae statum : quae ambo concurrunt ad hoc

laudis et confessionis sacrificabo tibi (*Jon.*, 2[10]) : « Plura sunt sacrificia multarumque specierum « Domino deferenda. Primum, spiritale sacri- « ficium Deo confessionis et laudis est sermo... « Est et aliud interius sacrificium Deo placa- « biliter immolandum... Est tamen aliquid altius « intuendum, quia non dixerit : Ego autem in « vocem laudis et confessionis sacrificabo tibi, « sed alio quodam ordine nuper ostenso : *Ego « autem in voce laudis et confessionis sacrifi- « cabo tibi*, ut ALIUD ostenderet SACRIFICIUM, « quod, comitante VOCE LAUDIS ET CONFES- « SIONIS, deberet offerri : sine dubio sacrificium « quod nunc et CORPORE DOMINICO et SAN- « GUINE delibamus, cum hymnis et canticis « offerendum » (*Commentarius super cantica ecclesiastica*, l. 8, c. 16. *Spicilegium Solesmense*, t. 4, p. 108).

1. Theophylactus (in h. l., P.G. 125, 396) : « *Per ipsum*, seu per Pontificem secundum car- « nem, offerimus Patri hostiam laudis, hoc est « gratiarum actionem (τουτέστιν εὐχαριστίαν) « ... Αὕτη οὖν ἡ εὐχαριστία καρπός ἐστι χειλέων « ὁμολογούντων, τουτέστιν ἐξομολογουμένων τῷ ὀνό- « ματι αὐτοῦ. »

2. Parvi refert sitne verbi καταγγέλλετε modus imperativus an indicativus : quo posteriore casu (verisimiliore) tempus praesens, propter universalitatem temporum quae respiciuntur postmodum ventura (ὁσάκις γὰρ ἐάν) non perperam vertitur in Vulgata per tempus futurum : *annuntiabitis*. Quomodo etiam vertit Funk locum parallelum in *Constitutionibus Apostolorum* (8, 12, 37. F. D. 1, 509).

3. Ut verbis scholasticis utar, mors quidem in recto significatur, at in obliquo resurrectio et ascensio ; quatenus ejus mors significatur qui sit vivus in coelis, unde veniet. Consignificatur igitur suo modo resurrectio et ascensio morti. « Ergo tu audis quod quotiescumque offertur « sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, « elevatio Domini significetur » (Ps. Ambros., *De Sacramentis*, 5, 4, 25. P.L. 3, 472).

ut offeramus hostiam passionis coelestem.

Majoris etiam erunt sane pretii verba ista, si sint non Pauli, sed Christi, non expositionem apostolicam continentia, sed intimationem dominicam. Huic alteri hypothesi parum quidem favet appellatio illa *Domini*, magis resonans sermonem Pauli de Christo, quam Christi de seipso. Attamen quid impedit, quominus verterit in tertiam personam, loquens de Christo, Paulus idipsum quod Christus de seipso enuntiarit in prima persona, sive grammaticali, puta : « mortem meam annuntiabitis », sive aequivalente, puta : « mor« tem filii hominis annuntiabitis »? Quae mutatio esset solum styli directi in indirectum, qualis saepe in sermone familiari occurrit, neque est huic loco incongrua, ubi Paulus non didactice aut catechetice procedit, quasi ad commendanda memoriae facta aut dicta coenae, sed adhibet paraenetice rem in coena gestam ad introducendam conclusionem moralem suam, quam inculcat versiculis 27-29.

Quod autem non absolute repugnat fecisse Paulum, id esse factum suadet externa auctoritas liturgiarum[1] vetustissimarum plerarumque[2], ne dicam omnium : quarum in anaphoris, post prolata verba consecrationis subduntur, UT IN PERSONA CHRISTI, verba quibus admonemur, quotiescumque coenaverimus, ANNUNTIARE MORTEM EJUS, DONEC VENIAT (*Const. Apost.*, 8, 12, 37. F.D. 1, 508[3]), VEL ANNUNTIARE MORTEM ET CONFITERI RESURRECTIONEM (*Liturgia graeca Sancti Jacobi*. B. 52[4]. Cf. *Lit. Syr. S. Jac.*, B. 87 ; Anaphoram graecam ex Crum Papyris editam in D. A. C., 2, 1892 ; Liturgias copticas *Sancti Cyrilli*, *Sancti Basilii*, *Sancti Gregorii*. R. 1, 47 ; 15 ; 31 ; Missam aegyptiacam sexti saeculi editam a Baumstark primum, et deinde vulgatam a Dom F. Cabrol, D. A. C., 1, 1097 ; veterem Liturgiam byzantinam *Sancti Basilii*. B. 328) ; VEL ANNUNTIARE MORTEM, CONFITERI RESURRECTIONEM ET ASCENSIONEM (*Liturgia graeca Sancti Marci*[5]. B. 133. Cf. Liturgias graecas alexandrinas *Sancti Basilii et Sancti Gregorii*. R. 1, 68 et 104-105) ; vel simpliciter FACERE RESURRECTIONEM (*Testamentum Domini Nostri Jesu Christi*[6], ed. Rahmani, p. 43). Quibus orientalibus testibus consonant, ex occidentalibus, *Ambrosiana missa canonica* Sacramentarii abiaschani[7] (apud Lejay, D. A. C., 1, 1411), missa ambrosiana *in coena Domini*[8] (apud Muratori, *De rebus liturgicis dissertatio*, c. 10.

1. Innixus quinque documentis liturgicis A. Resch (*Agrapha*², 1906, p. 86-87) monitum illud omnino inter Domini agrapha recenset. Legesis in contrarium J. H. Ropes, D. B. Ext., art. *Agrapha*, p. 344 et 347.

2. Paucissimae excipiendae sunt, inter quas eminet *Anaphora Serapionis*, carens etiam omni anamnesi. Deest autem, non quidem anamnesis, sed dominicae illius intimationis expressioris mentio in *Contitutionibus Ecclesiae Aethiopicae* (B. 190) et in *Constitutionibus Ecclesiae Aegyptiacae* (F. D., 2, 100), in *Canonum reliquiis* (*Didascaliae apostolorum fragmenta veronensia latina*, etc., ed. Hauler, 1900, p. 107), et in *Canone Universali Aethiopum* (R. 1., 517). Quod autem a quibusdam hujusmodi liturgiis, etiam maximae auctoritatis, exsulet sive dominica intimatio mysteriorum commemorandorum, sive etiam ipsa anamnesis, nihil per hoc contrariatur dominico praecepto, si quod fuerit, commemorandae mortis, resurrectionis, ascensionis. Nam mysteriorum illorum profecto Dominus non jussit fieri commemorationem verbalem, sed realem pragmaticamve, ipsi ritui eucharistico inditam. Anamnesis autem nihil est nisi quaedam enuntiatio oralis istius activae recordationis.

3. Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ πίνητε τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν θάνατον τὸν ἐμὸν καταγγέλλετε, ἄχρις ἂν ἔλθω.

4. Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ ὁμολογεῖτε, ἄχρις οὗ ἔλθῃ.

5. Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνητε δὲ καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν καὶ ἀνάληψιν ὁμολογεῖτε ἄχρις οὗ ἐὰν ἔλθω.

6. « Quotiescumque hoc facietis, resurrec« tionem meam facietis. »

7. « Mandans quoque et dicens ad eos : Haec « quotiescumque feceritis, in meam commemo« rationem facietis ; mortem meam praedica« bitis, resurrectionem meam annuntiabitis, « adventum meum sperabitis, donec iterum « de coelis veniam ad vos. »

8. « Haec quotiescumque feceritis, mortem « meam praedicabitis, resurrectionem meam « annuntiabitis, adventum meum sperabitis, « donec iterum de coelis veniam ad vos. »

P.L. 74, 944-945. Cf. textum missae ambrosianae pamelianum, apud Probst, *op. cit.*, p. 18), et juxta rescriptionem Moelcaich, vix ut videtur saeculo nono posteriorem, hibernicum illud quod fertur *Stowe Missale*[1] (editum denuo a G. F. Warner. *The Stowe-Missal*, tom. 2, 1915, pag. 13). Quibus in documentis a Christo censemur admoneri ut praedicemus mortem vel passionem, annuntiemus resurrectionem, speremusque adventum de coelis. Nec deest cujusdam similis dominicae intimationis attestatio in liturgia illa, sane vetustissima, quam exponit tractatus, olim Ambrosio adscriptus, *De Sacramentis* (l. 4. c. 6, n. 26. P.L. 16, 445) : « Quotiescumque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, DONEC ITERUM ADVENIAM. » Nec solum istiusmodi verba apud Orientales et Occidentales in persona Christi proferuntur, sed praeterea in septimo libro *Constitutionum apostolicarum*[2] praedicatur signanter Dominus constituisse ut suae mortis ageretur commemoratio ; et in missis ambrosianis supralaudatis, inter verba consecrationis et intimationem commemorationis faciendae exstant verba emphatica : « Mandans quoque et dicens ad eos ... » Quibus attentis testimoniis tam gravibus tamque consonis, gignitur opinio : Christum in coena non solum dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem* (*I Cor.*, 11²⁴) ; vel *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem* (*I Cor.*, 11²⁵) ; sed etiam indicasse quid commemoraretur, scilicet mors ; in quale tempus, scilicet adventus sui secundi ; qualis interim exsisteret ipse et tractaretur, scilicet coelestis. Cujus monitionis unam formam contractam, stylo indirecto attemperatam, nobis exhibet *Epistola ad Corinthios* 11²⁶ ; alteram, magis explicitam, styli directi tenacem, nobis tradunt Liturgiae : inter quas originalem dominici sermonis tenorem propius, ut videtur, attingit *Liturgia graeca Sancti Jacobi* (« mortem filii hominis ») : adeo ut forte Dominus in haec vel similia verba proruperit : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, « mortem filii hominis annuntiabitis, do« nec veniat de coelis. » Quod si constare posset, lux fieret quaedam et liturgica et theologica major. Ad rem enim liturgicam quod spectat, facilius intellegeretur cur omnes fere ad unam liturgiae semper habuerint, ut supra notatum est, anamnesim trium illorum mysteriorum Christi sacerdotalium : passionis, resurrectionis et ascensionis : scilicet quia professio erat anamnesis illa obedientiae ad mandatum Christi, et responsio ad ejus intimationem, quasi diceretur : Amen, Domine, ea mente atque fide mysterium peragitur qua jussisti. Ad rem autem theologicam quod attinet, clarebit amplius, primo, quantum ex natura rei cohaereat sacrificio redemptionis resurrectio et ascensio, ut supra (Elucid. XII-XV) notatum est ; secundo, quam interna sit sacrificiis Ecclesiae consideratio et tractatio Christi, non solum mortui, sed etiam vivi ac gloriosi[3].

1. « Passionem meam praedicabitis, resurrec« tionem meam adnuntiabitis, adventum meum « sperabitis, donec iterum veniam ad vos de « coelis. »

2. Αὐτοῦ διαταξαμένου ἡμῖν καταγγέλλειν τὸν αὐτοῦ θάνατον (*Const. apost.*, 7, 25, 4. F. D. 1, 412). Postea Liturgia chaldaica haec in offertorio exhibuit, atque etiam nunc exhibet : « Oblatus est « pro salute nostra et PRAECEPIT NOBIS ut sa« crificemus in memoriam passionis, mortis, « sepulturae ac resurrectionis ejus » (Le Brun, *Explication de la messe*, vol. 3, 1778, p. 482. Cf. Max. Saxon., *Missa Chaldaica*, p. 18). In anaphora autem quae a catholicis dicitur tertia, a schismaticis autem immerito dicitur Nestorii, haec obiter notantur : « Vice hujus « [paschae legalis] introduxit suum pascha ante « mortem suam, cujus memoriam nunc facimus, « SICUT ILLE NOBIS TRADIDIT, USQUE AD AD« VENTUM EJUS DE COELO » (Max. Saxon., ibid., p. 32). Plura exempla possint addi ex aethiopicis monumentis liturgicis (Cf. A. B. Mercer, *The Ethiopic Liturgy*, Milwaukee 1915, p. 263-264) ; praesertim anaphora *S. Gregorii Armeni* : « And THOU DIDST SAY TO THEM : « As often as ye eat this bread and drink this « cup, ye do show forth my death, and believe « in my resurrection. »

3. Sicut etiam monemur in definitione quae omnium prima data est eucharistiae nostrae : « Eucharistia caro est Salvatoris nostri Jesu « Christi, quae pro peccatis nostris passa est,

EPILOGUS.

De inconcessa apostolis potestate litandi per triduum mortis dominicae.

Non videntur caruisse ratione omni probabili veteres illi theologi et canonistae, qui putabant Christum in coena apostolis non demandasse munus, aut potestatem concessisse (per viam enim mandati conferebatur potestas), consecrandi eucharistiam nisi pro tempore ad resurrectionem consequente. Quos cum tacitis nominibus tantum commemoret Gerson (*Compendium theologiae*, *De septem sacramentis*, *De Sacramento eucharistiae*, Opera, Parisiis, 1606, t. 2, col. 82), velim videas recensitos potissimum apud Lugonem (Disp. 19, sect. 6, n. 88-90) : qui ipse in illorum sententiam propendet. Quorum doctorum palmare argumentum, desumptum ex Joanne Teutonico (Glossa in caput *Timorem*, de consecratione, dist. 2, verbo *Cujus*. — *Decretum Gratiani cum Glossis Dni Johannis Teutonici*, etc. Basileae, 1512, fol. 399), hoc est : nostra eucharistia essentialiter continet, ex ipsis verbis institutionis, connotationem resurrectionis Christi ut praeteritae. « Nemo, « inquit ille Teutonicus, potuit ante re- « surrectionem conficere verum corpus « Christi, nisi Christus. SIC ERGO DATA « EST FORMA, UT POST RESURRECTIONEM « HOC FIERET, per illud : *Hoc facite in* « *meam commemorationem*. Ideo enim non « cantatur missa in illo triduo. » Nec sane aliena est illa exegesis ab ea quam dabat Cyrillus Alexandrinus (*In Joan.*, l. 12. P.G. 74, 725) : « Quod enim « communio mysticae eulogiae confessio « quaedam sit resurrectionis Christi, facile « patebit ex iis quae ipse dixit cum « mysterii typum per seipsum perageret. « Nam, cum panem fregisset, ut scriptum « est, distribuit dicens : *Hoc est corpus* « *meum, quod pro vobis datur in remis-* « *sionem peccatorum. Hoc facite in meam* « *commemorationem*. SANCTORUM itaque « MYSTERIORUM PARTICIPATIO, CONFESSIO « quaedam vera est atque COMMEMORATIO : « DOMINUM mortuum esse et REVIXISSE « propter nos et pro nobis; praeterquam « quod propter illam [eamdem mortem « et resurrectionem] divina benedictione « replemur. » Quare etiam apud Augustinum (*Contra Faustum*, 20, 21, P.L. 42, 385) sacrificium dominicae carnis et sanguinis, « quod in passione Christi per « ipsam veritatem reddebatur, POST AS- « CENSUM CHRISTI per sacramentum me- « moriae celebratur[1]. »

Scholasticis autem a Lugone allegatis juvat in primis addere Petrum Pictaviensem, qui in responsione ad quaestionem quid valeret, si in triduo mortis consecratio attentata esset, satis per verbum « dicunt » ostendit suo tempore fuisse vulgatam atque communem sententiam, quam et refert et amplectitur, validitati adversantem. Haec enim contra efficaciam formae movebatur objectio : si forma est efficax, efficere poterat consecrationem in triduo mortis ; at tunc consecraretur « cor- « pus inanimatum et si quis tunc su- « meret corpus Christi, sumeret inanima- « tum » : quod est inconveniens[2]. Solutio autem sic habet. « Ad hoc DICUNT quod

« quam pro benignitate sua Pater resuscitavit » (Ignatius, *ad Smyrn.*, 7. F. P. 1, 280). Conferas infra (Elucid. XXII) eamdem colligationem passionis et resurrectionis in eucharistia a Patribus et doctoribus demonstratam uberius. Interim vero juvat referre verba sapida cl^mi S. Johnston (*Bishop Bellord's view of sacrifice, Ecclesiastical Review*, nov. 1, 1905, vol. 33, n. 5, p. 514-515) : « We are said [commonly]... « to stand on Calvary when we come to the « Holy Sacrifice ; but we sometimes forget « that, while it must bring in the Cross and « Death of our Lord and Saviour, most beauti- « fully and wonderfully, the Mass means a « very great deal more. SELDOM, IF EVER, DO « WE SEE IT POINTED OUT in treatises or books « of devotion that the Mass is offered up in « memorial of the Resurrection and Ascension « of our Lord, as well as of His Passion, though « we know that the Church insists upon this « in the Liturgy, and in more places than one. »

1. Locum integrum videsis recitatum infra (Elucid. XIX).

2. Utique nos prorsus negamus futuram fuisse inconvenientem manducationem inanimati corporis, aut minus utilem quam mandu-

« ea die non poterat consecrari panis in « corpus, nec istud potuit fieri ab apo« stolis nisi post resurrectionem. Unde, « etiam Ecclesia instituit ea die missam « non celebrari... Inde etiam est quod « beatus Ambrosius instituit ne unquam « sexta feria missa celebraretur Medio« lani... » (*Sententiarum*, lib. 5, cap. 12. P.L. 211, 1249)[1].

Tempore fere Lugonis vir vix minoris in re eucharistica auctoritatis, Zacharias Pasqualigo († 1664) in suo « opere « praestantissimo » (Hurter, *Nomenclator*[2]) *De Sacrificio Novae Legis* (quaest. 134, n. 19. Romae 1707, tom. 1, p. 137), pariter negarat apostolos, si consecrare attentarent in triduo mortis, effecturos fuisse quicquam. « Si quis Apostolorum in « triduo mortis consecrasset, nihil effe« cisset »; atque id quidem praesertim, « quia erat extinctus principalis sacerdos, « cujus ipsi ministri erant ; unde non pote« rant nomine ipsius, et in ejus persona, « offerre sacrificium. » Ratio sane non spernenda[2].

Paulo post Lugonem vero, Paulus Maria Quarti, ignorans ceterum et Lugonem et Pasqualigum, idem cum illis defendit efficacissime (*Commentaria in Rubricas Missalis, Appendix quaestionum de Sacrificio Missae*[3], q. 1, punct. 7. Ed. Venet. 1717, p. 433).

Lugonianam postea sententiam amplexus est defendendam, poliendam communiendamque per undeviginti foliorum paginas noster cardinalis Cienfuegos, in sua *Vita abscondita* (disp. 4, sect. 4, § 1, Romae 1728). « Non diffitebor attamen, « inquit ille, sed libentissime fateor potius, « me jamdiu valde propendere in senten« tiam negantem possibilitatem in Triduo « illo jugis sacrificii,... secundum quod de « facto, in praesentique providentia, in« stitutum est... : quandoquidem opinio « haec nec destituta invenitur auctoritate « extrinseca[4], magnaque ex eo capite pro« babilitate, ut apparebit statim, nec solida « ratione » (num. 59, p. 306). Deinde (num. 79, p. 322) sic concludit : « Quae prius [sen« tentia] non sine offensionis timore pede« tentim vulgabatur trepida manu, pen« nas deinceps acquirit, volitatque plausu « communi, ut dicere possis de illa :

« Parva metu primo, mox sese attollit in [auras. »

cationem corporis vivi. At aliter videtur sensisse Petrus Pictaviensis, ductus, ni fallor, eadem opinione falsa quam postea Joannes Teutonicus *(loc. cit.)* enuntiaturus erat his verbis (quae Thomas Manrriq, sacri et apostolici palatii magister, die 22 Aug. anni 1572, jussit ex omnibus codicibus *Decretorum* expungi, donec prodiret editio annotationibus opportunis aucta, cf. *Censura in glossas et additiones juris canonici*... Romae, 1572, p. 18) : « Si transsubstantiatio tunc fieret, tunc trans« iret in corpus mortuum et inanimatum, « et sic inutiliter sumeretur. QUOMODO ENIM « VIVIFICARET VEL VITAM CONFERRET ALIQUOD « CORPUS MORTUUM ? » Relicto, ut par est, isto errore (cf. infra, Elucid. XXII), retinemus tamen testimonium quod reddit Petrus Pictaviensis sententiae coaetaneorum suorum communi circa inconcessam apostolis potestatem per triduum dominicae mortis sacrificandi. Quae sententia non ab errore illo pendet, sed proprie a verbis institutionis.

1. Nescio annon possit etiam praeter Petrum Pictaviensem addi hoc loco Ermengaudus scribens contra Waldenses : «Cum dixit *quoties« cumque feceritis, hoc facite in meam commemo« rationem*, in his verbis indicatur, quod Christus « istud tantum et tam sanctissimum sacramen« tum noluit ut ibi finem haberet, sed apostolis « suis, sicut cohaeredibus, et eorum successo« ribus hoc sacramentum POST SUAM PASSIONEM « ET RESURRECTIONEM ET ASCENSIONEM SUAM « in sempiternum facere praecepit in memoriam « suae passionis et in spe salutis aeternae » (*Opusculum contra haereticos*, c. 11. P.L. 204, 1251).

2. Quam fere eamdem enuntiarat Pallavicini centesima decima tertia inter Theses CLXXVIII, quas assumpsit defendendas in Collegio Romano, anno 1628 (quo tempore cathedram theologicam Lugo regebat) : « Probabile est « datam esse sacerdotibus potestatem conse« crandi solum quando Christus vivit ; conse« crant enim non ut successores, sed ut substi« tuti ac mandatarii, per quos et per organa vel « instrumenta propria Christus loquatur tan« quam principalis sacerdos » (*De universa theologia a marchione Sfortia Pallavicino post theologicam lauream publice asserta in Collegio Romano Societatis Iesu Libri IX ad Urbanum VIII Pont. Max.*, Romae, 1628, p. 144).

3. « Insignia opera, quaeque magni fiunt » (Hurter, *Nom.*[2]).

4. Quanquam praeter Teutonicum et Lugonem non memini citatum ab illo ullum ex superioribus.

Quod nobis constat ex institutione Christi, idem, ni fallor, efficaciter persuadetur ipso scopo dominici instituti ac fine, qui hic erat : ut offerremus sacrificium, nedum infirmum aut irritum, sed ne incertum quidem de sua acceptatione, at firmum ac securum, ratum quippe a Deo adscriptumque in supernis, veluti undequaque jam consummatum.

Quod autem praescribit Suarez (disp. 48, sect. 2, n. 12) repugnare istam positionem « communi doctrinae probatae in « concilio Tridentino, quod in hoc sacra« mento non est vivum corpus Christi ex « vi verborum sed per concomitantiam » : id minus probatur ; nam non erit exinde magis corpus Christi ex vi verborum vivum, quam est ex vi verborum unitum hypostatice Verbo, quanquam non potest, ex sua institutione, nisi Verbo unitum consecrari. Sane non est commissa potestas consecrandi apostolis nisi subordinatis summo sacerdoti Christo ; nec ex tali institutione possent jam consecrare sublato sacerdotio Christi, quod ipsum rursus deficeret deficiente unione hypostatica. Non igitur possunt consecrare nisi stante unione hypostatica, nec proinde nisi corpus hypostatice unitum Verbo. Tamen non est ex vi verborum divinitas in sacramento : quia praesentia ejus non per se respondet significationi formali verborum, sed solummodo praesentia corporis (quocirca legesis ipsum Suarezium, disp. 51, sect. 6, n. 4). Idem porro dixeris de statu vitali et glorioso corporis Christi.

Quod autem theologi communiter, ut sanctus Thomas (3. S. 76, 1, 1^{m}, et 2, c. ; 3 S. 81, 4 ; *In Joan.*, 6, lect. 6), docent sacramentum si fuisset consecratum in triduo mortis, affuturum fuisse corpus Christi sine anima, etc., id rectissime dicunt, quatenus, forma significante tantummodo corpus, corpore autem tunc exsistente sine anima, nullo titulo jam afforet anima ; sed non determinant utrum, in oeconomia a Christo instituta, potuisset verificari hypothesis necne, ut sapienter notat Lugo *(loc. cit.)*[1].

A fortiori dicenda est defuisse apostolis potestas consecrandi eucharistiam durante passione, id est inter coenam Christi et mortem ; siquidem ex institutione maxime illis incumbebat commemorare mortem Christi : quam commemorare non poterant nisi factam. Praeterea qualem tunc hostiam offerrent ? Non immolatam, siquidem nondum mortuus supponeretur Christus ; nec offerrent Christum ad immolationem : siquidem hoc ad solum Christum summum sacerdotem et redemptorem pertinebat, qui solus se obtulit immolandum.

Ex eadem institutionis lege sequitur etiam, non esse Ecclesiae sacerdotibus competituram potestatem consecrandi post judicium ultimum : siquidem non est illis demandatum munus commemorandi Christi mysteria nisi usque ad adventum ejus alterum : *donec veniat*[2].

1. Praeterea iidem doctores servare possunt suam conclusionem in alia hypothesi, quae verificari certissime poterat : nimirum si ex coena Christi superfuisset particula eucharistiae per triduum. Qua in suppositione non foret jam vivum, corpus Christi a Christo consecratum. Quod cum retineat nostra doctrina, patet ulterius, non ea importari conditionem vitalem corporis ex vi verborum.

2. Quod si post resurrectionem corporum poterit remanere character sacerdotalis, quin remaneat potestas expedita consecrandi eucharistiam, quidni potuerit in apostolis aliquanto praecedere illi expeditae potestati idem character ? De hac dilatione ad diem Pentecostes usque, ampliora infra (Elucid. XXVI) tradentur, praeter ea quae jam subindicata sunt supra in Elucidatione XII.

Elucidatio XVIII.

Minime per duo saecula Patres latuit in celebratione eucharistica corpus et sanguinem Christi Deo a nobis offerri.

CAPUT II.

DE SACRIFICIO CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI ECCLESIASTICO APUD PRIMOS PATRES.

Inesse eucharistiae rationem sacrificii, per quod corpus et sanguis Christi a nobis ritu quodam sensibili Deo offeratur, ita apud Patres, non solum posterioris tantum, sed etiam apostolicae et subapostolicae aetatis certo constat, ut vix intellegatur quomodo nuper theologo inter catholicos nutrito potuerit in mentem incidere contraria sententia : nullam ante Irenaeum notam fuisse Ecclesiae oblationem nisi precum vel orationum ipsarum, per quas panis et vinum consecraretur in corpus et sanguinem Christi, nobis fruendum, sed minime Deo offerendum (Wieland, *Mensa und Confessio*, p. 25-52)[1]. Quod si deinceps Irenaeo (Wieland, *op. cit.*, 52-55) atque etiam Origeni (Wieland, *op. cit.*, et *Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 150-151) visum sit aliquid a nobis offerri praeter eucharisticas preces, illud non fuisse nisi ipsas substantias naturales panis et vini, primitias frugum terrae, pro quibus vicissim daretur nobis a Deo corpus et sanguis Christi. Cypriani demum temporibus fuisse reservatum, ut oblatio fieri censeretur ipsius dominici corporis et sanguinis[2].

Tria capita argumentorum invocat noster neotericus.

Primo : ex Patribus Cypriano anterioribus nullus dominici corporis aut sanguinis oblationem memoravit.

Secundo : illi omnes negaverunt Deo placere aut offerendum esse sacrificium ullum praeter labiorum aut cordis.

Tertio : ex iisdem nullus, praeter Origenem, cui tamen favet implicite Irenaeus (Wieland, *Mensa und Confessio*, p. 112), agnovit ullum altare praeter Christum crucifixum. Ergo exceptis duobus illis Patribus, nemo sacrificalem ullam agnovit externi doni oblationem[3].

Tertium jam argumentum in antecessum est a nobis explosum : siquidem constat hostiam ipsam passionis esse altare proprium nostri sacrificii eucharistici : nec proinde ex defectu (si qui fuerit unquam) altaris materialis infici posse sacrificium nostrum. Nemini sane dubium est quin sacrificio necessarium sit altare ; nec inter-

1. De protestantibus qui ante Wieland idem senserunt, vide Kattenbusch, *Realencyklopädie f. p. T. u. K.*, art. *Messe*, p. 676-677. Ipsius autem Wieland libellum non parum laudat Harnack, *Dogmengeschichte*[4], 1, 233.

2. Me poenitet quod non innotuit mihi opusculum cl. Johannis Brinktrine, *Der Messopferbegriff in den ersten zwei Jahrhunderten*, Frib. 1918, priusquam haec Elucidatio jam cusa esset. Multa enim ex optimo libello juvaret excerpere. Idem censeas dictum de H. Lamiroy, *De essentia SS. Missae sacrificii*, Lovan. 1919, p. 235-315.

3. Assentit huic argumento Harnack, *op. cit.*, 1, 459 : « Aus der Untersuchung von « Wieland, *Mensa und Confessio*, 1906, geht « hervor dass es bis gegen Ende des 2 Jahr- « hunderts in der Kirche schwerlich einen « Priester gegeben hat, weil es noch keinen « Altar gab. »

ea dubitare possumus catholici, quin temporibus etiam nostris absque ulla materiali altaris ministerialis fabrica valide tamen possit celebrari sacrificium eucharisticum. Sed ne tunc quidem deest altare ; immo adest corpus Christi, altare verum[1] veri sacrificii, a sacerdote vero oblati et frequentati ab Ecclesia.

Nocet secundo argumento, quod nimis probat : quia, ut videbimus, si valeret, etiam probaret, neque Irenaeo neque Origeni, aut Patribus etiam multis posterioribus probata esse sacrificia rerum ullarum externarum ; cum tamen, fatente Wieland, aliquid externi obtulerint Irenaeus et Origenes, et ipsum corpus atque sanguinem Christi Patres plerique Cypriano posteriores.

Primum argumentum falsae innititur exegesi, quae est nunc redarguenda.

Major equidem fiet controversiae lux, si primo ostendatur vana esse assertio restringens Irenaei et Origenis oblationes ad mera elementa naturalia panis et vini, excluso Christi corpore et sanguine ; secundo, si apud ceteros Patres Cypriano anteriores ostendatur eucharistica oblatio non fuisse merarum precum, sed per preces ipsas fuisse alicujus sacrae rei, corporis scilicet et sanguinis Christi.

§ 1. De Irenaeo et Origene.

Sectio I. — De Irenaeo.

Irenaeus[2] in libro 4 *Adv. Haeres.* tribus potissimum locis loquitur de sacrificio eucharistico (17, 5 ; 18, 1 ; 18, 4).

Primo quidem (17, 5. P.G. 7, 1023) haec habet : « Suis discipulis dans consi« lium, primitias Deo offerre ex suis crea« turis, non quasi indigenti, sed ut ipsi « nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui « ex creatura panis est, accepit, et gratias « egit, dicens : Hoc est meum corpus. Et « calicem similiter, qui est ex ea creatura, « quae est secundum nos, suum sanguinem « confessus est, et novi testamenti novam « docuit oblationem ; quam Ecclesia ab « apostolis accipiens, in universo mundo « offert Deo, ei qui alimenta nobis prae« stat, primitias suorum munerum in novo « testamento. »

Secundo (18, 1. P.G. 7, 1024) : « Igitur « Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit « offerri in universo mundo, purum sacri« ficium reputatum est apud Deum, et « acceptum est ei... Offerre igitur oportet « Deo primitias ejus creaturae. »

Tertio (18, 4. P.G. 7, 1026-1027) : « Opor« tet enim nos oblationem Deo facere et « in omnibus gratos inveniri fabricatori « Deo, in sententia pura et fide sine hypo« crisi, in spe firma, in dilectione ferventi, « primitias earum, quae sunt ejus, crea« turarum offerentes. Et hanc oblationem « Ecclesia sola puram offert fabricatori, « offerens ei cum gratiarum actione ex « creatura ejus. »

Tribus illis locis docemur panem et vinum ingredi sacrificium nostrum ut primitias creationis. Sed utrum ita inducantur, ut excludatur Christi corpus aut sanguis, in cujus proprietatem dicuntur ipsa elementa panis et vini (4, 17, 5; 4, 18, 5 ; 4, 33, 2 ; 5, 2, 2-3 ; col. 1023, 1028-1029, 1073, 1125-1129) per Dei invocationem mutari, non sane exhinc constat. Ut enim superius (Elucid. IX) dictum est, pertinet ad eucharisticum sacrificium et apparens oblatio panis et vini, et realis oblatio corporis et sanguinis Christi ; aliter tamen et aliter, siquidem partes habet una signi[3], altera rei. Ad modum enim sacrificii panis

1. Scribit Wieland : « Si apud Irenaeum « Christus eucharisticus esset sacrificium, non « altari assimilandus esset, sed statim nomine « sacrificii donandus » (*Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 52). Quantum a vero aberret, abunde patet ex tam multis supracitatis (Elucid. XIII et XVII) locutionibus scriptorum ecclesiasticorum utramque in coena vel missa Christo adscribentium conditionem et altaris et victimae. Clarebit tamen amplius et postea, cum ad elucidandam missae rationem appellabitur oratio canonis : *Supplices te* (Elucid. XXI).

2. De Irenaeo vide Wieland, *Mensa und Confessio*, p. 52-53 ; *Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 145-149 et p. XXII.

3. Videri forsan potuerit contrarius J. Kramp S. J., cujus elegans libellus, *Die Opferanschauungen der römischen Messliturgie*

et vini offertur corpus et sanguis Christi ; nec sine respectu ad ipsas vini et panis substantias, Christo ratio rei a nobis oblatae competit, qui eatenus demum a nobis offertur, quatenus terminat factam a nobis transsubstantiationem. Unde fit ut sacrificium, ratione ejus quod apparet, possit dici panis et vini ; ratione autem ejus quod latet, dicendum sit corporis et sanguinis Christi. Non igitur, ut existimasse videtur Wieland, consideratio symbolica istius sacrificii statim effugat realem ipsius vim, proprietatem ac dignitatem[1].

Dupliciter vero in hac causa potest accipi panis et vinum. Primo quidem panis et vini, vel calicis aut temperamenti aut fructus vitis nomine, venire potest communis panis atque commune vinum, retinens scilicet propriae essentiae veritatem omnem. Secundo potest de pane et vino fieri sermo ratione elementi illius terreni visibilisque quod, peracta consecratione, remanet admixtum elemento coelesti atque invisibili, corpori scilicet et sanguini Christi, secundum quod ipse scribit Irenaeus : « Panis percipiens invocationem Dei jam « non communis panis est, sed eucharistia, « ex duabus rebus constans, terrena et « coelesti[2] » (*Adv. Haeres.*, 4, 18, 5. P. G. 7, 1028-1029).

Quod si secundum priorem acceptionem Irenaeus nominavit panem et calicem, dum utrumque offerri praetendit, non aliud agit quam nos agimus. Romana enim Ecclesia, in hodierna etiam sua liturgia, proposita dona populi, mutanda in corpus et sanguinem Christi, non dubitat nuncupare sacrificia (ut in Secreta dominicae septimae post Pentecosten et festi SS^{mi} Nominis Jesu,) vel hostias (ut in Secreta feriae 3^{ae} post dominicam Passionis et festi SS^{mae} Trinitatis atque Sanctorum Petri et Pauli) vel libamina (ut in festo B. M. V. de Monte Carmelo), vel munera Deo dicanda (ut in Secreta feriae 5^{ae} post dominicam Passionis) vel sacranda (ut in Secreta Vigiliae sancti Andreae). Item Ecclesiae orientales omnes in suis epiclesibus propositum ipsum panem et vinum (pro ipso tempore priore ad enuntiatam transsubstantiationem) in loco habuerunt (v. g. *Constitut. Apostol.*, 8, 12, 38-39. F. D. 1, 510 ; *Graeca liturgia S. Jacobi*, B. 53 ; *Graeca liturgia S. Marci*, B. 133) atque hodiedum habent (v. g. *Liturgia S. Chrysostomi*, B. 386 ; *Liturgia S. Basilii*, B. 405) sive sacrificii, sive hostiae Deo oblatae, aut si quid ejusmodi. Nec tamen dubitari potest quin illas liturgias frequentans Ecclesia et sciverit et sciat, quod neminem ex catholicis latet : oblationem nostram esse ipsius corporis et sanguinis Christi. Scilicet specietenus Ecclesia sacrificat in pane et vino, et novit iis quae apparent accommodare sermonem, sicut novit iis quae latent aptare fidem (cf. supra, Elucid. IX).

Sin autem secundum alteram acceptionem, quae est consequens consecrationi, Irenaeus inducit panem et vinum, vix tunc *a priori* credi potest voluisse simulacra rerum terrenarum, prae contenta veritate coelestium, Deo adscribere munera, vel praedicare profectam ab Ecclesia hostiam puram ; sed censendus est nominasse panem et calicem, sicut dicimus panem eucharisticum vel calicem benedictum.

Cui interpretationi primo quidem non obstat, immo favet, quod rem oblatam vocat « primitias creaturae » : siquidem ut ne ipsum quidem Wieland fugit (*Mensa und Confessio*, p. 52-53 ; *Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 146-147) proprie corpori et sanguini Christi competit esse primitias creaturae (cf. supra, commentarios Patrum in *Levit.*, 23^{10-14})[3].

(Ratisb. 1920), dum haec edimus, prodiit. Sed nescio annon specietenus potius quam re dissentiat.

1. *Der vorirenäische Opferbegriff.*, p. XXII et 149.

2. Vide infra.

3. Exemplum longe recentius hujus styli habes in viro sane dogmatis catholici circa oblationem corporis et sanguinis Christi minime ignaro, compilatorem dico *Commentarii* sub nomine S. Sophronii vulgati : ubi ex substantiis panis et vini nobis ostenditur Christus oriens victima piacularis « quasi primitiae et « sacrificium electum ex omnibus fructibus ». « Sicut enim, inquit, immaterialis Deus carnem « e virgine suscepit, et in una hypostasi per-

Favent *secundo* prima primi loci verba, quibus dicitur Christus eo nos docuisse ritum sacrificandi, quod panem accipiens gratias egit dicens : *Hoc est corpus meum*, et calicem similiter suum sanguinem confessus est. Consecratione igitur nos edocuit sacrificare. Si quid autem consecratione in sacrificium offertur, illud esse debet, quod invenitur, facta consecratione, Deo sacrum : sacrificare enim est *facere sacrum*. In termino autem consecrationis habetur, juxta Irenaeum, « eucharistia... quod est corpus « et sanguis Christi » (5, 2, 3. col. 1127). Ergo ipsum suum corpus et sanguinem Christus obtulit in eucharistia, et nos offerimus[1].

Favent *tertio* verba quae sequuntur tertium a nobis adductum locum : « Alterum « praeter fabricatorem dicentes Patrem, « ea quae secundum nos creata sunt, offe« rentes ei, cupidum alieni ostendunt eum « et aliena concupiscentem. Qui vero ex « defectione et ignorantia et passione di« cunt facta ea qua sunt secundum nos, « ignorantiae, passionis, et defectionis fruc« tus offerentes peccant in Patrem suum, « contumeliam facientes magis ei quam « gratias agentes. Quomodo autem consta« bit eis eum panem in quo gratiae actae « sunt, corpus esse Domini sui et calicem « sanguinis ejus, si non ipsum Fabricatoris « mundi Filium dicunt, id est Verbum ejus, « per quod LIGNUM FRUCTIFICAT, ET DE« FLUUNT FONTES, et terra dat primum qui« dem fenum, post deinde spicam, deinde « plenum TRITICUM in spica ? Quomodo « autem rursus dicunt carnem in corruptio« nem devenire, et non percipere vitam, « quae corpore Domini et sanguine alitur ? « Ergo aut sententiam mutent, aut absti« neant offerendo quae praedicta sunt. « Nostra autem consonans est sententia « eucharistiae [nostrae,] et [nostra] eucha« ristia rursus confirmat sententiam nos« tram. OFFERIMUS ENIM EI QUAE SUNT « EJUS, CONGRUENTER communicationem « et unitatem praedicantes [confitentesque « resurrectionem] carnis et spiritus. Quem« admodum enim qui est a terra panis, « percipiens invocationem Dei, jam non « communis panis est, sed eucharistia, ex « duabus rebus constans, terrena et coe« lesti : sic et corpora nostra percipientia « eucharistiam jam non sunt corruptibilia, « spem resurrectionis habentia » (4, 18, 4-5, col. 1027-1029).

Quo loco incohaerentiam haereticorum exagitat Irenaeus ; qui cum negent esse creatum a Patre Domini Jesu Christi panem aut vinum aut aquam, statuant autem istiusmodi substantias esse aut alienas prorsus a Dei creatione aut certe in Dei creatione deturpatas, nihilominus interea confitentur offerri Deo corpus et sanguinem dominicum in ratione panis et calicis consecrati : quo in calice vel pane eucharistico attenditur complexus binarum rerum, quarum una est terrena, sensibilis, conditionibus materiae subjecta (scilicet elementum illud quod sibi vindicat proprietates panis et vini), et altera est invisibilis, coelestis, spirituali conditione donata (scilicet corpus ac sanguis Christi)[2]. Unde fit ut ratione

« fectus Deus erat et perfectus homo, nobis in « omnibus similis absque peccato, ita et novum « corpus ex cujusdam utero et sanguine et carne « virginei corporis, id est ex integro pane, dia« conus et sacerdos dissecant quodam ferro « quam lanceam vocant, ut superius est dictum. « Et sic modo peculiariter hypostatico ex medio « illius [uteri] consecrant. Igitur [primo appa« ret] panis protheseos, deinde apparet expiator « suscepisse massam totius humanae naturae « et delatus esse Deo et Patri quasi primitiae « et sacrificium electum ex omnibus fructibus » (*Commentarius liturgicus,* n. 10. P.G. 87[ter], 3989).

1. Mirum quomodo probare satagat Wieland apud Irenaeum non vere offerri corpus Christi, sed solum constitui praesens : ex hoc scilicet capite, quod : ita offerri dicitur ab Irenaeo ut intellegatur offerri per consecrationem : porro in consecratione ne uno verbo quidem enuntiatur fieri donatio ! (*Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 148-149). Verba sunt viri parum intellegentis oblationem sacrificalem non fieri per sui enuntiationem formalem, sed per aliquam actionem. Christus porro per verba consecrationis se obtulit Deo immolandum, dum se sub speciebus panis et vini sacramentaliter cruentans, constituit ac exhibuit cruentandum realiter Dei placandi gratia. Haec erat ipsius actio sacrifica, effecta per sermonem, corporis ac sanguinis immolatitii demonstrativum.

2. Parum nobis probatur interpretatio illa

prioris elementi offerant eucharistiam aut a Deo alienam, aut certe Deo indignam. Cui incohaerentiae opponit Irenaeus harmoniam (ἐμμελῶς) et consonantiam (σύμφωνος) inter id quod offerimus et doctrinam quam catholici profitemur sive circa unitatem compositi humani ex re spirituali et re materiali, sive circa superventuram corruptibilitati nostrae incorruptibilitatem, sive potissimum circa originem totius creationis et spiritualis et materialis ex uno eodemque Deo. Congruentiam autem os-

verborum Irenaei quae, post D. Massuet satagentem calvinianorum dogma de praesentia mere virtuali evertere (*In Irenaei libros dissertatio*[3], n. 84. P. G. 7, 334), nuper aliis arrisit catholicis (P. Batiffol, *Ét. d'Hist. et de Théol. Posit.*, 2[e] série[3], 153-154 ; Jansen, art. *Eucharistiques* [*Accidents*] in D. T. C., col. 1371 ; deindeque rursus P. Batiffol, *Eucharistie*[5], 177-178) : per rem terrenam intellegendum esse corpus ipsum et sanguinem Christi, divinitatem autem per rem coelestem. Etenim :

1° Tam coeleste est Irenaeo corpus Christi quam altare in quod per consecrationem defertur nostra oblatio.

2° Omnino exigit controversia cum gnosticis ut pro re terrena stet aliquid panei et vinei. Nam nihil terreni isti agnoscebant in corpore quod Christus assumpsit, sed naturam omnis materialitatis expertem (cf. *Adv. Haer.*, I, 5, 5, et I, 7, 2). Volens igitur illorum incohaerentiam arguere Irenaeus (id est, argumentari ad hominem), non debebat sub nomine rei terrenae intellegere corpus Christi ; etenim obvia foret responsio haereticorum : se in nullum incohaerentiae vitium incidere, cum offerentes corpus Christi, nequaquam offerrent Patri coelesti aliquid ab ejus creatione alienum, vel in ejus creatione deturpatum, sed rem prorsus materiae expertem. Praecludebatur autem omne istiusmodi effugium quantum ad elementum paneum et vineum, id est sensibile, annexum in eucharistia ipsi rei coelesti, scilicet corpori et sanguini Christi. Nec merito adversarii nostri advocant alium locum Irenaei : « Quid est ergo terrenum ? Plasma. Quid autem coeleste ? Spiritus » (*Adv. Haer.*, 5, 9, 3, col. 1145). Nam isto loco, *primo* non agitur de Christo, sed de reliquis hominibus ex conversatione terrena, quae est secundum plasma carnis, perductis in conversationem coelestem, quae est secundum Spiritum Dei ; *secundo*, de iisdem interea ut viatoribus, necdum comprehensoribus. Libere igitur potest illo loco per *terrenum* intellegere corpus Irenaeus : quod omnino facere non posset, si contra gnosticos argumentum desumeret ex corpore Christi ; nec secundum consuetudinem illius temporis ullatenus, si ageret de corpore clarificato (vel eucharistico), ut statim constabit.

3° Nulli veterum Patrum unquam in mentem occurrit *terrenum* nuncupare corpus Christi eucharisticum aut clarificatum, sed semper spirituale, intellegibile, coeleste, ad mentem Pauli (*I Cor.*, 15[44]), ut ex sexcentis locis Clementis, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, etc., etc., infra citandis abunde clarebit, praeter infinitos locos ubi a Graecis potissimum hostia nostri sacrificii dicitur intellegibilis etc. Sit in praesente unum styli illius exemplum ex Didymo (?) *In Act.* 2[25]. P. G. 39, 1660 : « Caro resuscitata post resurrectionem spirituale est et incorruptibile corpus. »

Primus, et quidem inter Graecos solus, quem norim, corpus Christi in eucharistia aliqualiter vocavit terrenum Macarius Magnes (IV s.) (*Macarii Magnetis quae supersunt ex inedito codice edidit C. Blondel.* Paris, 1876, c. 23, p. 106). Qui notat *primo* : utrumque et corpus humanum et panem vel vinum esse ex terra ; ita ut hac de causa, et humanum corpus possit dici terra, et panis atque vinum possit dici caro et sanguis terrae : sicque fieri, ut panis et vinum non incongrue nuncupetur caro et sanguis corporis humani (siquidem idem est terra et corpus humanum) ; *secundo* terram, utpote Christi creaturam, esse Christi propriam ; ideoque potuisse Christum dicere, non solum *hoc est corpus* humanum et *hic est sanguis* humanus, sed haec est caro *mea*, et hic est *sanguis meus* ; siquidem est caro et sanguis ejusmodi corporis quod sit Christi proprium, scilicet terrae. Quali sermone nullum alium potuisse uti vere aut apte, cujus non foret terra propria. Quibus duobus principiis statutis, sic inducit Christum nos alloquentem. « Terra est mea creatura ; ex terra exsis-« tunt pariter et corpus et haec mea massa « [panis]. Panem igitur et calicem [cruce] sig-« nans do ex consertione [συμπλοκῆς = A] qua « consertus sum [συνεπλάκην] Sanctus [ὁ Ἅγιος, « i. e. Deus] cum terreno [γηίνῳ], decernens ea « esse corpus meum et sanguinem. » Deinde vero notat, si ab altero quopiam praeter Creatorem prolata essent verba coenae, fore ea reprehendenda duplici ex capite : primo, ut mendosa ac ambitiosa ; quippe quia solius est Creatoris panem, propter terrae dominium, vocare corpus *suum* ; secundo, quia cibus ac potus tunc non foret vivificus, « siquidem non haberet in conser-« tione [συμπλοκῇ = B] vivens Verbum, ac pro-« inde, cum non esset renuntiata [χρηματίσαν] « corpus Dei res terrena [γήινον], non in vitam « aeternam duceret edentes. »

Bis igitur memoratur συμπλοκή. In primo casu (=A), propter illa quae praecesserunt de corpore Christi ex terra tracto, probabilior videtur interpretatio qua συμπλοκή referatur ad incarnationem, intellegaturque consertio hypostatica Verbi cum corpore cui se tunc conseruit (συνεπλάκη) terreno, id est ex terra orto. Minus vero probabiliter (quanquam nec irrationabiliter) intellegi poterit vox de consertione eucharistica inter *Sanctum* (id est Verbum) et *rem terrenam*, quae qualiter jam sit accipienda, ex altero simul loco clarebit. Altero scilicet loco (=B)

tendit ex eo quod eucharistia importat duo elementa, unum terrenum, alterum coeleste. Qua ex argumentatione Irenaei velim concludas : « id quod OFFERIMUS » esse ipsam eucharistiam, « quod est corpus et sanguis Christi ».

Favet *quarto*, quod offerri vult Irenaeus ad altare coeleste : « illuc enim, inquit, « preces nostrae et oblationes diriguntur » (4, 18, 6, col. 1029). Porro ut superius est praemissum, in coelesti illo altari, quod est corpus Christi, non potest offerri nisi ipsum corpus Christi[1].

Nec mirum quod, quamvis norit Irenaeus primas in nostro sacrificio competere corpori et sanguini Christi partes, tamen potius in medium adducat sensibile elementum : quippe ex cujus proprietate necesse esset ducere argumentum contra gnosticos negantes a Patre coelesti factum mundum corporeum, quem volebant ortum sive ex altero demiurgo sive ex aliqua certe corruptione operum Dei.

Juvat interim apud Irenaeum juxtaposita invenire asserta haec duo : primum, exosa esse Deo sacrificia, cui nil placet nisi fides, obedientia, justitia ; alterum : Ecclesiae tamen oblationem esse acceptam, ut a puris profectam, nec oblatam Deo ut indigenti nostris bonis, sed utique ab indigentibus laude Dei (*Adv. Haer.*, 4, 17 et 18).

Sectio II. — De Origene.

Putanti Celso deberi daemonibus gratiarum actiones oblationemque primitiarum atque precum, propterea quod terre-

certe agitur de consertione eucharistica Verbi cum re illa terrena (id est panea et vinea), quae, propter rationem praemissam, audit (seu renuntiata est) corpus Dei. Adeo ut neutro loco (neque A neque B) ipsum verum corpus Christi, quale a nobis creditur in eucharistia praesens, vocetur terrenum ; sed, priore loco, corpus forte Christi, sed pro quanto assumptum olim in incarnatione ; et altero loco, panis aut vinum, expers mutationis, nec nisi per sermonis figuram habens nomen corporis et sanguinis : cujus et personam, ut ita dicam, gerit, et virtutem exserit (non tamen sine quodam illapsu Verbi). Quae doctrina quantum a dogmate catholico aberret, nemo non videt : cum 1° ab eucharistia arceat omne proprium ac verum corpus Domini, natum de Maria Virgine, nec retineat nisi corpus per denominationem quamdam extrinsecam (eamque frivolam) verum ; 2° non adstruat nisi quamdam Verbi unionem cum pane et vino ; a quorum utroque jam tanto liberius ac facilius Magnes removet omnem rationem typi (οὐ γὰρ τύπος σώματος οὐδὲ τύπος αἵματος, ὥς τινες ἐρραψῴδησαν, πεπωρωμένοι τὸν νοῦν, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειαν σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἐπειδὴ τὸ σῶμα ἀπὸ γῆς, ἀπὸ γῆς δ'ὁ ἄρτος ὁμοίως καὶ ὁ οἶνος) quanto insulsius affixit quamdam (ut ipse putat) rationem veri corporis et sanguinis : quasi ipse panis (etiam illapso Verbo) posset vocari proprie et vere corpus humanum propter communitatem originis ex terra ; ac rursus corpus Christi, propter Christi dominium in terram ! Porro nihil aliud adserit ille, et sic depellit a manducatione corporis Christi speciem capharnaiticam. Cujus igitur viri, utique antiqui (perhibet enim se scribere tribus saeculis post tempora Christi et Pauli), sed aliunde nobis ignoti, sicut sermo non pertinet ad quaestionem praesentem, sic, etiamsi pertineret, merito negligi posset. Ῥαψῳδεῖ γάρ. Quanquam benignius, fateor, judicium tulit Rev^mus L. Duchesne (*De Macario Magnete*, Lutetiae Paris. 1876, p. 31 sq.), sed deceptus (vereor) locutione de immortalitatis alimonia, alteraque inferius (Elucid. XXXVIII) expendenda, nec interim suae interpretationis probationem subministrans.

In Occidente vero nunquam memini me audisse terrenam aut materialem Christi carnem nisi primum apud Gulielmum a Sancto Theodorico (*De Sacram. altar.*, c. 9. P.L. 180, 356).

Quae omnia dicta sint ad abundantiam. Nam, quod attinet ad praesentem nostram contra Wieland disputationem, parvi refert utro modo interpreteris Irenaeum. Sed aliter res habebit, cum ventum erit ad elucidandam efficaciam sacramentalem corporis ac sanguinis dominici (cf. infra, Elucid. XXII et XXXVIII).

1. Revera adeo constat doceri ab Irenaeo oblationem corporis et sanguinis Christi, ut qui scripserit in primo suo opere Wieland : « Isti pure spi« rituali doctrinae [praecedentium Patrum] de « sacrificiis christianis, ampliationem aliquam « addit Irenaeus, dum tanquam illius expressio« nem concretam facit offerri Creatori ELEMENTA « PANIS ET VINI EUCHARISTIAE DESTINATA, quasi « primitias universae creaturae redemptae » (*Mensa und Confessio*, p. 52), idem postea in tertio suo opere cogatur fateri : « Corpus et san« guinem Christi, et quidem quatenus sunt pri« mitiae creaturae, ad quam nos pertinemus, « nominari ab Irenaeo dona ex nostra parte Deo « oblata, nulla indiget probatione » (*Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 146). At falsa ductus sua sententia, deesse consecrationi vim oblativam, sic in recapitulatione suae doctrinae ambo asserta componit : « Noluit Irenaeus « spectare consecrationem ut oblationem cor« poris et sanguinis Christi, quasi donorum « Deo redditorum, nisi symbolice » (Ibid., p. XII). Hoc est, apud Irenaeum non offerun-

nis rebus praesint, respondet Origenes : « Celsus quidem, ut Deum ignorans, sa- « crificia in gratiarum actionem daemoni- « bus reddat. Nos vero universitatis condi- « tori gratias agentes, etiam panes, cum « gratiarum actione et precatione quae fit « propter data, oblatos (τοὺς μετ' εὐχα- « ριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσα- « γομένους ἄρτους. =A) edimus, factos prop- « ter precationem (διὰ τὴν εὐχήν. =B) cor- « pus quoddam sanctum atque sanctificans « eos qui eo cum sano proposito utuntur » (*Contra Celsum*, 8, 33. P. G. 11, 1565). In hac sententia voluit primum noster neotericus, post Renz (*op. cit.*, t. 1, p. 206), separatas esse inter se ab Origene consecrationem et oblationem[1] : quae separatio probatur apud Renz ex eo quod oblativa precatio (=A) assignatur continens gratiarum actionem, quam non continere perhibetur precatio consecratoria (=B). At profecto aliud est non affirmari aliquid, aliud negari : nec proinde, etiamsi nusquam affirmaret, ideo tamen negaret Origenes prece consecratoria contineri actionem gratiarum. Quinimmo, cum in posteriore membro precationem consecratoriam vocat τὴν εὐχήν, videtur per articulum τήν designare eamdem precationem quam in priore membro induxerat oblativam. Quare mutans non immerito suam sententiam, Wieland in tertio suo opere scribit, hoc loco agnoscendam esse oblationem fieri per consecrationem (*Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 150-151).

Sed jam inducit alterum locum Origenis ex quo sibi videtur probare, in contrariam etiam partem descendisse aliquando Origenem. Scribit scilicet Origenes super illud *Luc.*, 19[24] : *Tollite mnam, et date ei qui habet decem mnas* : « Atque in hunc modum quae « dederimus Deo, nobis ea ipsa restituet « cum his quae ante non habueramus. « Exigit et postulat a nobis Deus, ut habeat « occasionem donandi, ut ipsi tribuat qui « erogavit. Ipsius enim gratia duplicata « est mna, et dignis quibusque plus datum « quam sperabant. Quapropter surgentes « oremus Deum, ut digni simus offerre ei « munera quae nobis restituat, et PRO « TERRENIS COELESTIA largiatur, in Christo « Jesu, cui est gloria et imperium in saecula « saeculorum. Amen » (*In Luc.*, hom. 39. P.G. 13, 1900-1902). Sed commendans liberalitatem erga Deum Origenes quid impedit quominus agat de muneribus offerendis non a sacerdote consecrante, sed a populo mandante sacerdoti sacrificium ? Quae enim pars illorum defertur Deo consecrata in corpus et sanguinem Christi, etiam fidelibus redditur : adeo ut pro terrenis recipiant coelestia. Quae interpretatio si est huic loco valde congrua, sane tenenda est, ne gratuito ponatur secum pugnare Origenes, prorsus alibi corpus et sanguinem Christi exhibens tanquam dona nostra Deo reddita, ut jam tripliciter constabit.

Primo enim, in opere *Contra Celsum* (8, 57. P.G. 11, 1601-1604) negans daemonibus, a quibus nonnisi malum nobis obvenit, deberi sacrificia in gratiarum actionem, grati animi erga benefactorem nostrum Deum dicit nos habere symbola, panem qui dicitur eucharistia ; ab angelis vero non desiderari ex manibus nostris sacrificia, quippe qui honorem Deo uni debitum non ambiant. « Vult Celsus grato animo nos « esse erga daemones, putans illis deberi « a nobis sacrificia in gratiarum actionem « (οἰόμενος ἡμᾶς ὀφείλειν αὐτοῖς χαριστήρια). « At nos quibus perspectum est quid virtus « grati animi sit, negamus nos ingrato ani- « mo esse, cum nec sacrificamus, nec cul- « tum deferimus iis qui nobis adversan- « tur, nedum beneficia conferant; sed erga « Deum ingrati esse veremur, quippe cujus « beneficiis cumulati sumus, cujus opus « sumus, qui nobis providet quacumque

tur proprie corpus et sanguis Christi, sed offeruntur communis panis et vini elementa, quae dum Deo redduntur, exhibemus nosmetipsos quasi offerentes corpus et sanguinem Christi. Aliis verbis, habetur sacrificium quoddam panis et vini, non apparens tantum, sed verum ; et sacrificium corporis et sanguinis Christi, non verum, sed apparens duntaxat. Quo vix violentius potuit torqueri sensus Irenaei atque inverti.

1. « Districte [Origenes] « offerre » et « consecrare » separat. » *Mensa und Confessio*, p. 56.

« sorte nos dignatus sit, et a quo post « hanc vitam accepturi sumus quae nos « sperare voluit. Est autem etiam symbolum nobis gratitudinis erga Deum « panis qui eucharistia vocatur (Ἔστι δὲ « καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχα« ριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος)[1]. At « neque penes daemones est, ut superius « dicebamus, administratio rerum in nos« trum usum factarum. Quare nihil in« justi facimus, dum rebus creatis utentes « non sacrificamus illis ad quos istae non « pertinent. Quin etiamsi non daemones « quosdam, sed angelos, fructibus terrae « atque animantium generationi noveri« mus esse praepositos, laudamus quidem « eos et beatos praedicamus, quibus com« missae sunt a Deo res nostro generi « utiles, attamen honorem Deo debitum « illis non exhibemus. Nam nec Deus, « nec ipsi quibus hae res creditae sunt, « id voluerint. Immo approbant nos ma« gis, dum cavemus ne ipsis sacrificemus, « quam si sacrificaremus. Neque enim « opus habent illi suffitibus de terra sur« sum missis. »

Qua in contextura sententiarum evidenter apparet panem eucharisticum partes habere sacrificii Deo oblati, cum respondeat sacrificiis (χαριστήρια) quae ambiunt daemones, et sacrificiis quae non ambiunt angeli ; per eumque deferatur Deo honor ille uni Deo debitus, qui consistit in sacrificiis. In « pane autem illo qui eu« charistia dicitur » intellegendum esse corpus Christi, ipse Renz (*op. cit.*, I, 199) fatetur, nec diffiteri quisquam potest [2].

Secundo, pani eucharistico dicit inesse plenitudinem virtutis propitiatoriae, cujus tenuis quidem participatio inerat figuralibus panibus propositionis. « Secundum ea « quae scripta sunt, in duodecim panibus « duodecim tribuum Israel videtur com« memoratio ante Dominum fieri, et prae« ceptum dari ut sine cessatione isti « duodecim panes in conspectu Domini « proponantur, ut et memoria duodecim « tribuum apud eum semper habeatur, quo « veluti exoratio quaedam et supplicatio « per haec pro singulis fieri videatur. Sed « parva satis et tenuis est hujuscemodi « intercessio... Sed si referantur haec ad « mysterii magnitudinem, invenies com« memorationem istam habere ingentis re« propitiationis effectum. Si redeas ad « illum panem qui de coelo descendit, et « dat huic mundo vitam, illum panem pro« positionis quem proposuit Deus propitia« tionem per fidem in sanguine ejus, et si « respicias ad illam commemorationem de « qua dicit Dominus : *Hoc facite in meam « commemorationem* ; invenies quod ista « est commemoratio sola quae propitium « facit hominibus Deum. Si ergo intentius « ecclesiastica mysteria recorderis, in his « quae lex scribit, futurae veritatis inve« nies imaginem praeformatam » (*In Levit.*, hom. 13, n. 3. P.G. 12, 547). Porro virtus propitiatoria intellegitur se tenere ex parte rei ut a nobis Deo oblatae, non ut a Deo collatae nobis. Ergo panis ille eucharisticus partes habet doni Deo a nobis retributi.

Tertio, similiter ritum propitiationis per sanguinem vituli adserit cessisse ritui novo repropitiationis per sanguinem eucharisticum. Sic enim habet : « Ritus quidem « apud veteres propitiationis pro homi« nibus, qui fiebat ad Deum, qualiter cele« braretur edocuit : sed tu qui ad Christum « venisti, pontificem verum, qui sanguine « suo Deum tibi propitium fecit, et recon« ciliavit te Patri, non haereas in sanguine « carnis ; sed disce potius sanguinem Verbi, « et audi ipsum tibi dicentem quia : *hic « sanguis meus est, qui pro vobis effundetur « in remissionem peccatorum*. Novit qui « mysteriis imbutus est et carnem et san« guinem Verbi Dei. Non ergo immore-

1. Symbolum visibile interni nostri erga Deum sensus esse omne sacrificium, ex generali doctrina de sacrificio notum est. Apte ergo eucharistia dicitur ab Origene esse symbolum nostrae gratitudinis. Mirare autem stupendam hujus loci expositionem apud Renz (*op. cit.*, I. I, p. 199), dicentem : panem eucharisticum intellegi ab Origene symbolum non nostrae gratitudinis, sed precationis eucharisticae. Unde facile concludit panem eucharisticum non haberi ab Origene tanquam donum a nobis Deo oblatum.

2. Vide Hom. 2 *in Psalm.* 37, n. 6 (P.G. 12, 1386) ; Hom. 18 *in Jerem.*, n. 13 (P.G. 13, 489) ; cf. *Contra Celsum* 8, 22 (P.G. 11, 1552) etc.

« mur in his quae et scientibus nota sunt, « et ignorantibus patere non possunt » (*In Levit.*, hom. 9, n. 10. P.G. 12, 523). Ex hoc loco rursus constat habuisse corpus et sanguinem eucharisticum apud Origenem rationem rei vere sacrificatae seu Deo a nobis oblatae, non solum in gratiarum actionem pro Dei donis, sed etiam in compensationem et satisfactionem pro peccatis nostris.

Interea animadvertere oportet Origenem, sicut Irenaeum, in ea sententia fuisse ut illa demum ad verum Dei cultum pertinerent sacrificia, quae in jugi oratione et probitate vitae consisterent (*In Levit.*, hom. 9, n. 9. P.G. 12, 521-522. *Contra Cels.*, 7, 1 ; 8, 21 ; 8, 62 ; 8, 64. P.G. 11, 1421, 1449 1609, 1613). Norat igitur sententiam hanc componere cum illa de veritate sacrificii in pane et vino eucharistico celebrati.

§ 2. De Ignatio, Justino, Hippolyto, Tertulliano.

Ostenso jam, neque apud Irenaeum neque apud Origenem, sola elementa naturalia panis et vini, excluso scilicet Christi corpore ac sanguine, fuisse rem Deo in sasacrificium offerendam, superest ut ostendamus, apud reliquos Patres Cypriano anteriores, non solas preces, veluti exclusa qualibet re, haberi tanquam offerendas Deo in sacrificium.

Perspicuitatis autem gratia, examinabuntur primo illi quorum mens est explicita, scilicet Ignatius, Justinus, Hippolytus et Tertullianus. Deinde reliqui omnes audientur.

Sectio I. — De Ignatio.

Praenotanda sunt ad intelligentiam Ignatii pauca.

Primo. Christus uno certe loco (*Magnes.*, 7[2], vide infra) intellegitur nomine θυσιαστηρίου, ut dictum est supra (Elucid. XIII). Acceptio autem christologica sive θυσιαστηρίου, sive altaris, nedum officiat doctrinae eucharisticae nequit non ad hanc illustrandam afferre majorem et pleniorem lucem, ut jam indicatum est, et abundantius ostendetur infra.

Secundo. In Epistulis Ignatii (potissimum *loc. cit.*), sicut in Clementis *Epistola ad Corinthios* (32[2], 41[2]. F. P. 1, 138 et 150), et in *Apocalypsi* (passim), et in *Epistola ad Hebraeos* 13[10], (quicquid intellegatur per θυσιαστήριον) solet θυσιαστήριον connotare aliquem ναόν, et (ubi locus est) vice versa. Ναός autem ille vel θυσιαστήριον, de quo aut est sermo, aut certe similitudo ex eo petitur, est templum et altare hierosolymitanum. Illinc scilicet nomen et ναοῦ et θυσιαστηρίου transfertur ad rem aliam quaecumque his vocibus significatur (cf. Westcott, *The Epistle to the Hebrews*[3], p. 457-458).

Tertio. Fortasse apud LXX Interpretes, et probabiliter in Novo Testamento, cum res significata vel terminus comparationis est ναός atque θυσιαστήριον hierosolymitanum, aliquando, etsi raro, θυσιαστήριον intellegitur per modum unius et de altari et de parte templi altari proxime adjacente, seu « sacrificatorio », si venia sit verbo, id est de sacrario vel sanctuario (*I Mach.*, 1[59], *Eccli.*, 50[11 sq.], *Apoc.*, 11[1], 14[18]), adeo ut non sit sensu vacua illa locutio, esse intra vel extra θυσιαστήριον. Sed quanquam usus ille obtinet ubi habetur respectus ad templum hierosolymitanum, tamen neque apud majores aut coaetaneos Ignatii, neque apud ullum posteriorem scriptorem per duo saecula, suppetit vel unum exemplum istiusmodi usus respectu alicujus materialis *sanctuarii* christianorum[1] ; quan-

1. Primum occurrit vox θυσιαστήριον pro tali sanctuario christianorum in canone 19º concilii Laodicensis (inter A. D. 343 et 381), quanquam non improbabiliter Dom. H. Leclercq, (*Hist. des Conc.*, t. 1, 2e ple, 1907, p. 1010) verba εἰσιέναι εἰς θυσιαστήριον sic vertit : « s'approcher « de l'autel ». Deinde apud Socratem, H. E. 1, 37 (P.G. 67, 176), quanquam rursus vertit Valesius εἰς τὸ θυσιαστήριον εἰσελθών, ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν ἑαυτὸν ἐπὶ στόμα ἐκτείνας per haec verba : « ingressus ad altare, sub sacra mensa « pronum se humi prostravit » (ibid., col. 175) ; cui translationi nonnihil favet parallelus locus Sozomeni, H. E. 2, 29 (P.G. 67, 1017) εἰσδὺς ὑπὸ τὸ θυσιαστήριον. Tertio apud Procopium, *Monodia in Sanctam Sophiam* (P.G. 87[ter], 2836);

quam saepe, ut dictum est, ab initio jam tertii saeculi usurpata est vox θυσιαστήριον de christianorum *altaribus*.

Quarto. Ubicumque apud Ignatium sermo est de eucharistia, semper indulgetur symbolismo illi qui est eucharistiae intrinsecus[1], ita ut vel intellegatur corpus Christi proprium, in quantum est sacramentum corporis ecclesiastici, vel intellegatur ecclesiasticum corpus in quantum habet respectum ad proprium Domini corpus quo exemplatur. Nunquam igitur exsulat ex illis locis eucharistia nostra, id est verum Christi corpus : sive corpus illud verum sit idipsum quod intenditur in se cum respectu ad aliud (ipso mediante) significatum, scilicet unitatem ecclesiasticam ; sive sit illud ad quod habet respectum unitas ecclesiastica primo et per se intenta.

I. Commendans Ignatius ecclesiasticam unitatem, a qua se segregat quicumque audet aliquid nisi intra ordinem legitimae hierarchiae sacerdotalis agere sacri, haec scribit : « Studeatis igitur una eucharistia « uti ; una enim est caro Domini nostri « Jesu Christi, et unus calix in unitatem « sanguinis ejus, unum altare, sicut unus « episcopus cum presbyterio et diaconis, « conservis meis ; ut, quod facitis, secun- « dum Deum faciatis » (*Ad Philadelph.*, 2, 4. F. P. 1, 266). Est igitur nostra eucharistia, seu caro Christi et sanguis, res ejusmodi quae cum altari habeat aliquid commune. Quodnam autem sit vinculum inter altare et istiusmodi rem, ulterius insinuatur ex epistula ad Ephesios, ubi haec leguntur : « Nemo erret ; nisi quis intra altare (θυσιασ- « τήριον) sit, privatur pane Dei » (*Ephes.*, 5^2. F. P. 1, 216). Relatio igitur inter altare et panem illum haec est : ut veluti substernatur altare pani, proindeque ut exsistat panis ad modum rei alicujus cuidam altari impositae, seu Deo sacrificatae. Quamvis autem probabilius longe nobis videatur esse intellegendum ibi θυσιαστήριον non manufactum[2], sed vivum, coeleste, atque invi-

quanquam altare tantummodo, nec inverisimiliter, ibi intellegit Combefis (*ibid.*, 2835). Praeter hos tres locos, quos attulerunt et Sophocles (*Greek Lexicon of the R. and B. Period*, 1904, s. v. θυσιαστήριον) et Westcott (*op. cit.*, p. 461), jam potest unus afferri de cujus sensu ambigi fas non est, ex commentatione *De Sacra liturgia* adscripta a Cardinali Pitra Joanni Jejunatori (*Spicil. Solesm.*, t. 4, p. 441) : Ὅλον γὰρ θυσιαστήριον λέγεται, διὰ τὸ τὰς θυσίας τηρεῖν · λέγεται παρὰ πᾶσι καὶ βῆμα. Porro βῆμα noscitur esse usitata vox ad designandum sanctuarium, ut videre potes apud Sophocles, *op cit.*, p. 307, et apud B., p. 476, 480, 571, 587, 595, ubi nonnulla istiusmodi acceptionis exempla reperientur, quibus addi possunt haec duo : Nazianz., *Or.* 43, n. 52. P. G. 36, 565 A, et *Expositio Officiorum Ecclesiae* incerti auctoris, vulgo adscripta Georgio Arbelensi, trad. Connolly, C. S. C O., 91, 91.

1. Symbolismum illum perducit Ignatius ad extremos suos limites, ut cum scribit *ad Romanos* 4^1 (F. P. 1, 256) se esse « frumentum Dei » et velle fieri « purum panem « Christi ». Magis enim solet e converso Christus considerari ut noster panis, et frumentum Dei ipsum. At perfectissime martyres incorporantur morti Christi in vitam gloriae. In martyrio igitur potissimum habet suum effectum eucharistia ut fiamus corpus Christi et veluti eucharisticus panis. Quare nos jam transimus in panem et frumentum, non hominum sane, sed Dei et Christi, cui immolamur et tanquam holocausta prostamus. Quod rite exposuerat quidam anonymus Anglus, cisterciensis monachus (XII-XIII s.), auctor *Distinctionum monasticarum* (lib. 2, c. 94, *Spicil. Solesm.*, t. 3, p. 466) : « Frumentum Christus est, unde Chris- « tus ait : *Nisi granum frumenti cadens in terram* « *mortuum fuerit*, etc. Unde perspicuum est « quod illi qui ex hoc grano surrexerunt fru- « mentum sunt ; unde sanctus Ignatius collatae « sibi gratiae conscius, ait : Frumentum Dei « sum, bestiarum dentibus molar, ut panis « mundus efficiar. »

2. Probabilius istud videtur, habito respectu ad *Epistolam ad Magnesios* 7^2 (vide infra), ubi, ut dictum est supra, Christus aperte intellegitur sub nomine altaris. Praeterea parum erit intellegibilis locutio ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, si agatur vel de tabula altaris materialis, vel etiam (secundum acceptionem posteriore duntaxat aetate usitatam) de materiali nostro sanctuario. Cur etenim voluerit Ignatius ut omnes christiani intra sanctuarium constipentur, deserta reliqua parte aedium ? Ceterum non magis, illo tempore, se profitebantur christiani habere sanctuaria quam altaria aut ναούς ; ne vox quidem ecclesiae ad aedes designandas in usu erat ; sero tantum invaluerunt voces ναός (= templum christianum) et θυσιαστήριον (= sanctuarium christianum).

Omnino autem satisfacit, si altare intellegatur corpus Christi, quod quia sacramentum est efficax unitatis ecclesiasticae, dum intra ipsum esse dicimur, censemur esse ecclesiastici corporis membra. Eamdem interpretationem maxime suadet locus parallelus ex *Epistola ad Trallianos*

sibile, ipsa eucharistia contentum (corpus scilicet Christi), nihilominus partes censetur habere altaris sanctificatam oblationem Deo veluti adsciscentis et transmittentis. Ritus ergo noster eucharisticus hoc importat, ut pro pane et calice communi jam habeatur corpus et sanguis Christi in statu rei Deo oblatae.

II. Amplius, hortatur Ignatius Trallianos ut caveant ne, praesumentes aliquid AGERE sine episcopo, presbyterio, et diaconis, inveniantur extra altare ; similiterque Magnesios, non solum ut ne quid sine episcopo et presbyteris AGANT, sed etiam ut convenientium in unum ita una sit oratio (προσευχή) atque precatio (δέησις), ut in unum Christum omnes concurrant tanquam in altare unum. « Qui intra altare est, mundus est ; qui vero extra altare est, non est mundus ; hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia » (*Ad Trallianos*, 7^2. P.F. 1, 246-248). « Ne quid sine episcopo et presbyterio agatis ; neve praesumatis aliquid separatim factum habere pro laudabili ; sed in unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes in caritate, in gaudio sancto, quod est Jesus Christus, quo nihil praestantius est. Omnes velut in unum templum Dei, velut ad unum altare, currite ad unum Jesum Christum, qui ab uno Patre prodiit, et apud unum fuit ad cumque reversus est » (*Ad Magnesios*, 7^{1-2}. F. P. 1, 236).

Non latet nostrum neotericum ipsum AGERE (πράττειν) consistere in ea oratione (προσευχή) et precatione (δέησις), per quam conficiatur eucharisticus panis. Inde vero transit ad concludendum : precationem consecratoriam esse ipsum sacrificium in altari illo, quod vel Christus vel Ecclesia est, oblatum *(D. V. O.*, 51-52*)*. At quomodo non altera potius persuadebitur conclusio attendenti : ipsum *agere* habendum esse pro ipso *sacrificare* : precationem igitur consecratoriam, si sit ipsum *agere*, habendam esse potius pro ipsa sacrificatione seu oblatione sacrificii, quam pro sacrificio oblato ? Ut enim olim diximus, sacrificium sumitur dupliciter : aut active, aut passive. Priore autem modo, sane sacrificium eucharistiae est ipsa oratio Ecclesiae ad Deum, in quantum continens verba Christi. Altero autem modo, est id quod terminat sacrificationem : videlicet ipsum sacrificatum corpus Christi et sanguis. Quod igitur precatio consecratoria sit sacrificatio, minime officit, immo favet alteri nostri dogmatis parti : corpus et sanguinem Christi esse oblatum Deo sacrificium. Sed de his mox plura.

7^2 proinde citandus. Nec displicet argumentum, quod per modum confirmationis ex Wieland *(M. u. C.*, p. 41) afferri potest : Si Ignatius intellegeret altare visibile, dum per modum intimae cum altari conjunctionis commendat ecclesiasticam unitatem, cur non aliquid istiusmodi scribit : *Cavete ne contra legitimum altare alterum erigatis*, ut saepe postea scripsit Cyprianus (Ep. 40, 3 ; 65, 3. P.L. 4, 336 et 396 ; Ep. 76, 1. P.L. 3, 1139 ; *De Unitate Ecclesiae*, 17. P.L. 4, 513) ? Cur, nisi quia cogitans altare non manufactum, sed vivum, qui est Christus, vix poterat nisi insulse deprecari diversitatem et conflictationem illam altarium, quae nonnisi in materialibus altaribus locum habere potest ?

Interim noli stomachari quod Christus, ut altare, exhibeatur veluti subjacens Christo, ut hostiae. Nam, primo, ut superius (Elucid. XIII) notatum est, in spirituali sacrificio (quale est sacrificium corporis et sanguinis Christi) talis habitudo mutua non est inconveniens ; et secundo, plurima exempla saeculis posterioribus sequentur, quae aut jam supra sunt notata a nobis, aut notabuntur infra (passim).

Semel autem admissa interpretatio haec de *Epistola ad Ephesios*, rationabiliter, ni fallor, transferetur ad *Epistolam ad Philadelphenses* propter connexionem eamdem inter altare et dapes. Sensusque proinde loci is erit : hortatur Clemens ut utantur una synaxi eucharistica *(studeatis una eucharistia uti)* ; et hortationem suam corroborat ex triplici illa unitate sollemni (quam non ordinat ut sit, sed enuntiat quia est), ex unitate dico HOSTIAE *(una est caro... et unus calix etc.)*, ALTARIS *(unum* [est] *altare)*, et SACERDOTII in Christo. Quam triplicem unitatem et vidimus et videbimus inculcatam eodem sensu (id est christologico) a sexcentis Patribus et Doctoribus, luculentius prae ceteris a Doctore Eucharistico, S. Paschasio Radberto.

Haud inverisimiliter conjicietur appellatio christologica altaris, frequens apud Ignatium, esse derivata ab illa vetere ascensionali epiclesi, qua orabatur ut dona super altare Dei coeleste (i. e. Christum) perferrentur, eo ipso quod mutarentur (cf. infra, Elucid. XXI) ; sicque fit ut intellegibilis fuerit fidelibus.

SECTIO II. — DE JUSTINO.

Justinus, in *Dialogo*, postquam oblationem similae (in Lege pro iis qui a lepra purgati forent praescriptam) declaravit figuram fuisse panis eucharistici, quem praecepit Christus ut conficeremus in memoriam suae passionis et gratiarum actionem pro creatione et redemptione (qua sane comparatione jam satis innuit, ut similam olim, ita nunc panem eucharisticum esse quid oblatum), deinde ad expressiorem hanc assertionem transit : sacrificium mundum, quod a Malachia praedictum est oblatum iri per universum mundum, non aliud esse nisi panem et calicem eucharistiae. Quo quid disertius desiderari potuit ad evincendam in pane illo et calice eucharistico indolem rei oblatae? En verba : « Similae quoque oblatio, pro iis qui a « lepra purgabantur praescripta, figura « erat panis eucharistiae, quem jussit « confici a nobis Dominus noster Jesus « Christus in recordationem passionis « pro iis susceptae quorum animi ab « omni malitia purgantur, atque simul ut « gratias ageremus Deo quod mundum et « omnia quae in eo sunt creaverit propter « hominem, atque liberaverit nos a nequitia « in qua fuimus, everteritque funditus « principatus et potestates per eum qui « juxta ejus voluntatem factus est passioni « obnoxius. Hinc de sacrificiis quidem, quae « tunc a vobis offerebantur, sic Deus, ut « jam dixi, per Malachiam, unum de duo- « decim loquitur : *Non est voluntas mea* « *in vobis, dicit Dominus, et sacrificia non* « *suscipiam de manibus vestris, propterea* « *quod ab ortu solis usque ad occasum nomen* « *meum glorificatum est in gentibus ; et in* « *omni loco offertur incensum nomini meo* « *et victima pura ; quoniam magnum est* « *nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* « *Vos autem illud profanatis.* De iis autem « quae in omni loco a nobis gentibus OFFE- « RUNTUR ei sacrificiis, HOC EST de PANE « EUCHARISTIAE, et de CALICE similiter « EUCHARISTIAE, jam tum praedicit, illud « etiam addens, nomen suum a nobis glori- « ficari, a vobis autem profanari » (*Dial.*, 41. P.G. 6, 564). Non igitur preces eucharisticae, sed eucharistiae panis et calix offeruntur in sacrificium.

Post priorem illum locum jam dubitari nequit quid hoc altero significetur : « Om- « nes igitur, qui per nomen ejus sacrificia, « quae jussit Jesus Christus fieri, hoc est « in eucharistia panis et calicis, in omni loco « fieri solita a christianis, [*supple* : faci- « mus], Deus in antecessum testatur gratos « esse sibi » (*Dial.* 117. P. G. 6, 745). Excludit, inquam, comparatio cum superiore loco sensum illum, ceterum minus obvium[1], quo censeatur forsan, non panis aut calix, sed ipsa super panem et calicem prolata actio gratiarum materia esse sacrificii.

Et jam perspicue intelleguntur, quae proxime apponuntur ad judaicam illam Malachiae interpretationem refellendam, qua per sacrificium mundum, pro hierosolymitanis sacrificiis subrogatum, preces intellegerentur dispersorum Judaeorum : « Preces quidem, reponit Justinus, « et gratiarum actiones, quae a dignis « fiant, perfecta sola et accepta esse « Deo sacrificia, et ipse dico. Haec enim « sola et christiani edocti sunt facere, « etiam in recordatione alimoniae suae « siccae et liquidae, in qua etiam pas- « sionis, quam pertulit propter eos Filius « Dei, memoria fit. [Sed dum judaicae « preces et gratiarum actiones non per « totum orbem fiunt], nullum prorsus est « genus hominum,... in quo non per nomen « crucifixi Jesu preces et gratiarum actio- « nes patri et factori omnium fiant » (*ibid.*, 745-748[2]). Cujus loci is sensus planus est

1. Scilicet hoc loco non dicuntur sacrificia offerri (προσφέρεσθαι), sed fieri (γίνεσθαι, γινομένας, cui correspondet infra vox ποιεῖν). Porro inter istas duas locutiones hoc distat quod : sacrificium (θυσία), si quando dicitur offerri, aptius intellegitur de re sacrificata, si quando fieri, facilius de actione sacrificali.

2. Εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι τῷ Πατρὶ καὶ Ποιητῇ τῶν ὅλων γίνονται. Mirare quomodo vir praeoccupata sua sententia abreptus audeat scribere : « Preces « et gratiarum actiones solae sunt christianorum « sacrificium, eo quod [inquit Justinus] per no- « men crucifixi Jesu Patri et Creatori omnium « offeruntur » (dargebracht werden. *M. u. C.*,

nobis : profecto sacrificia Deo accepta, non per gladii aciem aut incendium ignis perficiuntur, sed per oris precationes et gratiarum actiones. Etenim apud christianos ipsos nulla est alia actio sacrificalis praeter prolationem precum eucharisticarum super panem illum et vinum, de quo alibi in *Apologia* 1, 66 (P.G. 6, 428-429) scriptum erat : « Illam, quae per orationis verbum « ab ipso [Jesu] traditum (δι' εὐχῆς λόγου « τοῦ παρ'αὐτοῦ)[1] eucharistiata est, alimo- « niam (ex qua sanguis et carnes nostrae « per mutationem[2] aluntur), illius incarnati « Jesu carnem et sanguinem esse edocti « sumus. » Preces scilicet et gratiarum actiones quae, dum Christi verba referunt[3], conficiunt sacramentum, ipsae demum solae habent partes actionis sacrificalis respectu materiae sacrificatae, quae est caro et sanguis Christi.

Nec sententia illa est Justini, aut Ignatii (vid. supra), aut Origenis[4] propria, sed communis est omnium catholicorum, a Patribus ceteris saepe enuntiata : ut a Tertulliano (*Ad Scapul.* 2. P.L. 1, 700 : « Sacrificamus... pura prece »), Cypriano (*De Unitate Ecclesiae*, 17 et Ep. 64, 4. P.L. 4, 513 et 392), Firmiliano (*Ep. ad Cyprianum*, 10. P.L. 3, 1165), Lactantio (« verbo enim sacri- « ficari oportet Deo ». *Institut.* 6, 25. P.L. 6, 730), Hieronymo (*Ep.* 14, 8. P.L. 22, 352 : « Christi corpus sacro ore confi- « ciunt »), potissimumque a Gregorio Nazianzeno, vel scribente ad Amphilochium : « O Dei cultor sanctissime, ne « cuncteris et orare et legatione fungi pro « nobis, quando verbo Verbum attraxeris, « quando INCRUENTA SECTIONE SECAVE- « RIS CORPUS ET SANGUINEM DOMINICUM, « VOCEM ADHIBENS PRO GLADIO » (*Ep.* 171. P.G. 37, 280-281) ; vel perorante ad magistratum suae urbis placandum civibus, per « mensam hanc, inquit, ad quam commu- « niter accedimus, atque typos meae salu- « tis, quod EODEM ORE perago, quo hac « ad te legatione fungor, sacram sursum- « que nos ferentem liturgiam » (*Or.* 17, n. 13. P. G. 35. 980) ; vel tandem cantante de seipso :

« Linguam equidem puris puram sacri-
[ficiis servabo,
« Quibus magnum regem concilio morta-
[libus.
« Neque enim aliena lingua aut polluta
[mente
« Mittam ad eum qui purus est vivificam
[hostiam.

. . . .

p. 51 ; *D. V. O.*, 129). Porro non dicit Justinus : προσφέρονται (offeruntur) sed γίνονται (fiunt). Fiunt quippe preces, per quas offertur « panis eucharistiae et calix similiter eucharistiae ».

1. Opinabatur nuper Edmundus Bishop (in T. a. S., vol. 8, n. 1, *The Moment of Consecration*, p. 158 sq.) illud δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ esse vertendum sic : « per precationem Ver- « bi quod est ab ipso » [Deo et Patre]. Revera adeo tenuis est istius interpretationis probabilitas ut potuerit negligi. Ob reverentiam tamen optimi et literatissimi viri haec tria notabimus. *Primo*, secundum sermonis compti leges, illud αὐτοῦ referendum esse, non retro ad vocem Θεοῦ, longissime sepositam, sed ad Verbum Dei, Christum, de quo uno totus interpositus sermo decurrit. *Secundo*, parallelismum (ὃν τρόπον... οὕτως), a Justino intentum, esse hunc : sicut incarnatio facta est per Verbum Dei, sic eucharistiatio fit per Verbi verbum : quale verbum continuo describitur ut infra. *Tertio*, confirmari hanc nostram communemque interpretationem per comparationem cum mysteriis Mithrae, ubi imitatio mysteriorum Christi reponitur in pane et poculo quidem, sed « additis quibusdam « *verbis* » (μετ' ἐπιλόγων τινῶν). Ceterum, fateor, ad praesentem disputationem quod attinet, nihili refert utram interpretationem admittas.

2. κατὰ μεταβολήν = per mutationem. Cf. Clem. Al., *Paedag.*, 1, 6. P.G. 8, 309.

3. Quale sit illud verbum, satis indicat Justinus, haec continuo addens : « Nam apostoli « in commentariis suis, quae vocantur Evange- « lia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : cum « scilicet, accepto pane, cum gratias egisset, « dixisse : *Hoc facite in meam commemoratio-* « *nem. Hoc est corpus meum.* Et poculo similiter « accepto, actisque gratiis dixisse : *Hic est san-* « *guis meus* » *(ibid.)*.

4. Vide supra, *Contra Cels.*, 8, 33 et *In Matth.*, tom. 11, n. 14, « de pane per verbum Dei et orationem sanctificato » (P.G. 13, 948), ubi alludit ad *I Tim.*, 4^5, sicut postea S. Gregorius Nyssen. in *Or. Catechet.*, 37. P.G. 45, 97. Circa locutionem illam Origenis et Nysseni, (sicut supra, in affini sententia Justini) rursus Edmundus Bishop (*op. cit.*, p. 156) suam invexit translationem : « per VERBUM DEI et « orationem », valde tenuibus innixam ratiunculis, quibus validiora in sensum contrarium opposuit argumenta sua W. J. Tyrer, *The eucharistic epiclesis*, Lond., 1917, p. 41-46 et 50-52.

« Non linguam immisi contumeliosam : nec [quidquam admisi
« Nostris sacrificiis indignum : novit Ver- [bum. »

(*Carm.*, l. 2, sect. 1, poem. 34, v. 93-96, 181-182. P.G. 37, 1314 et 1320).

Et similiter inde patet quo jure in *Apologia* 1, 11-13 (col. 340-345) neget Justinus requiri a Deo materialia dona, sanguinem, libationes, suffimenta, sed solam velit desiderari oralem precationem et gratiarum actionem illam quam christiani usurpant super omnia quae offerunt.

Sectio III. — De Hippolyto.

Hippolytus ad tempora antichristi referens vaticinium *Danielis* 9[27], de cessatione sacrificii, connectensque tacite cum prophetia *Malachiae* 1 [11], declarat eam quae tunc sit auferenda « HOSTIA et LIBATIO » (θυσία καὶ σπονδή), ipsam « nunc « omni loco a gentibus OFFERRI (προσφερομένη) Deo[1] ». Hostia et libatione ista nil designari potest nisi panis ipse eucharisticus et calix : nec proinde precum oblatio Deo fit[2], sed rei solidae (= hostia) et liquidae (=libatio), quae qualis sit, satis indicat Hippolytus aliis locis, quorum plerosque videsis collectos apud Struckmann, *Die Gegenwart Christi*, 1905, p. 211-215, vel d'Alès, *Théologie de Saint Hippolyte*, p. 147-150[3].

Sectio IV. — De Tertulliano.

Dirimere videtur omnem litem aut praecludere locus ille celeber in libro *de Oratione*, ubi Tertullianus sic illos carpit qui jejunandi causa a conventu eucharistico abstinebant : « Similiter et stationum die- « bus non putant plerique SACRIFICIORUM « ORATIONIBUS interveniendum, quod sta- « tio (i. e. jejunium) solvenda sit ACCEPTO « CORPORE DOMINI. Ergo devotum Deo « obsequium Eucharistia resolvit ? An « magis Deo obligat ? Nonne solemnior « erit statio tua, si et ad ARAM DEI[4] ste- « teris? Accepto corpore Domini, et reser- « vato, utrumque salvum est, et PARTICI- « PATIO SACRIFICII, et executio officii » (*De Oratione*, 19. P.L. 1, 1182-1183). Quis enim dubitare potuerit quin ara hic intellegatur propria, ex qua sumenda sit eucharistia, cujus acceptione ipsum censeatur participari sacrificium ? Unde satis constat eucharistiam fuisse hostiam sacrificii, oblatam Deo per sacrificiorum orationes, quibus conficitur.

Referri huc non immerito potest paritas quam notat Tertullianus inter Christi et Mithrae sacramenta : « Celebrat et [Mithra] « PANIS OBLATIONEM » (*De Praescriptionibus*, 40. P.L. 2, 55).

Congruit in libro *de Pudicitia*, quod nolens Tertullianus in filio prodigo censeri christianum impudicum, aut graviore ullo crimine infectum, puta apostatam, sed

1. « Cum vero [antichristus] advenerit, au- « feretur hostia et libatio, quae nunc ubique « locorum a gentibus offertur Deo » (*Fragmenta in Danielem*, n. 22. P.G. 10, 656). In hoc loco exemplum habes quomodo videatur sibi effugere Renz (*op. cit.*, t. I, p. 234) oblationem proprie dictam corporis et sanguinis Christi. Quippe notat illam oblationem, de qua isthic loquitur Hippolytus, exhiberi alibi (*In Prov.*, 9[1], loco ceterum dubio) tanquam parationem cibi. Quasi hinc sequeretur formalem rationem illius oblationis consistere praecise in paratione cibi, ut tali ! Probari equidem facile sic posset omnes catholicos semper fuisse et esse adhuc in ista sententia quam defendit Renz ; nam apud omnes sane sacrificatio eucharistica est simul confectio ipsa nostrae escae atque potus (recole dicta supra, Elucid. I).

2. Quod ipse tandem nobis concedit Wieland (*Die Schrift M. u. C. u. P. Em. Dorsch*, p. 102), postquam in priore suo opere sententiam defenderat contrariam (*M. u. C.*, 51), cujus se interim immemorem prodebat (*M. u. C.*, p. 115).

3. Etiam omisso, tanquam dubio, breviore ipso commentario in *Prov.*, 9[5] : « Venite, come- « dite panem meum, et bibite vinum quod « miscui vobis : divinam suam carnem et sanc- « tum sanguinem dedit nobis comedendum « et bibendum in remissionem peccatorum » (P.G. 89, 593).

4. Videtur nonnihil indulsisse salibus Tertullianus, ambigua significatione alligata isti locutioni : « Si ad aram Dei steteris. » Stare enim ad aram dici solebant animantia mactationi proxima.

solummodo ethnicum ad Christi fidem et gratiam conversum, sic in priorem interpretationem invehitur : « Recuperabit « igitur et apostata vestem priorem, indu« mentum Spiritus Sancti, et annulum « denuo signaculum lavacri, et RURSUS « ILLI MACTABITUR CHRISTUS ! » Adstructa deinde sua interpretatione : « Vestem pris« tinam accipit [ethnicus conversus], sta« tum scilicet eum quem Adam trangressus « amiserat ; annulum quoque accipit tunc « primum, quo fidei pactionem interroga« tus obsignat, atque ita exinde, OPIMI« TATE DOMINICI CORPORIS VESCITUR, eu« charistia scilicet » (*De pudicitia*, 9. P.L. 2, 997-998). Ubi, cum ex parallelismo duorum membrorum inter se, tum ex analogia sermonis cum evangelica parabola, evidenter apparet locutionem illam : « rursus « illi mactabitur Christus », intellegendam esse de eucharistia : adeo ut celebratio eucharistica secundum Tertullianum sit quaedam Christi mactatio[1] denuo peracta : quibus verbis nulla potuerunt validiora inculcare actionem sacrificalem versantem circa ipsum dominicum corpus, cujus deinde opimitate vescatur christianus homo.

Nec jam ambigi potest quid aliis plurimis locis, ubi recurrunt hae voces « sacri« ficium offerre » vel locutio absoluta « offerre », senserit Tertullianus offerri. Puta in libro *De cultu feminarum*, ubi a cultu exquisito corporis deterrens mulieres christianas, quibus nulla causa in publicum prodeundi nisi quae sit a pompis mundanis aliena, haec scribit : « Vobis autem nulla « prodeundi causa non tetrica : aut imbe« cillus aliquis ex fratribus visitandus, aut « SACRIFICIUM OFFERTUR, aut Dei verbum « administratur » (*De cultu feminarum*, 11, P.L. 1, 1330). Vel in libro *De Virginibus velandis* : « Non permittitur mulieri « in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec « tinguere, *nec offerre*, nec ullius virilis « muneris, nedum sacerdotalis officii, sor« tem vindicare » (*De Virginibus velandis*, 9. P.L. 2, 902). Vel tandem in libro *De Exhortatione castitatis*, ubi montanista factus Tertullianus, ita vindicat laicis sacerdotium, ut et monogamiam imponat. « Nonne et laici sacerdotes sumus ? Scrip« tum est : *Regnum quoque nos et sacer« dotes Deo et Patri suo fecit* (*Apoc.*, 1[6]). « Differentiam inter ordinem et plebem « constituit Ecclesiae auctoritas, et honor « per ordinis consessum sanctificatus. Adeo « ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, « ET OFFERS, et tinguis, et sacerdos es « tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet « laici. Unusquisque enim sua fide vivit, « nec est personarum acceptio apud Deum ; « quoniam *non auditores legis justificantur « a Deo, sed factores*, secundum quod et « Apostolus dicit. Igitur si habes jus sacer« dotis in temetipso, ubi necesse est ; ha« beas etiam oportet disciplinam sacer« dotis, ubi necesse sit habere jus sacer« dotis. Digamus tinguis ? Digamus OF« FERS[2] ? Quanto magis laico digamo

1. Adverte quod supra jam saepe diximus : aliquando, immo saepe, usurpari immolationem, seu mactationem, pro sacrificatione, seu oblatione victimae, sive offeratur ad immolationem, sive offeratur immolatione, sive immolata offeratur, idque potissimum in similitudine immolationis, ut contingit in eucharistia.

2. Nobis forsan quis opposuerit auctoritatem Petavii, hanc vocem « OFFERS » in sua diatriba *De potestate consecrandi et sacrificandi* (cap. 1 et 2, ed. Barr. Duc., t. 8, p. 7, sq.) aliter interpretantis. Sentit enim ille, in more illius temporis fuisse, ut eucharistiae, prius quidem consecratae a sacerdote et sacrificaliter oblatae, fieret deinde in privatis conventibus christianorum, deficiente sacerdote, a quovis laico, atque etiam a muliere, oblatio quaedam nova mere caerimoniaria. Sed conjectura illa nullo fulcitur facto historico, nullo comprobatur testimonio literario, nullo vel minimo proditur vestigio liturgico. Immo vide in *Canonibus Hippolyti* (can. 181, in appendice ad Duchesne, *Orig. du culte chrétien*[3], 537. Cf. locos parallelos ex aliis statutis Apostolorum, ap. Dom P. Cagin : *L'Eucharistia*, p. 264-267), quomodo circa ipsum simplicem panem exorcismi, in initio agaparum distribuendum, interdicatur laicis, etiam absente sacerdote et diacono, quaevis actio speciem prae se ferens liturgicam. Gratuita igitur est conjectura Petavii, satisque per se incredibilis ; quin et incredibilius est, ad talem usum allusisse Tertullianum, ubi distinctionem inter sacerdotem et laicum, excluso penitus jure divino, conatur jam totis viribus revocare ad jus mere ecclesiasticum (cf. d'Alès, *Théologie de Tertullien*, 493). Inanis enim foret argumentatio

« capitale est agere pro sacerdote, cum « ipsi sacerdoti, digamo facto, auferatur « agere sacerdotem ? » (*De Exhortatione castitatis*, 7. P.L. 2, 922-923).

Quod si quibusdam locis (*Apologet.* 30[1] ; *De Oratione* 27-28[2] ; *Adv. Marcionem*, 3, 22[3], et 4, 9[4]. P.L. 1, 444-445 et 1194-1195 ; 2, 353 et 376) ait Tertullianus hostiam

si inter efficaciam laici et praerogativam sacerdotis tantum pateretur intercedere ex jure divino discrimen, quantum notatur inter mere caerimoniariam oblationem et oblationem proprie sacrificalem.

Quod in altera diatriba *De poenitentia et reconciliatione* (c. 3, t. 8, p. 683) objicit Petavius, Tertullianum montanistam non potuisse amplecti sententiam quam in haereticis notaverat catholicus (*De praescript.*, c. 41) : miror si cui unquam probabitur, cum noscatur Tertullianus in plurimis rebus mutasse sententiam.

Ceterum interpretatio Petavii etiamsi admitteretur, stare non posset, fatente ipso, nisi praesupposita oblatione corporis Christi vere sacrificali.

Quod si judicantibus nobis, Tertullianum, in vindicanda laicis potestate consecrandae eucharistiae, adversatum esse fidei non solum nostrae, sed etiam coaetaneorum suorum catholicorum omnium, jam objiciat quis cum Hugone Grotio (apud Petavium, *De pot. cons. et sacr.*, p. 10), non potuisse Tertullianum montanistam, cum catholicis litigantem, demonstrare obligationem monogamiae ex potestate laicorum sacrifica, nisi haec probaretur catholicis, cum « ex re non ab aliis credita, cum aliis agens, argumentum nonnisi stulte duxisset » : facile respondetur non potuisse illum ducere argumentum ex potestate sacrifica, tanquam simpliciter assumpta ; sed potuisse ex potestate ista, prius, ut sibi videbatur, demonstrata ex testimonio *Apocalypseos* 1[6].

Quibus ad praesentem locum Tertulliani adnotatis, constat tamen, alio quodam loco ejusdem libri *De exhortatione castitatis*, in his vocibus : « Offeres pro duabus », agi de oblatione qua fideles laici illud suppeditant, unde simul sacrificium per sacerdotem deferatur corporis et sanguinis Christi, atque pauperibus praestetur alimonia. Ratione cujus oblationis (veluti hodiernae stipis) jure dicuntur oblatores ipsius sacrificii eucharistici, non solum titulo omnibus Ecclesiae membris communi, sed speciali quodam ; ex quo pressius iis competit sacrificium spectare ut suum : quemadmodum in decursu nostri tractatus (Elucid. XXVII) apparebit. En locum Tertulliani : « In secundo matrimonio « duae uxores eumdem circumstant maritum ; « una spiritu, alia in carne : neque enim pris- « tinam poteris odisse ; cui etiam religiosiorem « reservas affectionem, ut jam receptae apud « Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro « qua OBLATIONES ANNUAS reddis. Stabis ergo « ad Dominum cum tot uxoribus quot in ora- « tione commemoras ? et OFFERES pro duabus ? « et commendabis illas duas PER SACERDOTEM « de monogamia ordinatum, aut etiam de vir- « ginitate sancitum, circumdatum virginibus « et univiris, et ASCENDET SACRIFICIUM TUUM « libera fronte ? » (*De exhortatione castitatis*, 11. P. L. 2, 926-927).

Similiter est intellegendum illud absolutum « offert » in libro *De monogamia*, 10. P.L. 2, 942 : « [Uxor] pro anima ejus [h. e. viri defuncti] « orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et « in prima resurrectione consortium, et OFFERT « annuis diebus dormitionis ejus. »

1. « Ei offero OPIMAM ET MAJOREM HOSTIAM, « quam ipse mandavit, ORATIONEM de carne « pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto « profectam. Non grana thuris unius assis, « arabicae arboris lacrymas, nec duas meri gut- « tas, nec sanguinem reprobi bovis mori optan- « tis, et post omnia inquinamenta etiam con- « scientiam spurcam : ut mirer, cum hostiae « probantur penes vos a vitiosissimis sacerdo- « tibus, cur praecordia potius victimarum, quam « ipsorum sacrificantium examinentur. Sic ita- « que nos ad Deum expansos ungulae fodiant, « cruces suspendant, ignes lambant, gladii « guttura detruncent, bestiae insiliant ; para- « tus est ad omne supplicium habitus orantis « christiani. » Quo loco nil ad eucharistiam pertinente, non aliud agitur nisi quod a ceteris Patribus saepe est inculcatum : valorem sacrificii visibilis nullum esse sine sacrificio invisibili ; hujus autem vim totam in oratione religiosi animi atque adoratione reperiri.

2. Ubi volens nos « saturatam orationem velut « optimam hostiam admovere », haec scribit : « Haec est enim hostia spiritualis quae pristina « sacrificia delevit... Nos sumus veri adoratores, « et veri sacerdotes, qui spiritu orantes spiritu « SACRIFICAMUS ORATIONEM Dei propriam et « acceptabilem, quam scilicet requisivit, quam « sibi prospexit [fortasse orationem eucharis- « ticam, et probabilius orationem dominicam, « quam initio libri, cap. 1-8, suscepit exponen- « dam tanquam ,, Novi Testamenti novam ora- « tionis formam "]. Hanc de toto corde devotam, « fide pastam, veritate curatam, innocentia inte- « gram, castitate mundam, agape coronatam, « cum pompa operum bonorum inter psalmos « et hymnos DEDUCERE AD DEI ALTARE debe- « mus, omnia nobis a Deo impetraturam. »

3. In ipsa Marcionis secta, Deo veteris testamenti infensa, retinetur una cum signo crucis, sacrificium quod a veteris testamenti propheta praenuntiatum olim est oblatum iri mundum : « GLORIAE SCILICET RELATIO, ET BENEDICTIO, « ET LAUS ET HYMNI. Quae omnia cum in te « quoque deprehendantur, et signaculum fron- « tium, et ecclesiarum sacramenta, et MUNDI- « TIAE SACRIFICIORUM, debes jam erumpere « uti dicas Spiritum Creatoris suo Christo pro- « phetasse. » Ubi quaedam fortasse vaga allusio ad sacrificium eucharisticum detegi potest (cf. *Adv. Marc.*, 1, col. 362).

4. Oblatio in lege hominibus a lepra munda-

nullam aut nullum sacrificium offerri aut sacrificari Deo dignum nisi orationem, censendus est figurato sermone usus (qualis etiam nunc apud asceticos nostros scriptores in usu est), ut ipse confitetur Wieland, scribens : « Symbolismus est evidens » (*Der vorirenäische Opferbegriff*, p. 143). Quatenus autem istis locis forte plus minus alludit ad orationem ipsam eucharisticam, quasi sacrificandam, ad metonymiam[1] pertinet figura, ut patet per librum *ad Scapulam*, ubi, propria locutione usus, Tertullianus scribit, non « preces sacrificamus», sed : « SACRIFI-« CAMUS... quomodo praecepit Deus, PU-« RA PRECE » (*Ad Scapulam*, 2. P. L. 1, 700).

Quod aliis tandem locis (*Adv. Jud.*, 5-6. P.L. 2, 607-609)[2], rejectis Judaeorum sacrificiis carnalibus atque terrenis, non retinet nisi sacrificia spiritualia, nequaquam per hoc excludit Tertullianus oblati a nobis dominici corporis sacrificium, sed spiritualitatem exaggerat sive sacrificationis, quae laudibus Dei consistit a corde puro profectis, sive etiam fortasse hostiae, quae est coelestis invisibilisque, contecta sacramento[3]. Nonne longe etiam postea Ambrosius in libro *De Mysteriis* eodem ipse sermone utitur ? « In illo sacramento, « inquit, Christus est, quia CORPUS EST « CHRISTI : NON ERGO CORPORALIS ESCA, « SED SPIRITALIS est » (*De Mysteriis*, 58. P.L. 16, 408).

§ 3. De reliquis ejusdem aevi Patribus aut Scriptoribus.

Ad illos scriptores deveniendum, quorum verba minus fortasse sunt determinata quam ut per se sumpta absolute dirimant quaestionem propositam : sitne res Deo oblata precatio ipsa, an id quod precatione efficitur.

SECTIO I. — DE CLEMENTE ROMANO.

Clemens Romanus, in *1 Cor.*, 44[4] (F. P. 1, 156), absolute episcopos definit : eos qui offerant dona (προσενεγκόντας τὰ δῶρα). «Non enim, inquit, leve erit peccatum nostrum, si eos qui sancte et sine « reprehensione munera obtulerunt, epi-« scopatu ejicimus.» Ubi non diserte quidem exponit qualia dona offerre competat episcopis ; at ne uno quidem verbo innuit illa esse verba. Quinimmo minus obvium viro cordato forte erit per vocem istam absolutam τὰ δῶρα, nulla circumstante voce explicatam[4], intellegere orationes. Jure igitur priorem suam sententiam (*M. u. C.*, 26) retexens Wieland, fatetur intellegenda esse δῶρα de « realibus concretisque « donis » (*Die Schrift M. u. C. und P. Emil Dorsch*. 79).

tis imperata praesignificabat : « hominem quon-« dam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, « OFFERRE debere MUNUS Deo apud templum, « ORATIONEM SCILICET ET GRATIARUM ACTIO-« NEM apud Ecclesiam per Christum Jesum, ca-« tholicum Patris sacerdotem. » Non videtur aliena ab oratione ista atque gratiarum actione eucharistia ; quin et innuitur eo magis, quod in primo ejusdem operis libro ritum eucharisticum, prout ab homine Marcionita peractum, Tertullianus sic describit : « Super alienum panem alii Deo gratiarum actionibus fungitur » (*Adv. Marc.*, 1, 23. P.L. 2, 274).

1. Metonymia est eadem qua pro corpore Christi usurpabatur et usurpatur vox « eucharistia ».

2. « ... Quod non terrenis sacrificiis, sed spiri-« tualibus Deo litandum sit, ita legimus ut « scriptum est : Cor contritum et humiliatum « hostia Deo est. Et alibi : Sacrifica Deo sa-« crificium laudis, et redde Altissimo vota tua... « Quaerendum an expectetur novae legis lator, « et Novi Testamenti haeres, et novorum sacri-« ficiorum sacerdos, et novae circumcisionis « purgator, et aeterni Sabbati cultor, qui legem « veterem compescat, et Novum Testamentum « statuat, nova sacrificia offerat... Novae legis « lator, Sabbati spiritualis cultor, sacrificiorum « aeternorum antistes, regni aeterni aeternus « dominator, quaerendum an jam venerit necne.»

3. *Adv. Jud.*, 14, col. 640-641 : « Alter vero « [hircus] pro delictis oblatus, et sacerdotibus « tantum templi in pabulum datus, secundae « repraesentationis argumenta signabat, qua « delictis omnibus expiati SACERDOTES TEMPLI « SPIRITUALIS, id est Ecclesiae, DOMINICAE GRA-« TIAE QUASI VISCERATIONE QUADAM fruerentur, « jejunantibus ceteris a salute » (cf. *Adv. Marc.* 3, 7. P.L. 2, 331).

4. De quadam vetere lectione, nostro sensui favorabiliore, quae sic currit :... *Si reprobaverimus illos qui obtulerunt munera episcopatus*, vide Aemil. Dorsch, *Der Opfercharakter der Eucharistie*, Oenip., 1909, p. 230.

At ludicre nimis vult agi de donis non offerendis Deo, sed apponendis communitati, de donis scilicet agaparum inter pauperes dispertiendis. Quocirca remittit ad Justinum dicentem *primo* (*Apol.*, 1, 13. P.G. 6, 345), nos ἑαυτοῖς καὶ δεομένοις προσφέρειν (« nobismetipsis ac pauperibus offerre »), et *secundo* (*Apol.* 1, 65 et 67, col. 428-429) panem cum vino et aqua porrigi praesidenti (65 : προσφέρεται τῷ προεστῶτι. 67 : προσφέρεται), qui deinde eucharistiam faciat. Ex quibus Justini exemplis infert, non aliud apud Clementem sonare vocem illam προσφέρειν nisi *vorlegen*, porrigere, apponere, proponere sumendum [intellege : populo], et quasi sternere mensam.

At quod spectat ad primum locum Justini[1], sciendum est dativum esse commodi in vocibus ἑαυτοῖς καὶ δεομένοις, nec proinde sensum esse oblationis faciendae ad nosmetipsos (!) et pauperes, sed ita faciendae ad Deum, ut in nostram cedat atque pauperum utilitatem. Quod non solum apprime congruit ritui nostro eucharistico, sed etiam declaratur integro tenore illius sententiae, ubi exponitur discrimen inter ritus in sacrificiis ethnicorum usurpari solitos, et nostrum offerendi stylum. Non scilicet offerimus Deo quasi cupienti ditescere nostris donis, sed ditare nos suis. Offerimus tamen illi, quanquam non in ipsius commodum. Nec sensus est *Apologiae* : nos non sumus athei, nam, quanquam non offerimus Deo, offerimus tamen nobis ! Quae nimis insulsa foret praescriptio.

In altero autem Justini exemplo, quanquam sensus ille simplicis porrectionis, quatenus agatur de diaconis episcopo ministrantibus[2], retineri potest et debet, tamen minime valet transferri ad Epistulam Clementis propter tria : *Primo*, quia προσφέρειν τὰ δῶρα dicitur episcopus absolute, nullis indicatis aut insinuatis hominibus ad quos censeatur προσφέρειν. *Secundo* quia προσφέρειν vix apte significat porrigere nisi in inferiore relate ad superiorem, puta in ministro relate ad dominum. In superiore autem relate ad inferiorem, puta in episcopo relate ad fideles, melius diceretur sane παραδιδόναι, vel διαδιδόναι (cf. *Luc.*, 18^{22} et 12^{22}. Xenoph., *Cyrop.*, 1, 3). *Tertio*, quia episcopi τὰ δῶρα προσενεγκόντος praecessit antea typus in viro quem curavit Moyses a Deo eligi « ut IPSI (Deo) sacra faceret et « ministraret », εἰς τὸ ἱερατεύειν καὶ λειτουργεῖν αὐτῷ (*I Cor.*, 43^{4}. F. P. 1, 154)[3].

SECTIO II. — DE DOCTRINA DUODECIM APOSTOLORUM.

In *Doctrinae* capite 14 (F.P. 1, 32) dum commendatur ut diebus dominicis in fractione panis fiat gratiarum actio, bis usurpatur vox θυσία. Sacrificalem praeterea denotat ritum allusio ad *Matth.*, 5^{23-24} « Die dominica autem convenien- « tes, frangite panem et gratias agite « (κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε), post- « quam delicta vestra confessi estis, ita « ut sit mundum sacrificium vestrum « (ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ). Omnis vero « cui est controversia cum amico suo ne

1. « ... Athei non sumus, creatorem hujusce « universitatis colentes, indigum eum negantes « cruorum, libationum, suffimentorum, ut edocti « sumus, quantum autem possumus, laudantes « verbis precationis atque gratiarum actionis « (siquidem HUNC SOLUM ESSE DEO DIGNUM « HONOREM NOBIS TRADITUM EST : NON IGNE « CONSUMERE EA QUAE IPSE IN ALIMONIAM CREA- « VIT, SED IN NOSTRUM ATQUE PAUPERUM PRO- « FECTUM OFFERRE, gratum vero ei animum « praestantes, ore nostro pompas et hymnos « emittere) pro creatione, praesidiis valetudinis « cunctis, generibus creaturarum, vicissitudi- « nibus tempestatum, atque mittentes ad eum « preces ut per fidem ipsius in incorruptibili- « tatem resurgamus... »

2. Possunt etiam non inepte intellegi oblationes fidelium solitae fieri praesuli in missae offertorio ; quae si in causa sunt, quid nisi offerri dicendum fuit vinum aut panis ? Nec jam haeret vox προσφέρεται in sensu illo magis indeterminato *vorlegen*, qui aptius forsan responderit voci προτίθεται. Cf. Clem. Alexand., *Stromat.*, 1, 10. P.L. 8, 744 : Ὁ Σωτὴρ ἄρτον λαβών, πρῶτον ἐλάλησεν καὶ εὐχαρίστησεν · εἶτα κλάσας τὸν ἄρτον προέθηκεν, ἵνα δὴ φάγωμεν λογικῶς.

3. Recte igitur anglicanus vir : « When Cle- « ment of Rome speaks of the oblations and « gifts which it belongs to the presbyter's office « to present, he doubtless includes among « them... the EUCHARISTIC prayers and ELE- « MENTS. » H. B. Swete, *Eucharistic belief in the II and III centuries.* J. T. S. t. 3, p. 163.

« conveniat vobiscum, donec reconciliati « sint, ne inquinetur sacrificium vestrum « (ἵνα μὴ κοινωθῇ ἡ θυσία ὑμῶν). Hoc enim « est dictum a Domino : *In omni loco et* « *tempore offeratur mihi sacrificium mun-* « *dum, quoniam rex magnus sum, dicit* « *Dominus, et nomen meum mirabile in* « *gentibus.* » Posse hic vocem θυσία nominare oblatum Deo corpus Christi ipsi nos vix non diffitemur. Nam jubentur fideles ita se habere, sive circa peccatorum confessionem, sive circa reconciliationem cum adversariis suis, ut ἡ θυσία eorum sit munda (καθαρά), nec inquinata (μὴ κοινωθῇ). Porro inquinatum esse aut carere munditia corpus Christi non potest, quantumvis deficiant christiani ab istiusmodi officiis. Placet igitur et nobis, non rem sacrificatam, sed actum sacrificalem sub nomine θυσίας esse intellegendum[1]. Sensus ergo est : gratias super pane actas esse quamdam sacrificationem. In quo nihil est molesti nobis, nam ipsi nos contendimus sacrificationem consistere in prece eucharistica in quantum continente verba Christi, sicut a ceteris scriptoribus et Patribus illius aevi est traditum. Sequitur ergo ex verbis *Doctrinae* : sacrificationem esse quamdam precationem (eucharisticam).

Sed non sequitur precationem (eucharisticam) esse ipsam rem oblatam. Immo potius innuitur contrarium. Nam si τὸ εὐχαριστεῖν est sacrificare, videtur sacrificari idipsum quod dicitur εὐχαριστεῖσθαι ; proindeque satis naturaliter existimabitur in sacrificium offerri res per gratiarum actionem consecrata. Panem autem consecratum fuisse primaevis etiam illis christianis corpus Christi, non negat noster neotericus. Suadetur igitur offerri corpus Christi. Recolendum interea est ex supradictis quomodo consecratione panis et vini eucharistica revera involvatur oblatio corporis et sanguinis Christi pro nobis passi ad mortem.

Sectio III. — De Clemente Alexandrino.

Verum equidem est vehementer Clementem saepiusque reprobasse omnia istiusmodi sacrificia, cujusmodi solebant diis offerre ethnici. Vide *Strom.* 5, 11 ; 7, 3 ; 7, 6 (P.G. 9, 113 ; 417-420 ; 444). Quibus locis videtur potissimum in hoc intentus ut nullis terrenis rebus, quasi ex nostro censu haustis, Deum veluti ditemus, aut voluptate afficiamus, aut amplificemus honestate ulla. Nec tamen negat, immo confirmat loco illorum sacrificiorum honorari Deum a nobis rationabiliter « per precationem », δι' εὐχῆς. Ubi per precationem verisimiliter intellegit celebrationem eucharisticam, quam « optimam sanctissimamque sacri- « ficationem cum justitia emittimus, jus- « tissimo Verbo impendentes honorem[2] :

1. Suffragatur huic interpretationi auctor libri *De Aleatoribus* (c. 4. P.L. 4, 830), cum citat *Doctrinam* his verbis : « ... ne inquinetur... « ORATIO vestra ». Attamen ex quibusdam exemplis serioris aetatis patebit infra (Elucid. XXXIII) ipsum eucharisticum corpus et sanguinem vocatum esse a sanctis extra legitimam celebrationem panem haereticum aut si quid ejusmodi.

2. Δι' εὐχῆς τιμῶμεν τὸν Θεόν · καὶ ταύτην τὴν θυσίαν ἀρίστην καὶ ἁγιωτάτην μετὰ δικαιοσύνης ἀναπέμπομεν τῷ δικαιοτάτῳ Λόγῳ γεραίροντες · δι' οὗ παραλαμβάνομεν τὴν γνῶσιν, διὰ τούτου δοξάζοντες ἃ μεμαθήκαμεν (7, 6). Aliter quidem hunc locum vertit Wieland : honoramus Deum per preces, et hoc est optimum, et sanctissimum sacrificium, quod in justitia sursum mittimus, justissimo sermone honorificum donum facientes *(M. u. C.*, 49 ; *Die Schrift M. u. C.*, 90). At parum probatur versio ista. Nam 1° cur vocaretur consecratio (ut ipsi Wieland placet) sermo *justissimus*, praesertim cum articulo τῷ ? 2° Intellegi Verbum Divinum suadetur ex proxime cohaerente propositione explicativa : « per quem..., per illum » (effugium ludicrum videsis apud Wieland, *D. V. O.*, 132-133). Praeterea aliquantulum etiam confirmatur noster sensus ex nativa vi vocis γεραίρω. Quae vox originaliter designabat non quamlibet exhibitionem honoris, sed proprie et ritualiter sacrificalem : nominans scilicet sacrificia funebria quae, semel in anno (id est, tertio die Anthesteriorum), Athenis, supra quatuordecim altaria offerebant in honorem Dionysi, per Titanes in quatuordecim partes disrupti, mulieres quatuordecim sacerdotes, dictae γεραραί seu γεραιραί. Hoc quippe vocabatur γεραίρειν τῷ Διονύσῳ. Impenditur igitur Christo, in memoriam mortis ejus, cultus ille sacrificii qui per precationem quamdam fit. Cujusmodi descriptio congruit nostro sacrificio eucharistico ad amussim.

Dativus igitur ille τῷ Λόγῳ videtur mihi neces-

« per quem cognitionem accipimus, per « illum glorificantes ea quae didicimus « [puta arcana Sanctissimae Trinitatis]. « Est ergo, quod est apud nos hic in terris « altare, congregatio eorum qui intenti « sunt orationibus, unam quodammodo vo- « cem habens et unam mentem... Est enim « Ecclesiae sacrificium oratio quae a sanc- « tis exhalatur animis, cum aperitur simul « sacrificium atque tota mens Deo. » Omisso scilicet altari coelesti, qui est Christus, nec attento nisi altari altero, quae est Ecclesia, recte Clemens, quamvis intricato suo stylo, proprietatem eucharistici sacrificii describit sitam : 1° in orali sacrificatione ; 2° in interna sacrificantis Ecclesiae sanctitate ; 3° et consequenter, in simultanea exhibitione sacrificii et interni et externi.

Quod si qua obscuritas tamen istis locis inhaeret, non parum discutitur praevia quadam monitione, primo libro *Stromatum* (1, 19. P.G. 8, 813) inserta[1], ex qua claret : 1° celebrationi eucharisticae vulgo nomen adhaesisse τῆς προσφορᾶς, et in sensu quidem activae oblationis ; 2° constitisse illam προσφοράν in eucharistiatione[2] panis et vini[3]. Unde colligitur eucharistiationem ipsam habuisse rationem oblationis, et quidem respectu eucharistiatae rei, scilicet corporis et sanguinis Christi.

Huc accedit commentarius, non improbabiliter Clementi adscriptus, in *Luc.*, 15 (P.G. 9, 760-761) ; ubi non solum perhibetur immolatus (qualitercumque tandem hic accipienda sit immolatio, puta cruenta aut sacramentalis) « vitulus, qui alibi « agnus dicitur », qui « caro est et panis » ; sed praeterea haec, non respectu filii prodigi, sed christianorum percipientium eucharistiam, adjiciuntur : « Accedentibus « igitur filiis Pater vitulum dat, et macta- « tur et comeditur » (τοῖς μὲν οὖν προσιοῦσιν υἱοῖς ὁ Πατὴρ τὸν μόσχον δίδωσι, καὶ θύεται, καὶ τρώγεται). Quas inter actiones duas, sacrificationem (θύεται) et manducationem (τρώγεται), praesente tempore pariter simulque enuntiatas, vix rationabiliter contenderis[4] : connexionem signari solum secundum causalitatem, qualis viget inter communionem nostram et sacrificium passionis, minime autem secundum continuitatem temporis, qualem habet sacrificatio nostra recens cum eucharistiae perceptione.

Verum equidem est vitulum dici a Clemente eum « qui ut ovis ad mactationem « ductus est (ἐπὶ σφαγὴν ἀχθείς) [utique, « fateor, in passione], victimam (θῦμα) me- « dullosam, cujus omnis adeps secundum « sanctam legem in Dei partem transiit : « totus enim est Domino consecratus (ἀνα- « κείμενος) et devotus (ἀνατεθειμένος), ita « bene altus et grandis, ut in omnia per- « tingat ac sufficiat, vescentesque illo ac « fruentes saturet » etc. At quid inde sequitur ? Numquid dixeris, asserta praevia sacrificatione quae a Domino facta est, *eo ipso* excludi alteram quae a nobis fiat ? Quinimmo, id unum est concludendum, quod saepius jam commemoravimus : unam scilicet sacrificationem dominicam ita cunctis nostris supereminere, ut hae,

sario regi per vocem γεραίρω. An regatur simul per vocem ἀναπέμπω, ita ut ad eumdem dicamur mittere sacrificium, cui dicimur γεραίρειν, res non est valde evidens. Utique dativus destinationis regulariter adhibetur cum voce ἀναπέμπω (cf. Sophocles, *Greek Lexicon*, sub hac voce) ; et suppeditat exemplum de ipso nostro sacrificio misso ad Deum haec sententia Justini : Αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει (*Apologia* 1, 65. P. G. 6, 428. Conferantur etiam duo exempla ex Apollonio mox recitanda). At potest etiam ἀναπέμπω usurpari absolute. Quod si supponatur hic fieri, tunc sensus erit : nos emittere [puta ad Deum] sacrificium, quo γεραίρομεν τῷ Λόγῳ. Ceterum istud dubiolum ad praesens nostrum propositum nihili interest.

1. « *Panes absconsos lubenter tangite, et aquam* « *furti dulcem* (*Prov.*, 9[17]). Ubi per panem « et aquam illas haereses clare notat Scriptura, « quae in oblatione (κατὰ τὴν προσφοράν) pane et « aqua aliter utuntur quam Ecclesiae canonibus « praecipitur ; sunt enim qui aquam solam « eucharistient (ὕδωρ ψιλὸν εὐχαριστοῦσιν). »

2. « Non negandum est, inquit Wieland « (*D. V. O.*, 120), posse nomen προσφορά speciali- « ter referri ad εὐχαριστεῖν, ita ut eucharistiatio « ipsa designetur ut oblatio ad Deum. Hic igitur « haberemus primum vestigium paulatim ex « tunc irrepentis ampliationis conceptus sacri- « ficalis in Oriente... »

3. Cf. *Strom.* 4, 25. P.G. 8, 1369.

4. Cum Wieland, *D. V. O.*, 113.

non nisi illa praesupposita, habere locum possint ; ut ex sua ipsius sacrificatione Christus sit victima ; ut victima maneat aeternaliter coram Deo, in cujus conspectu jaceat (ἀνακείμενος), in cujus cultum sit dedicatus (ἀνατεθειμένος) : ipse idem qui a nobis nunc θύεται, sicut et a nobis τρώγεται.

Quam camdem habitudinem nostrae celebrationis eucharisticae ad praeviam illam immolationem cruentam enuntiat Clemens duobus locis sane genuinis. In quorum priore (*Strom.*, 5, 10. P.G. 9, 101)[1] postquam dicta est contemplatio Dei nobis comparari per carnem Verbi manducandam et sanguinem potandum, additur : PROPTEREA vere, secundum sententiam Platonis, opus fuisse nobis magna nec triviali victima, scilicet Christo, qui immolatus est (ἐτύθη) pro nobis agnus paschalis : utique in passione. In altero autem (*Paedag.*, 2, 2. P.G. 8, 409)[2] describitur Christus, Dei Verbum, tanquam magnus botrus, qui pro nobis PRESSUS EST, ὁ μέγας βότρυς ὁ Λόγος ὁ ὑπὲρ ἡμῶν θλιβείς [pressus utique in passione] : cujus uvae sanguis nobis nunc est BIBENDUS.

SECTIO IV. — DE QUORUNDAM APOLOGETARUM DICTIS.

Haud secus ac Justinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, alii veteres apologetae nonnulli removendis sacrificiis institerunt.

Sic Aristides in *Apologia* sua proclamat : « Deum neque hostiis, neque libatio« nibus, neque ulla visibili re egere. » (c. 1, cf. c. 13. T. u. U., 4, 3, p. 6 et 32).

Scribens Athenagoras περὶ τοῦ μὴ θύειν, in *Legatione pro christianis*, c. 13 (P.G. 6, 916), testatur cognitionem Dei et puras ad eum manus sublatas solum esse sacrificium illi acceptum, cui nulla re opus sit, cui hostia debeatur incruenta et spiritualis adoratio[3].

Pariter S. Apollonius Romanus, sub Commodo imperatore martyr (*Acta S. Apollonii*, § 8. (T. u. U., 15, 2, p. 98) : « Sacrificium incruentum et mundum e« mitto (ἀναπέμπω) et ego et omnes « christiani omnipotenti Deo, qui domi« natur coelo et terrae et omni spiritui (πάσης πνοῆς) : [sacrificium videlicet quod « fit] per preces maxime (δι' εὐχῶν μά« λιστα) pro (ὑπὲρ) intellectualibus et ra« tionalibus imaginibus [Dei] ordinatis « a providentia Dei in regimen terrae » [i. e. pro imperatoribus]. Haec de sacrificiis quae offeruntur ab ipso et christiana communitate : ubi agnoscitur resonantia quaedam liturgiae christianae *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt* sollemnis (*I Tim.*, 2[2], collata intercessione quae asservata est in compilatione sane posteriore *Apostolicarum Constitutionum* 8, 12 et 13. F.D. 1, 510-512 et 514). Non dicit hoc loco preces offerri, sed « per preces » sacrificari.

Alio quidem loco (§ 44, p. 126) loquitur de offerendis precibus. Sed jam non ait se loqui de ritu quodam christianorum, sed persuadet suo judici (nequaquam eucharistiam edocto) ut ipse offerat quoddam sacrificium incruentum precum et beneficentiae : quod unum genus sacrificii metaphoricum poterat tali homini inculcare ; quanquam non addit commendari tale genus ad exclusionem omnis cujuslibet alius. « Sperabam fore ut piae cogitationes tibi « insiderent, et illuminatis animae tuae « oculis per apologiam meam, cor tuum « fructificans Deum factorem omnium co« leret, huicque cottidie per eleemosynas « et humanum modum [conversandi] pre« ces emitteret (ἀναπέμπειν) uni (sacrificium « incruentum et mundum) Deo. »

Auctor *Epistolae ad Diognetum* (3^{3-5}, F.P., 1, 394) negat Deo tanquam indigenti reddenda esse ea quae indigentibus nobis ipse liberaliter praestat.

Pariter Minutius Felix ironice : « Hostias et victimas Deo offeram, quas « in usum mei protulit, ut rejiciam ei « suum munus ? » Immo hanc decernit

1. Vide infra, Appendicem B.
2. Vide infra, Appendicem C.
3. De Athenagora legi possunt utilia apud Aemil. Dorsch (*op. cit.*, p. 236-239).

ei esse litabilem hostiam : bonum animum, puram mentem, sinceram sententiam, justitiam, misericordiam (*Octav.*, 32. P. L. 3, 339-340).

Quo in genere dicendi non solum coaetaneis suis, ut vidimus, isti consentiunt, sed etiam Patribus atque theologis posterioris sicut et anterioris aetatis.

Ex Patribus posterioris aetatis, qua certe sacrificium corporis et sanguinis Christi ecclesiasticum inconcusse ab omnibus praedicabatur, sufficiant pro exemplo, in Occidente S. Hilarius, in *Ps.* 62, n. 8 (P.L. 9, 405), Zeno Veronensis (lib. 1, tractatus 15, c. 5. P.L. 11, 364-365)[1]; in Oriente, Basilius, *Ep.* 115 (P.G. 32, 528) et (?) *In Isaiam* 1^{24-27} (P.G. 30, 165-172), Gregorius Nazianzenus, *Or.* 45, n. 12, 14, 23 (P.G. 36, col. 640, 641-644, 656), *Carmin.* lib. 2, sect. 2, poem. 3, vers. 255-258 (P.G. 37, 1498), Epiphanius, *Haer.* 66, n. 71 (P.G. 42, 141-144); Quin et Theodoretus sacrificiorum oblationes omnes taxat exagitatque integro sermone de sacrificiis in sua *Graecarum affectionum therapeutica* (Serm. 7. P.G. 83, 992-1005), ne uno quidem verbo interim facto de sacrificio eucharistiae, sed solummodo pro sacrificatione commendatis orationibus et virtutibus. Attamen quid constare certius potest quam fides illius aetatis illorumque Patrum de sacrificio corporis et sanguinis Christi ab Ecclesia offerendo ?

Ante ceteros vero Patres et doctores etiam primaevos, auctor *Epistolae Barnabae* (2, 6. F.P. 1, 42) jam sacrificiorum abrogationem praedicaverat, non tacita tamen omnino oblationis novae proprietate : « Haec igitur, inquit [Judaeorum sacri-« ficia] abrogavit [Deus], ut nova lex « Domini nostri Jesu Christi, quae sine « jugo necessitatis est, OBLATIONEM HA-« BEAT NON FACTAM AB HOMINIBUS (ἵνα... « μὴ ἀνθρωποποίητον ἔχῃ τὴν προσφοράν). » Habet ergo illa suam oblationem, non quidem ab hominibus, sed a Deo factam ; quasi scriberet auctor : ἵνα μὴ ἀνθρωποποίητον, ἀλλὰ θεοποίητον, ἔχῃ τὴν προσφοράν.

At ante ipsum Paulus Apostolus in *Actibus Apostolorum* (17^{24-25}) nonne iisdem fere verbis ad Athenienses peroraverat : *Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur* (οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρωπίνων θεραπεύεται) *indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia.*

Immo, si simul considerentur omnes illae exclusiones sacrificiorum, videntur posse reduci ad pauca capita doctrinae. Quatuor enim in omni sacrificio occurrunt consideranda : cui offeratur, quid offeratur, quomodo offeratur, a quo offeratur.

Primo quidem, spectato eo cui offertur, exclusere Patres sacrificia Deo oblata *ut indigenti*, quasi per nos Deus, ut delirabant ethnici, atque etiam aliquando Judaei, afficeretur beneficio (Aristides, Athenagoras, Ep. ad Diognet., Minucius Felix, Irenaeus, Clemens Alex.). Et re quidem vera, ne sacrificio quidem nostro eucharistico Deus eget, sed egemus ; nec quasi fructum capiens delectatur, sed dans nobis facere fructum salutis.

Secundo, spectato eo quod offertur, rursus exclusere Patres omnem terrenam oblationem, vel arte humana comparatam, qualem in more hominum erat aris aut altaribus imponere[2] (Ep. Barnabae, Justinus,

1. Qui continuo tamen sub finem capitis 6, sacrificium eucharistiae commemorat, prohibens contaminari, id est profanari, divina sacramenta, addensque : « Jam videat unusquisque quemad-« modum sacrificium aut sumat aut offerat : « sicut enim indigne offerre sacrilegium est, ita « indigne manducare mortiferum » (col. 369. Cf. lib. 1, tract. 5, c. 8, col. 309). Quod ideo nobis visum est animadvertendum, quia a quibusdam protestantibus, quos commemorant et citant fratres Balleriniani in suis notis ad S. Zenonem (col. 369, 370), negatum est Zenoni ullum probari sacrificium praeter internum animi affectum. Ubi exemplum habes quid possit praeconcepta sententia : nam quid minus verisimile fingi potest in homine post medium quartum saeculum florente ? De aliis, quos adnectimus, Patribus non est quod argumentum ullum afferatur.

2. Qua exclusione pressius ostenditur non naturales panis et vini substantias visas esse veteribus offerri, sed corpus et sanguinem Christi, in cujus veritatem convertuntur.

Tertullianus, etc.). Non enim terrena est nostra hostia, sed nec rationalis aut immaculata solum, sed et coelestis[1], nulli videlicet rerum corporearum conditioni subjecta, nec nisi per omnipotentiam divinam aut inducta in mundum aut facta litabilis.

Tertio, si spectetur modus ipse oblationis, primo quidem exclusere Patres a sacrificiis nostris omnem immolationem realem, seu cruentam mactationem. Atque inde est quod saepe a cultu nostro exsulare dixere omnem θυσίαν (Athenagoras, Clemens Alexandrinus, cf. Nazianzenum, Theodoretum). Voces enim quibus indiscriminatim significatur mox sacrificatio, seu oblatio immolatae hostiae, mox immolatio, seu mactatio, debuerunt pro occasione et subjecta materia, aliquando admitti et aliquando rejici, secundum aliud et aliud. Sacrificatur enim vere corpus Christi, dum offertur a nobis nunc, prout jam olim immolatum transivit in hostiam sempiternam ; nec interea vere a nobis immolatur aut mactatur, sed immutationis recentis expers, remanet ἄθυτον ἱερεῖον (Damascenus, *In dominicum pascha*. P. G. 96, 841) ; per sacerdotes ἀθύτως θυόμενον, ut fert sermo apud Gelasium Cyzicenum (*Historia concilii Nicaeni*, l. 2, c. 30. P. G. 85, 1317)[2] adscriptus Patribus Nicaenis[3] ; recteque in *Liturgia Chaldaeorum* cantatur : « Sacrificium vivum et rationabile primitiarum nostrarum, et VICTIMA NON IMMOLATA, et tamen acceptabilis, Filii generis nostri, quem... sacerdotes super altaria sancta IMMOLAVERUNT,... offertur » (Max. Saxoniae, *Missa Chaldaica*, p. 26).

Rursus quod attinet ad modum oblationis, removerunt Patres omnem ritum corporeum, puta ἀναθημάτων, nec retinuerunt nisi spiritualem seu intellegibilem ; non sensibus, sed per sensibilia symbola intellectui credentium pervium ; constantem non actione ulla materiali, aut mechanica, sed vi intellegibili sermonis[4] a Domino traditi et ad Deum directi ; non directe quidem enuntiantis oblationem, sed agentis : dum fundit symbolice ex corpore Christi piacularem sanguinem ; quo fit ut in apparente oblatione panis et vini fiat Christi pro nobis olim demortui oblatio vera.

Quarto tandem, spectato eo a quo offertur, maxime Patres vitae probitatem adorationemque in spiritu et veritate extulere : in qua consistit invisibile sacrificium, cujus nisi signum sit sacrificium visibile, non est acceptabile (ita fere omnes, speciatimque Zeno Veronensis)[5].

EPILOGUS.

De Joan., 4[23].

Quatuor potissimum his de causis dictum est a Patribus spirituale nostrum sacrificium. Spiritualitatem autem istiusmodi miror nonne primus insinuaverit Christus in *Joan.* 4[23], cum dicit : *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores* (προσκυνηταί) *adorabunt* (προσκυνήσουσιν) *Patrem in spiritu et veritate.*

Primo enim, hoc loco, sub nomine ado-

1. Secundum hanc acceptionem meminit « spiritualis sacrificii » auctor *Consultationum Zacchaei Christiani et Apollonii Philosophi* (l. 2, c. 7. P. L. 20, 1120), aliquanto post medium quartum saeculum (cf. A. Reatz, *Das theologische System der Consult. Zacch. et Apollon.*, Frib.-i.-B. 1920, p. 149).

2. De Gelasio Cyziceno attendenda ea quae utiliter adnotat Dom Leclercq ad *Hist. des Conciles*, t. 1, p. 392.

3. Reperitur eadem locutio ἀθύτως θυόμενον apud Theodorum Andidensem, *Brevis commentatio*, c. 28. P.G. 140, 456.

4. Hoc dilucide inter alios explicavit quarto decimo saeculo liturgista graecus insignis, Nicolaus Cabasilas in sua *Liturgiae expositione*, c. 51. P.G. 150, 485 : « Ea de causa vocat « [sacerdos] sacrificium cultum verbalem (λογικήν), quia nullum importat opus, sed solis « consecratoriis verbis utens hanc oblationem « offert... Etsi revera hostia vere est opus et « factum, tamen ipse circa ipsam nihil agens, « sed dicens tantum, merito non activum, sed « verbalem cultum se ait offerre. »

5. Summam totius doctrinae, his quatuor punctis contentae, invenies fere congestam a Cyrillo Alexandrino, in libro nono et decimo operis *Contra Julianum*. P.G. 76, 968-1049.

rationis videtur agi de cultu sacrificali. Hoc enim dupliciter apparet : et ex materia subjecta, et ex analogia sermonis biblici.

Apparet primo ex materia subjecta. Nam responsio est intellegenda secundum sensum quaestionis. Quaestio autem erat de lite quae inter Judaeos et Samaritanos erat : ubi esset sacrificandum ; utrum in templo hierosolymitano, an in delubris montis Garizim illius, in quo, secundum Samaritanorum Pentateuchum (*Deut.*, 27⁴), divinitus erat praeceptum populo, ut, trajecto Jordane, sacrificaret, ac certe benedictiones erant positae iis qui legem observarent (*Deut.*, 11²⁹ ; 27¹²). Cum ergo quaerit mulier ubi adorare (προσκυνεῖν) oporteat, intellegenda est quaerere ubi oporteat sacrificare, eo vel magis quod praemiserat : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, i. e. sacrificaverunt.

Apparet idem ex analogia sermonis biblici. Etenim eadem vox προσκυνεῖν et apud *Joan.*, 12²⁰, et in *Act.*, 8²⁷ probabiliter, certissime autem in LXX *Gen.*, 22⁵, significat sacrificii cultum. Est autem, ut omnes norunt, sacrificium perfectissimum et propriissimum adorationis genus.

Secundo jam spiritualitas et veritas novi cultus videtur attendenda secundum eminentiam nostri sacrificii eucharistici super carnalia veterum sacrificia atque figuralia. Etenim circumscriptioni locali legalis cultus sacrificalis opposuit Christus ubiquitatem cultus messianici, dum dicit (v. 21) *Venit hora quando non in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Non simpliciter iterat affirmationem ubiquitatis, sed rationem reddit, cum pergit (v. 23) : *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Ideo sacrificium erit universale, quia erit spirituale et verum. Adorabitur etenim Pater non carnalibus sacrificiis aut figuralibus, sed per spirituale sacrificium quod figuras impleat[1] : per sacrificium scilicet unius victimae perfectae, victimae rationalis et immaculatae, oblatae Deo sub tegumentis symbolorum secundum ritum immaterialem. Quare nec locorum differentiis erit illa hostia aut oblatio ejus alligata.

Ceterum jam olim hunc Joannis locum, expositum de commutatione altaris et sacrificii, connectebat Eusebius (*Demonstr. Evangel.*, l. 1, c. 6. P.G. 22, 57 sq.) cum prophetia *Malachiae* 1¹¹⁻¹². Similiter Theodoretus, dominica verba ita exponens : « Cessavit enim loco circumscrip-« tus cultus sacerdotum, omnis autem « locus ad Dei cultum idoneus declaratus « est ; et victimarum quidem irrationalium « caedes finem cepit, solus autem immacu-« latus Agnus sacrificatur, qui tollit pecca-« tum mundi » (*In Malach.*, 1¹¹. P.G. 81, 1968). Rupertus inter Latinos consonat : « Non enim solus Hierosolymis mihi « est locus, ubi oporteat adorare, sed in « omni loco veri adoratores adorabunt « Patrem in spiritu et veritate. Et offe-« runt nomini meo oblationem mundam, « oblationem panis et vini, sacramentum « corporis et sanguinis Redemptoris sui » (*In Malach.*, c. 1. P.L. 168, 821).

APPENDIX B.

De communione ad Christum per contemplationem et per eucharistiam una indivisaque apud Patres atque imprimis Clementem.

Scribit Clemens : « Si ergo lac quidem « est infantium (*I Cor.*, 3¹⁻³), cibus au-« tem dictus est ab apostolo nutrimentum « perfectorum, lac quidem intellegetur ca-« techesis, veluti primum animae nutri-« mentum ; cibus autem, epoptica contem-« platio : carnes nimirum ipsae et sanguis « Verbi, hoc est cognitio (κατάληψις) divi-« nae virtutis et essentiae. *Gustate et videte*, « inquit, *quoniam Christus est Dominus.* Sic « enim seipsum impertit IIS QUI SPIRITUA-« LIUS SUNT TALIS CIBI PARTICIPES : cum « scilicet anima seipsam nutrit, ut dicit « amicus veritatis, Plato. [Non igitur, secundum Clementem, omnibus se impertit contemplandum Christus quicumque

1. Cf. Bellarmin., *De Missa*, l. 1, c. 11.

sunt istius cibi, carnis dico et cruoris, participes, sed tantum illis qui spiritualius sunt participes, hoc est qui non secundum corpus tantum aluntur eucharistia, sed etiam secundum animam]. « Cibus enim et potus divini Verbi est « cognitio divinae essentiae [quatenus scilicet manducatio sacramentalis est sacramentum efficax manducationis spiritualis]. « Propter quod dicit in secundo libro « *Reipublicae* Plato : sacrificato non porco, « sed magna aliqua et rara hostia, oportet « demum de Deo quaerere. Apostolus au« tem scribit : *Et pascha nostrum immo*« *latum est, Christus* : rara utique hostia « Christus, qui pro nobis sanctificatur « (ἁγιαζόμενος) » (*Strom.*, 5, 10. P.G. 9, 101)

Sunt qui negent ullatenus intendi hoc loco a Clemente eucharistiam, ne indirecte quidem. Sic Batiffol (*Eucharistie*[3], p. 181. Rursus *Eucharistie*[5], p. 254; contra A. Struckmann, *Die Gegenwart Christi in der hl. Eucharistie nach den schriftlichen Quellen der vornizäischen Zeit*, 1905, p. 136-138). Longe autem est mihi probabilior sententia contraria propter rationes quas interpolavi textui, et propter connexionem assertam per vocem *propter quod* (διό) inter sacrificium et cibum illum potumque Verbi.

Ubi hoc velim generaliter notatum : minime nocere apud Patres interpretationi eucharisticae sermonis johannici (*Jo.*, 6), quod saepe de cognitione fidei, vel contemplatione Verbi, vel studio Scripturarum, vel si quid hujusmodi, intellegant dictum vel panem et potum, vel etiam carnem et sanguinem Christi. Nam sicut innuitur toto illo sermone (*Jo.*, 6^{27-59}), et apud Patres sollemne est (cf. etiam *Concil. Trid.*, sess. 13, c. 8, D. 881, et legatur sedulo Toletus in *Joan.*, 6^{52}, Col. Agr. 1589, col. 593-594) manducatio eucharistica est sacramentum manducationis spiritualis, quae fit per fidem vivam (cujus propria est contemplatio caritativa Verbi, et pia veritatis in Scripturis revelatae meditatio). Nec mirum proinde quod libere dixerunt panem et potum, vel carnem et sanguinem esse ipsam fidem, contemplationem, doctrinam, cujus est sacramentum seu symbolum, aut vice versa : pro quanto scilicet unum alteri cohaeret ratione et causalitatis et significationis seu similitudinis. « Ex hac au« tem similitudine plerumque etiam ipsa« rum rerum nomina accipiunt » symbola seu sacramenta, ut nos monet Augustinus in *Epistola ad Bonifacium Episcopum* (*Ep.* 98, n. 9. P.L. 33, 364). Talis igitur praedicatio minime nocet interpretationi eucharisticae ; immo eam secum fert : utpote quae ambae inter se compenetrent. Quare intertextae apparent saepissime apud veteres. Cujus facti pauca proferantur exempla breviora.

Haec scribit Eusebius Caesariensis (*De solemnitate paschali*, n. 2. P.G. 24, 696) : « Hujus ergo VICTIMAE, id est « Servatoris, qui proprio sanguine huma« num genus salvavit, INTELLECTUALIBUS « PASTI CARNIBUS, videlicet DOCTRINIS AT« QUE SERMONIBUS regnum coelorum nuntiantibus, divinis convenienter epulis epulamur. » Qui idem, paulo infra (n. 7, col. 701), de corpore jam ac sanguine eucharistico istud subdebat : « Moysis quidem « asseclae semel in anno paschalem ovem « immolabant, quarta decima primi mensis « die, circa vesperum. Nos autem Novi « Testamenti homines singulis diebus do« minicis nostrum Pascha perficientes, « semper corpore Servatoris satiamur, « semper sanguinem Agni participamus. »

Athanasius etiam, in invitatione ad coenam paschalem, christianae cibum fidei propositum exhibet (*Epist. heortastica* 28. P.G. 26, 1433). «... Ut ipse quidem pro « omnibus hostia fieret, nos autem verita« tis INNUTRITI SERMONIBUS, viventisque « ejus DOCTRINAE PARTICIPES, cum sanc« tis coelestem quoque laetitiam adipisci « valeamus. Illic quippe nos, TANQUAM « AD COENACULUM DISCIPULOS, VERBUM « CUM IPSIS VOCAT AD DIVINUM ET VERE « INCORRUPTIBILEM PASTUM (ἐσθίασιν) : hic « quidem passum pro nobis ; illic vero « coelestia tabernacula praeparans iis qui « promptissima mente obedierint voca« tioni, et firma animi intentione secuti

« fuerint ad bravium supernae vocationis ; « ubi ILLOS QUI AD COENAM VENIUNT « et luctantur adversus impeditores suos, « manet corona et incorruptibilis laetitia. » Aliud exemplum intertextae coenae spiritualis cum sacramentali vide in *Ep. heort.* 6, 1 (col. 1383). Plurimis interea epistularum heortasticarum locis convivium praedicat sacramentale Athanasius, quo caro et sanguis Verbi, ipse Agnus, ipsum Verbum comeditur : (*Ep. heort.* 2, 3 ; 4, 4 ; 5, 1 ; 5, 5 ; 9, 9-10 ; 13, 7. P.G. 26, 1368, 1379, 1379-1380, 1382-1383, 1395-1396, 1418).

Satis affinis est locutio Theophili Alexandrini, in *Epistula heortastica* anni 401 (n. 17), haec contra Origenem disputantis : « Nec vanitatem appellamus « substantiam corporalem, ut ille aestimat, aliis verbis in Manichaei scita concidens : ne et CORPUS Christi subjaceat « vanitati, CUJUS EDULIO SATURATI, RU« MINAMUS QUOTIDIE VERBA dicentis : « *Nisi quis comederit carnem meam, et* « *biberit sanguinem meum, non habebit* « *partem mecum* » (P.L. 22, 787).

Nec fuit genus istud sermonis proprium illius aetatis, sed etiam invaluit apud mediaevales viros, etiam cum maxime versarentur in defendenda praesentiae dominicae in sacramento veritate. Sic, pro exemplo, Gulielmus a Sancto Theodorico, EXPRESSE de manducatione spirituali disserens prout per sacramentalem procurata, non temperantius sane quam Clemens aut Origenes (*In Num.*, hom. 16, 9. *In Matth.*, *Com. Ser.* 85 etc. P.G. 12, 701-102 ; 13, 1734-1735), miscuit ipse unam cum altera. « Cum ergo de carne « sua [utpote per passionem sauciata] « amandi se tantam ingerit materiam, mag« nam et mirificam animabus nostris vitae « alimoniam ministrat. Quam tunc avidis « faucibus sumimus, cum dulciter recolli« gimus, et in ventre memoriae recondi« mus quaecumque pro nobis fecit vel pas« sus est Christus. Et hoc est convivium « de carne Jesu et sanguine : cui qui com« municat habet vitam in se manentem. « Tunc autem communicamus, cum FIDE « ARDENTE, QUAE PER DILECTIONEM OPE« RATUR, REPONIMUS IN MENSA DOMINI « QUALIA INDE SUMPSIMUS : videlicet ut, « sicut ille se praebuit pro salute nostra, « nulla sua necessitate, sic nos totos fidei « ejus et caritati exhibeamus, necessi« tate salutis nostrae. In hoc enim convi« vio quicumque saginatur, nescit panem « suum otiosus comedere, sed sollicite cum « muliere forti de nocte hujus saeculi con« surgit ad lucernam verbi Dei, ut labores « manuum suarum manducet, ut beatus « sit, et bene ei sit, etc. Ecce hoc est man« ducare illam carnem, de qua dicit Jesus : « *Qui manducat meam carnem, in me manet* « *et ego in eo.* » Toti autem huic elucubrationi praemiserat istud, unde satis patet sacramentale corpus Christi illic edisseri : « Considerandum nobis est quo« modo ad veram vitam talis cibus [cor« pus ipsum Christi, cf. c. 2-4] sic nobis « necessarius sit, ut sine hoc ad illam per« venire impossibile sit. ...Ut igitur ille « ametur [scilicet Christus], ...ad hoc enu« trire nos debet cibus iste » [id est eucharistia] (*De Sacramento altaris*, c. 5. P.L. 180, 351 et 352-353). Advertas (rem sane lepidam) ipsum Gulielmum a Sancto Theodorico esse conquestum de locutionibus sat obscuris Patrum in re eucharistica (*op. cit.*, c. 11. P.L. 180, 359).

Vide etiam *Epistolam ad fratres de Monte Dei*, c. 10, n. 30 (P.L. 184, 327) a Massueto non improbabiliter Guigoni Carthusiensi adscriptam, ubi « *res* sacramenti », id est spiritualis fructus, non utique sine respectu ad ipsum sacramentum, dicitur manducari, bibi, percipi, sumi, in pia meditatione passionis dominicae.

In eamdem sermonis joannici interpretationem redundat quod Patres saepe, non promiscue ut supra, sed veluti παραλλήλως extulerunt utrumque elementum, et significativum seu sacramentale, et significatum seu spirituale.

Sic Origenes (*In Num.*, hom. 16, 9. P.G. 12, 701-702) dum explicat *Jo.*, 6^{54}: « Bibere autem dicimur sanguinem Christi, « non solum sacramentorum ritu, sed et

« cum sermones ejus recipimus, in quibus « vita consistit.» Rursus (*In Exod.*, hom. 13, n. 3. P.G. 12, 391) : « Nostis qui divinis « mysteriis interesse consuestis, quomodo « cum suscipitis corpus Domini, cum omni « cautela et veneratione servatis, ne ex « eo parum quid decidat. Quod si circa « corpus ejus conservandum tanta utimini « cautela, et merito utimini : quomodo « putatis minoris esse piaculi verbum Dei « neglexisse quam corpus ejus ? »

Pariter Didymus : « Quomodo verba « illa intellegemus : *Panem angelorum man-« ducavit homo* ? Nunc panem meum in-« tellege solida Dei MANDATA ; et vinum, « AGNITIONEM Dei ex divina rerum medi-« tatione. Similiter autem, et divinum ejus « CORPUS SANGUINEMQUE pretiosum » (*In Prov.*, 9^5. P.G. 39, 1633).

Assonat commentarius in *Prov.*, 9^2, minus probabiliter Hippolyto adscriptus : « *Paravit mensam suam*, promissam sanc-« tae Trinitatis COGNITIONEM, necnon ve-« nerandum sanctumque ejus CORPUS AC « SANGUINEM, quae in arcana et divina « mensa quotidie perficiuntur et sacri-« ficantur » (P.G. 10, 628).

Similiter in libro primo *Epistularum* quarum fertur fuisse auctor S. Nilus, haec habet undecentesima : « Praedicit « Moyses populo :... *comedatis carnes ;* « carnes intellegens divinum CORPUS quod « fideles in Ecclesia comedunt, et beatis-« simam christianorum COGNITIONEM, co-« gnitionibus omnibus excelsiorem » (P.G. 79, 125).

Inter Latinos Hieronymus haud diverse : « Quando dicit : *Qui non comederit « carnem meam et biberit sanguinem meum*, « licet et in mysterio possit intellegi, ta-« men vere corpus Christi et sanguis ejus « sermo Scripturarum est, doctrina divina « est. Si quando imus ad mysterium (qui « fidelis est, intellegit), si micula ceciderit, « periclitamur. Si quando audimus ser-« monem Dei, et sermo Dei et caro Christi « et sanguis ejus in auribus infunditur, et « nos aliud cogitamus, in quantum peri-« culum incurrimus ? » (*Anecdota Maredsolana*, vol. 3, pars. 2, p. 301. *Tract. sive hom. in Psalm.* 147). Rursusque : « Hoc « solum habemus in praesente saeculo « bonum, si vescamur carne Domini et « cruore potemur, non solum in mysterio, « sed etiam in Scripturarum lectione (*In Ecclesiasten*, 3^{12-13}. P.L. 23, 1039).

Quis nescit hoc genere styli usum esse auctorem *Libri de imitatione Christi*, 4, 11, ubi de duabus mensis loquitur christiano homini a Deo in Ecclesia stratis. In utraque Christus nobis jacet alio et alio modo manducandus. Adeo « ut unus sit cibus « vitae : Verbi incarnati uti evangelizantis, « et incarnati ut hostiae justificantis » (Nicolaus de Cusa, *Exercitationum* lib. 4. Opera, Basileae 1565, p. 444).

Ceterum, ut iterum dicamus, sicut eucharistia est sacramentum incorporationis quae fit per fidem vivam, sic etiam fides viva est quaedam spiritualis manducatio eucharistiae, ut magis patebit infra (Elucid. XLIX). Cohaerent igitur inter se ista duo, ut signum et signatum, ut sacramentum rei, et res sacramenti : quare fert natura rerum ut transferantur ad alterum alterius nomina et praedicata. Esto igitur Origenes praestiterit ducatum ; attamen Origenem ipsum rerum natura agebat : sicut agebat Ignatium, de Ecclesia eucharistico stylo loquentem, symbolismus eucharistiae ecclesiasticus.

APPENDIX C.

De participando in eucharistia cruore passionis dominicae apud Clementem.

Est hujus puncti assertio pars sermonis cujusdam involutioris, in quo Clemens distinguit veluti duplicem sanguinem Jesu : « unus enim est carnalis, quo redempti « sumus ab interitu ; alter vero spiritualis « quo uncti sumus » [ᾧ κεχρίσμεθα, id est fortasse : quo initiati sumus in Christum]. Videtur mihi hoc loco Clemens distinguere duplicem sanguinem eodem sensu quo alii Patres nonnulli duplicem Domini et sanguinem et carnem distinxerunt. Hieronymus, *In Ephes.*, 1^7. P.L. 26, 481 : « Dupliciter sanguis Christi et caro intel-

« ligitur : vel spiritualis illa atque divina, « de qua dicit *caro mea est cibus* ; vel caro « et sanguis quae crucifixa est, et qui mi- « litis effusus est lancea. » Augustinus, *En. in Psalm.* 98. n. 9. P.L. 37, 1265 : « Non hoc corpus quod videtis manduca- « turi estis, et bibituri illum sanguinem « quem fusuri sunt qui me crucifixerunt » (Cf. Hesych., *In Levit.*, 8^{22-29}. P.G. 93, 883). Pro alia enim et alia conditione (seu praesentiae modo) distinguitur et caro sensibilis, objectum scilicet sensus, et caro intellegibilis vel spiritualis, objectum nimirum solius intellectus vel fidei (cf. Billot, *De Ecclesiae sacramentis*[4], I, p. 392). De una fit sermo in passione, de altera in eucharistia. Porro istiusmodi distinctionem sponte sua invehebat materia a Clemente disputata. Vult enim ut christianus in cottidiano victu aqua temperet vinum : huc spectat tota ejus disputatio. Post alia pauca affert pro exemplo Christum, magnum verae vitis botrum, qui voluit ut sanguini suo, seu sanguini uvae, aqua admisceretur (sicut sanguis suus admiscetur gratiae salutari). Quod dupliciter noscitur esse factum : uno modo cum in passione premeretur uva, et manavit aqua et sanguine ; altero modo, spiritualiore, in coena (cujus coenae sanguis in spiritualis vitae incorruptibilitatem nos perducit). Secundum autem hunc alterum modum attenditur rursus temperamentum dupliciter. Primo quidem ex parte sensibilis illius elementi quod propinatur, VINI dico et AQUAE. Secundo ex parte ELEMENTI SPIRITUALIS quod conjungitur HOMINI POTANTI (se habet enim ad Verbum spiritus increatus Verbi, sicut sanguis ad carnem, propterea quod robur Verbi est ipsius spiritus : quod si autem spiritus Verbi habet partes sanguinis, partes aquae habet homo conjunctus spiritui Verbi per potum. En igitur intra ipsam eucharisticam coenam alterum temperamentum veluti aquae et vini, hominis dico et Spiritus).

Ex duobus illis eucharisticis temperamentis (vini et aquae, Spiritus et hominis), primum ordinatur in fidem alterius gignendam (est enim ipsius symbolum) ; in altero autem Spiritus ingenerat homini incorruptionem. Jam vero ex ambobus elucet quaedam tertia temperatura : sensibilis scilicet elementi, id est potus, et elementi spiritualis, id est Verbi. Quae tandem commixtio Verbi atque potus complexive dicitur eucharistia. Verbum hoc loco intellegitur incarnatum, ut in decursu postea sermonis apparet.

En jam locum : « Sancta vitis botrum « germinavit propheticum. Hoc signum est « iis, qui ex errore [gentilitatis] in requiem « [christianismi] sunt deducti [πεπαιδαγω- « γημένοις], magnus botrus, Verbum pro « nobis pressum, cum sanguis uvae, Ver- « bum, aqua temperari voluerit (sicut etiam « sanguis ejus salute temperatur). Duplex « est autem sanguis Domini : alter enim « est carnalis, quo redempti sumus ab « interitu ; alter vero spiritualis, quo scili- « cet uncti sumus. Et hoc est bibere san- « guinem Jesu, dominicae participem fieri « incorruptibilitatis. Robur autem Verbi « [est] Spiritus, sicut sanguis [est robur] « carnis. Similiter [ἀναλόγως] igitur admisce- « tur, vinum quidem aquae, homini vero « Spiritus ; et illud quidem, temperamen- « tum dico [vini et aquae], pascit in « fidem ; hoc vero, id est Spiritus, dedu- « cit in immortalitatem. Rursus autem « temperatura amborum, potus dico et « Verbi, nomen habet eucharistia, [hoc « est] gratia laudabilis et pulchra : cujus « qui secundum fidem participes sunt, « sanctificantur et corpore et anima : « quippe divina voluntate misturam di- « vinam, hominem scilicet, copulante Spi- « ritui et Verbo mystice. Etenim revera « Spiritus unitur animae, quae ab ipso « fertur ; caro autem Verbo, propter « quam Verbum caro factum est » (*Paedagog.*, 2, 2. P.G. 8, 409-412).

Non est igitur dubitandum quin in supralaudata sententia, *bibere sanguinem Jesu* ad potationem eucharisticam referatur. Qui sanguis interea est uvae illius pro nobis quondam pressae.

Elucidatio XIX.

Fusius apud posteriores Patres et theologos constat ipsam passionis hostiam offerri Deo a nobis in commemoratione quadam sacramentali passionis.

CAPUT III.

DE HABITUDINE MISSAE AD SACRIFICIUM DOMINICUM.

Celebrationi nostrae eucharisticae inesse et rationem sacrificii et passionis repraesentationem ; immo hinc pendere sacrificii indolem, quod habeatur imago passionis (seu immolatio symbolica) uno ore Patres proclamavere [1]. Quorum sententia tam aperta est tamque nota iis qui vel extremo digito paginas illorum volutaverunt, ut si quis testimoniis insisteret congerendis, is nonnisi actum agere videretur.

At subtilior enascitur quaestio, quomodo repraesentationi sacramentali sacrificii crucis accedat ratio veri sacrificii ; quomodo sit sacrificium verum, quod careat immolatione vera, nec nisi similitudinariam habeat, repraesentativam, sacramentalem seu, ut fert lingua graeca, mysticam, symbolicam : quae imitatio quidem est immolationis realis, sed non est ea res cujus est imago [2]. Quod si minus ex professo tractaverunt Patres, tamen mens eorum non est ambigua : ideo eatenusque imaginem sacrificii in sacrificium transire, quod in imagine illa offeratur hoc ipsum cujus est imago : scilicet cruenta Christi mors, in incruenta mortis effigie. Qua in re velim recolantur retineanturque, proportione servata, illa quae in Elucidatione III notata sunt generatim de ejusmodi doctrinae punctis, quibus vindicandis non fuerit cur Patres unquam incumberent. Speciatim vero minor fuerit forsan necessitas diffiniendi ac distinguendi illa quae omnibus christianis ex frequentissima praxi essent apprime nota : cujusmodi imprimis fuit sacrificium Ecclesiae. Quare Patres, ut in re omnibus familiari, non tam procedebant didactice, quam ad fines practicos utebantur notitia praesupposita. Quo in genere disciplinae non est exspectanda plerumque illa rigorosa analysis aut integratio partium completa, quam in disputationibus de Trinitate, de Incarnatione, de Gratia, necessitate compulsi, accuraverunt. Quare saepe non erunt cogentia testimonia, quanquam ad minus suasiva. Aliquando tamen videntur probe decisiva. Praeter vim igitur quam habet ex se conspiratio indiciorum probabilium, accedet ex locis clarioribus indicatio pressior. Horum vero luce etiam illa retro collustrantur : ut totius fasciculi strictior evadat

1. Aliud est in repraesentatione sacramentali sacrificii fundare aliquatenus veri sacrificii indolem, aliud est ita inter se convertere rationem repraesentationis et rationem sacrificii, ut *eo tantum sensu* nuncupetur eucharistia sacrificium, quod sit imago sacrificii : quod etsi placuit Renz (passim, et t. 2, p. 484-485), minime tamen aut tutum, aut verum esse videtur. Non enim per meram figuram sermonis est eucharistia sacrificium, sed secundum rei veritatem.

2. Etiam atque etiam rogo benignum lectorem, ut quotiescumque nos viderit excludere a missa omnem immolationem recentem, velit meminisse (non enim istiusmodi distinctiones singulis paginis repeti possunt) sermonem esse de immolatione reali, non de immolatione mere repraesentativa, quae nedum a nobis excludatur, immo non putamus fore catholicum, si quis eam in missa asserere detrectaverit recentem, totiesque iteratam, quoties missa celebratur.

Quin et oblatio nostra (quam vindicabimus utique recentem et veram) hostiae passionis, reapse nonnisi in ista immolatione symbolica consistit : cui, ut dictum est in coena Domini (Elucid. III), competit ut sit oblatio immolationis verae ac cruentae.

consensus. Robur autem testimonio illi collectivo addit carentia auctoritatis cujusvis pro sententiis illis novellis, quas crisi subjicere, post expositos Patres, nobis opus erit.

Interim vero patronus nobis velim exsistat vir patristicae theologiae studiosissimus, B. Petrus Canisius, Societatis Jesu egregium decus. Cujus catechismus non solum in Germania, sed etiam in Gallia, et ubique fere terrarum, propugnaculum adversus insultus novatorum fuit avitae fidei efficacissimum. Quaerit ille (*Opus catechisticum*, *De Sacramentis*, q. 7) : « Quid porro de altaris sacrificio CREDENDUM est ? » Et respondet post pauca : « Missae sacrificium, si « rem omnem aeque perpendimus, est « revera dominicae passionis et illius « CRUENTI SACRIFICII, quod in cruce pro « nobis est oblatum, sancta quidem et « viva repraesentatio atque simul IN- « CRUENTA et efficax OBLATIO. » Qua responsione dilucide elementa illa duo discernit ac copulat, quae Patribus sollemnia sunt : repraesentationem et oblationem ; utramque unius rei, scilicet passionis. Ut enim constabit sequentibus Elucidationibus, doctrina Patrum in hoc consistit, quod Christi mors eo offeratur quod repraesentetur. Ipse ritus repraesentativus est oblativus repraesentati. In tantum Christi passi corpus et sanguis a nobis Deo datur εὐχαριστήριον et ἱλαστήριον, in quantum per species quibus divisim induitur, propitiationis gratia, demonstratur ille mortuus, qui ex sua morte sortitus est conditionem hostiae veram, eamque (ex resurrectione) inexterminabilem. Quemadmodum enim Christus se in sacramento suae mortis dedit Deo ad mortem, sic nos in eodem sacramento eamdem mortem offerimus, iterantes quod fecit. Conjuncti quippe nostro capiti per fidem, socii dum efficimur ritus quo usus est, socii etiam adscribimur donationis quam ab ipso profectam acceptans Deus sanxit gloria aeterna.

Quare tria apud Patres inveniemus, quae inter se complent et exigunt.

Primo : ipsam in sua repraesentatione offerri passionem.

Secundo : coelestem offerri a nobis aeterni sacrificii hostiam.

Tertio : non ex parte Christi intercedere actum oblationis personaliter novum, sed tantum ex parte Ecclesiae Christo capiti subordinatae.

Unde paragraphus prima erit de habitudine missae ad passionem : paragraphus secunda, de habitudine missae ad sacrificium coeleste ; paragraphus tertia, de habitudine missae ad oblationem dominicam.

§ 1. De habitudine missae ad passionem.

Dupliciter Patres hanc illustravere : primo explicite, dum adserunt passionem offerri in missa ; secundo implicite, dum cibum eucharisticum habent pro participatione sacrificii cruenti.

SECTIO I. — ADSERITUR PASSIO OFFERRI IN MISSA.

Qui praeit Patribus reliquis Cyprianus, nihil ipse in ancipiti reliquit. Duo enim haec conjungit : primo quidem, esse sacrificium eucharisticum imitationem aliquam sacrificii passionis ; negat enim « sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni » (Ep. 63, n. 9. P.L. 4, 381). Sed secundo, et potissimum, esse passionem Christi ipsam rem in sacrificio eucharistico oblatam : « PASSIO est enim Domini, inquit, sacri« ficium QUOD OFFERIMUS » (n. 17, col. 387). Unde sequitur sacrificium eucharisticum in hoc apud Cyprianum consistere, quod offeratur Deo vere, in quadam repraesentatione sua, immolatio illa Christi in passione caesi[1]. Quod si vero Christus non existimatur praesens in eucharistia nisi ut hostia

1. Qui autem testatur offerri passionem, idem etiam saepe in hoc reponit sacrificium eucharistiae, ut offeratur corpus et sanguis Christi. Nam non solum dicit Christum in coena obtulisse

passionis, jam intellegitur quam proprie a veteribus illis nuncupetur eucharistia : « ipsum dominicae passionis et nostrae « redemptionis sacramentum » (n. 14, col. 385) : sacramentum scilicet non vacuum, sed plenum, continens et hostiam passionis et redemptionis pretium.

Inter Graecos, Cyrillus Hierosolymitanus (*Catechesis* 23, quae est *mystagogica* 5, n. 10. P.G. 33, 1117) docet offerri a nobis in missa « Christum mactatum pro peccatis nostris[1] » (utique in passione). Χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν. Unde intellegitur quid sibi velit istud : μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ[2], παρακαλοῦμεν τὸν

---

suum corpus et sanguinem (n. 4, col. 376), sed praeterea sentit hunc sacerdotem vice Christi vere fungi, « qui id quod Christus fecit imitatur » (n. 14. col. 386) ; aperteque docet et a nobis « sanguinem Christi offerri » (n. 9, col. 381). Quae locutiones igitur, praeterquam ex sese, ut saepe dictum est, mortem sonant, ostenduntur etiam, ex usu Cypriani, esse habendae pro synonymis alterius illius, qua enuntietur passionis oblatio.

Nobis, propter diuturnam assuefactionem ex tenerrimis annis, quibus literam catechismi edidicimus, minus oggerunt suum sensum et vim verba illa : sacrificium *corporis et sanguinis* Christi. Sed fingas mente illos qui primi ista verba audierunt, idque primum : quid intellegere potuerunt nisi sacrificium quo offerretur mors Christi ? Quare apud Patres Latinos indiscriminate *sacrificium corporis et sanguinis* usurpatur et de nostro incruento sacrificio et de cruento sacrificio Domini.

Apud Graecos idem observari potest, puta apud Eusebium (*Dem. evangel.*, l. 1, c. 10. P.G. 22), cui sonant idem prorsus illa duo, quibus sacrificium nostrum eucharisticum enuntiatur : « celebrare memoriam CORPORIS ET SAN-« GUINIS Christi » (τὴν τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος τὴν ὑπόμνησιν ὁσημέραι ἐπιτελοῦντες, col. 88); et « memoriam offerre SACRIFICII » in passione peracti (col. 89 et 92). Qui etiam vult ut ista oblatio nobis « pro sacrificatione » (ἀντὶ θυσίας) exsistat ; non quasi vacua sit sacrificio, sed ita ut in ea tractentur « veneranda mensae Christi « sacrificia » (τὰ σεμνὰ τῆς Χριστοῦ τραπέζης θύματα. Unde concludit : « Sacrificamus igitur Deo « altissimo sacrificium (θυσίαν) laudis, sacrifica-« mus plenum et venerandum et sacrosanctum « sacrificium (θῦμα), sacrificamus novo more, « secundum novum testamentum, mundum sacri-« ficium (θυσίαν) » (col. 92). Hostia igitur quaedam vera a nobis sacrificatur, per actionem aliquam vel ritum, quo tamen non aliud a nobis peragitur, nisi commemoratio quaedam sacrificii corporis et sanguinis Christi olim in cruce peracti. Nulla ergo fit immolatio praesens, et tamen offertur hostia immolata (θῦμα). Nolim inde ducere argumentum, quamvis bene congruerit, si senserit Eusebius : in commemoratione sacramentali passionis offerri ipsam victimam, cujus fiat memoria, corpus dico sanguinemque mactati Christi.

Cui intellectui etiam cohaeret quod habet idem Eusebius inferius (*Dem. Evangel.*, 5, 3, col. 365) : « Salvator noster Jesus, Dei Christus, secundum « modum Melchisedech sacerdotalis sui inter « homines ministerii opera etiam nunc per suos « ministros perficit. Sicut enim ille, sacerdos « gentium exsistens, nequaquam videtur SACRI-« FICIIS CORPORALIBUS usus esse, solo vino et « pane Abrahamum benedicens, sic primus qui-« dem ipse Salvator et Dominus noster, et deinde « orti ab eo sacerdotes omnes inter omnes gentes, « SPIRITUALE exsequentes juxta ecclesiastica « statuta SACERDOTII MUNUS, vino et pane COR-« PORIS EJUS ET SANGUINIS SALUTARIS REPRAE-« SENTANT MYSTERIA » [tanquam in aenigmate. αἰνίττονται]. Id est, pro cruentis sacrificationibus habemus nunc sacramentalem corporis et sanguinis Christi memoriam, seu passionis repraesentationem, quae longe antecellit cultui legali, in quo oportebat « per hostias anima-« lium irrationabilium et cruores Deum colere « ritu corporali » *(ibid.)*.

1. Puto ista finalitate ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων affici directe mactationem illam (ἐσφαγιασμένον), non autem nostram oblationem (προσφέρομεν) : nam 1° finem ac scopum nostrae oblationis latius patere quam NOSTRAM (qui vivimus) utilitatem propriam, immo extendi ad salutem defunctorum, est ipsum propositum Cyrilli orationisque argumentum. 2° haec amplior nostrae litationis utilitas ac intentio statim subditur a Cyrillo verbis sermonem proxime continuantibus : ἐξιλεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν [τῶν κεκοιμημένων] τε καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον Θεόν. — Cum autem vox τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων colligatur voci ἐσφαγιασμένον (id est Christi passioni), potest convenienter accipi « pro peccatis nostris » [qui homines sumus]= pro peccatis omnium hominum. Sin autem colligaretur voci προσφέρομεν (id est *nostrae* actioni oblativae), deberet eodem sensu restricto accipi ἡμετέρων ac ἡμεῖς = nos qui actu offerimus. In quo, ut dictum est, est inconveniens.

2. Longe probabilior nobis videtur haec interpunctio, quam si omittatur comma inter ἱλασμοῦ et παρακαλοῦμεν, ponatur autem inter λατρείαν et ἐπί. Etenim errant, qui putant ibi enuntiari a Cyrillo epiclesim, seu invocationem Dei in sacrificium : 1° quia non uteretur genitivo casu (ἐπὶ τῆς θυσίας), sed accusativo (ἐπὶ τὴν θυσίαν) ; 2° quia numquam dicitur epiclesis fieri pro Ecclesia, mundo et regibus ; 3° quia superiore capite jam transactum est, quod ad epiclesim pertinebat : unde fit, ut hoc decimo capite praesupponatur perfectus cultus circa hostiam seu sacrificium, ut jam intercessioni (id est precationi pro Ecclesia etc.) locus sit. Erraret etiam, si quis putaret hanc esse mentem

θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας, ὑπὲρ βασιλέων κτλ. (*Ibid.*, n. 8, col. 1115). Cultus nimirum fit incruentus super hostiam sacrificii cruenti, super hostiam propitiationis qua redempti sumus, super hostiam mactatam in passione[1].

Chrysostomus (*In Hebraeos*, hom. 17, 3. P.G. 63, 130-131) validissime inculcat esse Christum formaliter unum in ratione hostiae respectu et omnium sacrificiorum nostrorum et sacrificii sui cruenti : « Una « est inquit [Paulus], haec hostia ; illae « autem multae : idcirco scilicet infirmae, « quia multae. Quid enim, dic, quaeso, opus « erat multis, si una sufficeret ? Propterea, « et quod multae erant, et quod sem- « per offerebantur, ostendit nunquam [Ju- « daeos per eas] mundari... Quid vero ? « annon nos cottidie offerimus ? OFFE-

Cyrilli, ut precatio fieret, quasi superimpendens (ἐπί) hostiae, ad Deum, pro (ὑπέρ) Ecclesia etc. Istius enim sensus nullum apud veteres occurrit exemplum, neque scio an satis constaret usui grammaticali usurpatio illa geminae propositionis ἐπί et ὑπέρ uni verbo innixae. — Vertenda igitur sententia sic : « Postquam perfectum est spirituale sacrificium, [id est] cultus incruentus super hostia illa propitiationis (nimirum in passione inventae), invocamus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro bono mundi statu, pro regibus » etc.

1. Juxta Basilium (si ipse tamen est auctor Commentariorum in Isaiam), dum fastidit Deus solitam a Judaeis peragi effusionem sanguinis ad crepidinem altaris, brutorum quidem sanguinem reprobat, non vero sanguinem Christi effusum novissimis temporibus pro mundi salute in remissionem peccatorum expiationemque delicti unicam ; per quem cruorem suum factus est Christus hostia una, veraque ovis, cujus sacrificatio hodie apud nos peragitur (θυομένου), cujus caro noster est cibus. Unde insinuatur fortasse mens auctoris : sicut vera fiebat a Judaeis oblatio sanguinis effusi ad altare, ita veram esse faciendam a nobis oblationem sanguinis effusi in passione ; fierique illam in nostro sacrificio eucharistico. « Non expostulo [inquit « Deus], ut ad altaris crepidinem effundatur « taurorum aut hircorum sanguis... Observa « eum non dixisse se nolle sanguinem ullum. « Nam QUI SANGUIS NOVISSIMIS SAECULIS IN « REMISSIONEM PECCATORUM EFFUNDITUR (ἐκχυ- « νόμενον) [utique a nobis eucharistiam celebran- « tibus], qui et melius loquitur quam sanguis « Abel, hunc non dixisset se nolle ; sed commu- « tat hostias in spirituale : siquidem et sacer- « dotii commutatio futura est.... Excluduntur « igitur qui sunt ex aaronico semine oriundi, ut « istis succedat sacerdos secundum ordinem « Melchisedech. Non jam amplius illae assi- « duae hostiae ; non jam illae quae propitia- « tionis die litabantur, non jam cinis juvencae « mundans inquinatos. Una enim hostia, Chris- « tus, et ea quae secundum ipsum est sancto- « rum mortificatio. Una aspersio, lavacrum re- « generationis. UNA PECCATI EXPIATIO SANGUIS « PRO SALUTE MUNDI EFFUSUS (ἐκχυθέν) [olim « scilicet a Judaeis in passione] » (*In Isaiam*, c. 1, n. 26. P.G. 30, 169). « ... In consum- « matione saeculi vera illa ovis, Christus, sacri- « ficatur (θυομένου) [a nobis christianis] : cujus « caro vere est cibus » (*Ibid.*, n. 27, col. 172). Tenue, fateri cogor, indicium.

Apud Gregorium Nazianzenum, praeter locum olim de complexu dominicae coenae et passionis citatum (Elucid. III), aliqualiter etiam monstratur implicata sacrificio nostro eucharistico et contenta passio Christi, cum ratio redditur, quomodo per baculum illum Hebraeorum agnum comedentium praesignetur fides christianorum firma. « Lex fulcientem baculum « tibi praescribit, ne forte animo titubes, SAN- « GUINEM Dei et PASSIONEM et MORTEM audiens « ...Quinimmo sine pudore et sine dubitatione « manduca corpus, bibe SANGUINEM, si vitae « desiderio teneris, neque sermonibus de carne « abrogans fidem, neque ex sermonibus de PAS- « SIONE percipiens damnum » (*Or.* 45 *in S. Pascha*, 19. P.G. 36, 649). Ubi sanguis, qui bibendus proponitur, videtur esse sanguis passionis (sed de isto genere argumenti vide potius infra Elucid. XX). Expressius in *Invectiva* sua priore contra Julianum perhibet nos per sacrificationes nostras socios effici passionis, quam ideo noscitur Christus subiisse ut efficeret nos divinitatis suae participes. « Manus suas [Julianus] de- « purgat, ab iis incruentum SACRIFICIUM abster- « gens, per quod cum Christo socii sumus et « PASSIONUM et divinitatis » (*Or.* 4, 52. P.G. 35, 576). Rursusque in carminibus suis decantat nos per sacrificiorum oblationes consociari Dei incarnati passionibus :

« Oblationes [hoc sunt] : Dei incarnationis
« Passionumque Dei consortium. »

(*Carm.*, l. 1, sect. 2, poem. 34, v. 238-239. P.G. 37, 962-964.)

Et conqueritur morbo gravatum se jam non posse per sacrificia misceri passionibus Christi :

« Non jam ad sacrificia sancta manus attollo
« Magnis Christi admixtus passionibus. »

(*Carm.*, l. 2, sect. 1, poem. 50, v. 49-50. P.G. 37, 1389.)

Qui sermonis realismus nonnullum suppeditat indicium sententiae, in qua fuerit Nazianzenus : per oblationem eucharisticam interesse nos passioni Christi, eo quod incarnati Verbi corpus caesum, effusumque sanguinem, manibus nostris tractantes, Deo per similitudinariam quamdam mactationem admovemus, tanquam hostiam nostram, dum « incruenta sectione corpus « et sanguinem dividimus dominicum » (*Ep.* 171. P.G. 37, 280-281).

« RIMUS quidem, SED MEMORIALE FACIEN- « TES MORTIS EJUS : et UNA EST HAEC « [hostia], NEC MULTAE. Quomodo una, « nec multae ? QUONIAM SEMEL OBLATA « EST, sicut illa in Sancta Sanctorum. « Hoc [quod agimus] similitudinem ge- « rit illius [quam obtulit Christus], et « haec illius [quae offerebatur in Sancta « Sanctorum] (τοῦτο ἐκείνης τύπος ἐστὶ, « καὶ αὕτη ἐκείνης). Eumdem enim sem- « per offerimus; non nunc quidem aliam « ovem, cras aliam, sed semper eam- « dem : ita ut una sit hostia. Aliunde « hac ratione quoniam multis in locis « offertur, suntne et multi Christi ? Ne- « quaquam sed unus ubique Christus, qui « et hic est plenus, et illic plenus, unum « corpus. QUEMADMODUM igitur, multis in « locis oblatus, est unum corpus, et NON « MULTA CORPORA, SIC et est UNA HOSTIA. « PONTIFEX NOSTER ILLE EST QUI OBTU- « LIT HOSTIAM NOS MUNDANTEM. ILLAM « OFFERIMUS ETIAM NUNC, QUAE TUNC « EST OBLATA, QUAE EST INCORRUPTIBILIS. « Hoc fit in memoriam ejus quod tunc « factum est. Hoc enim facite, inquit, in « meam commemorationem. NON ALIUD « SACRIFICIUM, sicut pontifex, sed idem « semper facimus ; POTIUS AUTEM COM- « MEMORATIONEM FACIMUS SACRIFICII[1]. » Haec duo statim perspicue apparent; repraesentationem duntaxat fieri sacrificii dominici sine ulla a nobis procedente victimatione; procedere tamen a nobis oblationem ipsius ejusdem hostiae, cujus oblatio dominica a nobis commemoratur : quae est hostia mortis ejus, in sacrarium gloriae transmissa, incorruptibilis, aeterna (ac proinde nobis praesto exsistens).

Distinctius vero haec ex Chrysostomo colligere licet. Primo, unum esse sacrificium nostrum cum sacrificio cruento Christi propter unitatem rei oblatae, et quidem tantam, ut non solum eamdem hostiam offerre dicamur, sed etiam idem unumque facere sacrificium; id est non solum, ut eumdem Christum[2] offeramus, sed eidem subjacentem sacrificationi, quae fuit scilicet principalis nostri sacerdotis. Secundo, propter defectum realis immolationis in missa, ubi tantum immolatio est similitudinaria, hoc nostrum sacrificium, quamvis ita verum, ut sit cum priore illo unum, tamen secundum quid rectius dici imaginem sacrificii quam sacrificium. Imaginem enim habet immolationis, non immolationem veram ullam, siquidem in nostro sacrificio non illud iteratur reapse, per quod in sacrificio dominico accessit Christo proprietas immolatitia.

Affinis est locus ubi, contra haereticam perfidiam, ex mysterio eucharistico comprobat Chrysostomus veritatem sacrificii cruenti, aperte declarans sacrificium nostrum non posse consistere sine sacrificio cruento, cujus sit symbolum. « Beneficii « memoriam mysterio colligavit, etiam « hinc ora haereticorum fraenans. Nam « quando dicunt : unde patet immolatum « esse Christum ? praeter alia multa, haec « etiam mysteria in medium adducentes, « ora eorum obstruimus. SI ENIM MORTUUS « JESUS NON ESSET, CUJUS SYMBOLA FO- « RENT EA QUAE PERAGUNTUR ? Vides « quantum illi studium fuerit ut semper « memoria teneamus, pro nobis ipsum « mortuum esse ? » (Hom. 82 *in Matth.*, 1, 2. P.G. 57, 739). Eodemque prorsus videtur spectare, quod in homilia 41 *in I Cor.* (P. G. 61, 361) explicans Chrysostomus cur in Missa fiant, ut pro *toto orbe terrarum*, ita pro *universis defunctis in Christo*, preces, hoc affert argumentum : « Ne nos pigeat « pro iis preces offerre : jacet enim [ante « nos] COMMUNE TOTIUS ORBIS PIACULUM ». Qua adducta ratione, satis dilucide monstrat Christum eucharisticum jacere ut hostiam passionis ipsius, qua totum re-

1. Illa verba Chrysostomi, Ambrosio perperam adscripta, sunt ab omnibus fere mediaevalibus recitata atque allegata.

2. Non dicit Chrysostomus unitatem illam, quam praedicat, hostiae consistere formaliter in unitate materiali corporis, sed tuetur unitatem formalem hostiae *a pari* per idem principium quo etiam unitas corporis servatur : scilicet, non magis officere unitati formali hostiae repetitionem successivam sacrificiorum, quam obstet unitati materiali corporis multiplicatio simultanea sacrificiorum in variis locis.

demptum est hominum genus. Sed idem fortius praeterea exprimit, cum Christum in altari praetendens affectum mactatione illa qua reconciliavit coelum et *terram*, christianum inimico infensum his verbis increpat : « Solve inimicitiam, ut accipias « medelam a mensa. Ad hostiam (θυσίᾳ) « accedis tremendam et sanctam, verere « argumentum illius oblationis (προσφορᾶς) : « mactatus (ἐσφαγμένος) jacet Christus. Et « quamobrem est mactatus (ἐσφάγη) ? Qua « de causa ? ut pacificaret ea quae in coelo « sunt et ea quae in terra ; ut etiam angelis « te faceret amicum » (*Homilia* 1 *de proditione Judae*, n. 6, et *homil.* 2 *de proditione Judae*, n. 5. P.G. 49, 381-390. Citatur iste locus a S. Joanne Damasceno in *Sacr. Parall.* A. 11. P.G. 95, 1145. Cf. prolixam ejusdem argumenti disputationem in *Homilia de coemeterio et de cruce*, n. 3. P.G. 49, 397-398).

Coenae et passionis sacrificio dominico uni copulat nostra sacrificia Cyrillus Alexandrinus ratione altaris unius, qui Christus est : adeo ut tam nostri altaris hostia, quam hostia altaris dominici, interitui totius generis humani occurrat. Duplici igitur ex parte ponitur nostra hostia esse hostia redemptionis, hostia ipsius sacrificii dominici : et quia est ejusdem altaris, et quia est ejusdem efficaciae. Recole commentarium supracitatum (Elucid. III) in *II Reg.*, 24^{15-25}.

Non est huic loco alienum, quod suggerit nobis Ps. Sophronius : sanguinem ipsum quem lancea e latere Christi effosso scaturire fecit, offerri hodie a sacerdotibus sacrificium pro populo. « Jam dicamus de « corpore quod sacrificatur a sacerdotibus. « Dominus noster Jesus Christus [est], « qui cottidie sacrificatur pro mundi vita « et salute, quemadmodum in calvariae lo- « co crucifixus, sic in sacra prothesi a sa- « cerdote ; cum lancea quidem, ne forte « obliviscamur in sancta crucis passione « LANCEA PERFOSSUM ESSE PURUM LATUS, « cum statim EXIVIT SANGUIS et aqua in « incorruptionem et refectionem universi : « QUEM EUMDEM SANGUINEM et aquam « SACERDOS OFFERT SACRIFICIUM PRO PO- « PULO » (*Commentarius liturgicus*, 8. P.G. 87ter, 3988-3989). Sanguis plagarum igitur offertur.

Quaerit secum prolixe Nicolaus Cabasilas, quomodo cohaereat veritas sacrificii nostri cottidiani cum apostolica doctrina de Christo semel nec iterum sacrificato. Antinomiam solvit, una in Christo assignata ratione formali hostiae, ex passionis articulo ad tempus praesens continuata. Asserit enim : « Sacrificium hoc « non esse imaginem et figuram sacrificii, « sed verum sacrificium ; non esse panem « id quod sacrificatur, sed ipsum Christi « corpus ; et praeterea unum esse agni sa- « crificium, et quidem semel factum. » Explicat deinde : « Quia enim hoc sacri- « ficium fit, non mactato ea ipsa hora « Agno, sed pane mutato in Agnum antea « mactatum, evidens est fieri quidem mu- « tationem, non autem tunc fieri macta- « tionem ; sicque est quidem id quod mu- « tatur multa, et fit mutatio identidem ; « nec tamen quicquam prohibet quin id « in quod mutatur sit unum : IMMO QUEM- « ADMODUM UNUM CORPUS, SIC CORPORIS « MACTATIO UNA » (*Liturgiae Expositio*, c. 32. P.G. 150, 440-441). In eumdem sensum superius scripserat, consecratione peracta : « Integra sacrificatio expleta at- « que consummata est, et dona sunt sanc- « tificata, et sacrificium est perfectum, et « magna victima atque hostia, quae pro « mundo mactata est, supra mensam sa- « cram cernitur jacens... ipsum sanctis- « simum corpus Domini, quod omnia illa « vere suscepit, probra, contumelias, vi- « bices : quod crucifixum est, quod inter- « fectum est ;... ipse sanguis qui exsiliit, « mactato corpore » (*ibid.*, c. 27, col. 426).

Ut ad Latinos revertamur, jam apud Ambrosium, in libro 2 *De excessu fratris sui Satyri* (P.L. 16, 1327), occurrit illud effatum : « Unius morte mundus re- « demptus est... Itaque mors ejus vita « est omnium. Morte ejus signamur ; mor- « tem ejus orantes annuntiamus ; MOR- « TEM EJUS OFFERENTES PRAEDICAMUS ; « mors ejus victoria est, mors ejus sacra- « mentum est, mors ejus annua solemnitas

« mundi est ». Probabilis sensus est : eadem, quae a nobis offerentibus praedicatur seu commemoratur mors, etiam a nobis commemorantibus vel praedicantibus offertur. « Mortem ejus offerentes praedicamus » : hoc est, offerentes mortem ejus, mortem ejus praedicamus[1].

Apud Gaudentium Brixianum passionis dominicae labores Deo in eucharistia sistuntur : « LABORES enim PASSIONIS « CHRISTI,... in figura corporis ejus ac « sanguinis, pro salubritate vitae commu- « nis afferimus [*vel potius, secundum fi-* « *dem codicum* : OFFERIMUS], et agnitam « dulcedinem mysteriorum conscio ore « testamur : *Gustate et videte quoniam* « *suavis est Dominus* » (*Serm.* 19. P.L. 20, 989).

Sanctus Augustinus in libro 20 *Contra Faustum* (18 et 21. P.L. 42, 382 et 385-386) omnia comprehendit, quae ad rei elucidationem faciunt : 1° peracti in passione sacrificii commemorationem seu repraesentationem celebrari « oblatione « et participatione corporis et sanguinis « Christi » ; 2° ipsam, quae in figuris promittebatur, sacrificii veritatem, redditam Deo a Christo in passione, eamdem a nobis in litatione nostra offerri. En ejus verba: « Verum sacrificium, quod uni vero debe- « tur Deo, quo ejus altare solus Christus « implevit, in victimis pecorum imitata « daemonia sibi arroganter exposcunt... « Hebraei autem in victimis pecorum, « quas offerebant Deo, prophetiam cele- « brabant futurae victimae, quam Chris- « tus obtulit. Unde jam christiani peracti « ejusdem sacrificii memoriam celebrant « sacrosancta oblatione et participatione « corporis et sanguinis Christi... In psal- « mis canitur : *Sacrificium laudis glorifica-* « *bit me...* Hujus sacrificii caro et san- « guis ante adventum Christi per VICTI- « MAS SIMILITUDINUM promittebatur; in « passione Christi per IPSAM VERITATEM « reddebatur; post ascensum Christi per « SACRAMENTUM MEMORIAE celebratur... « [Immolabantur sacrificia Hebraeorum] « vero uni Deo, ut ei offerretur SIMILITU- « DO promittens veritatem sacrificii, cui « erat OFFERENDA [a nobis in commemo- « ratione illa sacramentali] IPSA REDDITA « [a Christo] VERITAS IN PASSIONE COR- « PORIS ET SANGUINIS CHRISTI[2].» Hoc est : passio corporis et sanguinis, in qua consistebat sacrificii veritas olim promissa per figuras et tandem a Christo reddita Deo et Patri, nunc offertur a nobis in ipsa ejus sacramentali commemoratione.

Iterum audiendus Augustinus cum, quaerens secum unde nobis commendarit Christus sacrificium sui corporis et sanguinis eucharisticum, respondet verbis Apostoli : « *Humiliavit se, factus obediens* « *usque ad mortem, mortem autem crucis* : « ut jam DE CRUCE commendaretur nobis « CARO ET SANGUIS Domini NOVUM SACRI- « FICIUM » (*Enarr. in Psalm.* 33, 5-6. P.L. 36, 303-304). Quo datur intellegi Christum esse nostri sacrificii victimam in quantum victimatum supplicio crucis. Rursus, secundum eumdem (*Epist.* 102, q. 3, n. 21. P.L. 33, 379), offerimus christiani sacrificium congruum manifestationi Novi Testamenti, « quod [Novum Testamen- « tum] EX IPSA VERA ET UNIUS SACERDO-

1. Nisi tamen *offerentes* dicatur, sicut *orantes*, intransitive ; quo casu jam locus nihil ad rem confert. At putaverim potius *praedicantes* quam *offerentes* dici hic intransitive, si quid intransitive dicatur : nam praedicatio illa videtur intellegenda esse recitatio canonis, sicut et in *Libro Pontificali*, ed. Duchesne, t. 1, p. 126-127 : « Septem diaconos ordinavit qui custodirent « episcopum praedicantem » [= dum recitat canonem]. « Passionem miscuit in praedicatione « sacerdotum [= in canone], quando missae « celebrantur. » Ceterum supersunt alii loci Ambrosii recitandi infra (Elucid. XXI).

2. Quam dicit hic Augustinus «redditam» a Christo in passione veritatem olim promissam figuris, hanc dicit Hieronymus «redditam» in coena novissima. Adeo unum quid conflat cum passione coena illa Christi, in qua passionis immolatio cruenta incruente est a Christo reddita, id est, sicut erat per figuras obligata Deo, ita est exhibita et mancipata in sacramento significatam carnem et cruorem continente. En verba Hieronymi : «...Finem carnali [paschae] « festivitati volens imponere, umbraque transe- « unte, paschae REDDERE VERITATEM, dixerit : « *desiderio desideravi hoc pascha manducare* « *vobiscum, antequam patiar.* Etenim pascha nos- « trum immolatus est Christus » (*In Matth.*, 26. P.L. 26, 190).

« TIS VICTIMA, hoc est EX EFFUSO CHRISTI « SANGUINE ministratur. »

Nec mirum proinde quod sacrificium Ecclesiae eucharisticum nuncupatur ab Augustino « sacrificium pretii nostri », ut quo subofferatur a nobis hostia ipsa qua redempti sumus, quae est hostia crucis. Sic enim in funere matris suae de scipso narrat : « Neque in eis precibus, quas tibi « fudimus, cum offerretur pro ea SACRIFI- « CIUM PRETII NOSTRI, jam juxta sepul- « chrum posito cadavere, priusquam de- « poneretur, sicut illic fieri solet, nec in « eis precibus ego flevi » (*Confess.* 9, 12, 32. P.L. 32, 777).

Quod si ergo alibi (*Civil. Dei.*, l. 10, c. 20. P.L. 41, 298) vult Augustinus ut sacrificium nostrum sit sacramentum sacrificii (« Christus Jesus,... in forma servi... SA- « CRIFICIUM MALUIT ESSE quam sumere « [in forma Dei]... : cujus rei SACRAMEN- « TUM quotidianum esse voluit ECCLESIAE « SACRIFICIUM »), nil aliud intendit quam id quod ex Chrysostomo jam audivimus : esse sacrificium nostrum imaginem tantum, seu signum, sacrificii ex parte immolationis, quamvis ex parte nostrae oblationis sensibilis, et ex parte victimalis status hostiae, sit censendum simpliciter verum et reale sacrificium.

Neve somnieris[1] abjudicandam esse a corpore et sanguine Christi rationem rei per nos oblatae, et uni corpori spiritali, quod est Ecclesia, adjudicandam, propterea quod statim Augustinus subjunxerit : « quae [Ecclesia] cum ipsius capitis « corpus sit, seipsam per ipsum discit « offerre » *(loc. cit.)* aut propterea quod supra (c. 6, col. 284) scripserit : « Pro- « fecto efficitur, ut tota ipsa redempta « civitas, h. e. congregatio societasque « sanctorum universale sacrificium offera- « tur Deo... Hoc est sacrificium christia- « norum : *multi unum corpus in Christo.* « Quod etiam sacramento altaris fideli- « bus noto frequentat Ecclesia. » Etenim nihil rursus per hoc intendit Augustinus nisi quod saepe nos jam commemoravimus : esse totius Ecclesiae dedicationem seu consecrationem *rem* alteram istius sacrificii, id est *rem* per hoc sacrificium ultimo significatam. Quod ipse statim declarat Augustinus verbis proxime sequentibus : « ubi ei demonstratur, « quod IN EA RE QUAM OFFERT [h. e. in « corpore ipso et sanguine Christi], IPSA « OFFERATUR », tanquam in visibili sacrificio sacrificium invisibile. Sine praejudicio igitur ullo sacrificationis proprie circa Christi corpus et sanguinem versantis, Augustinus demonstravit illius et significationem mysticam, in repraesentatione sacrificii crucis sitam, et significationem moralem, se habentem respectu nostrae internae deditionis.

Cur deceat ut martyrum corpora sub altari nostro eucharistico recondantur, rationem hanc promit S. Maximus Taurinensis (*Sermo* 77. P.L. 57, 690) : « quia ubi OCCISIONIS DOMINICAE MEMBRA « ponuntur », ibi dignum est ut quiescant qui propter Domini mortem sunt mortui. Adeo in eucharistia habemus corpus Christi passi, immolati, occisi : vera occisionis dominicae membra, verum crucis theothytum. « Convenienter igitur, et « quasi pro quodam consortio ibi martyri- « bus sepultura decreta est, ubi mors Do- « mini quotidie celebratur... : ut qui prop- « ter mortem ejus mortui fuerunt, sacra- « menti ejus mysterio quiescant. Non im- « merito, inquam, velut consortio quodam « illic occisi [*alias* : *occisis*[2]] est tumulus « constitutus, ubi OCCISIONIS DOMINICAE « MEMBRA PONUNTUR ; ut quos cum « Christo unius passionis causa devinxe-

1. Ut Renz, *op. cit.*, 1, p. 259-260.

2. Malumus legere : « occisis », propter parallelismum cum superiore sententia, in cujus priore membro simul conjunguntur cum particula *ibi*, et ratio *pro quodam consortio*, et dativus *martyribus;* dum in posteriore membro cum conjunctione *ubi* consociatur *mors Domini :* cui congruit ut in altera sententia prius membrum, cum adverbio *illic*, habeat et rationem annexam *velut consortio quodam*, et dativum *occisis*, amandata ad posterius membrum, cum conjunctione *ubi*, mentione *occisionis dominicae.* Adverte enim integram contextam orationem strictissimo vigere parallelismo : ita ut jam priori correlationi « ibi.... ubi » correspondeat altera « illic.... ubi ».

« rat, unius etiam loci religio copularet. »

Juxta Faustum Rejensem, vel alium quicumque est auctor *homiliae de corpore et sanguine Christi* (n. 1) insertae editioni operum sancti Hieronymi (P.L. 30, 271-272), semel olim oblatum in pretium corpus et sanguis Christi in morte unde evasit perennis victima, nunc a nobis ita in sacramento colitur ut praesto sit quaedam perpetua redemptionis oblatio. « Cum ergo propter transgressionem Adae « origini et morti teneremur obnoxii, pro- « spiciens ex alto Deus ...reparavit munus « redemptionis, id est, ut pro debita morte « offerret indebitam... Materiam ergo de « nostra mortalitate suscepit, ut mori pos- « sit vita pro mortuis. Et quia corpus « assumptum ablaturus erat ab oculis « nostris et sideribus illaturus, necessarium « erat ut nobis in hac die sacramentum « corporis et sanguinis sui consecraret, « ut coleretur vel jugiter, juge per myste- « rium, quod semel offerebatur in pretium, « et quia quotidana et indefessa currebat « pro hominum salute redemptio, PER- « PETUA ESSET ETIAM REDEMPTIONIS OBLA- « TIO, et PERENNIS ILLA VICTIMA viveret « in memoria et PRAESENS SEMPER ESSET « in gratia. Vera, unica et perfecta hostia, « fide existimanda, non specie ; nec exte- « rioris censenda visu hominis, sed inte- « rioris affectu. Unde merito coelestis « confirmat auctoritas, quia *caro mea vere* « *est cibus, et sanguis meus vere est potus.* »

Sanctus Gregorius Magnus totidem verbis dicit nos offerre hostiam passionis (« ei hostiam suae passionis offerimus »), dum passionem in sacramento imitamur. En integrum fere locum : « Mittamus ad « hunc [Deum] legationem... mactemus in « ara ejus hostias placationis. Mittamus « ad hunc, ut diximus, legationem nos- « tram... sacras hostias offerendo. Singula- « riter namque ad absolutionem nostram « oblata cum lacrymis et benignitate men- « tis, sacri altaris hostia suffragatur : quia « is qui in se, resurgens a mortuis, *jam non* « *moritur*, adhuc per hanc in suo mysterio « pro nobis iterum patitur. Nam quoties « ei HOSTIAM SUAE PASSIONIS OFFERIMUS, « toties nobis ad absolutionem nostram « passionem illius reparamus » (*Hom.* 37 *in Evangelia*, n. 7. P.L. 76, 1278-1279). Cui non parum cohaeret, quod alibi grandiore sermone proclamat : « Haec namque sin- « gulariter victima ab aeterno interitu « animam salvat, quae illam nobis mortem « unigeniti per mysterium reparat, qui li- « cet *resurgens a mortuis jam non moritur*, « *et mors ei ultra non dominabitur*, tamen « in seipso immortaliter atque incorrupti- « biliter vivens, pro nobis iterum in hoc « mysterio sacrae oblationis immolatur... « Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis « hoc sacrificium, quod pro absolutione « nostra passionem Unigeniti Filii semper « imitatur » (*Dial.* 4, 58. P.L. 77, 425). Ita imitatur, ita reparat passionem missa, ut passionis hostia offeratur, qua ab aeterno interitu anima salvetur.

Similiter Ps. Primasius scribit hostiam Ecclesiae consistere in sanguine passionis Christi : « Quae in veritate modo « in Ecclesia celebrantur, melioribus hos- « tiis mundantur... : SANGUINE VIDELICET « PASSIONIS CHRISI » (*in Hebr.*, 9^{23}. P.L. 68, 745. Cf. *in Hebr.*, 10^{26}, col. 753). Unde persuadetur, illud quod, vestigiis incedens Chrysostomi, scripsit in *Hebr.*, 10^{2}, esse eodem ipso sensu interpretandum, qui expositus est supra, cum de Chrysostomo ageretur : « Numquid et sacerdotes nostri « quotidie idem non agunt, dum offerunt « assidue sacrificium ? Offerunt quidem, « sed ad recordationem mortis ejus ; et « quia nos quotidie peccamus, et quotidie « indigemus mundari, quia ille non potest « jam mori, dedit nobis hoc sacramentum « corporis et sanguinis sui, ut, sicut passio « illius redemptio et absolutio fuit mundi, « ita etiam ista oblatio redemptio et mun- « datio sit omnibus in vera fide offerenti- « bus, bonamque intentionem habentibus » (P.L. 68, 748).

S. Isidorus (cui de cetero videtur fuisse posterior ille Pseudo-Primasius) ipse haec tria complexive statuit : Primo, Christus unam victimam suae passionis Deo obtulit (*Mysticorum expositiones sacramentorum. In Leviticum*, c. 1, P.L. 83, 321).

Secundo, obtulit autem ut sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech in coena eucharistica (*De ecclesiasticis officiis*, l. 1, c. 18, n. 1 et 2. P.L. 83, 754). Tertio, idem « fit a nobis, quod pro nobis « ipse fecit » (*ibid.*, n. 2). Ex tribus illis sequitur : victimam passionis a nobis offerri eucharistiam consecrantibus (conferas *Etymologiarum* lib. 6, c. 19, n. 38. P.L. 82, 255). Sed explicite ipsemet[1] sacrificium Gedeonis ita declarat typice : « Occidit vitulum a patre suo idolis de« putatum, et ipse septennem alium « vitulum immolavit Deo : quo facto « manifestissime revelavit post adventum « Domini omnia gentilitatis abolenda esse « sacrificia, SOLUMQUE SACRIFICIUM DEO « DOMINICAE PASSIONIS pro redemptionis « nostrae religione A POPULIS DEFEREN« DUM » (*Quaest. in Vet. Testam.*, *In lib. Jud.*, c. 3, n. 4. P.L. 83, 382).

Eamdem doctrinae summam Florus Diaconus his expressis verbis tradit : « Hoc ergo sacrificium laudis, id est OBLA« TIONEM DOMINICAE PASSIONIS,... hanc « OFFERT DEVOTIO FIDELIUM pro se suis« que omnibus... tam viventibus videlicet « quam mortuis » (*De Expositione Missae*, c. 53. P.L. 119, 48). Quid igitur missae sacrificium est ? Oblatio dominicae passionis[2].

Post haec vero tempora, propter controversias ortas inter S. Paschasium Radbertum et Ratramnum de identitate corporis Christi eucharistici cum historico, atque deinceps propter haeresim berengarianam de ipsa Christi praesentia reali necessario confutandam, factum est ut minus insisteretur sacrificio longe quam sacramento elucidando. Quare apud plerosque theologos illius temporis vix nobis quicquam de sacrificio eucharistico traditur explicite nisi : commemorari in illo sacrificium passionis. Offerri autem passionem, minus distincte praedicatur.

Attamen nescio annon idem sonet ac Flori expositio sermo quem profert Radulphus Ardens (*Homilia de Sanctis*, 25. P.L. 155, 1589-1590) : « Nos evange« lici sacerdotes, non [sicut sacerdotes « legales] alienas hostias OFFERIMUS, sed « HOSTIAM PASSIONIS CHRISTI quotidie in « sacramento reiteramus, juxta quod ipse « nobis praecepit : *Hoc facite in meam « commemorationem*... Quia... delinquimus « quotidie, HOSTIAM PASSIONIS CHRISTI « in sacramento ITERAMUS, ut quotidia« num ejus sacramentum quotidianorum « sit excessuum purgamentum ».

Interim vero apud Rupertum (*In Ezech.*, l. 2, c. 27. P.L. 167, 1488) resonat Cypriano illud : « Totum quippe altaris « Christi sacramentum de ligno constat « vivificae crucis, quia TOTIUS SACRIFICII « [quod in sacramento offertur] SUMMA « EST PASSIO EJUS qui pro omni mundo « semetipsum super lignum crucis sacri« ficavit. »

Pariter Stephanus Augustodunensis adserit offerri a nobis Deo calicem sacrificii ejusdem quo in cruce sumus redempti : « Facta est nostra redemptio « Christo semel in cruce passo. Nam pas« sione Christi redempti sumus et liberati « de manu inferi. Culpis nostris exigen« tibus, quotidie labimur : ab hoc lapsu « iterata immolatione, quae fit in altari, re« surgimus et renovamur. Immolatio ite« ratur : NON CHRISTUS OCCIDITUR, sed « IPSO PRAESENTE PASSIO EJUS REPRAE« SENTATUR... OFFERIMUS ei [Deo] CA« LICEM SALUTARIS SACRIFICII QUO RE« DEMPTI, quo liberati, sed etiam salvati, « habentes [habemus ?] beatam spem « resurgendi cum animarum salute et « corporum incorruptione » (*Tractatus de Sacramento Altaris*, c. 13. P.L. 172, 1290)[3].

Apud Petrum autem Cluniacensem, in tractatu *Contra Petrobrusianos*, haec reperiuntur disertiora : « MORTE « ipsius totius mundi peccata tolluntur... « HOC EST NOSTRUM SACRIFICIUM... Quod

1. Locutione Ambrosii (*De Spiritu Sancto*, l. 1, *prolog.*, n. 4. P.L. 16, 704) paullo immutata.

2. Quare recte adnotat inferius noster Florus (*ibid.*, col. 70) : « Nec tamen hostia a no« bis offerri potuisset, si Christus pro nobis fac« tus hostia non fuisset. »

3. In Algero id fere notari potest, quod non solum cum plurimis illius aetatis scriptoribus

« TUNC semel IN CRUCE a Dei et hominis « Filio Deo OBLATUM EST, et quod sem- « per IN ALTARI ab ipsius populo OF- « FERENDUM ab eodem praeceptum et « institutum est. Non enim aliud tunc « oblatum est, aliud nunc offertur, sed « quod, [ut] dictum est, SEMEL CHRISTUS « OBTULIT, HOC SEMPER ECCLESIAE SUAE « OFFERENDUM RELIQUIT » (P.L. 189, 797-798). Mors igitur offertur a nobis Christi in missa.

Item scribit Gulielmus Parisiensis : « Missa est EJUS FRAGRANTISSIMI « SACRIFICII OBLATIO, CUJUS SUAVITATIS « ODORE MUNDUS DEO RECONCILIATUS EST, « et totus ejusdem foetor abstersus » (*De sacra eucharistia*, op., t. 1, p. 447). Quibus verbis vix dilucidiora exspectari possunt. Quonam enim sacrificio reconciliatus est mundus Deo ? Sacrificio utique passionis et mortis dominicae. Porro illius sacrificii dicitur missa esse penes nos oblatio. Quid igitur offerimus ? Quid, nisi mortem ac passionem dominicam ?

Praeclarior tamen adhuc est sermo Alberti Magni ; ad cujus intellegentiam sciendum est, apud ipsum, immolationis nomine designari per prius quidem mactationem seu occisionem, per posterius autem, nec tamen (ut ipse advertit) improprie, oblationem rei occisae, seu mactatae, seu immolatae; nomine autem sacrificii solere accipi eamdem oblationem, sed ut fructuosam offerenti, seu propitiatoriam. Quibus positis, respondet ad quaestionem utrum necne Christus immoletur in omni sacrificio (in 4 D. 13, art. 23) sic : « Christus omni die verissime immolatur, cum sacrificium offertur « Deo Patri... [Etenim] cum, ex parte rei « oblatae, SEMPER MANEAT OBLATIO[1] PRO « NOBIS OBLATA ET OFFERENDA, semper « immolamus et semper sacrificamus... « Immolatio [autem] nostra non tantum « est repraesentatio, sed immolatio vera, « id est REI IMMOLATAE OBLATIO per manus sacerdotum : unde duo dicit, scilicet « REM OCCISAM, ET OBLATIONEM, quia im- « molatio proprie est OBLATIO OCCISI ad « cultum Dei; et QUOAD OBLATIONEM, NON « EST REPRAESENTATIO TANTUM, sed VERUS « ACTUS OFFERENDI. SIC AUTEM NON EST « de occisione et crucifixione[2]. » Quibus verbis non obscure praedicat Albertus : Christum esse, ex virtute suae propriae oblationis in mortem, veram nec intercidentem victimam, quam sit penes nos offerre Deo, non adjecta quidem immolatione[3] nova, sed pristinae illius immolationis unius effectu semper et repraesentato et oblato : hincque exsurgere nostrum sacrificium, constans ex oblatione cottidiana immolati semel Christi. Cujus pronuntiati momentum vix satis exaggerari potest.

Fatendus est sanctus Thomas non ita copiose illustrasse in eucharistia rationem sacrificii ut rationem sacramenti.

laudat (*De sacr. corp. et sang. dom.*, 1, 16. P.L. 180, 786-787) verba Chrysostomi superius relata (*In Hebraeos*, hom. 17, 3), sed quod etiam illam exaggerat unitatem nostri sacrificii atque sacrificii redemptionis, unde non parum videatur commendari unitas conditionis victimalis semel in Christum per passionem illatae, a nobis autem iteratis vicibus oblatae in missa. « Nec « solum, inquit, pius Dominus umbras et figuras « veteres, ut superfluas, superveniente veritate « et novitate sui sacrificii, dispulit, sed et multi- « plicitatem sacrificiorum veterum singularitate « sui sacrificii abbrevians, occupationem exte- « riorem nobis minuit, beneficiorum nobis gra- « tiam multiplicavit, UNO UNICO SUO SACRI- « FICIO redemptionem remissionemque pecca- « torum faciens, profectuque fidei ceterarumque « virtutum ad vitam aeternam perducens... « Egregium igitur et super omnia excellens « sacramentum nobis providit Deus in sacrificio « suo, quo corporis et sanguinis sui veritatem, « panis et vini qualitatibus tectam abscondit. » (*De sacr. corp. et sang. Dom.*, 2, 3. P.L. 180, 818-819).

1. Patet hoc loco, nomine oblationis, intellegi, non actum offerendi, sed rem quae offeratur. Dicit ergo Albertus : 1° manere semper oblatum, Christum qui oblatus est olim ; 2° manere etiam offerendum. Quod manet semper oblatus, eo intellegitur victima perennis. Quod manet offerendus, utique a nobis, in hoc intellegitur ista perennis hostia in nostrum censum transmitti litanda tanquam nostra. Plena sunt vigore et succo verba Alberti.

2. « Haec enim dicit... actum iniquum Judae- « orum, vel passionem, prout est ab eis illata : sic « autem non fuit iteranda. »

3. Utique secundum nostram terminologiam, ubi immolatio non sonat *in recto* oblationem.

Attamen clare ipse et distinguit et componit elementa quibus constat sacrificium.

Etenim *primo*, distinguit et rationem oblationis et rationem repraesentationis ; ambasque vult ad rationem sacrificii eucharistici constituendam pertinere : « Hoc sacramentum, inquit, simul est « sacrificium et sacramentum ; sed rationem SACRIFICII habet IN QUANTUM OF- « FERTUR » (3 S. 79, 5 c.). En habes elementum oblativum. Accedit elementum repraesentativum : « Hoc sacramentum « non solum est sacramentum, sed etiam « est sacrificium. In quantum enim in « hoc sacramento REPRAESENTATUR PASSIO « CHRISTI, qua Christus *obtulit se hostiam* « *Deo*, ut dicitur *Ephes.*, 5, habet rationem « sacrificii » (3 S. 79, 7, c. Cf. 3 S. 74, 1).

Secundo, asserit in hac repraesentatione incruenta sacrificii cruenti offerri ideo veram hostiam, quia in eucharistia contineatur Christus prout est hostia ipsa passionis : « Hoc sacramentum dicitur hostia in « quantum continet ipsum Christum, QUI « EST HOSTIA SALUTARIS, ut dicitur *Ephes.*, « 5 » (3 S. 73, 4, 3m). Animadverte scilicet sacramentum non ideo dici a sancto Thoma hostiam, quia in illo *fiat* Christus hostia ; sed quia in eo exsistat Christus, qui est hostia : utique aliunde ; ex passione[1] nimirum, ad quam refertur versiculus ille *Epistolae ad Ephesios* (non solum secundum se, sed etiam juxta interpretationem ipsius S. Thomae, cum in h. l., tum loco supracitato, 3 S. 79, 7).

Constat igitur apud sanctum Thomam[2], haud secus atque apud Albertum M., immolationem in sacrificio missae esse mysticam tantum, seu repraesentativam ; oblationem autem non esse repraesentatam tantum, sed actualem ; offerri tandem in ista oblatione sacramentali ipsam passionis hostiam, ut talem.

Principi theologorum angelico juvat subnectere admirabilem theologiae mysticae praeceptorem, B. Joannem Rusbrochium († 1381), qui in suo *Speculo aeternae salutis* (cap. 113) haec de missa pronuntiabat : « Ecclesia catholica singulis « quibusque diebus, suis in sacrificiis, « Domino Deo nostrum omnium agnum, « Christum Jesum, EJUSQUE PASSIONEM « ET SACROSANCTAM MORTEM OFFERAT ne- « cesse est. Neque enim sine his unquam « Deo placere possemus » (juxta versionem latinam Laurentii Surii, Coloniae, 1609, p. 243).

Modico autem post tempore, cum jam ferbuit de missae sacrificio controversia cum haereticis, Wicleffitis et Hussitis primum, deinde protestantibus, necesse fuit ut sua arma polirent catholici theologi.

Sic in suo praeclaro opere adversus Wicleffitas, quod inscribitur *Sacramentalia*, Thomas Waldensis († 1430) haec, nescio unde deprompta, sub nomine, utique falso, Augustini, contorquet in hostem tela valida. « Ipse [Christus] est « sacerdos et sacrificium, quo quotidie « interpellante pro nobis ab altari ejus, « Deus Pater suscipit CONSECRATAM CUM « PASSIONE HOSTIAM PASSIONIS » (*Sacramentalia*, tit. 4, c. 39. Parisiis, 1523, fol. 93, in explicatione precationis *Supplices te rogamus*). In tractatu autem *De Sacramentis* jam prius scripserat de suo : « Unicum et extollendum sacrificium[1] « altaris.., est FORMALITER et tantummodo « ipsum sacramentum[3] OBLATAE CARNIS « UNICI SACRIFICII pro salute nostra. » *Doctrinale*, t. 2, *De Sacramentis*, c. 31, incun., fol. 52). Cottidianum igitur sacrificium est caro illa semel oblata in passione et per passionem consecrata in hostiam, formaliter exsistens caro ipsius sacrificii crucis unici.

Sic rursus, vix oborta haeresi lutherana, Jacobus Latomus, Lovaniensis (*De*

1. Congruit alibi illud : « Eucharistia est sa- « cramentum perfectum dominicae passionis, « tanquam continens IPSUM CHRISTUM PASSUM » (3 S. 73, 5, 2m).

2. Huc etiam refer, quatenus ad missam spectat, locum quem de coena Domini recitavimus, ex 4 D. 12, in Elucidatione III.

3. Quo loco manifestum est voce *sacramentum* nominari id quod est *res et signum*, sicut voce, quam praemisit, *sacrificium*, intellegendum esse id quod offertur, non autem actionem qua offertur.

quaestionum generibus quibus Ecclesia certat intus et foris. A. D. 1525), immolatitiam conditionem eucharistici corporis tuebatur, petitam ex cruce : « Quaeris « [Luthere] oblationem vivam ? Verum « corpus Christi vivit. QUAERIS CORPUS « QUOD ANTE FUERIT OCCISUM ? TALE « EST IN ALTARI CORPUS CHRISTI » (fol. a 7). Hocque sensu addebat : « Sacerdos, « missam celebrans, ipsum Christum Deo « Patri OFFERT, VERUM ILLUD ET UNI« CUM SACRIFICIUM in ara crucis semel oblatum » (fol. b 1).

Pressius Nicolaus Stagefyr seu Herbornus O. M., theologus Coloniensis, in sua *Confutatione Lutheranismi Danici anno* 1530 *conscripta* (tertius congressus, artic. 19. Ed. L. Schmitt S. J., Quaracchi, 1902) scribebat : Hoc autem « [unicum missae sacrificium] vere ac « vivide repraesentat Deo Patri CRUCIS « OBLATIONEM, exhibet, atque OFFERT » (p. 205). Rursusque : « Repraesentatio « est, inquam, ac imitatio dominicae pas« sionis... idque cum NOVA ET OBLATIONE « VETERIS ILLIUS IN CRUCE FACTAE OBLA« TIONIS, et ejusdem hostiae tum oblatae « praesenti exhibitione » (p. 206). Unde procedebat ad suam definitionem statuendam, qua praecurrebat Canisio : « Est « ergo missa... repraesentatio atque ob« LATIO NOVA ANTIQUAE OBLATIONIS IN « ARA CRUCIS FACTAE » (p. 206) ; id est, oblatio nova (quanquam incruenta) cruenti illius sacrificii in cruce olim peracti.

Septem post annis, Thomas Herenthalinus O. M., in suo *Speculo vitae christianae*, quod flandrice primo conscriptum (Antverpiae 1537) deinde prodiit latinitate donatum a Nicola Zegero Minorita (Coloniae, 1555), sic vindicat missae rationem sacrificii: « Ob hoc haud « temere sacrificium dictum est hoc di« vinum mysterium, quod vere oblatio est « longe omnium sacratissima. Catholica « enim Ecclesia, dum juxta Christi prae« ceptum, cottidiana in hoc sacramento « commemoratione in fide sua Christi « mortem resumit et renovat [symbolice], « simul etiam in sua fide Christi obla« tionem renovat, idque per sacerdotem, « tanquam per suum ministrum : qui ex « Ecclesiae persona Deo OFFERT PASSIO« NEM ET MORTEM CHRISTI in condona« tionem admissorum et divinorum diffu« sionem » (pars 2, de septem orthodoxae Ecclesiae sacramentis, fol. 201).

Paucis tandem annis ante Canisium nostrum, vir vix minore laude dignus, Joannes Gropper, in suo « scripto « plane egregio » (Hurter, *Nomenclator*³, 2, 1421) cui titulus *Antididagma* (1544)[1], haec plane aurea efferebat : « In « missa (quae omnium sanctarum caere« moniarum sacratissima actio est) Chris« tus Dominus (qui seipsum aliquando in « corpore suo mortali Deo Patri coelesti « cruentum sacrificium pro peccatis mundi : obtulit) denuo totius Ecclesiae nomine, « modo incruento, spirituali repraesen« tatione et commemoratione sacratissimae « suae passionis offertur. Quod ipsum fit, « quando Ecclesia Christum, et ejus verum « corpus verumque sanguinem, Deo Patri « cum gratiarum actione et oratione at« tenta, pro suis et totius mundi peccatis, « proponit seu repraesentat. Quanquam « enim SACRIFICIUM ILLUD, in ea forma « qua IN CRUCE OFFEREBATUR, semel tan« tum oblatum sit, et semel tantum san« guis effusus, ut ita repeti iterumque « offerri non possit, nihilominus tamen « CONSISTIT ET MANET TALE SACRIFICIUM « CORAM DEO, perpetuo in sua virtute et « efficacia acceptum, ita ut SACRIFICIUM « ILLUD, semel IN CRUCE OBLATUM, non « minus hodierno die in conspectu Patris « sit efficax ac vigens, quam eo die quo « de saucio latere exivit sanguis et « aqua... Quapropter, cum vulnerati cor« poris nostri plagae PRETIO REDEMP« TIONIS semper opus habeant, Ecclesia « proponit Deo Patri PRETIUM ILLUD in « vera fide et devotione iterum (sed figu-

1. Qui liber, ut jam praenotavimus (Elucid. IX), editus erat « nomine et auctoritate » Capituli Coloniensis adversus libellum praevaricatoris archiepiscopi, Hermanni de Wied, inscriptum *Consultatio quomodo Reformatio aliqua... sit instituenda* (1543).

« rative et spiritualiter) ad consequendam « remissionem peccatorum... Secundum « quam sententiam, sancti Patres corpus « et sanguinem Domini, in altari prae- « sentia, nunc satisfactionem peccatorum « nostrorum et totius mundi appellant, « nunc redemptionis nostrae pretium » (fol. LXIII b.-LXIV a). Consequenter scribit : « Quemadmodum Christus in vero « et CRUENTO sacrificio crucis et sacer- « dos erat et hostia, sic in repraesenta- « tivo isto sacrificio, QUO ILLUD RURSUS « PROPONITUR, se habet Ecclesia, offerens « per temporalem sacerdotem ministrum « suum » etc. (fol. LXX a). Cuinam potest esse dubium, quin Joanni Groppero et defensoribus fidei, canonicis Coloniensibus, constet, missam inde habere rationem sacrificii, quod in ea proponatur Deo, seu offeratur, Christus tanquam exsistens sacrificii sui cruenti hostia perennis ? Qua de causa recte dicitur in incruento nostro ritu offerri vel proponi Deo ipsum crucis sacrificium cruentum[1].

Jam in Italia Hieronymus Fossanus O. Erem. S. A., Belgis et Germanis consonanter, in suo opere *De admirando mysterio* (lib. 3. de Sacrificio, Taurini, 1554, fol. 133) diffiniebat missam : « Missa « est OBLATIO ILLA INCRUENTA et repetita « commemoratio PASSIONIS ET MORTIS « CHRISTI, quam faciendam Christus prae- « cepit, et faciendi potestatem solis apo- « stolis et sacerdotibus tribuit[2], cujus « usum usque in finem saeculi servari « voluit. » Qua de causa scripserat auctor superius (fol. 132) : « Si probave- « rimus unicum esse sacrificium illud « quod per Christum actum est, et quod « a sacerdote in missa celebratur, et non « aliud hoc, aliud illud, puto quod ranae « aegyptiae [= haeretici] obmutescent et « obstrepere cessabunt[3]. »

Inter Hispanos etiam, Canus (*De locis theologicis*, l. 12, c. 12), hanc illibatam tradebat antiquitatis doctrinam : « Conce- « damus, inquit, argumentantibus (quod « ad perfectam animalis immolationem « nos quoque attinere credimus) confici, « dico, ipsum et OCCIDI OPORTERE, si vere

1. Coloniensibus concinebat alter « fidei ca- « tholicae adversus haereticos... strenuus apo- « logeta » (Hurter, *Nom.*[2]) Hailbrunnensis, Joannes Fabri O. P. (*Missa Evangelica*, Parisiis 1558), scribens : « ILLUD IPSUM ERGO « CORPUS, QUOD PRO NOBIS TRADIDIT, ET « SANGUINEM QUEM NOSTRAE SALUTIS CAUSA « FUDIT, CRUENTI ILLIUS IN CRUCE LITATI SACRI- « FICII CUM VIRTUTE ET EFFICACIA, per sacer- « dotis ministerium in altari Deo Patri OFFE- « RIMUS,... rogamusque patrem misericordiarum, « et Deum totius consolationis, PRODESSE NO- « BIS miseris deploratisque peccatoribus VELIT « CRUENTAM ILLAM CRUCIS VICTIMAM... CHRISTI « CORPUS ET SANGUINEM, PRO NOBIS IN CRUCE « FIXA ET FUSA, cum eorum virtute nostraque « gratiarum actione, DEO EXHIBENTES, OBSE- « CRAMUS EA NOBIS BONO ESSE VELIT (fol. 38) » Ulteriusque : « CALICEM SALUTARIS accipimus, « ID EST, CHRISTI PASSIONEM, aut OPUS REDEMP- « TIONIS, idque, ex Christi mandato dicentis « *Hoc facite in meam commemorationem*, CO- « RAM DEO STATUIMUS, quo nos participes ille « reddat unicae illius in cruce litatae hostiae » (fol. 148). Quid igitur coram Deo statuimus ? Quid Deo exhibemus aut offerimus ? Passionem Domini, corpus sanguinemque Crucifixi, unicam hostiam sacrificii cruenti. Sicque efficitur, ut per sacrificium altaris captemus effectum sacrificii crucis : quippe quia Deo incruente admovemus cruenti sacrificii hostiam. « Per hanc « incruentam oblationem, ab Christo in coena « inchoatam, et suo exemplo fieri mandatam « juxta ordinem Melchisedech, cruentae illius « crucis hostiae semel litatae nos participes « reddimus, non quod ea crucis victima minime « sufficiat, sed ut confectae ac partae illius sa- « tisfactionis, per Christi corpus et sanguinem « a Christo nobis relicta, quaeque nos crucis « commemoranda[m] hostia[m] Deo Patri cum « gratiarum actione sistimus ac proponimus, « participes efficiamur ; ...quandoquidem in « Christi corpore et sanguine pro nobis in cruce « oblatis et in altari revera praesentibus, re- « demptionis ac salutis nostrae efficaciam et « efficientiam inesse minime dubitamus» (fol. 41). Quid mirum, « cum hic... idem ille offeratur san- « guis jam olim fusus in cruce, sanguinisque ejus « efficacia » (fol. 44) ? En veram nostri sacrificii cum sacrificio redemptionis unitatem, cum ex parte hostiae, tum ex parte fructus : quam, illorum potissimum judicio, quibus erat cum hostibus fidei cottidianus congressus, isque non eminus tantum, sed cominus, oportuit ex documentis catholicae fidei eductam illustrare splendidius, ut esset ad redarguendos novatores apta quam maxime.

2. Vide quam evidenter ille tribuat Christo coenanti oblationem suae mortis, cum non aliud Christus praeceperit, aut faciendi potestatem commiserit, nisi quod ipse fecerat. *Hoc facite.*

3. Idem aliqualiter sonant verba cardinalis

« sacrificatur... Sed etsi Christi corpus in « eucharistia vivum est, ac sanguis in cor« pore, non tamen a nobis aut corpus « offertur quia vivum est, aut sanguis quia « est in corpore ; sed illud QUIA MACTA« TUM, hic QUIA EFFUSUS IN CRUCE... Quia « vero, licet oblatio illa [a Christo olim « facta] et mactatio externa transierit, « sic tamen coram Deo constat acceptabilis « et perpetua virtute consistit, ut non « minus hodie in conspectu Patris illa sit « efficax quam eo die quo de saucio latere « sanguis exivit : IDEO VERE nunc OFFE« RIMUS EAMDEM CRUCIS HOSTIAM CUM « CHRISTO... Imago haec [sacramentalis] « et exemplar nihil revera obstat, cur « non EUMDEM ILLUM SANGUINEM MODO « OFFERAMUS QUEM CHRISTUS FUDIT IN « CRUCE, NON ALITER AC SI NUNC CORAM « EFFUNDERETUR. »

Operae etiam pretium est audisse Matthaeum Galenum Vestcapellium in suo *De sacrosancto missae sacrificio commentario* (1574) definientem unde accrescat Christo vera, qualis in vero sacrificio utique requiritur, ratio hostiae : « Est ergo CHRISTUS JESUS CRUCIFIXUS,.. « in catholico altari... praesens, arcanis... « sacerdotis verbis exhibitus, et (ut cum « Chrysostomo loquar) coelitus devocatus. « Atqui hic Christus idem, tametsi glo« rioso praeditus corpore et omni affectus « gloria, quinimmo et symbolorum tectus « amiculis atque integumentis (sic enim ca« tholicas species appellat Areopagita) ibi « exsistat, attamen haud alius, sed ipsemet « qui a JUDAEIS QUONDAM TANQUAM VIC« TIMA EST IMMOLATUS, et divinum suum « profudit sanguinem cum anima. ITAQUE « IN SE VERUM NOBIS PRAEBUIT SACRIFI« CIUM. Hostia igitur illa prior [panis et « vini] cum in hanc demum transeat VIC« TIMAM, sistaturque tandem Deo et Patri, « ...QUI POSSUMUS NEGARE VICTIMAM MIS« SAE EFFICACEM ? ...Dissimilitudo autem « illa [inter Judaeorum sacrificia et nos« trum], quod HIC [apud nos] NON REPE« TATUR MACTATIO, quotiescumque vic« tima offeratur, ILLIC [apud Judaeos] « SUA CUIQUE OBLATIONI PRAEVIA FUERIT « JUGULATIO : proficiscitur ex victimae « dignitate, praestantia et efficacitate. Si « namque hircorum ac taurorum cruor, « qui... olim offerebatur, pretium, quod « semel sufficeret, appendisset, non fuisset « repetitione [jugulationis] opus, et ces« satio iterationis procul dubio ad victi« mae cessisset commendationem... Ex « quibus quoque satis apparet liquidum : « nos summam christianorum latriam, « seu Dei cultum, minime omnium in « nudo terminare pane et vino, sed « in panis et vini rite mixti transsub« stantiatione, seu consecratione, seu IN « EO QUOD CHRISTUS admirabiliter re« pente, QUONDAM IMMOLATUS, EXSISTAT « SUB DUPLICI SYMBOLO » (*op. cit.*, c. 7, p. 110-111). Ex quibus praesuppositis progreditur Galenus ad statuendum suum admirabile axioma : « MISSAE SUA « E CRUCE SUPPEDITAT IMMOLATIO » (*ibid.*, p. 117)[1].

Gaspari Contareni in tractatu *De Sacramentis*, l. 2 (Opera, Parisiis 1571, p. 350) : « Sa« cramentum unum est, quod perficitur ex « duabus partibus, pane scilicet et vino, quibus « Christus, PROUT PASSUS EST, CONTINETUR, « et nobis significatur. »

1. Interim diluerat hoc modo objectionem ex Gregorio Nysseno petitam : « [Qui objectant], « Nysseni verba premunt violenter negantis « Christum ante posse sumi a communicantibus « quam sit immolatus, quasi in ipso nova, sin« gularis ac propria immolatio debeat usque « praecessisse, antequam ad communionem de« veniatur : cum is Pater de mystica sit intelle« gendus mactatione, quae momento consecra« tionis fiat, et in cruce olim re et veritate in « eadem victima exstiterit » (*ibid.*, p. 112). Intellege symbolum fieri tantum in missa immolationis, immolationis dico quae vere praecesserit in cruce : ex qua vere Christus transierit in statum hostiae. Inferius autem (c. 8, p. 125) hanc efformat definitionem missae, secundum superiora intellegendam : « Missa est sacri« ficium quo, pane et vino aqua temperato in « corpus et sanguinem Domini per transsubs« tantiationem conversis, QUONDAM IN CRUCEM « ACTUS ET IMMOLATUS Filius suus Deo et Pa« tri, tum in perpessionis ejus memoriam, tum « pro vivis simul et in catholica fide per« functis, rite offertur. »

Vernacula jam lingua in suo praestantissimo adversus novatores tractatu, *De la sainte Messe*

En habes illo tempore[1] consentientes ex omni ordine Augustinensium, Praedicatorum, Minoritarum, Jesuitarum, et ex clero saeculari, theologos et apologetas, quid sit missa, quave ratione credatur esse sacrificium[2]. Sed etiam, seclusa omni controversia, cum novatoribus idem populis tradebatur in Gallia ab episcopis catechetice, quod erat in Germania a Canisio evulgatum : ut videre est per scriptum Ludovici Aberti Joly de Choin, Episcopi Toulonensis, editum anno 1748, quod inscribitur *Instructions sur le Rituel* (*Du sacrifice de la messe. Excellence du sacrifice.* Ed. Bisunt. 1827, p. 226)[3] : « L'Eu« charistie renferme sa passion, et nous « n'annonçons sa mort, que parce qu'IL « OFFRE lui-même SUR NOS AUTELS SA « MORT PRÉCIEUSE : et il est vrai de dire, « avec saint Cyprien, que le sacrifice « que nous offrons est la passion même « du Sauveur[4]. »

Patribus et Doctoribus concinunt Liturgiae sacrae. Sit pro exemplo in *Sacramentario Gelasiano* Secreta Dominicae in Palmas. « Ipsa majestati tuae, Domine, « fideles populos commendet oblatio[5], quae « per Filium tuum reconciliavit inimicos » (P.L. 74, 1093; ed. Wilson, p. 60)[6]. Quaenam oblatio per Christum reconciliavit

(l. 3, t. 1, p. 325), noster Ludovicus Richeome, S. J., hunc tradebat genuinum eucharistici sacrificii conceptum : « Nous disons « QU'ON RÉITÈRE L'OBLATION de ce CORPS « CRUCIFIÉ, comme une offrande toujours agré« able à Dieu. » Scite ille, ex parte rei oblatae, nullam immolationem [effectivam] adstruit praeter crucis perpessionem ; nullam in nostra immolatione mystica attendit vim nisi oblativam.

1. Priusquam scilicet torquerentur theologi quaestione male posita : qualiter destruatur, quidve detrimenti capiat in missae sacrificio victima. Quam quaestionem nunquam ponerent, si ante missam tractatum instituerent de coena dominica, coenam autem non considerarent absque passione, cui cohaeret.

2. Vix audeo inserere testimonium viri idiotae, Floremundi Raymundi, nisi quod profert ille ea quibus imbuti erant homines coaetanei : « Dicere missam nihil aliud est quam « accipere panem, gratias agere, consecrare et « panis ac vini substantiam in carnem ac san« guinem Jesu Christi, virtute sacramentalium « verborum, convertere. Eadem sacrificium est, « et sacra actio, in qua causa populi, precibus « et OBLATIONE corporis ac MORTIS Salvatoris « nostri intervenientibus, coram Deo agitur » (Juxta versionem latinam quae Coloniae, A. D., 1655, prodiit sic inscripta : *Floremundi Raymundi, V. Cl., olim consiliarii regis Galliarum, ex calviniano catholici, Synopsis omnium hujus temporis controversiarum... sive Historia memorabilis... aucta et illustrata ex scriptis R. D. Gaspari Ulenbergii, Lippensis, ex lutherano catholici.* Lib. 7, cap. 14, § 2. Pars. 2, p. 261).

3. « Cet ouvrage, devenu classique pour le « clergé, et qui pourrait presque tenir lieu de « bibliothèque ecclésiastique, est le résultat « d'une immense lecture des livres saints, des « pères, des docteurs et des casuistes. » *Biographie Universelle* (Michaud), Paris, 1880, s. v. Choin. In genere etiam catechetico praecesserant aliqualiter *Institutiones Catholicae ad formam catechismi* (3ª pars, sect. 2, cap. 6, § 9. Venet. 1769, t. 2, p. 648), auctore F. A. Pouget.

4. Conferas de eodem argumento ea quae recitabuntur infra (Elucid. XXI) ex Francisco Babin, Decano Fac. Theol. Andegavensis. Interim legesis Basilii Balthasar, *Mysterium Mysteriorum in augustissimo altaris sacramento*, Pars IV, *De sacrosancto missae sacrificio in seipso*, Punct. IV, cui titulus : « Offertur sacrificium « crucis » ; concluditurque : « Ergo idem fuit « semel sacrificium in cruce, quod quotidie « immolatur sacrificium in sacramento » (S. Galli, 1770, p. 300-311). Illa tamen aetate, praevalente (ut opinor) auctoritate magnorum theologorum sexti decimi saeculi, diserta et perspicua enuntiatio hujus puncti vix repetitur crebra nisi apud Jansenistas : quos consulto omitto propter suae haereseos vitium. Interea vero miror quod liber (anonymus) viri janseniani, Francisci Plowden, *Traité du Sacrifice de Jésus-Christ* (Paris, 1778), tantam inter sectarios ipsos excitavit commotionem atque dissensionem, quantam reperies (sub illo nomine) descriptam a Michaud, in *Biographie Universelle*; quasi nova et inaudita foret illis doctrina, quam per integrum opus propugnat auctor (praesertim t. 1, p. 378-381) : nullam subesse missae immolationem realem nisi ex Calvaria ; cum tamen fuerit praedicatio haud ambigua praesulum quorumdam sectae faventium, ut Rastignac (*Instruction pastorale de M. l'Archevêque de Tours sur la justice chrétienne par rapport aux sacrements de pénitence et d'eucharistie*, 23 febr. 1749) et Caylus (*Mandement de M. l'Evêque d'Auxerre portant permission de manger des œufs pendant le carême de la présente année* 1750), necnon theologi « appellantis » haud ignobilis, L. Habert (*Theologia dogmatica et moralis, De eucharistia ut sacrificium est*, cap. 6, ed. Venet. 1717, tom. 5, p. 643-646).

5. Patet hic *oblationem* accipi passive pro re oblata, non autem active pro actione offerendi.

6. Eodem spectat, in nostro *Missali Romano*, Secreta *Missae de s. cruce* (quae jam exstabat in *Libro sacramentorum* Alcuini, cap. 6. P.L. 101, 454) : « Haec oblatio, Domine, quaesumus, « ab omnibus nos purget offensis, QUAE in ara « crucis etiam totius mundi tulit offensam. »

Deo inimicos, nisi passio ipsius? Passio igitur est oblatio quam Deo in sacramento sistimus. In *Stowe-Missali* (edito denuo a G. F. Warner, tom. 2, 1915, p. 17) legitur (rescriptum a Moelcaich) intra doxologiam canonis et orationem dominicam istud (quod jam habebat *Missale Gothicum*, P.L. 72, 314) : « Credimus, Domine, credimus in HAC CONFRACTIONE CORPORIS ET EFFUSIONE SANGUINIS NOS ESSE REDEMPTOS. » Adeo sacrificium missae non distat a sacrificio coenae, et utroque litatur Deo hostia redemptionis !

Idem importat oratio *post-pridie* in missa mozarabica pro feria 4ª Paschae : « Reconciliet te, quaesumus, Domine, pro peccatoribus, SANGUIS JUSTI et humilitas Domini nostri. HAEC EST HOSTIA QUAE PEPENDIT IN LIGNO. Haec est caro quae surrexit de sepulchro. QUOD PRO NOBIS OBTULIT SACERDOS NOSTER, in veritate HOC CONFERIMUS in panis et vini suavitate : COGNOSCE, precamur omnipotens Deus, VICTIMAM QUA INTERCEDENTE PLACATUS ES » (P.L. 85, 502). Idem rursus in oratione *post-pridie* dominicae 5ªᵉ post pascham : « HAEC EST pia et salutaris HOSTIA, Deus Pater, QUA TIBI RECONCILIATUS EST MUNDUS. Hoc est corpus illud quod pependit in cruce. Hic etiam sanguis, qui sacro profluxit ex latere » (P.L. 85, 597). Viden' ut hostia nostra praesentetur Deo tanquam passionis ipsius victima ?

Nequit certe aliter intellegi, quod in romana missa pro feria 5ª post dominicam 3ªᵐ quadragesimae oramus, memores SS. Cosmae et Damiani : « In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum, SACRIFICIUM ILLUD OFFERIMUS, DE QUO MARTYRIUM SUMPSIT OMNE PRINCIPIUM. » Indubium est enim quin sacrificium illud fuerit passionis. Passionem igitur « offerimus ». Quod etiam manifestum satis est in postcommunione festi *Lanceae et Clavorum* : « Domine Jesu Christe, qui temetipsum IN CRUCE holocaustum immaculatum et spontaneum Deo Patri obtulisti, quaesumus ut EJUSDEM SACRIFICII OBLATIO VENERANDA indulgentiam nobis obtineat et gloriam sempiternam. » Idem igitur sacrificium offerimus quod obtulit Christus in cruce, sacrificium scilicet suae mortis. Pariter in Secreta dicebatur Christus hoc ipsum sacrificium obtulisse in cruce, quod nos offerimus : « SANCTIFICET NOS quaesumus, Domine, HOC sanctum et immaculatum SACRIFICIUM vespertinum, QUOD unigenitus Filius tuus IN CRUCE OBTULIT pro salute mundi. » Consonat in missa *SS. Quinque Plagarum D. N. J. C.*, quod dicimur Deo in Eucharistia offerre ipsa vulnera Christi quibus redempti sumus. « Majestati tuae quaesumus, Domine, accepta sint dona IN QUIBUS IPSA UNIGENITI TUI VULNERA tibi OFFERIMUS, nostrae pretia libertatis. » Quibus verbis sane denotatur Christus a nobis offerri etiam nunc in quantum hostia suae passionis.

Quid tandem sibi volunt apud Orientales precationes hujusmodi, quarum specimina prope infinita congeri possent : « *Sacerdos (elevat calicem cum hostia, dicens) ;* SACRIFICIUM desiderabile, QUOD OBLATUM EST pro nobis ; VICTIMA RECONCILIATORIA, QUAE propriam personam OBTULIT Genitori ; agnus qui factus est in una persona magnus sacerdos : qui offert !... Pater veritatis, ecce Filius tuus, HOSTIA TIBI PLACITA ! Illum suscipe, QUI PRO ME MORTUUS EST, et per eum esto propitius !... ECCE SANGUIS EFFUSUS SUPER GOLGOTHAM pro redemptione mea ; suscipe deprecationem meam propter eum !... Aspice delicta, sed aspice simul SACRIFICIUM, QUOD PRO IPSIS OFFERTUR ; quia multo majus est sacrificium et victima quam reatus. Propter peccata quae commisi, clavos et lanceam sustinuit dilectus tuus : SUFFICIANT PASSIONES EJUS AD TE PLACANDUM, et ut per eas vivam ! » etc. (Anaphora ordinis Ecclesiae sanctae catholicae romanae, in *Missa Syro-Maronitica*, edita a Max. Saxon., p. 47-48). Nonne ista omnia unum sonant : offerri a nobis in sacrificio passionem ipsam Domini, nec nobis Christum esse hostiam nisi suae passionis, nec calicem nobis propinari ullum nisi « calicem redemptionis » (*ibid.*, p. 32) ?

Elucidatio XX.

Quo etiam pertinet, quod cibus eucharisticus est exhibitus a Patribus ut participatio sacrificii cruenti.

TORCULAR MYSTICUM

Quemadmodum Noe olim vineam plantavit uvamque calvavit, sic in Lege evangelicae gratiae botrus coelestis, torculari passionis pressus, vinum elicit, quo per catholicos sacerdotes collecto, atque in cellariis Ecclesiae (sub fideli custodia principum christianorum) reservato, reparatur nostra vita ac vegetatur.

« Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de
« torculari crucis expressum. »
S. Fulb. Carnot., *Epist.* 5. P. L. 141, 202.

« Sanguinis ejus vinum ex pluribus acinis, id est uvis vineae ab
« ipso plantatae, collectum, in torculari crucis exprimitur, et per capacia
« vasa fideli corde sumentium propria virtute fervescit. »
S. Gaudent. Brix., *Sermo.* P. L. 20, 860.

Parisiis, in ecclesia Sancti Stephani in Monte.


Heureux homme Chrestien
Que dieu pour te sauuer
Et que les Sacremēts
a souffert a la croix.
retenus á l'Eglise.
ont eu commencement

Sectio II. — Adseritur sacrificium cruentum participari a recipientibus eucharistiam.

Hic, ut saepe dictum est, erat mos veterum, ut, sacrificio peracto, si res ferret, hostiae participes fierent. Eadem quae oblata erat Deo, a fidelibus recipiebatur. Quod si igitur in nostro sacrificio contingat, ex instituto Christi, ut manducetur a nobis hostia ipsius sacrificii cruenti, necessum etiam fuerit ut haec ipsa, nec alia ulla, sit a nobis oblata : sicuti olim in comparatione eucharistiae ad idolothyta jam est commonitum. Porro non segnes fuere Patres in convictuali corporis et sanguinis Christi indole connectenda statim cum sacrificio passionis.

Jam carpserat Ignatius eos qui « ab « eucharistia et oratione abstinent, prop- « terea quod non confitentur EUCHARIS- « TIAM CARNEM esse Salvatoris nostri Jesu « Christi, quae pro peccatis nostris PASSA « SIT, quam sua benignitate Pater RE- « SUSCITAVERIT. Qui ergo contradicunt « dono Dei » etc., (Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ Θεοῦ κτλ. *Smyrn.*, 7[1]. F.P. 1, 280). Ubi eucharistia dicitur donum Dei ad homines (sine praejudicio oblationis factae prius ab hominibus Deo : sicut victimarum carnes a numine censebantur dari postquam factae erant numini sacrae). Quam autem carnem a Deo accipimus, ea est quae respicitur ut passa ad mortem, ex qua revixit.

Auditus supra (Elucid. XVIII) est Clemens Alexandrinus sanguinem calicis eucharistici describens ut uvae cujusdam pro nobis in passione pressae ; describens rursus carnem et sanguinem eucharistici convivii tanquam participationem magnae illius hostiae immolatae olim pro nobis in die paschae.

Jam inter Latinos Cyprianus expresse affirmat fore ut « nec nos sanguinem « Christi possemus bibere, nisi Christus « calcatus prius fuisset et pressus » (Ep. 63, n. 7. P.L. 4, 379). Viden' ut cruor propinetur nobis passionis ?

Sexcenties Augustinus loquitur de bibendo *pretio* nostro : qui sanguis est Christi in redemptionem nostram de cruce profluens. Haec enim in laudem martyrum retribuentium Christo proprium sanguinem pro sanguine quem biberunt ex cruce propinatum : « Egit enim in CRUCE [Chris- « tus] grande commercium ; ibi solutus est « SACCULUS PRETII NOSTRI, quando latus « ejus apertum est lancea percussoris : « EMANAVIT INDE PRETIUM TOTIUS ORBIS. « EMPTI SUNT... MARTYRES... QUOD ILLIS « IMPENSUM EST, REDDIDERUNT... Dicitur : « *Ad mensam magnam sedisti : diligenter « considera quae apponuntur tibi, quoniam « talia oportet te praeparare* (*Prov.*, 23^{1-2}). « Mensa magna est, ubi epulae sunt ipse « Dominus mensae. Nemo pascit convivas « de seipso : hoc fecit Dominus Christus, « ipse invitator, ipse cibus et potus. « AGNOVERUNT ERGO MARTYRES QUID CO- « MEDERENT ET BIBERENT, UT TALIA RED- « DERENT » (*Serm.* 329, n. 1. P.L. 39, 1454-1455. Cf. *Serm.* 336, c. 4, n. 4, et *Serm.* 213, c. 8, n. 8, col. 1473 et 1064), scilicet suas passiones. Similia habet de « agnoscentibus « gentibus et pia humilitate BIBENTIBUS « PRETIUM SUUM » (*Trin.* 4, 13. P.L. 42, 900) ; de universis scilicet christifidelibus, ad quorum quemque hic sermo dirigitur : « Jam nosti PRETIUM TUUM, jam nosti quo « accedis, QUID MANDUCES, QUID BIBAS ; « immo quem manduces, quem bibas » (*Serm.* 9, c. 10, n. 14. P.L. 38, 85)[1]. Schismaticum vero ita ad communionem Ecclesiae requirendam adhortatur : « Ecce « Christus passus est, ecce mercator osten-

1. Pariter ad *infantes*, seu recenter baptizatos, in tertio inter editos a Michaele Denis sermones (n. 3. P.L. 46, 827), haec verba fiunt : « Ne vobis « viles videamini, bibite pretium vestrum. »

« dit mercedem, ecce PRETIUM, quod de« dit, SANGUIS EJUS FUSUS EST. In sacco « ferebat pretium nostrum : percussus « est lancea, fusus est saccus, et manavit « pretium orbis terrarum... Adhuc SATIET « TE ! » (*In Ps.* 21, n. 28. P.L. 36, 178-179). Nonne tandem de seipso haec scribebat : « Quoniam cogito PRETIUM MEUM, et « MANDUCO, ET BIBO, et EROGO, et pau« per cupio saturari ex eo inter illos qui « edunt et saturantur » (*Confess.* 10, 43, 70. P.L. 32, 810). Quare absolute vocat eucharistiam « poculum pretii nostri » (*ibid.*, 7, 21, 27, col. 748).

Huc redit quod vult idem esse pretium solutum pro nobis in cruce et pignus datum Ecclesiae in sacramento : « Sanguis « enim ille PRO SERVIS PRETIUM EST, PRO « SPONSA PIGNUS EST » (*In Psalm.* 122, n. 5. P.L. 37, 1634). Nec sane praetermittendum est quomodo pignus illud sit illi indifferenter eucharistia aut mors Christi : « De« sidera et expete tibi donatam vitam « Christi ; et donec pervenias, tene PIGNUS, « MORTEM CHRISTI. Non enim, promittens « victurum se esse nobiscum, potuit majus « PIGNUS DARE nobis, quam MORI pro no« bis. ...Promisit, cautionem fecit, PIGNUS « DEDIT : et tu dubitas credere ? Promisit, « cum hic inter homines ambularet ; cau« tionem fecit, cum evangelium scriberet ; « AD PIGNUS IPSIUS quotidie dicis : *Amen.* « PIGNUS ACCEPISTI, quotidie EROGATUR « tibi. Noli desperare qui VIVIS EX PIG« NORE » (*Serm.* 335, n. 2. P.L. 39, 1470).

Consentanee igitur prorsus scribit : ex altari nostro nobis « dispensari VICTIMAM « sanctam QUA DELETUM EST CHIROGRA« PHUM quod erat contrarium nobis, qua « TRIUMPHATUS EST HOSTIS computans « delicta nostra » (*Confess.* 9, 13, 36. P.L. 32, 778). Quis enim dubitet quin victimalis proprietas, Christo per istiusmodi voces adscripta, sit eadem ipsa quae per passionem inducta est ?

Quo etiam formali sensu, commentans super illud *Joannis* 21 9-13 : *Viderunt prunas superpositas et piscem superpositum et panem. ...Et venit Jesus et accepit panem, et dat eis, et piscem similiter*, scribebat sanctus Doctor : « Piscis assus, CHRISTUS EST « PASSUS. Ipse est et PANIS qui de coelo « descendit. HUIC incorporatur Ecclesia « ad participandam beatitudinem sempi« ternam. Propter quod dictum est : *Afferte « de piscibus quos apprehendistis nunc* ; ut

Quibus verbis haec erant praemissa : « Hoc « agnoscite in pane, quod pependit in cruce ; « hoc in calice, quod manavit ex latere » (n. 2, *ibid.*). Jam vero optimis inter recentiores criticos videntur esse genuini cum alii nonnulli ex illis sermonibus (cf. Portalié, art. *Augustin*, in D. T. C., 2306), tum maxime hic tertius. Porro S. Paschasius Radbertus, in *Epistola ad Frudegardum* (P.L. 120, 1352), scripserat : « Alioquin, quomodo ipse idemque « doctor [Augustinus] tam egregius contra se « diceret, ut recolo, in sermonibus ad neophytos : « Hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit « in ligno ; et de calice : Hoc accipite, inquit, « in calice, quod manavit ex latere ? » Quocirca haec adnotat J. Turmel, *Histoire de la théologie positive depuis l'origine jusqu'au concile de Trente*, 2e éd., p. 436 : « Malheureusement, sur « ce point d'une importance capitale, l'érudition « de l'Abbé de Corbie était en défaut. Le sermon « *Ad Neophytos* était l'œuvre d'un inconnu du « VIIIe ou du IXe siècle, qui avait utilisé les for« mules de la liturgie mozarabe. » Haec ille, nullo prolato argumento, nulla adducta auctoritate, neque ulla adjecta referentia sive ad sermonem quempiam *ad Neophytos*, sive ad ullum locum, aut augustinianum, aut pseudo-augustinianum, aut alium quemlibet, excepta epistula ad Frudegardum. Neminem quidem latet, in missali mozarabico reperiri sententias nonnullas istiusmodi, v. g. in quadam oratione missae sabbati sancti : « Coruscet, quaesumus, in pane, quod « pependit in cruce ; micet in calice, quod manavit ex latere » (P.L. 85, 517). At certe non eo ipso constat interpolata esse verba sermonis nostri *ad infantes* (quem crediderim esse ipsum sermonem *ad neophytos* a Paschasio laudatum), aut ipsum sermonem esse spurium. Ex Turmel transiit assertum ad viros literatissimos, P. Batiffol (*Ét. d'Hist. et de Théol. Posit.*, 2e série, 3e éd., p. 367-368) et F. Vernet (art. *Eucharistie du* IXe *siècle à la fin du* XIe *siècle*, in D. T. C., 1230), nullo interim allato argumento, nisi quod allegatur auctoritas ipsius Turmel. Revera, quod aliquando potuerit effugere non tam notitiam quam attentionem criticorum sermo ille, non adeo mirum est, cum denisiana collectio, post integram editionem benedictinam operum S. Augustini edita, in Patrologia Migne, locum occupet tomi 46 extremum, post ipsos indices generales.

Sermoni denisiano potest nunc addi alter, nonus scilicet inter *Sermones ineditos* nuper a G. Morin vulgatos (Monaci, 1917, *De secunda feria Paschae*, n. 2, p. 31) : « Bibite quod fudis« tis. »

« omnes qui hanc spem gerimus,... tanto « nos sacramento communicare nossemus, « et eidem beatitudini sociari » (*In Joan.*, tract. 123, n. 2. P.L. 35, 1966).

Sensu rursus formali videtur haec de nobis ad Christi corpus accedentibus scripsisse, super illud : *Accedite ad eum et illuminamini* (Ps. 33[6]) : « Accedamus ad eum, « et illuminemur ; non quomodo ad eum « accesserunt Judaei, ut tenebrarentur. « Accesserunt enim ad illum ut crucifige- « rent : nos ad eum accedamus, ut corpus « et sanguinem ejus accipiamus. Illi DE « CRUCIFIXO TENEBRATI sunt : nos MAN- « DUCANDO CRUCIFIXUM et BIBENDO illu- « minamur » (*Enarr. in Psalm.* 33, Sermo 2, n. 10. P.L. 36, 313). Pariter de Judaeis poenitentibus : « Post ascensionem, misso « Spiritu Sancto, conversi sunt ad eum « quem crucifixerunt, et in sacramento, « credentes, sanguinem ejus BIBERUNT, « QUEM saeviendo FUDERUNT » (*Serm.* 87, c. 11, n. 14. P.L. 38, 638).

Aperit autem potissimum suum sensum, dum interrogat cur legalium sacrificiorum sanguinem bibere prohibiti fuerint Hebraei, « si illis sacrificiis UNUM HOC « SACRIFICIUM [scil. crucis] significabatur, « IN QUO VERA FUIT REMISSIO PECCATO- « RUM, A CUJUS TAMEN SACRIFICII SAN- « GUINE IN ALIMENTUM SUMENDO non « solum nemo prohibetur, sed ad biben- « dum potius omnes exhortantur qui vo- « lunt habere vitam » (*Quaest. in Heptat.*, l. 3, 57. P.L. 34, 704).

Est igitur et apud Augustinum eucharisticus sanguis ipse cruor sacrificii crucis, sicut est de cruce nobis corpus pabulum : « Nos DE CRUCE Domini PAS- « CIMUR, quia corpus ipsius manducamus[1] » (*In Ps.* 100, n. 9. P.L. 37, 1290). Nec proinde quicquam a nobis offertur praeter ipsum sanguinem vel corpus theothyti, ut diximus, Christi.

Sanctus Gaudentius Brixianus neophytis recens e fonte baptismali egressis eamdem ipse pandebat doctrinam : « In umbra, inquit, illius legalis paschae « non unus agnus occidebatur, sed plures ; « singuli enim occidebantur per domos, « nam sufficere unus non poterat uni- « versis, quoniam figura erat, non PRO- « PRIETAS DOMINICAE PASSIONIS. Figura « enim non est veritas, sed imitatio... « In hac veritate qua sumus, UNUS « PRO OMNIBUS MORTUUS EST ; ET IDEM « PER SINGULAS ECCLESIARUM DOMOS, « IN MYSTERIO PANIS AC VINI, REFICIT « IMMOLATUS, vivificat creditus, conse- « crantes sanctificat consecratus. HAEC « AGNI CARO, HIC SANGUIS EST » (*Sermo* 2). P.L. 20. 854-855). Sufficit igitur agnus ille unus, semel mortuus, cunctis alendis ecclesiarum domibus, propterea quod ei inest proprietas dominicae passionis, quanquam occultata sacramento, simul atque « per imaginem propriae passionis » *(ibid.)*[2] prodita. Non potest ergo aliter apud Gaudentium refectio eucharistica intellegi, quam si in sacramento suae passionis dicatur Christus manducari a nobis quatenus factus ex passione sua hostia sui sacrificii.

Quid aliud S. Leo M. insinuat, dum daemonem inducit fraude sua circumventum in negotio dominicae passionis, qua « fudit sanguinem justum qui reconciliando « mundo et pretium esset et poculum » (*Sermo* 62, de passione 11, c. 3. P.L. 54. 351) ? Vides sanguinem dominicum eatenus nobis poculum, sicut et pretium, quatenus nequitia diaboli in cruce fusum.

Similiter nitidissimis verbis Verecundus Juncensis, exponens sanguinem uvae, quem Moyses dicit (*Deuteron.*, 32[14]) datum a Deo populo suo : « Sanguis « uvae, inquit, martyrum est sanguis, vel « certe IPSIUS CRUOR DOMINICAE PASSIO-

1. Quocirca scribit recte Karl Adam (*Die Eucharistielehre des hl. Augustin*, 1908, p. 75) : « Mit Vorliebe bezeichnet deshalb auch Augustin « die Kommunion als EIN ESSEN VOM KREUZE « Christi, oder gar als EIN ESSEN DES GEKREU- « ZIGTEN. »

2. « Voluit animas pretioso sanguine suo « sanctificari PER IMAGINEM PROPRIAE PASSIO- « NIS » *(ibid.)*.

« NIS, QUO QUOTIDIE DE SACRIS ALTARI-« BUS SATURAMUR » (*In Canticum Deuteronomii*, c. 14. *Spicileg. Solesm.*, t. 4, p. 18).

Inquirens Amalarius cur in hebdomada sancta intermittantur ecclesiastica sacrificia, hanc reddit rationem : « Ratus « ordo est, ut exspectemus, usquedum Do-« minus noster CONSECRET SACRAMENTA « CORPORIS ET SANGUINIS SUI IN CRUCE, « et nova ea faciat per resurrectionem « suam ; et SIC TANDEM MANDUCEMUS ET « BIBAMUS saluberrimum illud sacramen-« tum » (*De Ecclesiasticis Officiis*, l. 1, c. 15. P. L. 105, 1032). Hoc est, cessamus a sacrificando inter feriam quintam et noctem resurrectionis, ut videamur exspectare donec Christus corpori et sanguini suo eucharistico indiderit in cruce veram hostiae immolatae proprietatem ; quo facto, superest ut per resurrectionem innovetur Christi conditio, facta ex corruptibili incorruptibilis, et sic perfectam participemus hostiam, plene et sanctificatam et sanctificantem (Cf. *ibid.*, c. 12, col. 1023, citatum supra, Elucid. XII).

Plenissimam hujus puncti explicationem tradit S. Paschasius Radbertus, secum quaerens cur in articulo passionis habita sit coena eucharistica : « Magis, « inquit, congruit IN IPSO PASSIONIS AR-« TICULO hoc tradere [sacramentum] quam « post resurrectionem : quia AD HOC IMMO-« LATUS EST AGNUS, UT nos ejus carnem « COMEDAMUS... IN MORTE EJUS ISTA PER-« CIPIMUS, UT usque ad finem saeculi « omnes INDE PASCAMUR, et tamen quod « seminatum est, resurgens, incorruptum « permaneat... IDEO, quoties ista come-« dimus, mortem Domini annuntiamus, « QUIA DE MORTE ISTA IMMORTALIA me-« ruimus » (*Lib. de Corpore et Sanguine Domini*, c. 18. P.L. 120, 1326).

Idem sonat, in *Expositione Missae* perperam S. Isidoro adscripta, paraphrasis quae legitur horum verborum canonis, *calicem salutis perpetuae* : « PER CALICEM « PASSIONIS TUAE nos sanguinem tuum « sumere voluisti » (n. 28. P.L. 83, 1150).

Jam revertamur ad coaetaneum Augustini scriptorem *Libri de promissionibus et praedictionibus Dei*, probabiliter S. Quodvultdeum [1], Carthaginensem episcopum. Is, mira locutione, cibum eucharisticum exhibet tanquam in passione et ex cruce nobis confectum atque concoctum ! « Jubetur populus, inquit, mane « panem, in vesperum carnes accipere « (*Exod.*, 16[8]). Sed haec figurae nostrae « fuerunt. Panem enim illum sanctum « qui de coelo descendit, suscepit primo « populus manducandum, postea CAR-« NEM CHRISTI IN PASSIONE CONFECTAM, « de qua Dominus dicit : *Nisi mandu-« caveritis*, etc. » (pars 1, c. 39, n. 56. P.L. 51, 765). « Quod vero in eremo constituto « eidem Eliae, jussu divino corvi mane « panem et carnes vespere ministrarunt « (3 *Reg.*, 17[6]), totius corporis Domini « figura monstrata est, quando prius « in praeceptis panem, postea CARNEM « DOMINICAE PASSIONIS Judaei, ut corvi, « gentibus ministrarunt, tetri colore, « voce raucisona, odore foetidi, horrentes « aspectu. Quibus avibus similes Judaei, « CARNEM CRUCIS EX LIGNO DECOCTAM « gentibus praeparantes, ut corvi una et « raucisona voce Pilato clamaverunt : « *Crucifige, crucifige*. Hanc comedunt, qui « audiunt dicentem : *Nisi manducaveritis* « etc. » (pars. 2, c. 18, n. 62. P.L. 51, 802).

Quatuor autem post saecula, pariter apud Hincmarum panis eucharistiae est crucifixi corpus in ara crucis veluti torrefactum ; et calix cruoris est ex vulneribus stillantis. Quare obversatur ei Ecclesia « corpus crucifixi in ara crucis « torridum [2] sumens, una cum ejus cruore « roseo de latere crucifixi profuso » (*De cavendis vitiis et virtutibus exercendis*, c. 9. P.L. 125, 928) [3].

Sed non solius Hincmari est tunc tem-

1. Cf. Prosper Schepens, *Un traité à restituer à saint Quodvulldeus, évêque de Carthage. au* v[e] *siècle*, in R. S. R., mai-septembre, 1919, p. 230 sq.

2. De corpore Christi in *ara* crucis torrido recole quae dicta sunt supra, in Elucid. XIII.

3. Canit etiam in suo *Ferculo Salomonis* :

poris ista locutio; immo erat popularis. Sic in *Tropo* quodam mediaevali *ad Graduale* in Resurrectione Domini (ex Cantionario ms. gallico XIII s., A. H. 49, 227) panis eucharisticus describitur ut ferculum in ara crucis torrefactum, simulque scaturiens cruore, quo potemur:

« O quam dulce FERCULUM,
« IN ARA CRUCIS TORRIDUM,
« A quo fluit sapidum
« Cruor poculum
« Nostrum. »

Pariter in quadam *Prosa de corpore Christi* [expresse spectato ut eucharistico] (ex orationario ms. Campensi anni 1462. A. H. 31, 105) legitur:

« Ave, caro Christi crassa,
« IGNE PASSIONIS ASSA
« CRUCIS IN CRATICULA[1];
« Cujus gustu saporatum
« Horret animae palatum
« Aliena fercula. »

Praedicabatur etiam populis illud ex pulpito. Sic exempli causa, cardinalis Jacobus de Vitriaco († ante A. D. 1245), Tusculanus episcopus, in suo *Sermone* 2 *in coena Domini*: « VERUM CHRISTI CORPUS, QUOD SUB SPECIE PANIS CONTINETUR, manu Sancti Spiritus in utero Virginis formatum est, et IGNE PASSIONIS IN ARA CRUCIS DECOCTUM EST, UT ESSET ESUI APTUM » (*Sermones in Epistolas et Evangelia dominicalia totius anni*. Antverpiae, 1575, p. 336). Rursusque in *Sermone* 2 *in feria sexta parasceves* (*op. cit.*, p. 355): « Caro Christi [in] cruce assata « est igne passionis, ut esset esui apta. » Etiam ab exegetis idem exponebatur, ut puta Ruperto (*In Joan.*, 6²⁷. P.L. 169, « 457): Coquetur hic panis[2] igne pas- « sionis. »

Sermone non omnino proprio, attamen non damnando[3], Gulielmus a Sancto Theodorico ait ex passione dominicae carnis processisse carnis dominicae pabulum. Revocata scilicet in memoria distinctione inter carnem Christi sensibilem, quae attenditur in passione, et carnem Christi intellegibilem, quae attenditur in eucharistia, sic habet: « De carne illa priori, « quae crucifixa est, haec altera procedit... « Et sicut corpus Domini quod mortuum « est, in evangelio granum frumenti vo- « catur cadens in terram, sic in Psalmo « [103] adeps frumenti vocatur illa mystica « caro, ad quam Dominus hortans dis- « cipulos dicebat: *Nisi manducaveritis*

« In cruce nam corpus fixum est, sanguis quoque fusus
« Christi, quem in coena jam dedit ante suis.
« Cum nos indigni haec memoramus jussa, Redemptor
« Emptorum pretium munera nostra facit » (P.L. 125, 1202).

Ubi non solum coenam cum cruce ita colligat ut comestio sacramenti videatur fuisse discipulis praelibatum de hostia cruenta epulum, sed insuper nostri sacrificii hostiam describit more augustiniano ut pretium ipsum nostrae redemptionis. Conferatur *Explanatio in Ferculum Salomonis* (P.L. 125, 832).

1. Omnes autem istiusmodi locutiones videntur derivatae ex vetustissimo illo *Hymno in Resurrectione Domini*, quo ex torrido Christi corpore coenando manare dicebatur ad nos cruor degustandus (A. H. 51, 87. Ex permultis Hymnariis, Ritualibus et Breviariis ms germanicis, helveticis, gallicis, italicis, anglicis, hibernicis, hibericis, saec. VIII, IX, X et XI. — Cf. J. Mearns, *Early Latin Hymnaries. An index of hymns in hymnaries before* 1100. Cambridge, 1913, p. 1):

« Ad COENAM agni providi
« Stolis albis candidi,
« Post transitum maris rubri
« Christo canamus principi.
« Cujus SACRUM CORPUSCULUM
« IN ARA CRUCIS TORRIDUM;
« Cruore ejus roseo
« Gustando, vivimus Deo. »

Circa antiquitatem longe saeculo octavo remotiorem illius hymni, vide A. H. 51, 90. Fortasse non immerito suspicabatur H. A. Daniel (*Thesaurus Hymnologicus*, Halis, 1841, tom. 1, p. 89): « Hymnum *Ad coenam agni* in antiqua « ecclesia cantari solitum esse, dum catechu- « meni baptizati corpore et sanguine Domini « rite munirentur. »

2. Alia exempla panis eucharistici in ligno crucis cocti suppeditabuntur infra, ad calcem hujus Elucidationis.

3. Non damnandum dico, quia aliunde identitatem numericam et absolutam corporis passi ac gloriosi et corporis eucharistici satis affirmavit, immo et propugnavit Gulielmus. Vide infra (Elucid. XXIV) ejus controversiam cum Ruperto.

« *carnem meam, et biberitis meum sangui-* « *nem, non habebitis vitam in vobis ma-* « *nentem* » (*De sacramento altaris*, c. 6. P.L. 180, 353).

Inter opera sancti Bernardi editus est quidam incerti auctoris sermo *De excellentia SS. Sacramenti*, ubi Christus inducitur haec loquens : « Liquor iste quem vides, « jam non est vinum, sed sanguis meus, « QUEM PRO TE FUDI IN PRETIUM, TIBI RE- « SERVANS IN ALTARI POCULUM... Ego « botrus carnis, pro salute tua portatus « SUM AD TORCULAR CRUCIS : INDE ELI- « QUATUM EST MUSTUM TUAE REDEMP- « TIONIS. *Sanguis autem meus vere est po-* « *tus* » (c. 11. P.L. 184, 988).

Apud Hugonem Ambianensem, sicut Christus in cruce passus redemptio est nostra, ita etiam est nostra alimonia. « Ea hora [coenae] corpus Christi comes- « tum est, idem ipsum in crastino pro sa- « lute mundi in cruce passum est. Ea hora « sanguis Christi bibitus est, idem ipse « in crastino pro salute mundi IN CRUCE « fusus est : IN QUA PRO NOBIS PASSUS, « nostrae redemptionis est praemium, et a « redemptis IN VITAE SUMITUR ALIMEN- « TUM » (Hugo Ambianensis, Rotomagensis archiepiscopus, *Dialogorum* l. 5, c. 14. P.L. 192, 1209).

Cruor crucis apud Robertum Pullum est noster potus : « Judaei Chris- « tum cruci vulneratum affixerunt : hoc « est petram (quae auctore Apostolo est « Christus) ligno a Moyse percuti. Petra « autem aquam fudit, dum EX VULNERI- « BUS CHRISTI CRUOR FIDELES POTATU- « RUS DEFLUXIT » (*Sententiarum* lib. 8, c. 1. P.L. 186, 959-960).

Vivide Gerhohus Reichersbergensis : « Hic [indignus] si accedit ad « corpus Christi manducandum et san- « guinem ejus bibendum, quia vinum no- « vum in utres veteres mittit, vinum effun- « detur et utres pereunt. Effundetur, sed « non perdetur. Quomodo enim perire « potest, qui *venit salvum facere quod* « *perierat* ? Quomodo perire posset cor- « pus et sanguis ejus qui ubique est ? « Attamen qui HUNC SANGUINEM UVAE, « PRELO CRUCIS EXPRESSUM, in utres « veteres mittunt, rei sanguinis hujus « fiunt, quasi cum perdiderint, quia in « eis non remansit, quod non periit » (*In Psalm.* 22[5]. P. L. 193, 1055 ; cf. *In Psalm.* 140[1]. P.L. 194, 934).

Tandem S. Martinus Legionensis (*Serm.* 26 *in resurrect. Dom.* P.L. 208, 966): « CRUX CHRISTI NOBIS COELESTEM « CIBUM, id est, Christum, qui vere est « angelis et hominibus panis vitae, nobis « PRAEPARAVIT[1] ».

Sicut reliqui scriptores cum Augustino, ita poetae nostri idem decantabant, populusque christianus cum illis : pasci nos de cruce (*Psalterium sanctae crucis*. A. H. 35, 22-23. Ex codice Londinensi ms. saec. XIII-XIV) :

> « Salve, CRUX, timentibus
> « ESCAM DANS sacratam,
> « Carnem Christi cornibus
> « Crucis immolatam[2]. »

De cruce etiam refocillamur (*Prosa in die Corporis Christi*, A. H. 34, 47. Ex Graduali ms. Coloniensi saec. XV) :

> « [Bibentium spiritus]
> « POTU CRUCIS sanguinatur,
> « Totus intra dulcoratur,
> « Exsultat divinitus. »

1. Possent addi sexcenta testimonia leviora, quale occurrit in testamento, quod adscribit Flodoardus sancto Remigio, disponenti ut ex massa auri, olim sibi donata a Chlodovaeo « rege « christianissimo », conficeretur calix, cui epigramma istud insculperetur :

> « Hauriat hinc populus vitam DE SANGUINE [SACRO
> « Injecto, aeternus QUEM FUDIT VULNERE [Christus.

(apud Flodoardum, *Historia Ecclesiae Remensis*, lib. 1, c. 10 et 18. P.L. 135, 44 et 62). Sed verendum ne talia minus diserta videantur.

2. De morte Christi nos pasci, pulchre resonabat hoc *Responsorium in festo Corporis Christi* (A. H. 5, 31. Ex cod. Praedicatt. Vindobon. s. signo anni 1462) :

> « Granum excussum palea
> « Cadens in terram moritur ;
> « Surgit messis triticea,
> « De qua panis conficitur,
> « Quo in altaris area
> « Plebs christiana pascitur. »

Rursusque (*Psalterium sanctae crucis*, A. H. 35, 22) :

« Salve, CRUX, quae mystico
« Prelo torcularis
« IMPLES Christi SANGUINE
« CALICEM ALTARIS[1].

Sanguinem passionis ebibimus (*Hymnus mozarabicus* pro Dominica 4ª Quadragesimae. A. H., 27, 83. Ex cod. ms. saec. x) :

« Verbum Patris, quod prodiit factum caro,
« Agnus Dei peccata mundi auferens,
« Ad te venimus cernui, ut inclitum
« Bibamus ALMAE PASSIONIS SANGUINEM[2].»

Apud Orientales fortasse illud intendebat S. Ephraem, scribens : « In vespera « autem hujus paschatis, imposuit Eccle« siae suae legem ut memoriam faceret « agni, filii Dei nostri, qui ANTEQUAM « PRO NOBIS OCCIDERETUR corpus et san« guinem suum dedit... In illa vespera, in « qua azymis utebantur Judaei, Jesus « Ecclesiam in mundo constituit HAERE« DEM SANGUINIS SUI », sanguinis scilicet mortis suae (*Serm.* 3 *in hebdom. sanct.*, n. 7. Ed. Lamy, t. 1, p. 426-428).

Similiter Athanasius : « [Resurrec« tio] tempore passionis accidit, qua Do« minus noster pro nobis obiit, et *Pascha « nostrum immolatus est Christus*. PROP« TEREA IGITUR, QUIA IMMOLATUS FUIT, « UNUSQUISQUE EO VESCETUR, et hilari« ter seduloque alimoniam hanc partici« pabit » (*Epist. heortast.*, 11, n. 14. P.G. 26, 1412).

Illud, quantum videtur, Chrysostomus indicat, cum inter multas alias ejusdem styli sententias[3] adhortatur christianum virum ad condonandam injuriam inimici. « Nondum te [inimicus tuus] in « crucem egit, uti Christum Judaei : et « tamen ille IPSUM EUMDEM SANGUINEM « QUEM FUDIT, in salutem DEDIT IIS qui « fuderunt », sanguinem scilicet passionis (*Homil.* 1 *de proditione Judae*, n. 6. P.G. 49, 381).

Illud etiam, ni fallor, inculcat sanctus Sophronius Hierosolymitanus, dum crucem his verbis alloquitur : « Propterea vehementer IN TE gloriamur, « quod... IN TE EFFUSUS EST ille a Deo « profluens SANGUIS Filii et Verbi Patris « invisibilis, CUJUS [sanguinis] quicumque « HODIE sunt PARTICIPES, repropitiantur « vivificanti nostro Deo » (*Or.* 5 *de festo sanctae Crucis*. P.G. 87ter, 3313)[4]. Sanguis igitur de cruce est, cujus participes sumus.

Nonne idem Cyrillus Alexandrinus insinuat super illud *Deuteronomii* 15^{13-14} : « *Quem libertate donaveris*,

1. Ad mentem eamdem Petrus Venerabilis (*Rythmus in Laude Salvatoris*, A. H. 48, 244 ; cf. textum non ita castigatum P.L. 189, 1012) :

« De mortis arbore
« Sanguis effunditur,
« Qui fide sumitur
« De Christi corpore etc. »

2. Sexcenta istiusmodi possent congeri carmina. En, exempli gratia, pastum et potum complexive de cruce procuratum (*Hymnus de corpore Christi*, auctore Johanne a Jenstein, archiepiscopo Pragensi, XIV saec. A. H. 48, 431) :

« Caro CRUCIFIXI,
« Flexa quae fuisti
« Dira nece crucis
« Da gaudia lucis.

« Imber sacri roris
« Tui nos CRUORIS
« Mundet intus, foris,
« Almis jungat choris. »

Brevius idem (*Hymnus de corpore Christi*, ex Antiphonario ms. Villariensi saec. XIII. A. H. 12, 33) :

« Caro tua vere cibus
« Sanguis tuus vere potus :
« Redemptionis hostia
« Tuarum pastus ovium. » Etc., etc.

3. Recole, si placet, hom. 63, n. 3 et 4, cit. supra.

4. Non certo nobis constat idemne significaverit Procopius his verbis : « Vult suum COR« PUS NOBIS CEDERE IN ALIMENTA. QUAPROPTER « effluere patitur sanguinem... Participatio, qua « Christum in praesentiarum participamus, con« tinet passionis ejus confessionem » (*In Exod.*, 12⁸. P.G. 87, 568-569). Equidem nescio annon, attento contextu, alius sit hujus loci sensus accipiendus, scilicet : cum vellet Christus nobis suam carnem dare in cibum, nec cibus esse posset nisi mundatis, oportuit ut sanguis ejus funderetur, quo abluti mundaremur. Qui si obtineat sensus, nihil, fateor, ad praesentem materiam pertinet iste locus.

nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus et de area et torculari tuo? « Vides, inquit, perspicue Christi « mysterii vim in his verbis fulgere; nam « redempti sumus, et dimisit nos ille om- « nium Salvator liberos gratis... Cumque « nos liberos dimisisset, id est, a peccatis « liberasset, et adoptionis gratia decoras- « set, praeclarum nobis viaticum seipsum « adjecit, DUCTUS UT IMMACULATA HOSTIA « ET UT OVIS AD MACTATIONEM PROPTER « NOS, ATQUE NOBIS LARGIENS ESSE PAR- « TICIPES EULOGIAE VIVIFICAE, HOC EST « SANCTAE SUAE CARNIS ET SANGUINIS. Hoc « est, opinor, ob ovibus atque a frumento « et vino suppeditandum esse viaticum iis « qui septimo tempore, id est, spirituali « sabbato, ad libertatem ex benignitate « dominica vocantur » (*De adoratione in spiritu et veritate*, l. 7. P.G. 68, 501). Nonne, explicans viaticum nostrum, te admonet Cyrillus eucharisticam cibationem esse de corpore mactati Christi?

Certe ambigui nihil habet commentarius Hesychii super hunc versiculum Levitici: [simila] *autem in sartagine oleo conspersa frigetur.* « SARTAGINEM Domini « CRUCEM... accipi oportet: quae etiam « superimpositam DOMINICAM CARNEM ESI- « BILEM HOMINIBUS reddidit. Nisi enim « superimposita fuisset cruci, nos corpus « Christi nequaquam mystice percepisse- mus » (Hesychius, *In Levitic.*, 6[21]. P.G. 93, 852).

Abundat sanctus Damascenus hujus argumenti exemplis, ut quando canit potionem fluentem ex sepulchro Christi (*In Dominicum Pascha*, str. 4. P.G. 96, 840): « Agite, POTIONEM bibamus novam, « non ex saxo sterili miraculose eductam, « sed EX SEPULCHRO CHRISTI incorrup- « tionis fontem pluente »; vel praedicat quamdam crucifixi corporis multiplicationem in alimentum fidelium, comparans scilicet multiplicationem panum cum alimonia per crucem parta. « Nutrita sunt « quinque millia, rursumque septem millia « sub UNO CRUCIS SIGNO: ubi ergo ciborum « reliquiae? quomodo qui praesens non « eram, eorum qui adfuerunt reliquias « accipiam? Duodecim erant, qui super- « fuere, fragmentorum cophini. Correspon- « det gratia: CRUCIFIXUS EST CHRISTUS, « ET SEMPER NUTRIMUR: atque satiati « rursus quaerimus, et rursum accipientes « appetimus, et amplius est quod superest. « Nihil enim detrimenti capit gratia » (*Sermo in sanct. Parascev. et in crucem.*, n. 1. P.G. 96, 589). Intellegiturque plane qua mente scripserit: « Accedamus cum de- « siderio incenso; et in formam crucis « manibus compositis, CRUCIFIXI CORPUS « PERCIPIAMUS » (*De Fide orthodoxa*, 4, 13. P.G. 94, 1149). Illud est crucifixi corpus, quod instar panum multiplicavit Dominus omnibus hominum generationibus apponendum.

Facit praeterea fidem, quod sub nomine Chrysostomi allegat Damascenus: obtigisse nobis hostiam sanguinis Christi quasi fructum de cruce. « Pupugit latus miles ille, « et effodit parietem sancti templi: atque « ego thesaurum [i. e. sanguinem] inveni, « et opes accepi. Sic in agno quoque conti- « git. Judaei mactabant (ἔσφαζον) « AGNUM, et ego hostiam carpsi (κἀγὼ τὴν « θυσίαν ἐκαρπωσάμην), EX LATERE SANGUI- « NEM ET AQUAM. Quemadmodum mulier « filium sanguine suo et lacte alit, sic « Christus eos quos genuit, ipse proprio « alit indesinenter sanguine » (*Sacra Parallela*, Θ, tit. 4. P.G. 96, 17).

Rursus nobis adest praeco non contemnendus traditionis orientalis Symeon Thessalonicensis: « Illud est finis « omnis mysterii, ut... carnem et sangui- « nem ipsius Christi communicemus... Hac « de causa crucifixus est et sanguinem « effudit propter nos, ut ipsius in commu- « nione essemus participes; et ante cru- « cem per hierurgiam sacramenta dedit, « ut nobiscum esset, et participes essemus « ejus, nunc et in futuro, et omnium bono- « rum ejus consortes essemus » (*De Sacramentis*, 58. P.G. 155-233). Iterumque: « Procedentem ad communicandum opor- « tet manus in crucem colligere in si- « gnum servitutis atque confessionis CRU-

« CIFIXI : siquidem ad ipsum participandum venit » (*De sacra Liturgia*, c. 99. P.G. 155, 301).

Ex liturgiis illud est imprimis delibandum, quod recitabatur in oratione *post-sanctus* missae mozarabicae pro feria IV post ramos palmarum : « Ipsi ergo [Filio « Dei] hodie humiliatum cor in sacrificium « laudis immolamus : petentes ab eo, ut « hodie vel cras seu cunctis vitae nostrae « diebus, ablutis criminibus, CALICEM SUP- « PLICII SUI expiati BIBERE mereamur » (P.L. 85, 405). Rursus in quadam oratione post communionem : « PASSIONIS DOMI- « NICAE CALICEM delibantes et sacrosancti « corporis suavitatem gustantes, gratias « et laudes ei referamus, in domo ejus « laeti et hilares ambulantes » (P.L. 85, 568). Calix quem bibimus calix passionis est ; calicem igitur passionis obtulimus. Coena etiam quam manducamus, coena passionis est : « Securi accedamus ad TUAE « PASSIONIS SACRATISSIMAM COENAM » (Oratio *post-pridie* in dominica palmarum, col. 400).

Accedit oratio *post-pridie Missae votivae singularis* : « Hic panis, quem LIGNUM « CRUCIS COXIT, et hic calix, quem TOR- « CULAR PASSIONIS EXPRESSIT,... veram... « salutem sumentibus praestent » (P.L. 85, 993)[1].

Abundant autem veteres liturgiae precibus aut contestationibus hujusmodi : « Precamur mente devota te, Majestas « aeterna, ut, operante virtute, panem « mutatum in carne, poculum versum in « sanguine, illum sumamus in calice, qui « de te fluxit in cruce ex latere » (*Missale Gothicum*, Missa Dominicalis, *Post-Secreta*, apud Mabillon *Liturgia Gallicana*, l. 3, c. 80. P.L. 72, 317). « CORPUS TUUM PRO « NOBIS CRUCIFIXUM EDIMUS ; et sangui- « nem sanctum tuum pro nobis effusum « bibimus » (*ibid.*, post orationem dominicam, col. 318 ; cf. ed. Bannister, p. 140 sq.).

Consonat inter alia apud Orientales quod in missa Syro-maronitica diaconus populum ad communionem invitans clamat : « Ecce calix quem MISCUIT Dominus « noster SUPER CAPUT LIGNI ; appropin- « quate, mortales, et bibite ex eo in « remissionem criminum » (Maximil. Saxon., *Missa Syro-Maronitica*, p. 56. Cf. Liturgiam Syrorum Jacobitarum, B. 104). Cruor igitur passionis eucharistia nostra est ; quam accipimus a Deo communicantes, prius oblatam a nobis.

1. Cf. Heterius et Beatus, *Ad Elipandum epist.*, l. 1, c. 68 (P.L. 96, 936-937) : « Illum « panem, quod corpus est Christi, lignum crucis « coxit. » Recole Hincmarum superius recitatum.

Elucidatio XXI.

Similiter perspexere Patres et Doctores offerri in missa ipsum sacrificium coeleste.

§ 2. De habitudine missae ad sacrificium coeleste.

Ostendendum superest ex Patrum et Doctorum auctoritate[1], ipsam demum coelestem a nobis offerri aeterni sacrificii[2] carnem. Quod quidem implicite traditum existimaveris ab illis quicumque haec duo composuerunt : 1° esse Christum sui sacrificii hostiam perennem (cf. supra, Elucid. XII-XV) ; 2° ipsam unius dominici sacrificii hostiam a nobis ut talem offerri (cf. supra Elucid. XVII, XIX-XX) : unde resultat, offerri a nobis coeleste sacrificium[3]. Sed distinctius nonnunquam id asseruere nostrae fidei magistri, et quidem dupliciter : primo, *directe*, dum volunt sacrificationem nostram se habere circa hostiam coeli, vel in coelesti fieri altari ; secundo, *indirecte*, dum cibatione eucharistica sentiunt participari sacrificium coeleste.

Sectio I. — De directa connexione inter sacrificationem Ecclesiae et hostiam coeli.

Articulus I. — Adseritur offerri a nobis coeleste sacrificium.

Ex Patribus, Ambrosius audiatur de nostro sacrificio disserens : « Umbra in « lege, IMAGO in evangelio, VERITAS in « coelestibus. Ante agnus offerebatur, offe« rebatur et vitulus ; nunc Christus offer« tur : sed offertur quasi homo, quasi reci« piens passionem ; ET OFFERT SE IPSE « QUASI SACERDOS, ut peccata nostra di« mittat : HIC IN IMAGINE, IBI IN VERITATE, « UBI APUD PATREM PRO NOBIS QUASI « ADVOCATUS INTERVENIT » (*De officiis ministrorum*, 1, 238. P.L. 16, 94). Prolixius alibi : « Primum igitur umbra praecessit, « secuta est imago, erit veritas. Umbra « in Lege, IMAGO VERO IN EVANGELIO, « VERITAS IN COELESTIBUS... ERGO QUAE « NUNC CELEBRANTUR IN ECCLESIA eorum « umbra erat in sermonibus prophetarum... « VIDEMUS NUNC PER IMAGINEM bona, et « tenemus imaginis bona. Vidimus Princi« pem sacerdotum ad nos venientem, VI« DIMUS et AUDIVIMUS[4] offerentem pro « nobis sanguinem suum : sequimur, ut « possumus, sacerdotes, ut offeramus pro « populo sacrificium : etsi infirmi merito, « tamen honorabiles sacrificio ; quia etsi « nunc Christus non videtur offerre, tamen « ipse offertur in terris, quando Christi « corpus offertur : immo ipse offerre mani« festatur in nobis, cujus sermo sanctificat « sacrificium quod offertur. Et ipse quidem

1. Conclusionem ex Scriptura ductam vide supra (Elucid. XVII).

2. Secundum normas superius in Elucidatione XV positas, necessario hic, dum de sacrificio coelesti disserimus, accipienda est vox sacrificii passivo sensu, pro RE Deo in sacrificium tradita et adscripta (quae permanet), non pro ACTIONE sacrifica (quae transiit).

3. Tetigerunt istud (secuti, ut assolent, Scheeben, *Handbuch. d. kath. Dogm.*, 3, n. 1459-1508), dum disputant de Christo Redemptore, J. Wilhelm et T. B. Scannell (*A Manual of Catholic Theology*, vol. 2, London, 1898, p. 204-205), quanquam, cum veniunt postea ad Missam elucidandam, nihil (nescio cur, nisi forte quod jam caruerunt ducatu sui praeceptoris) desumunt inde praesidii aut utilitatis. Sic Wilhelm et Scannell *(loc. cit.)* : « In the whole burnt « offerings of the Old Testament the smell of « the victim is said to ascend to God as an « odour of sweetness, which expression is also « applied to the sacrifice of Christ. THE ODOUR « OF SWEETNESS OF THE SAVIOUR IS HIS GLO« RIFIED SELF ASCENDING INTO HEAVEN, and « as the Lamb slain, standing in the midst of « the throne before God, AS AN ETERNAL SA« CRIFICE of adoration and thanksgiving. From « His heavenly throne Christ, through His pries« tly ministers on earth, continually consecrates « and sacrifices in His Church, MAKING HIM« SELF THE SACRIFICE OF THE CHURCH... HE « THUS BRINGS DOWN TO EARTH THE PERENNIAL « SACRIFICE OF HEAVEN, in order to apply its « merits to mankind, and at the same time « enables the Church to offer with Him and « through Him a perfect sacrifice of adoration « and thanksgiving. »

4. Ex voce « audivimus » collige oblationem sanguinis in coena esse factam : in coena enim tantum Christus obtulit sermone, scilicet conse-

« NOBIS APUD PATREM ADVOCATUS ASSIS« TIT : sed nunc eum non videmus ; tunc « videbimus, CUM IMAGO TRANSIERIT, ve« RITAS VENERIT... Ascende ergo, homo, « in coelum, et videbis ILLA quorum um« bra hic erat vel IMAGO... VIDEBIS ve« rum lumen, aeternum atque PERPETUUM « SACERDOTEM » (*In. Psalm.* 38, n. 25-26. P.L. 14, 1051-1052). Sensus utriusque loci est apertus : Christus scilicet in imagine a nobis sacrificatur ; intellege in imagine alicujus veritatis. Sacrificii autem veritas hoc loco ita attenditur in passione (quam in sacramento quasi *recipit*, id est similitudinarie in se rursus suscipit), ut simul reponatur in coelesti Christi conversatione, eatenus immolatitia, quatenus est in supernis Christus aeterna pro nobis hostia, sicut aeternus sacerdos (« offert se »). Cujus sacerdotis hostiam dum nos sacerdotes offerimus in imagine, vere sacrificamus, offerentes quippe Deo hostiam passionis gloriosam. Quare habet jus scribendi Ambrosius : « Jam non in sacrificio species agni sit, « at veritas corporis Christi. Non umbra « legis perstringat oculos : sed aperte « DOMINICAE GRATIA[1] PASSIONIS et SPLEN« DOR RESURRECTIONIS aciem mentis illu« minet » (*De Cain et Abel*, l. 2, c. 6, n. 19. P.L. 14, 350). Veritas enim, figuris Legis praesignata, ipsa jam nobis adest, jam tractatur a nobis, quae revelabitur eadem in saeculo futuro : veritas dico hostiae, in passione cruentatae, in resurrectione clarificatae.

Uno brevissimo verbo coaetaneus auctor *Consultationum Zacchaei et Apollonii* (l. 3, c. 7. P.L. 20, 1120) : « Coeleste fidelium munus pura oblatione celebratur. »

Jam ex mediaevalibus auditus est (Elucid. IX) Isaacus de Stella, secundum quem in missa, facta consecratione per prolationem verborum dominicorum, « sa« cerdos, non jam vetus Melchisedech, « neque natus caro de carne... sed novus, « Jesus, natus de Spiritu Spiritus, de donis « ac datis divinis, DE COELO COELESTEM « HOSTIAM CARNIS ET SANGUINIS OFFERT » etc. ; interim rogante visibili sacerdote, ut « in veritate carnis et sanguinis, de se« cundo [altari][2] ultra velum in coelo », benedictionem et gratiam consequatur (*Epist. de officio missae.* P.L. 194, 1894-1895).

Fuit illo tempore, ut jam notavimus, vulgatissimus in scholis *Libellus de canone mystici libaminis*, a Ricardo Wedinghusano conscriptus, ubi, super partem canonis proxime cohaerentem verbis consecrationis, id legitur commentarioli : « PRAESENTE SUMMO ET VERO SACERDOTE, « jam apud Patrem innotescunt *petitiones* « [al. preces] nostrae ; praesente SUMMA « ET VERA HOSTIA, jam *major protenditur* « [al. minor praetenditur] mora. *Tunc* [al. « trium] magnalium quae fecit celebratur « memoria, ut tam per eum, quam per ea « quae fecit, Patris *flectatur et impetretur* « [al. flectatur] clementia. Quinque ergo « cruces facimus, non quod eum qui prae« sens est sanctum sanctorum sanctifi« cemus, sed ut per ejus *praesentiam et* « *crucis efficaciam quinquepartitam obtinea*« *mus gratiam, per quam digne* [al. poe« nitentiam] offeramus et sumamus *hos*« *tiam salutarem* [al. salutarem hostiam], « et eidem conformati *in sanctorum con*« *sortium* [al. sanctorum consortiis] merea« mur admitti. Dominus [al. enim] Jesus « [al. Christus] IN PASSIONE SUA FUIT HOS-

crationis : quo non intimabatur quidem directe oblatio, sed peragebatur immolatio sacramentalis, in qua consistit (quoad rem) oblatio pragmatica hostiae ad immolationem cruentam.

1. Vox *gratia* hic intellegenda est per oppositionem ad *umbram* : nominatque *realitatem salutiferam* umbraticis sacrificiis praenuntiatam : eo fere modo quo Christus dictus est a Joanne plenus *gratiae et veritatis*, id est realitatis salutiferae, quam non possidebat Lex, sed promittebat. Quare non ita construendus est sermo, ac si *gratia* designaret effectum *passionis* ; sed genitivus est epexegeticus : gratia, quae est dominica passio, id est ipsa salutifera realitas passionis dominicae.

2. Primum altare fuit in terris, unde Christus tulit hostiam suam in secundum altare, in sancta sanctorum, secundum *Epistolam ad Hebraeos*, ubi sensus est : ex conditione terrena et passibili hostiam nostri sacerdotis transiisse in statum coelestem et incorruptibilem.

« TIA PURA, in RESURRECTIONE [al. fuit] « HOSTIA SANCTA, IN ASCENSIONE HOSTIA « IMMACULATA, PANIS VITAE AETERNAE « esurientibus, CALIX SALUTIS PERPETUAE « justitiam sitientibus [al. facientibus]. Ei « ergo assimilari et conformari debemus, « qui ad IPSUM OFFERENDUM [al. et su- « mendum] accedimus » (*Libellus de canone mystici libaminis*, c. 6. P.L. 177, 463). Vides quomodo praesupponatur nostrae actioni Christus hostia, sicut et sacerdos ; quomodo offerenda nobis per consecrationem prostet hostia coelestis[1].

Supponit hanc doctrinam quaestio quam movet Gulielmus Parisiensis his verbis : « Potest autem habere dubi- « tationem, cur summus ille SACERDOS ET « HOSTIA Christus Dominus DESCENDAT in « altare et inter manus sacerdotis, cum « TOTUM ILLUD SACERDOTALE OFFICIUM « in ipso sublimi habitaculo coelesti coram « Deo Patre laudabiliter et sufficienter « explere posset » (*De sacramento Eucharistiae*, c. 5, op. t. 1, p. 447). Non fit igitur Christus hostia a nobis secundum Gulielmum Parisiensem, sed praeexsistens hostia descendit : descendit autem, cum possit absque nostra ministratione agere hostiam sufficienter in coelis, sicut et sacerdotem. Est ergo nostra hostia hostia illius sacrificii coelestis, cujus aeternus exsistit Christus sacerdos.

Idem jam notatum est supra (Elucid. XIX) ex doctrina sancti Thomae. Sed hic adjicere licet testimonium superius in Elucidatione III allatum de perennitate hostiae dominicae : quam ideo nos cottidie offerentes, facimus sacrificium, quia perdurat in munere suo hostiae ipsa semper (4 D. 12, exp. lit.).

Sancti Thomae discipulus et acutus interpres Cajetanus, cum jam oportuit contra protestantium insultus incolumem tueri atque sartam tectam conservare veritatem nostri sacrificii, non omisit statum Christi immolatitium perennem in medium proferre, ut videre est in tractatu ejus *De sacrificio missae*, quod adversus Lutherum scripsit (A. D. 1531) « opuscu- « lum, ait cl. Hurter (*Nomenclator*[2]., 2, « 1207) eruditum et solidum, IN QUO RA- « TIONEM HABET DOCTRINAE S. PAULI IN « EP. AD HEBRAEOS, cc. 7-10 ». Perseverantiam scilicet status immolatitii ibi conditionem adserit sine qua non possit nostrum sacrificium cum uno nec iterabili sacrificio Christi componi. Adeo ut mystica, quae a nobis peragitur, immolatio ipsi perseverantiae status immolatii nihil conferat, sed valeat tantum ad quamdam similitudinem externam veritatis immolatitiae inducendam iterandamque ; cujus ope offeramus hostiam passionis coelestem.

Sic summarie ponit Cajetanus statum quaestionis : « Consentiunt Lutherani « missam posse sacrificium memoriale ap- « pellari, ea ratione quia in memoriam « sacrificii oblati in cruce verum corpus « Christi cum vero sanguine Christi con- « secratur, veneratur et sumitur, dicente « Domino : *Hoc facite in mei commemorationem*. Negant autem duo : Alterum est, « offerri corpus vel sanguinem Christi Deo ; « quamvis enim affirment in altari esse « verum Christi corpus, negant tamen illud « verum Christi corpus offerri Deo. Alte- « rum est, esse in altari hostiam, seu sacri- « ficium pro expiatione peccatorum, sive « pro vivis, sive pro defunctis. Et fundant « utrumque super doctrinam *Epistolae* « *ad Hebraeos*, ubi clare unica oblatio cor- « poris Christi, in cruce semel facta, suffi- « ciens manifestatur pro peccatis totius « mundi » (cap. 2). Adversus illa duo puncta contorquent Lutherani multa documenta *Epistolae ad Hebraeos* a capite septimo usque ad decimum inclusive. « Con- « tra quotidianam quidem oblationem eu-

1. Exstat inter opera spuria sancti Thomae quaedam *Expositio missae*, de qua nihil reperies dictum a P. Mandonnet in disquisitione *Des écrits authentiques de saint Thomas d'Aquin*[2], c. 11, *Des écrits apocryphes*. Patet autem legenti nihil eam esse nisi compilationem locorum ex *Libello de canone mystici libaminis* excerptorum; inter quos reperitur (Parmae, 1864, t. 17, p. 334) ille qui supra est relatus, juxta lectiones quidem quas inter uncos reposuimus, sive interpolentur istae, sive substituantur pro alio tenore verborum (quem characteribus italicis distinximus).

« charistiae arguunt tripliciter : primo ex « multitudine sacerdotum... Secundo ex « repetitione oblationis... tertio ex parte « rei oblatae : ...*per proprium sanguinem* « *semetipsum semel obtulit* : inconveniens « ergo est per nos offerri sub specie panis « et vini, qui semel sufficientissime oblatus « est Christus a seipso. Contra hoc vero, « videlicet quod eucharistia sit hostia pro « peccatis, arguunt... primo ex repetitione : « quia ibidem hostiarum veteris testa- « menti infirmitati ad delenda peccata « adscribitur repetitio hostiae... Secundo, « ex sufficientia sacrificii Christi, quia « Christus, unica oblatione semetipsum « offerens in cruce, consummavit omnes « accedentes ad eum, etc. Injuria ergo fit « sufficientissimae Christi hostiae pro pec- « catis totius mundi, addendo hostiam « aliam in novo testamento pro peccatis » (cap. 5.).

Enumeratis autem quinque illis protestantium objectionibus, principium solutionis dat Cajetanus his verbis : « esse « unicam hostiam, semel oblatam in cru- « ce, PERSEVERANTEM MODO IMMOLATITIO, « quotidiana repetitione ex institutione « Christi, in eucharistia » (cap. 6). Fit autem applicatio principii ad quinque objecta sic : ad primum : « Aliud est « affirmare disparatam hostiam requiren- « tem successionem sacerdotum, et aliud « est affirmare PERSEVERANTIAM HOSTIAE « IN CRUCE OBLATAE requirentem succes- « sionem ministrorum. » Ad secundum : « Non repetitur sacrificium seu oblatio[1], « sed PERSEVERAT IMMOLATITIO MODO « UNICUM SACRIFICIUM semel oblatum, et « in modo perseverandi INTERVENIT RE- « PETITIO, NON IN IPSA RE OBLATA, NEC « ETIAM IPSE QUI REPETITUR MODUS CON- « CURRIT AD SACRIFICIUM PROPTER SE, sed « propter oblationem in cruce commemo- « randam incruente. » Ad tertium : « Cum « hoc quod Christus semel proprium san- « guinem sufficientissime et abundantis- « sime fuderit in cruce, quadrat, ut perse- « veret immolatitio modo in eucharistia « illa unica ac sufficientissima sanguinis in « cruce effusio. » Ad quartum : « Quum « infertur, inconveniens esse in novo tes- « tamento, affirmare hostiam pro peccatis « quam oportet repetere, CONCEDITUR TO- « TUM proprie loquendo : quia non repeti- « tur in missa hostia ; sed ILLAMET HOSTIA « IN CRUCE OBLATA PERSEVERANS IMMOLA- « TITIO MODO recolitur in qualibet missa. » Ad quintum : « Quemadmodum Christus « per proprium sanguinem penetravit coe- « los, perseverans sacerdos in aeternum ad « interpellandum pro nobis (ut in eadem « Epistola scribitur), ita perseverat no- « biscum per eucharistiam immolatitio « modo, intercedendo pro nobis. Sicut enim « sufficientia et efficacia summa sacrificii « in ara crucis non excludit perseveran- « tiam Christi in coelis in officio interpel- « landi pro nobis, ita non excludit perse- « verantiam ejusdem nobiscum immola- « titio modo ad intercedendum pro nobis. « Nam QUEMADMODUM CONTINUA INTER- « CESSIO CHRISTI PRO NOBIS IN COELO NON « DEROGAT UNICAE INTERCESSIONI MORTIS « CHRISTI : ita non, immo MULTO MINUS « EIDEM DEROGAT PERSEVERANTIA CHRISTI « IMMOLATITIO MODO ad intercedendum « pro nobis, ut participes simus remissionis « peccatorum in ara crucis factae, QUANDO « ISTA INTERCESSIO FIT PER MYSTERIUM « SUB SPECIE PANIS ET VINI : illa autem in « coelo fit per Christum in propria specie, « in qua crucifixus est » (cap. 6).

Paulo post Cajetanum, auctor rursus ipse *Antididagmatis*, Joannes Gropper, proprio suo nomine inscripsit librum, cui titulus *Von warer, wesentlicher, und bleibender Gegenwartigkeit des Leybs und Bluts Christi* (1548), in quo latine per F. Laurentium Surium reddito (Colon., 1560), haec leguntur : « Chrysostomus « affirmat nonnisi unum esse ubique « Christum, qui semel obtulerit se in « sancta sanctorum, atque, EA RE, ILLA « EJUS UNICA OBLATIO NON CESSET, « NEQUE UNQUAM CESSARE AUT CONSUMI « POSSIT ; NOSTRAMQUE HOSTIAM idem

1. Non severe distinguit Cajetanus oblationem ab immolatione.

« esse Christi corpus, quod ille ipse unicus pontifex noster NOBIS PRAESTET, « et per nos offerat » (p. 179)[1]. Adeo fuit necessarium, ut contra protestantium objectiones integralis instauraretur de eucharistia doctrina priscorum Patrum!

Anno sequente, vir eodem confutandorum haereticorum negotio implicatus, Georgius Wicelius, in suo libello *De Eucharistia* (Coloniae 1549)[2] sic argumentabatur : « Estne verum Christi corpus verusque sanguis sub specie sacramentali in altari ? Adsenties, si modo « catholicus es. Rursus ESTNE ETIAM « CHRISTI CORPUS AC EJUS SANGUIS SACRIFICIUM sive HOSTIA ? Hic lupum « auribus tenes. Verum ego nodum solvam. SI IGITUR CHRISTI CORPUS ATQUE EJUS SANGUIS NON EST HOSTIA, « INANIS EST NOSTRA FIDES, ET HACTENUS IN PECCATIS NOSTRIS MANEMUS. « Sin vero ejus corpus ac sanguis est HOSTIA, SICUT HERI, HODIE ET IN SAECULA, « QUID IGITUR EUM NEGAS IN SACRAMENTO ?... Quemadmodum igitur Christum nequis separare a sacramento, ita « NEC SACRAMENTUM POTES DISJUNGERE « AB HOSTIA » (p. 322-323). Videsne quomodo ille vir ex conditione hostiae perenni, quae competit Christo secundum se, jam transeat ad comprobandam hostiam in sacramento ? Quae utique erat vera et invicta responsio, ad ora protestantium obturanda expeditior atque efficacior.

Quam etiam adhibebat A. D. 1552 (Coloniae) Conradus Clingius O. M., « Ecclesiastes Erfordiensis », his verbis : « Ecclesia docet missam esse sacrificium « verum ex illo fundamento, quod CHRISTUS EST SACRIFICIUM PERPETUUM pro « peccatis totius mundi, sicut etiam sacerdos in aeternum. Ubicumque ergo est « Christus cum carne et sanguine suo, ibi « quoque est verum sacrificium [passive « intellectum]. Et hoc idem et unum, semel « in cruce oblatum Patri (*Loci communes theologici*, l. 4, c. 29, Parisiis, 1565).

Quartus jam audiatur Germanus, supralaudatus Joannes Fabri Hailbrunnensis (*Missa Evangelica*, Parisiis, 1558), qui perdurantem in coelis hostiam crucis vult a nobis in sacramento offerri Deo unam. « IPSE CHRISTUS JESUS ABSQUE « INTERMISSIONE SESE OFFERT DEO PRO « NOBIS, SEDENS AD DEXTERAM PATRIS, « interpellans pro nobis : ut sua passio in « nobis efficax sit » (fol. 42 a). « In altari « NON ALIAM NOS LITAMUS HOSTIAM quam « quae a Christo in cruce, mortali in corpore, immolata est, qua pro peccatis nostris abunde satisfecit. EAMDEM, inquam, « hostiam nos hodieque sacrificamus, SED « IMPASSIBILEM ET GLORIFICATAM... Habemus... Christum in altaris sacramento « invisibilem ac impassibilem, et eum Patri quotidie offerimus. Cum enim nihil « praeterea suppetat nobis quod dignum « sit retribui Deo pro omnibus nobis ab « illo donatis, CALICEM SALUTARIS ACCIPIMUS, ID EST CHRISTI PASSIONEM, aut « opus redemptionis, idque, ex Christi « mandato dicentis *Hoc facite in meam « commemorationem*, CORAM DEO STATUIMUS, quo nos participes ille reddat « unicae illius in cruce litatae hostiae » (fol. 148).

Popularibus suis adscribatur quintus Joannes a Via, idem illud catholicae Germaniae, praesertimque Ecclesiae Coloniensis, propugnaculum invictum adversus missae calumniatores erigens atque muniens. In suo scilicet sapido opere, quod inscribitur *Jugis Ecclesiae Catholicae Sacrificii... Defensio et Assertio... contra calumnias et cavillationes Jacobi Andreæ Smidelini* (Coloniae, 1570) hanc sibi proponit defendendam thesim (p. 445) : « Corpus et sanguis Christi [*intellege* : ubicumque jam post resurrectionem et ascensionem sunt, sive in propria specie, sive « in aliena] semper sunt sacrificium [*in-*

1. Recole praeterea in eumdem sensum verba nonnulla supralaudata (Elucid. XIX) *Antididagmatis* : « Consistit et manet tale sacrificium coram « Deo » etc.

2. Praecesserat editio germanica (Lipsiae, 1534), quam prae manibus non habui.

« *tellege* : passive sumptum, id est sacrificii « hostia] ; non autem de novo fiunt » [sacrificii hostia, puta a nobis]. Quocirca sic procedit : *primo*, refert objectionem Smidelini contra missae sacrificium : « Sacerdos, « inquit [Smidelinus], ex corpore et san- « guine Christi sacrificium reconciliatio- « nis facit [juxta catholicos] : quod pugnat « cum tota Scriptura Sacra, quae testa- « tur quod Christus cum unico suo sacri- « ficio nostra sit reconciliatio, ac eodem « nobis vitam aeternam meritus sit » (p. 446). *Secundo*, diluit objectionem ; sic : « Respondeo. Primo testamur sacerdotem « CORPUS ac SANGUINEM Christi OFFERRE « pro redemptione animarum, pro spe « salutis et incolumitatis, atque ut sit « denique, tam offerenti quam iis pro qui- « bus offertur, propitiabile. Verum, quod « NUNC DEMUM EADEM [i. e. corpus et « sanguinem] TALE SACRIFICIUM [i. e. « victimam sacrificii] FACERE INTENTET[1], « prorsus negamus : nec unquam ullo id « testimonio vero in ipsum comprobari « poterit. Neque enim haec est intentio « sive Ecclesiae sive ministri ejus sacrifi- « cantis. Ubicumque enim corpus et san- « guis Christi est, ibidem etiam ejusmodi « sacrificium [i. e. hostia seu victima] esse « intelligitur, UT NON SIT NECESSE FIERI « TANDEM INCIPERE, QUOD ANTEA SEMPER « ET UBIQUE EST SIVE IN PROPRIA FORMA « SIVE IN ALIENA. Id quod non solum Joan- « nis testimonium confirmat (*I Joan.*, 2) « dicentis : *quoniam advocatum habemus* « *apud Patrem, Jesum Christum justum,* « *et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* : « *non pro nostris autem tantum, sed etiam* « *pro totius mundi* ; verum etiam ac multo « maxime Patris jusjurandum *Psal.* 109. « Quem enim ad dexteram suam sedere « vult, donec inimicos ejus ponat scabel- « lum pedum ejus, eumdem etiam mandat « sacerdotem esse secundum ordinem Mel- « chisedech, non ad tempus exiguum, sed « in aeternum. SI ERGO SACERDOS AETER- « NUS, ETIAM SACRIFICIUM AETERNUM SIT « OPORTET, non effectu tantum, sed et « OFFICIO, quanquam dispari modo : in « coelo in propria forma, in altari hic infra « in aliena operatione arcana. Sicut Apo- « stolus... testatur quod idem Christus ex- « tra portam passus, jam nunc futurorum « bonorum Pontifex assistat,... [qui] per « proprium sanguinem introierit semel in « sancta non manufacta, sed in ipsum « coelum, ut appareat nunc vultui Dei « pro nobis. Et cur appareat, nisi UT COR- « PORIS SUI SACRIFICIUM PRO PECCATIS « OFFERAT, quale cujuslibet Pontificis offi- « cium esse describit Apostolus. Itaque, « SICUT CHRISTUS IN COELO NON NOVUM « propitiatorium reconciliationis offert sa- « crificium, sed QUOD OLIM TALE SEMEL « FACTUM FUIT, QUOTIDIE AETERNUS SA- « CERDOS PATRI SISTIT : ita NEQUE in « Ecclesia hac militanti PER SACERDOTIS « MINISTERIUM NOVUM SE FACIT SACRI- « FICIUM, sed QUOD SEMEL TALE FECIT, « JUGITER OFFERT : ut sit unus atque idem « utrobique ipse et sacrificium et sacri- « ficans in aeternum, unus mediator Dei « et hominum, homo Christus Jesus; VE- « RUMQUE SIT AC PERPETUO SIBI CONSTET, « QUOD UNA OBLATIONE aeternam re- « demptionem invenerit... Non ergo no- « vum propitiationis reconciliationisve sa- « crificium ex corpore et sanguine Domini « facit sacrificans, sed aeternum illud cor- « poris et sanguinis Jesu Christi sacrifi- « cium (aeternam redemptionem operans) « aeterni Sacerdotis minister (sicut su- « pra praecedente articulo ex Chrysostomo « dictum est), pro redemptione omnium « credentium, omnium Deo offert » (p. 445-447 ; cf. p. 466-467). Miror si non omnibus videatur haec nostri Coloniensis theologi aptissima atque efficacissima vindicatio simul catholici dogmatis atque expositio.

Lovanii vero, auctoritate ac nomine totius Universitatis, Ruardus Tapperus, ille « novitatis omnis osor », (Hurter, *Nomenclator*[2], 1451), idem ei ipse

1. Sensus est : negamus hanc esse intentionem sacerdotis, ut corpus et sanguinem dominicum donet proprietate hostiae ; quasi nunc demum illae sacrae res evaderent hostia, cum prius hostia non essent. Negamus igitur Christum transire ex non-hostia in hostiam.

contra Protestantes instaurabat, « ut, quem-« admodum in Ecclesia triumphante ipse « Christus sese Deo Patri indesinenter « offert pro nobis, ita nos eumdem con-« tinuo offeramus » (*Declaratio articulorum a veneranda Facultate Theol. Lovan. adv. nostri temporis Haereses* etc., Lugduni, 1554, p. 266) : eumdem scilicet, qui est oblatio coelestis.

Recentiore aetate vero, Andegavi, Decanus Facultatis Theologicae Immaculatae, Franciscus Babin[1], vir egregius, in opere quod inscribitur *Conférences ecclésiastiques du Diocèse d'Angers sur le sacrement de l'Eucharistie et le Sacrifice de la Messe, tenues en l'année* 1716, *rédigées par M. Babin, doyen de la Faculté de Théologie d'Angers* (ed. Andeg., 1755, p. 239), sic fidem Ecclesiae exponebat : « Nous « croyons dans l'Église Catholique, que « le Sacrifice de la Messe est le même en « substance que le sacrifice de la Croix ; « nous ne reconnaissons QU'UNE SEULE « OBLATION, QU'UN SACRIFICE UNIQUE, « PAR LEQUEL LE SAUVEUR DU MONDE S'EST « IMMOLÉ ET EST MORT POUR NOUS UNE « FOIS, ET QU'IL OFFRE ACTUELLEMENT « DANS LE CIEL, PENDANT QUE SUR LA « TERRE NOUS CONTINUONS DE L'OFFRIR « PAR LE MINISTÈRE DES PRÊTRES. »

Haec fuit fides Galliarum, quam suis populis supralaudatus L. A. Joly de Choin, Episcopus Toulonensis, tradebat his verbis : « Il s'y offre aussi [à la messe] « comme à la résurrection, puisqu'il y « offre son corps immortel et glorieux ; il « s'y offre comme à l'Ascension, puisqu'il « monte encore de l'autel de la terre *au « sublime autel* du ciel, selon l'expression « du canon, pour y aller résider et inter-« céder pour nous, OFFRANT AINSI TOU-« JOURS UNE MÊME HOSTIE... Ainsi le « sacrifice de la messe est un holocauste « où Jésus-Christ s'offre tout entier à Dieu « son Père, comme il s'est offert sur la « croix, et COMME IL S'OFFRE DANS LE « CIEL » (*Instructions sur le Rituel. Du sacrifice de la messe*, ed. Bisunt. 1827, p. 226-227).

Abundant vero liturgiae contestationibus istiusmodi : « Hic enim est AGNUS « DEI, unigenitus Filius tuus, qui tollit « peccata mundi ; qui SE PRO NOBIS OFFE-« RENDO non desinit, nosque APUD TE « perpetua advocatione defendit : QUIA « nunquam moritur immolatus [scil. in « mysterio], sed semper vivit occisus [scil. « in passione] » (Contestatio missae paschalis 3ae in *Missali Bobiensi*, seu *Sacramentario gallicano* Mabillonensi, secundum editionem pseudo-muratorianam. P.L. 72, 511)[2]. Pressius in missa mozarabica Nativitatis Dominicae : « Hostiaque immolata « [in passione] vivit, et vivens jugiter « immolatur [in sacramento] » (oratio *post-nomina*. P.L. 85, 187). En habes intercessionem Christi sacrificalem unam eamdemque, in passione praeteritam, in coelis aeternalem, cottidianam in missa. Vivit in coelis hostia passionis, placans Patrem ; dumque a nobis sacramentaliter immolatur, missae sacrificium offertur.

ARTICULUS II. — ASSERITUR SACRIFICIUM NOSTRUM PERFICI IN ALTARI COELESTI CHRISTO.

MEMBRUM I. DOCUMENTA THEOLOGORUM.

Esse Christum altare coeleste sui aeterni sacrificii jam olim disputatum est. Esse et altare nostri sacrificii, indicaverunt obiter, occasione data, Ignatius (Elucid. XIII et XVIII), Irenaeus (Elucid. XIII), Cyrillus Alexandrinus

1. « Premier et principal rédacteur d'un cours « théologique français très estimé et très ré-« pandu, intitulé : *Conférences ecclésiastiques « du diocèse d'Angers*. On admire dans les dix-« huit volumes sortis de sa plume les diverses « faces d'un talent doctrinal supérieur: science « exacte et profonde, etc. Ces diverses qualités, « fruit d'un long et brillant enseignement, atti-« rèrent sur la publication naissante l'attention « du clergé de France, qui, à la mort de l'auteur, « en demanda la continuation... L'ouvrage en-« tier offre les avantages d'une *Somme Théo-« logique* de réelle valeur » (D. T. C., 2, 4, s. v. *Babin*).

2. Idem ad verbum in *Vetere missali Gallicano* (29) edito a Mabillon, *De liturgia gallicana*, l. 3, P.L. 72, 374.

(Elucid. XIV), Hesychius, Andreas Caesariensis, Walafridus Strabus, Lanfrancus, Bruno Carthusiensis, Thomas Vercellensis, Petrus Lombardus, Innocentius III, Petrus de Tarentasia, etc[1]. Quibus interim[2] adnumerandus est, ex Graecis, Pseudo-Dionysius agnoscens in Christo altare permanens, cui per consecrationem superimponuntur ea quae sanctificantur : « Jesus, inquit, est altare « nostrum divinissimum. ...Supramun« danis oculis divinissimum illud altare « intueamur, in quo ea quorum fit conse« cratio consecrantur et sanctificantur » (*De Ecclesiast. Hierarch.*, c. 4, 12. P.G. § 3, 484-485. Cf. paraphrasim Pachymerae, col. 497-500). Ex Syris, Dionysius Bar Salibi, hanc in *Expositione Liturgiae* (C. S. C. O., t. 93, trad. Labourt, p. 99) doctrinae eucharisticae summam tradens : « Nec corpus sine altari, « nec corpus sine sacerdote perficitur : « Emmanuel autem est haec omnia : « altare, et corpus seu hostia, et oblatio « et sacerdos, et offerens. » Affert igitur consecratio nobis, cum hostia et sacerdote, etiam altare nostri sacrificii, Christum. Ex Latinis, S. Paschasius Radbertus, super illud Jeremiae (*Thren.* 2[7]) : *Repulit Dominus altare suum* : « Al« legoricus autem sensus congruere satis « non videtur, quod repulerit Dominus « altare suum de Ecclesia, IN QUA CHRIS« TUS CREDITUR ALTARE ESSE, hostia et « sacrificium, pontifex et sacerdos. NON « ENIM ALIUD ALTARE RECTE DICITUR « ECCLESIAE FORE, QUAM HOC UNUM, IN « QUO VOTA ET SACRIFICIA OMNIUM OFFE« RUNTUR FIDELIUM » (*Expositiones in Lamentationes Jeremiae*, l. 2. P.L. 120, 1118).

Post Paschasium, Honorius Augustodunensis, commentans super verba canonis : « Sublime altare Dei in conspectu « Dei, est Christus, in dextera Dei : SUPER « QUOD ALTARE ECCLESIA HOSTIAS SPIRI« TUALES IMMOLAT, et super quod Deus « vota fidelium et sacrificium justitiae « acceptat » (*Gemma animae*, l. 1, c. 106. P.L. 172, 579). Rursusque in *Speculo Ecclesiae* (*In Coena Domini*. P.L. 172, 928): « Cras altare denudatur... quia Christus, « VERUM ALTARE, IN QUO VOTA[3] FIDELIUM « DEO PATRI SANCTIFICANTUR, illa die ab « impiis ad cruciatus denudabatur. »

Similiter Sicardus Cremonensis : « *Jube haec perferri per manus sancti an« geli tui in sublime altare tuum.* Hic est « angelus magni consilii, consiliarius ille, « cujus consilio Pater mundum creavit et « recreavit. Sublime ALTARE Dei in con« spectu Dei est CHRISTUS CRUCIFIXUS, « SEDENS IN DEXTERA PATRIS » (*Mitrale*, l. 3, c. 6. P.L. 213, 132).

Medius inter illos duos liturgistas, exegeta non ignobilis, Radulphus Flaviacensis (*In Leviticum*, l. 1, c. 1, Coloniae 1636, p. 2) : « Dominus quippe Chris« tus ALTARE NOSTRUM EST, QUIA OBLA« TIONES NOSTRAS EI IMPONIMUS. »

Similiter Gerhohus Reichersbergensis super illud *Psalm.* 83[4] : *Altaria*

1. Quos citavimus potissimum in Elucidationibus XIII et XVII.

2. Nec est fortasse praetereundum quod Hieronymus (*In Oseam.*, 8[11]. P.L. 25, 888) trilogiam Apostoli in *Eph.*, 4[5] : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, habet pro synonyma hujus alterius : « Unum autem esse altare in Eccle« sia, et unam fidem, et unum baptisma, apo« stolus docet. » Qua in aequiparatione stat pro Domino altare.

3. Nemini autem, vel tenuiter liturgici usus veterum gnaro, ignotum esse potest, nomine votorum intellegi sacrificia, jubentibus fidelibus, Deo reddita. Unde illud nostri canonis : « ...qui « tibi reddunt vota sua aeterno Deo vivo et « vero ». Unde etiam ipsum nomen atque ritus missarum votivarum ; quarum sufficiat illud specimen ex *Missali Bobiensi* : « Cui Abel mu« nera obtulit, cui Abraham holocaustum ferre « decrevit, cui Jacob VOTUM VOVIT ET REDDI« DIT, miserere, Domine, servo tuo ill., qui in « honore sanctorum ill., VOTORUM MUNERA OF« FERT per suffragia orationum sanctorum tuo« rum.... Tu es enim Deus qui nullum tibi perire « vis, sed omnibus reddis magna pro parvis, « pro morte vitam, pro poena gloriam, pro vo« TORUM OFFICIO praemia tribuis sempiterna, « per Christum Dominum nostrum » (Contestatio missae votivae tertiae. P.L. 72, 542-543. Vide alias missas votivas singulares tres eodem loco ; et confer missam votivam singularem mozarabicam, cum sequente pro itinerantibus, P.L. 85, 991-997).

tua, Domine virtutum : « Altaria Dei sunt « Christi humana caro et rationalis anima, « super quae quotidie offeruntur fidelium « sacrificia » (P.L. 194, 514).

Suffragatur autem auctoritas ecclesiastica, monente videlicet *Pontificali Romano* promovendos ad subdiaconatum : « Altare « quidem sanctae Ecclesiae ipse est Christus... IN QUO et per quem OBLATIONES « FIDELIUM Deo Patri CONSECRANTUR. » Cujusmodi intellegendae sint oblationes, manifestat pontifex dicens : « Oblationes « quae veniunt in altare, panes proposi- « tionis vocantur[1]. »

Qua ex doctrina, tam firmo traditionis ecclesiasticae fundamento innixa, rursus constat nullam in nostro sacrificio tractari hostiam praeter coelestem illam, quae a Christo, quondam in terris passo, Deo in coelis aeternaliter redditur. Idem est enim, ut supra disputavimus, Christo et esse hostiam, et esse altare ; sicut idem est illi et sacerdotem agere, et fungi munere sive hostiae sive altaris. Cum igitur nullo utamur altari nisi coelestis sacrificii, nullam nisi sacrificii coelestis adhibemus hostiam.

MEMBRUM II. DOCUMENTA LITURGICA.

Quae cum ita sint, jam vix dubium remanet, quid sibi velit precatio illa, qua in missa, post recitatam institutionem eucharistiae atque commemoratam dominicam mortem, resurrectionem, et ascensionem, rogamus Deum, ut proposita dona rapiantur in sublime altare Dei : *Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae.* Una quippe super altari Dei sublimi, qui Christus est, jacere potest hostia vera, quae est Christus ; quae rursus vera hostia nequit non in sublimi Dei altari jacere : cum sit unum idemque et esse in illo altari et esse hostiam illam. Cum igitur oratur ut dona transferantur in altare coeleste, oratur eo ipso ut transmutentur in coelestem hostiam corporis et sanguinis dominici.

Nec proinde ambigendum videtur, quin hic inveniatur quaedam romana epiclesis respondens, et quoad locum et quoad sensum, etsi non quoad formam, epiclesibus orientalium liturgiarum[2].

Hanc conclusionem jam ex praemissa disputatione licuit nobis eruere ; at expedit eam literariis fulcire argumentis, ex quibus rursus accipiat confirmationem illa de nostro coelesti altari atque hostia doctrina theologica.

Horum argumentorum erit duplex genus ; alterum petitum ex comparatione cum aliis liturgiis, alterum ex auctoritate veterum expositorum.

Comparatio cum aliis liturgiis potest fieri duplex. *Primo*, comparatio cum petitionibus consecrationi praeviis. *Secundo*, comparatio cum simili prece consecrationi posteriore.

Primo, comparari potest nostra precatio cum formulis ejusdem tenoris quae, in liturgiis orientalibus habentur ante narrationem coenae : sive in limine anaphorae (Liturgia graeca *Sancti Marci*, B. 129), sive ante anaphoram, in offertorio (Liturgia vetus *Sancti Basilii*, B. 319 ; cf. Lit. ho-

1. Adeo vulgata et trita erat apud catholicos etiam sexti decimi saeculi illa nostri christologici altaris ratio ut per modum doxologiae cujusdam adhiberetur a viris literariis, puta Henrico Stephano. Adeatur, v. g. « *Bernonis Abbatis « Libellus de officio missae quem edidit Rho- « mae*, editus denuo per Jacobum Fabrum, « apud Henricum Stephanum, Parisiis, 1518 », ad cujus calcem ista leguntur : « Parisiis ex offi- « cina libraria Henrici Stephani anno CHRISTI « SALVATORIS QUI EST ALTARE VICTIMA ET « SACRIFICIUM NOSTRUM SUPERBENEDICTUS IN « SAECULA SAECULORUM MDXVIII secunda « die decembris. Amen. »

2. Agnoscunt in precatione illa epiclesim inter recentiores L. A. Hoppe, *Die Epiclesis der griechischen und orientalischen Liturgieen und der römische Consekrationskanon*, 1864, p. 121 sq., ubi pleraque reperientur ex testimoniis infra allegandis ; Duchesne, *Origines du culte chrétien*[3], p. 181-182 ; Cabrol, D. A. C., art. *Anamnèse*, col. 1885 : « Malgré toutes les opi- « nions contraires, ce *Supplices te* représente « l'ancienne épiclèse romaine... » (quanquam in t. 2, col. 1893, infeliciter mutat suam sententiam eximius liturgista, ductus, credo, auctoritate Domini Cagin, de quo infra.) ; Salaville, D. T. C., art. *Épiclèse*, col. 219-220.

diern. *S. Basilii*, B. 401), sive ante offertorium, in majore ingressu (Liturgia graeca *Sancti Jacobi*, B. 41), sive ante ipsum ingressum, in praeambula missae prothesi (*Liturgia Armenorum*, B. 419 ; Liturgia vetus *Sancti Basilii*, B. 309 ; cf. Lit. hodiern. *S. Chrysostomi*, B. 360). Porro istis locis vix potest, super simplicem panem et vinum prolata, oratio illiusmodi alium sensum habere, nisi ut petatur a Deo propositorum donorum mutatio in hostiam corporis et sanguinis Christi.

En formulam Liturgiae *Sancti Jacobi* (cui identica est precatio Armenorum atque ea quae in Liturgia *Sancti Basilii* pro prothesi usurpatur). « Deus, Deus noster, « ... tu ipse benedic hanc oblationem pro- « positam, et suscipe eam in SUPERCOE- « LESTE TUUM ALTARE[1]. »

Offertorium in missa *Sancti Basilii* sic procedit : « Digni efficiamur offerre tibi « rationabilem hanc et incruentam hos- « tiam pro nostris peccatis et populi « erratis ; quam cum susceperis in SANC- « TUM ET SUPERCOELESTE et INTELLEGI- « BILE TUUM ALTARE in odorem suavi- « tatis, vicissim mittas ad nos gratiam « Sancti tui Spiritus. »

Hic tandem est textus liturgiae *S. Marci* : « Offertorium, hostias, oblationes, sa- « crificia suscipe, Deus, in SANCTUM ET « SUPERCOELESTE ET INTELLEGIBILE TUUM « ALTARE, in sublimitates coelorum, per « archangelicam liturgiam. »

Sensus istarum petitionum, satis jam ex sese, attentis circumstantiis et materia subjecta, clarus, clarior etiam fiet, si comparetur oratio protheseos suprarecitata ex vetere liturgia *Sancti Basilii* cum correspondente oratione protheseos in parallela liturgia vetere *Sancti Chrysostomi*, quae sic habet : « Domine Deus noster,... « respice super panem hunc atque hunc « calicem, et fac eos immaculatum tuum « corpus et pretiosum tuum sanguinem » (B. 309)[2].

Clarissimus tandem et evidentissimus jam fit sensus, si cum precationibus illis comparentur ea quae post institutionem narratam et peroratam epiclesim, in liturgia graeca *sancti Jacobi* diaconus eloquitur ad populum, ad Deumque sacerdos. Dicit quippe Diaconus : « Super oblata et sanc- « tificata pretiosa, supercoelestia, ineffa- « bilia, immaculata, gloriosa, reverenda, « tremenda, divina dona apud Dominum « Deum nostrum oremus ; ut Dominus « Deus noster, qui SUSCEPIT ea in sanc- « tum et supercoeleste, intellegibile et « spirituale suum ALTARE in odorem sua- « vitatis, vicissim mittat ad nos divinam « gratiam et donum Spiritus Sancti, ore- « mus » (B. 58-59). Sacerdos autem interea orat his verbis : « Deus Pater « Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu « Christi,... oblata tibi dona, munera, sa- « crificia in odorem suavitatis SUSCEPISTI, « et sanctificare atque CONSECRARE di- « gnatus es per ILLAPSUM SANCTI TUI « SPIRITUS : sanctifica, Domine, etiam « nostras animas et corpora et spiritus » *(ibid.)*. Attento parallelismo, nemini potest esse dubium, quin diaconus, dum peractam asserit assumptionem donorum in altare, intellegat transmutationem, seu sanctificationem atque consecrationem illam, quam ait sacerdos effectam per illapsum Spiritus Sancti. Quod nunc asseritur factum, idem igitur rogabatur ut fieret, dum talis assumptio in altari deposcebatur. Quod si autem per istiusmodi postulationem exorabatur transsubstantiatio, videtur naturae rerum consentaneum ut eadem censeatur per consimilis formae precationem nostram *Supplices te rogamus* a nobis expeti.

Unum videtur difficultatem facere vel dubitationem ingerere, quod emittitur nos-

1. Intra offertorium autem sic in Liturgia graeca *Sancti Jacobi* oratur : « Da nobis, Domine, « cum timore et conscientia pura offerre tibi « hanc spiritualem et incruentam hostiam, « qua suscepta in SANCTUM ET SUPERCOELESTE « ET INTELLEGIBILE TUUM ALTARE, in odorem « suavitatis, vicissim mittas ad nos gratiam « sancti tui Spiritus » (B. 47).

2. In hodierna liturgia *S. Chrysostomi* (B. 360) successit in locum hujus invocationis precatio illa basiliana : qua commutatione rursus manifestatur aequivalentia formularum.

tra precatio post factam jam consecrationem, scilicet post recitata verba institutionis : quo fit, ut quidam se reputent adstrictos ad inquirendam aliam interpretationem. At immerito, ut constabit ex altera comparatione, quae jam est instituenda.

Secundo igitur, comparatur nostra precatio cum exoratione fere identica, quae locum habet in Liturgia *Constitutionum Apostolicarum* post consecrationem. « Dia- « conus iterum praedicet : Adhuc atque « adhuc adoremus Deum per Christum « ejus ; pro munere quod Domino Deo « nostro oblatum est, oremus, ut Deus, qui « bonus est, mediante Christo suo, illud « recipiat IN COELESTE SUUM ALTARE, in « odorem suavitatis. » Porro certo constat his verbis diaconum praecipere populo, ut impetret a Deo mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Etenim sic ordinatur hoc loco liturgia *Constitutionum Apostolicarum*. Recitatis quippe verbis institutionis atque facta anamnesi, episcopus plura a Deo petit hoc ordine : 1° ut respiciens Deus in dona proposita, mittat Spiritum Sanctum, qui ea mutet in corpus et sanguinem Christi : « Posci- « mus te, ut super haec dona in conspectu « tuo proposita placate respicias, tu, qui « nullius indiges Deus, et bene placeas in « eis ad honorem Christi tui, atque mittas « Sanctum tuum Spiritum super hoc sa- « crificium, testem passionum Domini Jesu, « ut exhibeat panem hunc corpus Christi « tui et calicem hunc sanguinem Christi « tui » (F. D. 1, 510 ; B. 21). Quae est epiclesis. 2° Ut prosit Ecclesiae. 3° Ut prosit universo episcopatui. 4° Ut prosit sibi-ipsi et universo clero. 5° Ut prosit regi et in sublimitate constitutis. 6° Ut prosit defunctis sanctis et martyribus, etc. Interim diaconus monet populum, ut ipse quasdam ad Deum dirigat precationes : quarum *secunda* est pro Ecclesia, *tertia* pro universo episcopatu, *quarta* pro universo clero, *quinta* pro rege et in sublimitate constitutis. *Sexta* pro martyribus et fidelibus defunctis ; etc. Evidenter concordat series precationum, quas injungit diaconus plebi cum serie precationum, quas emittit ad Deum episcopus. Porro prima diaconi injunctio fuit illa quam supra retulimus : preces faciendas intimans, ut dona proposita transferantur in altare Dei. Ergo et haec petitio, primo loco facienda a populo, resonabat primae petitioni episcopi, qua impetrabatur transmutatio, seu epiclesi. Quod igitur exorare censetur sacerdos ut descendat Spiritus Sanctus ad transmutationem operandam, idem rogat populus ut transmutatione dona assumantur in coeleste altare[1]. Quae duo sunt genera epicleseon : unum ad descensionem impetrandam ordinatum, alterum ad assumptionem[2] ; nec iis exhibentur nisi duo respectus unius ejusdemque divinae operationis, Christum inducentis sub species sacramentales et in genere hostiae et in genere altaris : in genere hostiae, pro quanto oblatorum a nobis donorum terminat mutationem Christus, hostia passionis ; in genere altaris, pro quanto superimpositam sibi nostram oblationem recipere censetur altare Dei, qui Christus est[3].

1. Dualitas illa epicleseon, quarum una a sacerdote, altera a plebe proficiscitur, parum utique foret intellegibilis, si, ut schismaticis placet, epiclesis superveniens narrationi coenae vim haberet consecrandi (quasi applicans demum oblatis dominicorum verborum virtutem) : non enim consecrat plebs, sed sacerdos tantum. At interit difficultas, si, ut omnino constat catholicis, haec duntaxat est vis epicleseos atque ratio, ut ea petantur, quae noscuntur esse effecta : propterea quod oportet ut Ecclesia per successivas missae partes evolvat atque dilatet enuntiationes intimationesque varias unius nec divisibilis operationis, quae tum constitit, cum prolata sunt verba dominica, ut exponetur infra (Elucid. XXXIV). Nihil enim jam impedit, quin, sicut a sacerdote, ita pariter a plebe proficiscatur aut proficisci jubeatur istiusmodi precatio, minime consecratoria. Cf. J. Sarug., cit. p. 452.

2. Apposite Duchesne, *loc. cit.*, : « Ce n'est « pas le Saint-Esprit qui descend vers l'oblation, « c'est l'oblation qui est emportée au ciel par « l'ange de Dieu. Mais dans un cas comme dans « l'autre, c'est après son rapprochement, sa com- « munication avec la vertu divine qu'on parle « d'elle comme du corps et du sang du Christ. »

3. Fortasse indicium aliquod prodit bipartiti

Ceterum hanc identitatem realem inter nostram romanam epiclesim et epicleses orientales theologus Graecus olim notaverat, Nicolaus Cabasilas[1] : « Latini « non aperte petunt sanctificationem et « mutationem in corpus dominicum, sed « aliis utuntur nominibus eo ferentibus, « et quae tantundem valent. Quae est « autem oratio ? Jube sursum ferri dona « haec in manu angeli ad supercoeleste « tuum altare... Omnia quae intercedendi « vim habent et sanctificationem nobis « praebent, solus est ipse Salvator. Quae- « nam ergo sunt quae intercedendi vim « habent et sanctificant ? Sacerdos, Hos- « tia, Altare. Etenim et altare sanctificat, « ut vult sermo Domini. *Altare* enim, in- « quit, est *quod sanctificat donum.* Ergo « quoniam solus ipse est qui sanctificat, « solus fuerit Sacerdos et Hostia et Altare. « ...Ad hoc supercoeleste altare orat sa- « cerdos [Latinus] dona sursum ferri, quod « est sanctificari, in ipsum supercoeleste « Christi corpus mutari... Quoniam enim « altare sanctificat dona ei superimposita, « idem est orare ut dona sanctificentur, « et orare ut altari superimponantur. « (Quae enim est sanctificatio, qua altare « sanctificat dona imposita ? Ea qua ipse « Sacerdos seipsum sanctificavit : scilicet « eo quod oblatus est Deo et sanctifica- « tus.) Quoniam enim idem est et Sacerdos « et Altare, et Hostia, idem est et a Sa- « cerdote sacrificatum esse, et in Hostiam « illam mutatum esse, et in illo supercoe- « lesti Altari posita et dedicata esse. Prop- « terea, cum aliquod horum trium sepa- « ratim oraveris, universum exorasti » (*Liturgiae Expositio*, c. 30. P.G. 150, 433-437. Cf. explicationem quam dat Cabasilas petitionis illius a Graecis usurpatae in oblatione donorum consecrationi praevia, *op. cit.*, c. 25, col. 421.). Quod autem Cabasilas erravit, dona non putans ante consecrata quam, post recitationem verborum dominicorum, epiclesis fieret, non inficitur inde veritas comparationis institutae inter epiclesin Graecorum et precationem Latinorum ; restatque illud verissimum christianae atque evangelicae theologiae principium : delatione donorum nostrorum in dominicum altare, idem perhiberi ac sanctificationem seu consecrationem, siquidem sacrificio ex altari sua obtingit sanctitas.

At diu ante Cabasilam, apud nos Latinos, egregie S. Paschasius Radbertus in eumdem sensum verba canonis exposuerat : « Numquam caro Christi nisi « de manu ejus et sublimi ara, ubi Christus « pontifex futurorum bonorum pro omni- « bus assistit, jure accipitur. Unde sacer- « dos, cum haec incipit immolare, inter ce- « tera : *Jube*, inquit, *haec perferri per manus « sancti angeli tui in sublime altare tuum, « in conspectu divinae majestatis tuae.* Et « cogitas, o homo, aliunde illud accipere « quam de ALTARI, UBI SUBLIMIUS TRANS- « POSITUM CONSECRATUR ? » (*Lib. de corpore et sanguine Christi*, c. 8, n. 1. P.L. 120, 1286). Consecrationem igitur censet in translatione illa proponi. Rursusque : « Putasne ALIUD ESSE ALTARE, ubi Chri- « stus pontifex assistit, QUAM CORPUS « SUUM, per quod et IN QUO Deo Pa- « tri vota fidelium et fidem credentium « OFFERT ? Quod si veraciter CORPUS « CHRISTI ALTARE ILLUD COELESTE cre- « ditur, jam NON ALIUNDE carnem et « sanguinem quam de ipso Christi cor- « pore sumere te putabis » (*ibid.*, n. 2, col. 1286-1287). Accedit illud : « Ex quo

illius usus liturgici Irenaeus, cum in capite uno eodemque sui operis memorat et directionem oblatorum in altare coeleste (*Adv. Haer.*, l. 4, c. 18, § 6. P.G. 7, 1029) et invocationem (*ibid.*, § 5, vulgata lectio : ἔκκλησιν ; probabilior tamen ἐπίκλησιν. Cf. l. 1, c. 13, § 2, col. 580 : τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως ; vide F.D. 2, 175, not. 15) Dei in oblata.

1. De cujus argumentatione hoc judicium profert eruditissimus et piissimus vir, cardinalis Orsi : « Easdem esse apud nos laudatae ora- « tionis *(Jube haec perferri)* atque apud Grae- « cos invocationis Spiritus Sancti notiones, lu- « bens admitto, et a Cabasila non contemnendis « rationibus toto illo capite demonstratur » (*De invocatione Spiritus Sancti in liturgiis Graec. et Or.*, Mediolani, 1731, t. 1, p. 122). Quanquam ipse Orsi neque epiclesim Graecorum neque nostram precationem intellegit tanquam petitionem transmutationis.

« [altari Hebraeorum infra sancta sanc-« torum posito] illud intelligibile demon-« stratur altare, ubi orationes omnium et « vota offeruntur singulorum a summo « pontifice Christo Domino... Sacramento-« rum vota IN ILLO PRO NOBIS OFFERUN-« TUR ALTARI... Illucque Deo Patri haec « precamur per manus angeli gloriosius « deferri » (*ibid.*, n. 6, col. 1290). Offertur igitur eucharistia nostra in illo altari coelesti. Amplius : « In hoc mysterio cre-« dendum est quod eadem VIRTUTE SPIRI-« TUS SANCTI PER VERBUM CHRISTI CARO « IPSIUS ET SANGUIS EFFICIATUR invi-« sibili operatione. UNDE ET SACERDOS : « *Jube haec perferri per manus angeli tui* « *in sublime altare tuum in conspectu divinae* « *majestatis tuae.* Ut quid perferri illuc « ea deposcit, nisi ut intelligatur quod IN « EJUS SACERDOTIO ISTA FIANT.... Non ab « alio recte percipitur quod proprium « ejus est, sed ab ipso summo ponti-« fice [1] » (*ibid.*, c. 12, n. 1, col. 1310-1311). Adeo Christi corpus est proprium altare Christi, ut nequeat in altari illo sacrificium nostrum perfici nisi a sacerdote Christo. Quapropter ex depostulata perlatione donorum in altare coeleste demonstrat Paschasius consecrationem eucharistiae a Christo effici. Tandemque : « Illud quod REFUNDITUR AD ALTARE, « quando dicitur : *Jube haec perferri*,... « ideo fit, ut SANGUIS Christi INDE pro « nostris exhauriendis quotidie delictis « IN PRETIUM SUMATUR REDEMPTIONIS » (*ibid.*, c. 21, n. 2, col. 1334)[2]. Consecratione quasi refunditur sanguis, nostrae redemptionis pretium, in corpus Christi, altare coeleste, adeo ut illinc nobis sit accipiendus. Quibus Paschasii documentis integra haec effertur de nostro sacrificio missae doctrina : PRAESTO ESSE NOBIS PER CONSECRATIONEM ALTARE COELESTE DIVINI SACRIFICII, CORPUS CHRISTI, IN QUO NOBIS SUB CHRISTO SACERDOTE, LICEAT OFFERRE DEO JUGEM NOSTRAE REDEMPTIONIS HOSTIAM ATQUE PRETIUM, SANGUINEM PASSIONIS.

Prorsus consonat Gezo, sic ipse verba Gregorii M., posita in l. 4 *Dialog.*, c. 58[3], inflectens ad rem praesentem in suo *Libro de corpore et sanguine Christi* (c. 70. P.L. 137, 406) : « Vere etenim et incunctanter « credendum in ipsa immolationis hora « ad sacerdotis precem coelos aperiri et « illud [sacrificium] angelico ministerio « IN SUBLIMI DEPORTARI ALTARI, QUOD « EST IPSE CHRISTUS, QUI ET PONTIFEX « ET HOSTIA, contactuque illius unum « fieri. » Idem ad verbum repereris in Herigeri libro *De corpore et sanguine Domini* (P.L. 139, 187).

Allegat in eumdem sensum Paschasium Radbertum Hugo Lingonensis : *Per*

1. Verba Paschasii fecit sua auctor ignotus compilationis adscriptae venerabili Hildeberto Turonensi, dum super eamdem canonis particulam commentatur : « Corpus Christi « non merito consecrantis, sed in verbo effi-« citur Creatoris et virtute Spiritus Sancti. « Sicut enim Deus est qui baptizat, ita ipse « Deus est qui per Spiritum Sanctum hunc « panem suam EFFICIT CARNEM et hoc vinum « suum EFFICIT SANGUINEM. UT QUID ENIM « sacerdos in conspectu majestatis divinae de-« ferri ea deposcit, nisi UT INTELLIGATUR QUOD « IN EO SACERDOTIO ISTA FIANT » (*De Expositione Missae.* P.L. 171, 1168). Iste haud minus aperte quam sequentes infra citandi tradit petitionem involvi transsubstantiationis. Sed praeterea advertas velim, quomodo ipse, haud minus quam Paschasius, aequivalentiam attendat inter operationem Spiritus Sancti et perlationem sacrificii in dominicum altare : quo confirmatur id quod supra adnotatum est de aequivalentia epicleseos ascensionalis et descensionalis. Simile quid etiam reperies in *Glossa ordinaria Decreti, De Consecr.* 2, 72 (Romae, 1584, tom. 2, p. 1814) ad verba Paschasii sub nomine Augustini recitata. Alterum locum ejusdem *Glossae* adducemus infra. Interim in *Libro Ordinum* (ed. Férotin, col. 269), conferas hanc precationem : « Ille ad te SACRIFICIA PERFERAT, « qui nos jussit offerre », h. e. Christus.

2. Mirabilis et singularis, nec unquam antehac audita, sane est sententia Rabani Mauri, qui, dualitatem aliquam corporis historici et corporis eucharistici contra Paschasium propugnans, corpus eucharisticum putat confectum ad verba dominica : *Hoc est corpus meum*, et postea, « supplicante sacerdote », translatum « in corpus Domini natum de Virgine » : ipsique conjunctum et unificatum per divinitatem Verbi : unde ad nos rursus pervenit porrigente Christo ! (Lege *Epistolam ad Egilem Prumiensem*, n. 3 ; 4 ; 7. P.L. 112, 1513-1514, 1517, 1518). De quo ampliora infra, in Elucidatione L. Interim confer hanc positionem Rabani cum alia mox recitanda Odonis Cameracensis.

3. En verba Gregorii, mediaevalibus fami-

« *fidem enim ambulamus et non per* « *speciem.* Aliter enim non venitur ad « ARAM, quae et SACERDOS et SACRIFICIUM « est. IN CHRISTO ENIM HAEC OMNIA. « Ipse enim est sublime altare Patris, « sicut scriptum est : Putasne aliud esse « altare, ubi Christus Pontifex assistit, « quam corpus suum per quod et in quo « Deo Patri vota fidelium et fides offe- « runtur ? » (*Tractatus de corpore et sanguine Christi contra Berengarium.* P.L. 142, 1332).

Auctore Guiberto Novigentino, extra coeleste illud altare, quod est corpus Christi, nulla potest exsistere hostia : « In « sublime Dei ALTARE per manus angeli « sacerdotis precatione deferentur, quod « non est aliud quam CHRISTI CORPUS, EX- « TRA QUOD OMNIS HOSTIA VACAT » (*Epistola de buccella Judae data et de veritate dominici corporis*, c. 3. P.L. 156, 531). Si extra altare coeleste vacat omnis hostia, necessario debuit ipsa consecratione imponi altari coelesti sacrificium nostrum. Ergo sub nomine perlationis petitur consecratio.

Tandem Algerus, nemini nisi Paschasio secundus, paucis verbis omnia capita doctrinae comprehendit : Christum in coelis non solum esse sacerdotem, sed et hostiam et altare, nec transmutari nostra dona in hostiam coelestem, nisi quatenus imposita altari coelesti : « Sacerdos vice « Christi corpus dominicum in terreno « altari conficiens, nec tamen aliquid suis « meritis, sed totum divinae potentiae et « gratiae attribuens, orat in canone Deum « Patrem, dicens : Jube haec oblata tibi « per manus et virtutem Filii tui, angeli « tui, qui est angelus magni consilii, non « in hoc humile et visibile altare, ubi modo « est, sed IN SUBLIME ALTARE TUUM, ID « EST FILIUM TUUM, quem usque ad dexte- « ram tuam in conspectu majestatis tuae « sublimasti, DEFERRI ; UT FIAT NOBIS « CORPUS ET SANGUIS DILECTI FILII TUI : « ostendens ipsum Filium jussione Patris « IN COELIS esse offerentem, et HOSTIAM, « et ID SUPER QUOD OFFERTUR ; quia om- « nino fidei et gratiae ejus innitimur, quod « terrena corpora in Christum converti, « ipsumque in coelestibus ad dexteram « Patris sedentem, pro nobis interpellare, « et in sacramento altaris consecrari et « esse credimus » (*De sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 1, c. 14. P.L. 180, 781).

Praeter illos doctores, quin doceat per coeleste altare esse intellegendum corpus Christi, tamen notat per precationem *Supplices te rogamus* deposci consecrationem Remigius Antissiodorensis : « Fit ergo et in ista oblatione aliquid « ineffabile, ut per angelica ministeria, « TANQUAM DE SUBLIMI ALTARI, divinae « majestati OFFERATUR, CUM adstantibus « ministris coelestibus CHRISTUS, UT OB- « LATA CONSECRET, ADESSE CREDENDUS « EST » (*De celebratione missae et ejus significatione.* P.L. 101, 1263)[1].

Non solum postulationem transsubstantiationis ibi attendunt Gerhohus Reichersbergensis (*Lib. de Gloria et Honore Filii Hominis*, c. 14, n. 3. P.L.

liarissima : « Quis enim fidelium habere « dubium possit, in ipsa immolationis hora « ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in « illo Jesu Christi mysterio angelorum choros « adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus « jungi, unumque ex visibilibus atque invisi- « bilibus fieri ? » (*loc. cit.*, P.L. 77, 428).

1. Similiter secundum quid Odo Cameracensis, at sermone saltem incauto loquens de facienda unione inter carnem eucharisticam et Deum : « Sub eodem loco qui panis erat, fit « Verbi caro : TRANSFERTUR tamen AB ALTARI « ad coelum, quia TRANSFERTUR DE PANE AD « DEUM. Sed quia Deus est ubique, non fit loci « mutatione, ut CONJUNGATUR DEO de pane facta « CARO » (*Expositio in canonem missae*, dist. 3ª, super haec verba *Supplices te rogamus*, et usque ad *divinae majestati tuae.* P.L. 160, 1067).

Rursusque auctor opusculi *De sacrificio missae* perperam, ni fallor, Algero adscripti, quamdam inducit unionem inter panem et corpus dominicum :« Supplex interea presbyter orat Dominum « ut haec jubeat perferri per manus sancti « angeli in sublime altare suum, ut sit evi- « dens in illa hora sacramentum : illum PANEM « UNIRI DOMINICO CORPORI, et eidem unius « communione substantiae cooptari » (*De sacrificio missae.* P.L. 180, 856).

Melius fortasse intellegit Isaac de Stella peti istis verbis unionem inter speciem melchisedecicam nostri sacrificii et corpus Christi : « Commemorat... oblationem Melchisedech se-

194, 1122), Petrus Lombardus (*Sententiarum* lib. 4, dist. 13. P.L. 192, 868), Magister Bandinus (*Sententiarum* l. 4, dist. 13. P.L. 192, 1097), Petrus Pictaviensis (*Sententiarum* l. 5, c. 13. P.L. 211, 1257), auctor anonymus *Tractatus de Schismaticis* (*Libelli de lite*, t. 3, p. 112-113), sed etiam in Augustinum suam refundunt interpretationem, haec verba allegantes ex sermone nescio quo pseudo-augustiniano *De corpore Domini* : « Missa « enim dicitur eo quod coelestis missus ad « consecrandum vivificum corpus adveniat, « juxta dictum sacerdotis dicentis : Omni- « potens Deus, jube haec perferri per ma- « nus sancti angeli tui in sublime altare « tuum, et cetera » (Ita apud Gerhohum ; similiter apud reliquos). Transsubstantiationem etiam *Glossa* ordinaria *Decreti* (*De consecr.*, 2, 72. Romae, 1584, tom. 2, p. 1813) suis jam verbis, nulla nimirum emendicata auctoritate spuria, indigitat in prece illa deposci : « *Jube*, id est, fac. « *Perferri*, id est, transsubstantiari ; vel « *perferri*, id est, sursum efferri, id est « converti in sanctum altare tuum, super « choros angelorum exaltatum[1]. » Neque Breviatorem Glossarum, Durandum Mimatensem latuit ista expositio, quanquam illi ipse (*Rationale*, l. 4, c. 44), sicut jam antea alius nescio quis (probabilius non Petrus Damianus), auctor *Expositionis Canonis Missae* (n. 12. P.L. 145, 887), alteram anteponit, « licet simpli- « cius (ambo inquiunt), tamen securius » : peti scilicet ut preces nostrae in coelum deferantur.

Permittitur dumtaxat vetus interpretatio a Bernardo de Parentinis (circa A. D. 1330) scribente : « Potest exponi « sic : Omnipotens Deus, jube haec, id est « panem et vinum, transferri, id est trans- « mutari, in sublime altare tuum, id est in « corpus et sanguinem Christi filii tui, qui « dicitur altare » (*Lilium*, sive *Elucidarium difficultatum circa officium missae*, incun., fol. 91 D).

Sed postea rursus innovatur firma manu a pugile catholicae fidei, adversus Wiclefficam perfidiam dimicante, Thoma Waldensi (*Sacramentalia*, tit. 4, c. 39, fol. 94). Post allegata enim ex Beda (*De Tabernaculo*, l. 3, c. 12. P.L. 91, 494) haec verba : « Cui autem melius quam huic altari « [Christo] convenit quod dicitur *Sanctum* « *sanctorum erit Domino ;* de quo in mun- « dum nascituro dixit virgini matri ar- « changelus : ...*quod enim nascetur ex te* « *sanctum, vocabitur filius Dei ?* » deinde ipse pergit : « Christus ergo in humana « persona altare est. Christi corpus hostia « est. Christus ipse sacerdos est aeternus. « Ad ipsum ergo congrue transmittit tem- « poralis sacerdos per ejus vernaculum « angelum corpus ejus et sanguinem in « sublime altare ipsius. »

Pariter in colluctatione adversus Protestantes, huic interpretationi inhaerebant nostri apologetae, ut Joannes a Via supralaudatus, dum istam particulam Canonis liberat a nota impietatis, quam illi inurebat Smidelinus. « Interrogo majores « nostros, ut dicant mihi quid sit et ubi « sit *altare* ; responsum ab omnibus quasi « ex uno accipio, quod Christus sit altare « in quo et per quem offeramus hostias « laudis fructum labiorum nostrorum. NEC « LICET NOBIS QUICQUAM HOC ALTARE DI- « CERE PRAETER CHRISTI HUMANITATEM » (*Jugis Ecclesiae Catholicae Sacrificii...*

« cerdotis, qui elegantem speciem expressit in « pane et vino... Rogat per manus angeli... EO [scilicet : « ad illud summum sublime altare « in conspectu divinae majestatis, ubi summus « perpetuus sacerdos assistit vultui Patris »] « SACRIFICIUM SUUM PERFERRI, et CORPORI « CHRISTI IN COELO UNIRI » (*Epistola de officio missae.* P.L. 194, 1894-1895).

1. Eodem fere tempore Helinandus, postquam ad probandam praesentiam multilocalem corporis dominici adduxit illud *Jube haec perferri*, utpote quo coelestis Christi incolatus componatur cum nostra manducatione Christi in terris, deinde pergit : « Non enim, UT QUIDAM « MALE INTELLIGUNT, hoc de sola supplicantium « devotione intelligendum est, sed etiam de « carne illius qui dixit : *Hoc vos scandalizat ?* » (Sermo 3. P.L. 212, 509). Incipiebat enim illo tempore obscurari paululum antiqua Patrum de nostro sacrificio coelesti traditio, ut statim constabit.

defensio etc., p. 349). Quanquam unus allegatur ab eo Bernardus, tamen legerat, opinor, Patres et Doctores, et intellexerat[1].

Vergente eodem saeculo decimo sexto et ineunte septimo decimo, Jacobus Gordonus Huntlaeus S. J. (*Controversiarum christianae fidei adversus hujus temporis haereticos epitome*, Controv. 9, Col. Agr., 1620, p. 330-331) profunde inculcabat nullum debere esse mediatorem inter Deum et nos, neque in ratione hostiae neque in ratione altaris, sicut nec in ratione sacerdotis, nisi Christum ipsum. « Objiciunt [Protestantes] quod post con« secrationem oret sacerdos, ut Deus ju« beat corpus et sanguinem Christi perferri « per manus sancti Angeli sui in conspectu « divinae majestatis suae. Ubi animad« vertere deberent non alium esse HUNC « ANGELUM quam ipsum Christum, si « de ipso corpore et sanguine Christi haec « intelligantur. Christus enim est verissi« mus ille angelus testamenti quem nos « volumus, teste Malachia propheta... « Porro quod in eadem oratione habetur « de sublimi ALTARI, quod est in conspectu « divinae Majestatis, desumptum est ex « Apocalypsi S. Joannis... Quae omnia « mystice intelligenda sunt de IPSO CHRIS« TO MEDIATORE NOSTRO : est enim « Christus ipse et sacerdos qui offert, et « sacrificium quod offertur, et altare au« reum super quod offertur. »

Nec labente saeculo eodem, omnino vanuerunt qui antiquorum vestigia, pede, ut poterant, inexercitato, calcarent. Sic Herissonius, in sua *Manuductione sacerdotis ad primum ejus ac praecipuum officium* (Lugduni, 1691, p. 303) haec habet : « Quaeres tertio, quodnam sit illud « *sublime altare*, de quo rubrica hic loqui« tur. Respondeo primo ex Durando ; « CORPUS ESSE ET SANGUINEM Filii Dei « super choros angelorum exaltati. Re« spondeo secundo, ex sancto Algero, FI« LIUM ESSE DEI, quem Pater usque ad « dexteram suam in conspectu majestatis « illius sublimavit : qui merito consequen« ter dicitur offerens, sive SACERDOS et « HOSTIA, atque ALTARE super quod of« fertur. »

Deinde duodevicesimo saeculo, Joly de Choin saepelaudatus : « On peut « dire encore que cet ange... c'est Jésus« Christ lui-même... IL EST L'AUTEL, le sa« crificateur, le médiateur et la victime » (*op. cit.*, p. 324)[2].

Sicut igitur et Patres et Doctores de suo nobis attestati sunt, sic etiam attestatur Liturgia sacra, cum in se inspecta, tum accedente commentatorum veterum interpretatione : esse nostri sacrificii altare, non terrenum, non manufactum, sed coeleste ac vivum, corpus Christi gloriosum. Quod si autem altare est coeleste, quomodo non coelesti oneratur sacrificio ? Illa enim sacrificium imbuitur sanctitate qua gaudet altare. Sacrificamus igitur Deo hostiam illam quae ex sese, citra nostrum ministerium, exsistit in coelis Deo aeternum sacrificium.

EPILOGUS.

De antiquitate et integritate orationis Supplices te rogamus.

I

Priusquam excluderet ab oratione *Supplices te rogamus* omnem epiclesis indolem Rev^mus^ F. Cabrol, (D. A. C., 2,

1. Interim vero vir minoris et notae et prudentiae, catholicus tamen et literatus, Gerardus Lorichius Hadamarius (*De Missa publica proroganda racemationum libri tres*, 1536, lib. 2, fol. M. 5-6), circa hoc punctum duo facit. Primo, refert approbans Glossatorem *Decreti;* deinde pergit suo nomine : « Oratio canonis « praesens haereticis odiosa est, hoc maxime « nomine quod transsubstantiationem... non « credunt... Ecclesia vero, quae transsubstantia« tionem credit,... hanc quoque orationem sin« cériter custodit... Est haec oratio totius pro« pemodum sacrificii cardo... Sensus quoque « horum verborum adeo est illustris, ut nisi « malevolus, qui suapte nequitia catholicis ob« strepere voluerit, scrupulo aliquo possit of« fendi.... Supplicat S. Trinitati ut coelestem « nuntium, ad consecrandum, hostiae emittere « dignetur. » Impugnabatur igitur et defendebatur ista oratio tanquam transsubstantiationis enuntiativa.

2. Interim Dom Léonard de Massiot,

1893), scripserat (*ibid.*, 1, 1885) : « Mal-« gré toutes les opinions contraires, ce « *Supplices te* représente l'ancienne Epi-« clèse Romaine, DONT LA FORME A ÉTÉ « LÉGÈREMENT MODIFIÉE, POUR ÉVITER « LES ERREURS D'INTERPRÉTATION AUX-« QUELLES A DONNÉ LIEU L'ÉPICLÈSE DANS « CERTAINES LITURGIES. » Consentientes priori hujus sententiae membro, rejicimus alterum, in quo duo praetendebat clarissimus vir : 1° mutationem in forma epicleseos esse inductam ; 2° scopum mutationis fuisse theologicum. Immo videtur habenda formula pro antiquissima, propter quinque.

Etenim *primo*, constat romanae illius epicleseos tenorem multis saeculis jam fuisse in usu antequam ulla, sive in Occidente sive in Oriente, indicia proderentur vel levissima perversae cujusquam in epiclesibus interpretandis opinionis (quocirca videsis Duchesne, *op. cit.*, 176-178 et Salaville, *loc. cit.*).

Secundo, verborum tenor, si minus identicus, certe aequivalens prorsus, ex libro Ps. Ambrosii *De Sacramentis* quinto (c. 5 et 6. P.L. 16, 443-446) monstratur jam fuisse quarto saeculo usitatus atque vulgatus.

Tertio, ipsum dictionis genus, pristinae illi de superno altari doctrinae inhaerens, summam formulae prodit antiquitatem, quam recte judicaveris ad illa tempora subapostolica referendam, quibus fideles in legendis epistulis Ignatii, vel *Epistola ad Hebraeos*, non ut peregrini haerebant, sed ut domestici decurrebant inoffenso pede.

Quarto, antiquitatem etiam praesentis formulae suadet illud *per manus sancti angeli tui*. Etenim videtur Ecclesia sub nomine angeli (cf. *Apocal.*, 8^{4}) ita sibi proposuisse ante oculos ministerium angelorum (Ambros., *Expos. evang. sec. Luc.*, l. 1, c. 28. P.L. 15, 1545 ; Ps. Ambros., *De Sacramentis*, l. 4, c. 26, n. 27. P.L. 16, 445 ; Greg. M., *Dial.*, l. 4, c. 58. P.L. 77, 428), et praecipue fortasse archangeli sancti Michaelis (Liturgia graeca *Sancti Marci*, B. 129, collato Dom Leclercq, D. A. C., art. *Alexandrie*, col. 1192) ut tamen potissimum intenderet ipsum Dei Verbum[1], *angelum testamenti* (*Mal.*, 3^{1}) novi atque aeterni, et *magni* nostrae redemptionis *consilii angelum* (LXX *Is.*, 9^{6}), pro quo in theophaniis angeli saepe stetere ; super quem etiam angeli dicuntur in *Jo.*, 1^{51}, ascensuri et descensuri, quemadmodum etiam vidit Jacob angelos ascendentes et descendentes per scalam erectam super lapidem, quem surgens erexit in titulum, fundens oleum desuper (*Gen.*, 28^{11-18}), consecravitque primum altare, in typum Christi (cf. supra, Elucid. XIII). Porro in mysterio eucharistico fit magna atque admiranda illa Novi Testamenti Theophania : ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου (*Const. Apost.*, l. 8, c. 12. F. D. 1, 510) : usquedum tandem locus fiat ultimae illi ac tremendae theophaniae Judicis venturi de coelis *in gloria... cum angelis suis* (*Mt.*, 16^{27}, cf. *Mc.*, 8^{38}), immo *in majestate sua... et sanctorum angelorum* (*Luc.*, 9^{26}). Dignum proinde est sane, ut in eucharistica praesentis temporis theophania, simul cum Sacerdote nostro, nativo inter Deum hominesque nuntio, notetur etiam angelorum sanctorum concursus et, ut ita dicam, discursus inter coelum et terram. Interea rem aeque perpendenti apparebit istiusmodi considerationem atque consociationem Christi cum angelis maxime congruere temporibus illis primaevis, quibus, nullo admirante, scribebat Justinus : « Illum [Deum Patrem], et Filium..., et « ceterorum (qui eum sequuntur sunt-« que ei assimilati) bonorum angelorum « exercitum, et Spiritum propheticum « colimus » etc. (*Apol.*, 1, 6. P.G. 6, 336).

Quinto : Si translatio (= sanctificatio)

O. S. B., (*Traité du sacerdoce et du sacrifice de Jésus-Christ*, Pictavii, 1708, p. 603) excitarat interpretationem, sane non ita luculentam, Odonis Cameracensis.

1. Fuisse revera Christum intellectum hic sub nomine angeli disertius patefaciemus infra (Elucid. XXXIV).

sit facienda per manus, id est operationem Christi ipsius, apparet istiusmodi epiclesi advocari potentiam divinam, non ut Spiritus Sancti, sed ut Verbi. Epicleses vero ad VERBUM directae, quibus petitur ut DESCENDAT super dona transmutanda, videntur antiquitate aemulari epicleses directas ad Spiritum Sanctum (cf. infra, Elucid. XXXIV) : unde nescio annon praesumptio antiquitatis merito transierit ad reliquas divini Verbi epicleses, etiam illo spectantes ut ASCENDAT, dona altari copulaturum.

Undique igitur improbabilis nobis videtur suppositio Domini Cabrol : adulteratam esse ob motiva theologica formam primaevam romanae epicleseos.

II

Nec placet altera hypothesis Domini Probst (*Die abendländische Messe vom fünften bis zum achten Jahrhundert*, p. 177-180), qui nullam agnoscens in tenore praesente nostrae orationis epiclesim, opinatur : statim post haec verba : *in conspectu divinae majestatis tuae*, atque ante illa : *ut quotquot ex hac altaris participatione*, stetisse olim alia, quibus invocaretur descensus Spiritus Sancti in ordine ad transmutationem donorum efficiendam. Immo videtur nobis formula habenda pro integra propter tria.

Primo enim, ut ex dictis patet, falsum est illius sententiae suppositum, exsulare a praesente forma epiclesim.

Secundo, incohaerentia quam videtur sibi in praesente forma deprehendere [1], quasi duo inter se conflictarentur altaria, coeleste unum (*sublime altare tuum*), alterum terrenum (*hac altaris participatione*), nulla apparet : siquidem unum inducitur altare, coeleste, quod est corpus Christi. Id enim demum oramus, ut, altari coelesti superimposita nostra oblatione per transsubstantiationem, jam per communionem effecti participes ejusdem altaris, sanctificationis gratiam consequamur. Simul porro atque hostia coelestis, sistitur nobis coeleste ipsum altare in sacramento praesens. Quare licet nobis non solum loqui, ut fit in *Missali Romano*, de *hac altaris* [coelestis] *participatione*, sed etiam de *hoc altari sanctificationis* [coelesti], sicuti habet correspondens precatio in plerisque, sive manuscriptis sive olim editis missalibus ambrosianis (cf. Lejay, D. A. C., t. 1, 1408 et 1412-1413), atque in *Stowe-Missali* (p. 13) et in *Missali Francorum* (P. L. 72, 340). Quin et in oratione *post-pridie* missae mozarabicae in feria II post Pascham (P. L. 85, 491), obtinente locum nostrae orationi *Supplices te* parallelum, postulatur diserte ut *ex* HOC SUBLIMI *altari tuo* [*ascendat odor suavitatis in conspectu divinae majestatis tuae*][2]. Quo loco, attenta non solum voce, sed contextu, ipsum *sublime* Dei altare aperte demonstratur nobis hic in terris praesens, nec proinde potest intellegi aliud a corpore Christi semel nobis per consecrationem admoto. Cum igitur nos Romani petimus ut oblatio in sublime Dei altare deferatur, nihil aliud judicandi sumus petere, nisi ut per consecrationem mutetur panis in corpus Christi ; cum autem petimus ut *ex hac altaris participatione* sanctificationem consequamur, ex eodem coelesti altari adprecamur nobis devehendam per sacras dapes sanctitatem.

Tertio, quod in praelaudata oratione mozarabica *post-pridie*, statim facta mentione altaris, exoratur Spiritus Sanctus ut descendat : minime inde comprobatur hypothesis Domini Probst. Nam non ut deferretur oblatio in altare, sed ut ex altari ascenderet odor suavitatis, depostulatum ibi erat : nec proinde exemplum isthic notari potest orationis latinae unius, duos illos deposcentis motus, quorum unus est donorum sursum in altare, alter Spiritus

1. In quo ei, post Buchwald, consentit A. Fortescue, *The Mass*, 1914, p. 352.

2. « Ascendat odor suavitatis in conspectu « divinae majestatis tuae ex hoc sublimi altari « tuo per manus angeli tui ; et deferatur in ista « solennia Spiritus tuus Sanctus, qui tam adstan- « tis quam offerentis populi et oblata pariter « et vota sanctificet. »

Sancti deorsum versus oblata. Ergo nequaquam ex illa oratione suadetur esse ademptum nostrae precationi *Supplices te* quicquam significans descensum virtutis divinae.

Revera facile supponi potest : in primaeva missa romana exstitisse, sicut in liturgia *Constitutionum apostolicarum*, duas parallelas epicleses, unam (fortasse a diacono[1] proclamatam) qua peteretur assumptio donorum in altare, alteram (emissam ab episcopo) qua impetraretur descensus Spiritus Sancti[2] : quarum haec alibi[3], alibi illa, cum coeptae sunt missae sine diacono dici, perstiterit sola ; atque etiam facta sit aliquando (?) utriusque commixtio quaedam atque, ut aiunt, malagma.

1. Hic aliqualiter notari potest ex Augustino (*Ep.* 55, c. 18, n. 34. P.L. 33, 221) distinctio inter precationem ab episcopo prolatam et indictionem precationis communis a diacono faciendam.

2. Romae fuisse in usu olim invocationem Spiritus Sancti, suadent certe verba Gelasii : « Quomodo ad divini mysterii consecrationem « coelestis SPIRITUS INVOCATUS adveniet, si « sacerdos qui EUM ADESSE DEPRECATUR, cri- « minosis plenus actionibus reprobetur ? » (*Elpidio Episcopo.* P.L. 59, 143). Eodem multo magis collineat Hippolyti Ἀποστολικὴ Παράδοσις, etiamsi non constet ipsam authenticam liturgiam Ecclesiae Romanae ea contineri. Nec mirarer equidem, si aliquando epiclesis romana ad Spiritum Sanctum accesserit nonnihil ad tenorem quem exhibet in *Missali Gothico* oratio *post-secreta* missae *in Circumcisione Domini* (P.L. 72, 237; ed. Bannister, p. 18) ; quo congrue explicaretur origo in nostro Romano Canone clausulae *Per quem haec omnia, Domine, bona creas* etc., nunc abruptae : « Suppliciter oramus « uti hoc sacrificium suscipere et benedicere « et sanctificare digneris, ut fiat nobis Eucha- « ristia legitima in tuo Filiique nomine et Spi- « ritus Sancti, in transformationem corporis ac « sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi « Unigeniti tui. Per quem omnia creas, creata « benedicis, benedicta sanctificas, et sanctificata « largiris, Deus, qui in Trinitate perfecta vivis « et regnas in saecula saeculorum » (cf. Dom Cagin, *Eucharistia,* 1912, 57-61).

3. Nemo nescit in multis, si minus romanis, certe latinis missis veteribus, reperiri epicleses quoad formam et locum simillimas orientalium, adventum Spiritus Sancti deprecantium. Illarum quaedam indicabuntur infra (Elucidatio XXXIV). Interim legesis in missa tertia monensi orationem *post-secreta* (P.L. 138, 869).

Elucidatio XXII.

Consequenter intellexere participari in communione eucharistica ipsum coeleste sacrificium.

Sectio II. — Adseritur cibo eucharistico participari sacrificium coeleste.

I. Illud inculcabat modo S. Paschasius Radbertus, praesertim primo, secundo et quinto loco, cum assereret, oportere ut de altari coelesti nobis praestaretur sanguis eucharisticus. Illud enuntiat Ecclesia apud Latinos in posteriore parte orationis *Supplices te rogamus* : « ut quot« quot ex hac altaris [sublimis tui] parti« cipatione sacrosanctum Filii tui corpus « et sanguinem sumpserimus... » Nec aliud sonat illud Liturgiae graecae *Sancti Ja« cobi :* Deus... qui dignatus es nos partici« pes efficere mensae tuae supercoelestis » (B. 65). Idem intellexisse omnes oportet quotquot interpretati sunt nos de altari coelesti, Christo, accipere eucharistiam prae iis *qui tabernaculo deserviunt* (*Hebr.*, 13[15]). Non enim nisi caro coelestis sacrificii[1] de coelesti altari edi potest. Unde rursus efficitur ut obtulerimus hostiam coelestem, siquidem non edimus nisi quod obtulimus.

II. Potuit, seclusis Patrum aut Scripturae testimoniis, eadem doctrina colligi ex iis quae de participatione sacrificii in genere sunt olim praemissa (Elucid. I). Manducatur enim hostia sacrificii quatenus propria Dei facta, et a Deo tanquam sua nobis dispensata. Porro Christi hostiam accepit Deus in resurrectione gloriae. Sacram dapem igitur a Deo recipimus formaliter prout coelestem. Et prout coelestis nos sanctificat : nam eatenus hostiae manducatio sive spondet futuram bonorum Dei societatem, sive inducit sanctitatem praesentem, quatenus ipsa hostia perfusa intellegitur sanctitate numinis in cujus veluti edulium transiit. In tantum igitur est in nobis hostia Christi pignus futurae gloriae, in tantum est causa gratiae, in quantum est in Dei sacrarium per resurrectionem et ascensionem recepta. Sanctificat ergo hostia in quantum coelestis ; sanctificat Christus eucharisticus in quantum de morte in gloriam translatus ; estque proprie, ut Paschasius loquitur, eucharistia nostra caro Christi, prout est *ex resurrectione* : « Facta est eucharistia ex resurrectione caro Christi » (*Lib. de corp. et sang. Dom.*, 5, 1. P.L. 120, 1280).

III. Consentanee Patres vim eucharistiae beneficam ex vita Christi gloriosa derivaverunt : ut olim Ignatius (*Smyrn.*, 7[1]. F. P. 1, 280), praedicans : « donum Dei » in eucharistia esse « carnem Salvatoris « nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nos« tris passa est, quamque Pater benigni« tate sua resuscitavit » (cf. *Ephes.*, 20[1-2], et *Magnes.*, 7[2]. F.P. 1, 228-230 et 236). Sic etiam apud Irenaeum (*Adv. Haer.*, 4, 18, 5. P.G. 7, 1029), « corpora « nostra percipientia eucharistiam, jam « non sunt corruptibilia, spem resurrec« tionis habentia », quia est « eucharistia « ex duabus rebus constans, terrena [id « est, visibili elemento] et coelesti [id est, « carne Christi gloriosa][2]. » Quare rursus in *Consultationibus Zacchaei Christiani* et *Apollonii Philosophi* (l. 2, praef. P.L. 20. 1109) dicitur neophytus esse « aeterni « sacrificii particeps factus, immo, Deum « sumendo, pars ipsius. » Quin et hac de causa, reor, « aeternae haereditatis,

1. Sicut supra in Elucidatione XXI, sic et hic accipienda necessario est vox *sacrificii* coelestis passive. Quare non valet illatio quam quis forte, hujus et proxime superioris Elucidationis inscriptionem comparans cum inscriptione Elucidationis XIX et XX (de offerenda a nobis et participanda hostia sacrificii cruenti), videretur sibi posse conficere, sic : « Ergo sacrificium coe« leste est cruentum ! » Quod utique auditu foret horribile, quasi invehens coelo ritum nescio quem cruentum. Sed bene interea sequitur, sacrificium (passivum) coeli *fuisse* in terris cruentum : quod verissimum est, sicut est verissimum de ipsa hostia seu passivo sacrificio nostrae missae.

2. Vide supra, Elucid. XIX.

« sacri corporis assumptione, fit parti- « ceps » (l. 2, c. 18, col. 1143). Abundant autem Liturgiae nostrae hujusmodi locutionibus : « Coelestis mensae vir- « tute satiatis... » (*Missale Romanum*, Postcommunio dominicae quintae post Pascha). Scilicet majores nostri, attendentes effectum vivificationis, eucharistiae proprium, illum refuderunt in dominicae carnis conditionem coelestem[1].

In quo secuti sunt Paulum, omnem vivificationem nostram solitum tribuere Christo, mortem in sua resurrectione triumphanti : qua resurrectione sua *factus est*, inquit, *novissimus Adam in spiritum vivificantem* (*I Cor.*, 15^{45}, coll. *ibid.*, 15^{42-43}. Cf. *Rom.*, 4^{25} ; *I Cor.*, 15^{17} ; *II Cor.*, 4^{16}, etc. Vide Prat, *Théologie de saint Paul*, t. 2, p. 301). In quantum spiritualem corporis conditionem adeptus per resurrectionem gloriosam, vivificat ipse carne sua et animas et corpora nostra. In quantum talis igitur, et quidem formaliter talis, porrigendus est nobis in eucharistia, qua maxime est vivificator noster. Quare apud mediaevales, teste Petro Pictaviensi (*Sententiarum* lib. 5, c. 13. P.L. 211, 1253), « habet auctoritas : Hoc efficit corpus « Christi in sumentibus, quod ipse « habet. » Quia habet vitam aeternam gloriae, ideo eam nobis instillat, praemittens gratiam, ex qua gloria efflorebit[2].

IV. Nec obstat quod Patres multi, immo plurimi, atque imprimis Alexandrini, virtutem eucharistiae vivificam repetierunt statim et adaequate ex ipsa unione hypostatica carnis ad Verbum, qua fit ut caro vitae sit vitam praestans iis qui sint ipsius participes ; quod et sanxit *anathematismus* Cyrilli undecimus (D., 123), ab universa Ecclesia in Concilio oecumenico quinto (canone 13. D., 226) receptus : « Si quis non confitetur carnem « Domini vivificatricem esse... quia facta « est propria Verbi, cuncta vivificare prae- « valentis, A. S. » Nam primo, non opponebant tunc Patres incarnationem glorificationi coelesti, sed excludebant haeresim nestorianam de commercio mere morali inter Verbi divinitatem et carnem Christi : quasi vivificaret in eucharistia Verbum nos per carnem non suam. Secundo, unio illa personalis vitae increatae ad assumptam humanitatem in resurrectione demum ultimos suos exseruit effectus[3] ; adeo ut tunc incarnatio quasi cumulate sit facta[4], teste Paulo : *Hanc* [repromissionem] *Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu,*

1. Non hic nobis probandum, eucharistia ingenerari immortalitatem : quod probabitur multipliciter infra suo loco (Elucid. XXXVIII). Sed ex hac efficacia, tanquam supposita, ostenduntur Patres retro ad causam assignandam ferri : gloriam coelestis hostiae, nobis impartitae.

2. Signanter a sancto Thoma, in *Officio festi Corporis Christi*, canitur « Panis vivus et vita- « lis » ; signanter ab Ecclesia, « Panis vivus « vitam praestans homini ». Immo, eapropter vitam praestans, eapropter vitalis, quia vivus.

3. Secundum ordinem enim causalitatis efficientis, resurrectio fuit effectus incarnationis, ut centies a Cyrillo (passim) defenditur : Verbum, proprium quod assumpserat corpus, per divinitatem qua assumpserat, suscitasse.

4. Cumulum accessisse incarnationi ex resurrectione, qua omni ex parte jam Filius Dei atque hominis ex humana conditione veluti transiret in divinam, non deleta humanitate, nec noviter aut amplius assumpta, sed utique secundum omnes ejus potentias passivas atque activas irradiante se tandem lumine increato divinae gloriae, quod hactenus veluti in interioribus substantiae latebris se continebat, unde per verticem mentis solum erumpebat ciens visionem beatam (quamvis totam et animi et corporis fabricam sustentaret suo divino *esse*) : omnes fere Patres uno ore pronuntiavere ; quorum videsis testimonia congesta a Thomassino, *De incarn. Verbi Dei*, l. 8, c. 11. Vide etiam supra (Elucid. XIV), quae notavimus de Christi veluti promotione ad κυριότητα. Ceterum minime infitiamur potuisse carnem Christi, si Christus vellet, esse vivificam etiam independenter a sua resurrectione. Immo potuit certissime ex vi solius incarnationis (seclusa propria resurrectione) vivificare nos quoad animam et corpus, non minus quam in praesente agit, aut aget in saeculo futuro. Sed non potuit facere illud ut caro sacrificii, ut hostia, independenter a sua resurrectione : quia ut hostia, non sanctificatur aut fit sanctificans, non consummatur aut suscipitur a Deo reddenda nobis Christi caro, nisi per resurrectionem. Porro statutum est, ex libero Dei consilio, ut Christus per viam sacrificii demum nos vivificaret, datus ad mortem *pro mundi vita*, redditusque a Deo hominibus *panis vitae*.

ego hodie genui te (Act., 13^{33})[1]. Porro Patres, ex incarnatione proxime repetentes influxum corporis Christi vivificum, adaequate illam spectaverunt, prout omne suum incrementum sive sortitam jam, si de Christo in coelis regnante agebatur, sive certe mox sortituram, si de Christo agebatur in terris conversante.

Sic ipse Cyrillus (*In Lucam*, 22^{19}. P.G. 72, 908-909) vivificationem nostram repetens ex carne Verbi Dei, nobis per eucharistiam commixta, insuper secum quaerit qua via donatum sit illi carni exercitium potestatis vivificae. Respondet autem : per resurrectionem. « Recipimus intra nos humanatum nostri « causa Dei Patris Verbum, quod et vita « est, et vivificat. Age vero, quaenam sit « hujus nostri mysterii ratio, pro viribus « investigemus Oportebat mortalem carnem vivificae Dei virtutis fieri participem. Virtus autem Dei Patris vivifica « unigenitum Verbum est. Hoc ad nos « misit [Pater], ut nobis esset Salvator « atque Redemptor ; et factum est caro : « ... genitum secundum carnem ex muliere, propriumque ex illa sumens « corpus, UT SE NOBIS INSERERET INSEPARABILITER, atque mortis et corruptelae nos exhiberet [= efficeret, ἀποφήνῃ] « victores. Nam nostram sibi carnem « induit, ut EAM A MORTUIS SUSCITANS, « viam DEINDE carni in mortem prolapsae sterneret redeundi ad immortalitatem, ut ait Paulus : *Quandoquidem per hominem mors, et per hominem « resurrectio mortuorum : nam sicut in « Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo « omnes vivificabuntur*. Cum univisset ergo « sibi carnem morti obnoxiam Verbum « (exsistens Deus et vita), DEPULIT AB « ILLA CORRUPTIONEM [scilicet per resurrectionem], EXHIBUITQUE [= effecit, « ἀπέφηνε] IPSAM ET VIVIFICAM. » Rursus : « Immutantur mortui, et corruptibile in- « duit incorruptionem, cum factus sit « similis nostri Unigenitus, et transtulerit « mortalitatem in immortalitatem, atque « corruptionem in incorruptionem transformaverit, et quidem in seipso primo : « SIC ENIM ET NOBIS IPSIS FACTUS EST VIA « IN VITAM » (*De recta fide, ad principissas*. P.G. 76, 1281-1284. Cf. *ibid.*, col. 1273).

Vivificam igitur reddidit Christus carnem suam per resurrectionem. Idem jam audias factum per ascensionem : nec interim culpandus auctor, quasi parum sibi constans ; siquidem per modum unius resurrectio et ascensio consummant Christi sacrificium. Super illud : *Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius ?* « Quod si « praeter naturam ascendat [caro mea], « quid prohibet jam quominus et vivificet ? Nam qui COELESTE EXHIBUIT « [i. e. effecit, ἀποδείξας — utique per « ascensionem], ID QUOD DE TERRA EST, « VIVIFICUM QUOQUE REDDET (ἀποτελέσει), « tametsi natura sua corruptioni sit obnoxium » (In h. l., P.G. 73, 601).

Paulo superius (*In Joannem*, 6^{54}. P.G. 73, 577-580) immortalitatem praesentem dominicam induxerat tanquam causam nostrae vivificationis. Ostenso scilicet quomodo in terris contactu suae carnis Christus ex morte quosdam revocarit in vitam temporalem, infert ulterius quomodo ex carne Christi, jam immortali, derivetur ad nos beneficium vitae, nunquam in corruptionem aeternam prolapsurae : « Quod si, inquit, solo tactu « sanctae carnis id quod corruptum est « vivificatur, quomodo non uberior nobis « accrescet vivifica illa eulogia, cum eam « et degustabimus. In SUUM IPSIUS BONUM, hoc est IMMORTALITATEM, eos qui

1. Conferatur cum *Rom.*, 1^{3} : τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν = qui diffinitus [i. e. constitutus ac exhibitus. Diceremus gallice : *qui a été établi* Fils de Dieu] est Filius Dei in virtute [i. e. in potentia illa majestatis seu gloriae, de qua *Mt.*, 24^{30} et *Lc.*, 21^{29}], secundum Spiritum sanctitatis ex resurrectione mortuorum. Scilicet per resurrectionem praecisus est, atque secundum omnes suos fines veluti distinctus atque diffinitus tandem, locus Filii Dei proprius. Neque temere Paulus Spiritum, in quem refundit istam exaltationem, nominat Spiritum Sanctitatis, cum in sua vivificatione ac clarificatione acceperit Christus sanctificationis suae immolatitiae consummationem divinam.

« participes fuerint omnino transformabit. »

Ante Cyrillum, Athanasius, in eumdem locum *Joannis*, 6^{62-63} (*Epist.* 4 *ad Serap.*, 19. P.G. 26, 665-668) : « Ideo meminit ascensionis Filii hominis in coelum, ut a corporali cogitatione ipsos retraheret, atque hinc addiscerent : CARNEM, DE QUA LOCUTUS FUERAT, CIBUM E SUPERNIS COELESTEM et spiritualem alimoniam ab ipso dari. » Huc refertur etiam maxime, quod in sua *Epistula heortastica* 11, 14 (P.G. 26, 1411) scribebat idem Athanasius : « Res enim vere gaudio digna ! TRIUMPHALIS NEMPE VICTORIA ADVERSUS MORTEM, NOSTRAQUE SIMUL IMPUTRIBILITAS PER DOMINICUM ILLUD CORPUS : etenim, eo resuscitato, futura pariter nostra resurrectio est : CUMQUE EJUS CORPUS CORRUPTIONIS IMMUNE FUERIT, SINE DUBIO ID NOSTRAE INCORRUPTIBILITATIS CAUSA FIT. » Rursusque in *Epistula heortastica* 28 (P.G. 26, 1433) : « Immortalis cibi participes simus, ut immortaliter reliquum vivamus in coelis. »

Non parum ad rem etiam sanctus Asterius Amasenus : « Unum granum seminatum fuit, ac totus mundus NUTRITUS est. Tanquam homo trucidatus est, atque tanquam Deus VIVIFICATUS EST, VIVIFICAVITQUE mundum » (*Hom.* 19. P.G. 40, 436).

Post tempora autem Cyrilli, assertor egregius doctrinae alexandrinae, Leontius Byzantinus, corpus suscitatum in vitam immortalem assignat in eucharistia causam nostrae resurrectionis propriam : « Cum CORPUS SUUM EX RESURRECTIONE (τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἐξ ἀναστάσεως — *intellege* : corpus suum resuscitatum) Christus fecerit spiritualiter mortuum (νεκρὸν πνευματικόν — *intellege* : sacramentaliter immolatum in sacrificio eucharistico), atque praebeat nobis in cibum ad collocandam in nobis per ipsum effectricem resurrectionis ex morte virtutem, ipse auctor in nobis est certe istiusmodi [obventurae nobis] in futuro saeculo naturae spiritualis » (*Adversus eos qui duas affirmant Christi personas nullamque in ipso conjunctionem confitentur*, l. 5, c. 22. P.G. 86, 1744-1745).

In Occidente postea consonanter Bernardus (*In vigil. nativit. Dom.*, serm. 1, n. 6. P.L. 183, 89): « ...Suscipias panem illum qui de coelo descendit et dat vitam mundo, dominicum videlicet corpus Jesu, ut veterem utrem corporis tui NOVA ILLA RESURRECTIONIS CARO reficiat et sustineat. »

Bernardi aequalis, Petrus Cluniacensis similiter nos ait vivificatos a Christo, « mortales PER JAM IMMORTALE CORPUS SUUM ad EAMDEM immortalitatem perducente » (*Tractat. contra Petrobrusianos*. P.L. 189, 814).

Sed nostris potissimum temporibus[1] scripsit sermone magnifico Leo XIII : « HOSTIA illa divina futuram ingenerat resurrectionem ; SIQUIDEM CORPUS IMMORTALE Christi semen inserit immortalitatis » *(Encycl. Mirae Caritatis)*[2].

Sic potuit a veteribus, et debuit, vivifica vis eucharistiae dici effectus incarnationis sine praejudicio status gloriosi, qui cumu-

1. Interim vide, quomodo cardinalis etiam Franzelin (*De SS. Eucharistia*, 1868, p. 286-288), dum sacramentalem eucharistiae vim in corpora vivificanda explicat, appellet ad Christi statum gloriosum : « Mystica unitas nostrae carnis cum carne Christi, inquit, suam pleniorem consummationem et velut sacramentalem consecrationem accipit per CONJUNCTIONEM GLORIFICATI CORPORIS ET SANGUINIS EJUS cum ipsis corporibus nostris, in qua conjunctione celebrantur nuptiae Agni cum sponsa sua Ecclesia adhuc peregrinante in membris singulis... Sic igitur ex sacramentali conjunctione oritur peculiaris illa affinitas, qua Christus sponsus considerat carnem digne manducantium carnem ejus et bibentium sanguinem ejus, speciali titulo, ut carnem suam. Et PROPTEREA conformat carnem nostram carni suae incorruptibili et glorificatae, hic quidem in exsilio,... conformamdam ipsi exemplari in gloria resurrectionis. »

2. Continuatur igitur praedicatio hodierna Ecclesiae vetustissimis fidei christianae documentis, ut puta exhortationi Firmici Materni ad ethnicos : « Alius est [spretis Eleusiniorum epulis], cibus, qui salutem largitur et vitam ;... qui morientibus aeternae immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum

laret absolveretque incarnationem. Quia autem clarificatio naturae assumptae, in oeconomia, non debebat locum habere nisi per viam sacrificii, siquidem *haec oportuit pati Christum et (ita) intrare in gloriam suam* (*Luc.*, 24^{36}), inde est, quod vivifica vis illa potest etiam et debet tribui passioni et morti Christi : mors enim ejus nos vivificat, sicut scriptum est ab Isaia propheta (53^{10}) : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* In oeconomia scilicet divina, claritas Christi nos illuminat ; incorruptibilis ejus vita nos vivificat et vivificabit ; sed ipsa gloria non est nisi consummatio sacrificii, quo se Christus passioni mortis tradidit : quanquam erat et titulo incarnationis debita, cujus non est nisi naturalis quaedam expansio atque veluti (venia sit verbo) efflorescentia. Quare potest et debet tandem nostra eucharistica vivificatio spectari et ut extensio incarnationis, tanquam in consortium et communionem nos perducens Unigeniti ; et ut fructus passionis, qua comparata est nobis hostia ; et ut influxus gloriae, qua hostiae consummatae conciliata est vis libera atque expedita homines sibi incorporatos sanctificandi[1].

V. Unde confirmatur, quod olim ex Paulo monuimus (Elucid. XVII), praeceptum dominicum, de iteranda coena Christi, versari formaliter circa Christum ex mortuis redivivum, venturum de coelis secundo. Adeo ut ex institutione sua, missa nostra, sicut est commemoratio passionis, sic etiam sit confessio quaedam resurrectionis, ut habet loco supralaudato Cyrillus Alexandrinus (*In Joan.*, l. 12. P.G. 74, 725)[2]. Cui praeierat Hilarius : « In fide enim resurrectionis sacramentum panis coelestis accipitur » (*In Matthaeum*, cap. 9, n. 3. P.L. 9, 963 ; cf. optimam notam Coustantii). Praeiverat Hilario Cyprianus (*Ep.* 63, c. 16 et 17. P.L. 4, 387), hoc notans inter coenam et missam discrimen, quod : in missa, quanquam offertur passio Domini (« passio est « enim Domini sacrificium quod offeri« mus »), nihilominus resurrectio celebratur (« NOS AUTEM RESURRECTIONEM DO« MINI mane CELEBRAMUS »). Quare missa debet fieri matutino tempore, quamvis

« quaere, ut terrena fragilitate contempta, sub« stantia hominis IMMORTALI PABULO saginetur. « ... Salutaris cibi gratiam quaerite, et IMMOR« TALE POCULUM bibite. Christus nos epulis « suis revocat ad lucem, et gravi veneno putres « artus et torpescentia membra vivificat. COE« LESTI CIBO renovate hominem perditum, ut « quicquid in vobis mortuum est, divinis bene« ficiis renascatur » (*De errore profanarum religionum*, c. 19. P.L. 12, 1022-1025).

1. Quae omnia, apud Patres usitata, in unum fere comprehendit auctor, nescio quis, sermonis cujusdam *De Nativitate Domini*, perperam, ut patet, Augustino adscripti, ubi haec tria statuuntur : 1° eucharistia est coena nuptiarum Christi et Ecclesiae in incarnatione inchoatarum; 2° hujus coenae cibus atque potus est in passione praeparatus, corpus scilicet et sanguis occisi agni ; 3° tunc demum Christus suas nuptias habet, cum per resurrectionem atque in coelos ascensionem accessit conjugali foederi robur aeternum. « Processit enim hodie de sacro tha« lamo, hoc est beatorum virgineorum viscerum « abdito incorruptoque secreto. Processit inde « virginis filius, virginis sponsus : filius videlicet « Mariae, sponsus Ecclesiae. Universae enim « Ecclesiae loquebatur Apostolus, quando dice« bát : *Aptavi vos uni viro virginem castam exhi« bere Christo.* Ad has tales nuptias Christi... « invitata est universarum gentium multitudo ; « ipsa implevit Ecclesiam, ipsa accepit de mensa « dominica, non viles epulas aut ignobiles potus ; « sed ipsius pastoris, IPSIUS OCCISI CHRISTI CAR« NEM PRAELIBAVIT ET SANGUINEM. Occisus « EST AD NUPTIAS SUAS IPSE INNOCENS AGNUS ; « OCCISUS EST AD NUPTIAS, ET QUOSCUMQUE « INVITAVIT, DE CARNE SUA PAVIT. Occisus « EPULAS PRAEPARAVIT ; RESURGENS NUPTIAS « CELEBRAVIT. Occisus voluntariam pertulit « passionem : RESURGENS DISPOSITAM DUXIT « UXOREM. In utero virginis humanam carnem « velut arrham accepit ; in cruce pretiosissimam « dotem, suum sanguinem fudit ; IN RESURREC« TIONE ATQUE ASCENSIONE SUA AETERNI MA« TRIMONII FOEDERA ROBORAVIT » (Inter opera Augustini, sermo 372, c. 2. P.L. 39, 1662). Vides in incarnatione, in passione, in resurrectione causas connubii eucharistici. Auctori illi, quicumque est, sane eucharistia, ut incarnationis cumulus, ita est partus passionis et resurrectionis proventus : hostia scilicet divina, mactata olim, nunc autem in gloria et de gloria reficiens homines.

2. Vide etiam multos alios locos Cyrilli : « Mysticae eulogiae participatio annuntiationem « habet mortis ET RESURRECTIONIS Christi » (*Glaphyr. in Levit.*, P. G. 69, 576). « Annun« tiantes, ut dixi, ipsius mortem ATQUE PRO« FECTO ETIAM RESURRECTIONEM, perficimus « venerandum mysterium » (*Glaphyr. in Deuteron.*, P.G. 69, 649). Etc.

coena acta sit vespertino (« ut hora ipsa « sacrificii ostenderet occasum et vespe- « ram mundi »). Sane in coena non poterat celebrari resurrectio ut facta, siquidem ad mortem offerebat se Dominus. Quod autem resurrectio celebratur ut facta, pars est, secundum Cyprianum, ipsius missae.

Inter mediaevales, Rabanus Maurus (*De clericorum institutione*, l. 1, c. 31) copulat et ipse cum passione resurrectionem in mensa Domini, « ubi Agni imma- « culati et incontaminati caro mactatur, « et ubi VENERANDA MYSTERIA PASSIONIS « ET RESURRECTIONIS EJUS a fidelibus ce- « lebrantur » (P.L. 107, 319). Apud Rupertum Tuitiensem, in sacramento corporis et sanguinis Domini, « sub specie « panis et vini latet UTILITAS MORTIS « ET RESURRECTIONIS EJUS » (*De Victoria Verbi Dei*, c. 12. P.L. 169, 1472)[1]. Sanctus Martinus Legionensis integram eucharistiae definitionem his duobus verbis complectitur : « SACRAMENTUM DOMINICAE « PASSIONIS ET RESURRECTIONIS » (*Sermo* 26 *in resurr. Dom.* P.L. 208, 946). Propter meritum passionis et virtutem resurrectionis scilicet nos et liberant et vegetant ista sacramenta : ad quorum igitur proprietatem pertinet ut Christus tractetur a nobis atque percipiatur ut coelestis.

VI. Contra hujus puncti doctrinam, et maxime contra argumentum ex natura rerum petitum, objiciet quis inde sequi inconveniens circa coenam dominicam. Etenim in coena dominica caro Christi nondum erat glorificata : ergo, si stat nostra thesis et argumentum, caro Christi tunc sumentibus nihil profecit : quod tamen repugnat sensui catholico, cujus assertor Innocentius III : « Tale « dedit, quale tunc habuit, mortale vide- « licet et passibile. NEC TAMEN HABET « NUNC MAJOREM EFFICACIAM, SICUT NEC « MAJOREM POTENTIAM » (*De sacro Altaris Mysterio*, l. 4, c. 12. P.L. 217, 864)[2].

Respondeo : de facto esse inversum in coena ordinem naturalem atque legalem sacrificiorum, quantum ad hoc quod manducatio praecessit sicut et morti (in qua consistebat immolatio), ita et resurrectioni (secundum quam attenditur divina acceptatio) : data est enim caro Christi apostolis epulum de sacrificio passionis, quanquam nondum erat passa, sed per sacramentalem immolationem deputata sane atque *debita morti* cruentae[3]. Similiter porro, quamvis nondum esset

1. Integer locus est recitatus supra, Elucid. VII.

2. Non defuerunt ex veteribus qui dicerent Christum in coena dedisse apostolis corpus suum immortale, incorruptibile. Inter quos primus fuit, quem norim, Walafridus Strabus (*In Matth.*, 17[2]. P.L. 114, 143) ; deinde secuti sunt Manegoldus (*Contra Wolfelmum*, 18. P.L. 155, 166), Anselmus Laudunensis (*In Matth.*, 26[26]. P.L. 162, 1470), Algerus (*De Sacramentis corp. et sang. dominici*, l. 1, c. 9. P.L. 180, 768), et Hugo a Sancto Victore (*De Sacramentis christianae fidei*, l. 2, pars 8, c. 3. P.L. 176, 462-464) : quorum sententiam, dudum antiquatam, innovavit (mirabile dictu !) Thomassinus (*Incarn.*, l. 10, c. 31). Veterum illorum argumentum non ex vitali efficacia sacramenti desumebatur, sed fundabatur plerumque super integritatem carnis morsibus comedentium illaesae. Quibus, post Ivonem Carnotensem (*Ep.* 287. P.L. 172, 285) et Robertum Pullum cardinalem (*Sententiarum* l. 8. c. 4. P.L. 186, 964), satis occurrebat Innocentius III, dicens : « In- « credibile judicatur ut secundum eamdem « naturam simul esset mortalis et immortalis » ; quare concludit, « salva fide concedi, quod tale « dedit, quale habuit, mortale videlicet et passi- « bile. Non quod posset pati in sacramento, sed « quod sub sacramento poterat pati » (*De sacr. alt. myster.*, l. 4, c. 12. P.L. 217, 864. Cf. Alanus de Podio, *De fide catholica contra haereticos*, l. 1, c. 58. P.L. 210, 632). Quam deinde solutionem sanctus Thomas in *Summa* (3 S. 81, 3) et plenius et firmius tradidit.

Thomassinus autem ipse clare advocabat necessitatem status gloriosi in ea carne, quae esset percipientibus se insitura immortalitatem : « An caro mortalis semen erat immortalitatis ? « An caro nequedum resurrectionem consecuta « pignus erat idoneum desponsae resurrectionis? « Quin omnis hinc potius spes esset exsufflata « adipiscendae immortalitatis, si eam nisi mor- « tali corpore oppignerare atque sancire ne- « quiisset Christus » *(loc cit.)*. Quam absone autem concipiatur posse Christi caro esse aliter affecta in eucharistia quam extra, abunde monstrabitur infra (Elucid. L), ubi de transsubstantiatione agetur.

3. Recole inter ceteros veterem illum auctorem tractatus *De solemnitatibus* citatum supra (Elucid. IV).

glorificata, tamen data est ut caro sacrificii a Deo rati et accepti, pro quanto oblatae a vero sacerdote Christo *debebatur* utique *resurrectio* a Deo atque assumptio in gloriam. Quod igitur nondum erat in re effectum, tamen erat jam Christo jure sacrificii acquisitum ; immo et a Deo desponsum, pro quanto transsubstantiatio facta est per divinam virtutem, nec proinde sine divino nutu atque omine peracta est oblatio sacrificalis Domini[1] : Quod enim *per Spiritum aeternum* Deo creditur offerri, necessario noscitur Deo acceptabile. Sic moraliter conjuncta erant jam illa tria, coena, mors et resurrectio, unitate quadam juridica. Et vi illius vinculi moralis, poterat jam eucharistia in coena significare fructus mortis et resurrectionis, proindeque et causare[2].

Anticipata est igitur jure meritoque in esu coenae, sicut mors, ita et resurrectio. Nec fieri poterat aliter, siquidem ipse sacerdos noster erat, pro sacerdotii sui perfectione et auctoritate suum ipse sacrificium participaturus (cf. supra, Elucid. XI) : quod sane facere non poterat nisi viator : cum participatio sacrificii ad ordinem signorum pertineat (quae generaliter repugnant conditioni comprehensorum), et per prius habeat significationem anagogicam (quae specialiter propria est viatorum). Sicque factum est, ut « esus veri agni NON SECUNDUM ORDINEM « VEL LEGIS VEL NATURAE » procederet, dum data est apostolis « hostia ADHUC « VIVA, et MOX MORITURA, DENUOQUE « VICTURA[3] », ut loquitur Balduinus Cantuariensis in libro *de Sacramento Altaris* (P.L. 204, 660)[4].

Quia autem anticipabatur resurrectio, ideo in fide resurrectionis dominicae debuit sumi a discipulis, et in arrham a Christo. Quare in ipsa coena Christus et communivit sermonibus tam crebris tamque prolixis fidem suae resurrectionis atque vitae futurae coelestis : sive anamnesi praecepta (*I Cor.*, 11^{26}), sive praenuntiato regno Patris atque mensa coelesti (*Matth.*, 26^{29}, *Marc.*, 14^{25}, *Luc.*, 29^{30}), sive conspectu gloriae suae promisso (*Joan.*, 13^{32}, 14^{2-3} sq. ; 17^{24}. cf. *Joan.*, 6^{63}) ; et pro seipso orans ad Patrem postulavit debitam sibi pro sacrificio clarificationem. *Ego te clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te* (*Joan.*, 17^{4-5}). Calicem enim bibens bibebat resurrectionem, et praelibandam dabat propinans (cf. supra, Elucid. XI).

EPILOGUS.

De quadam comparatione inter paulinam et johanninam communionis eucharisticae praedicationem.

Scripsit olim Rev^mus^ P. Batiffol in *Eucharistie*[3] : « L'idée paulinienne de « communion au sacrifice est destinée à « demeurer obscure toujours pour la piété « chrétienne, qui sera plus attirée par « l'idée johannine que la communion est

1. Cf. supra, Elucid. I et V, coll. Elucid. XXXIV, de acceptatione nostri sacrificii in transsubstantiatione.

2. Semper enim prae oculis habendum est principium in re sacramentaria universale : sacramenta eo causant, quo significant (de quo vide infra Elucid. XLVIII). Si igitur poterat jam eucharistia, quamvis ante mortem et resurrectionem, tamen cum consortio mortis et resurrectionis, significare nostram vivificationem et sanctificationem, poterat et efficere.

3. Hanc inversionem ordinis admirabatur cardinalis Jacobus de Vitriaco, Episcopus Tusculanus († circa 1241), dicens : « Licet « autem post passionem et resurrectionem suam « quotidie in Ecclesia ineffabiliter integer ma« nens, a fidelibus comedatur, longe majus hac « nocte [coenae] ostendit miraculum, qui NON« DUM COCTUS IGNE PASSIONIS, UT ESSET ESI« BILIS, NEC ADHUC FACTUS IMPASSIBILIS ET « IMMORTALIS, tale corpus suum dedit, quale « fuit : mortale scilicet et passibile » (*Sermones in Epistolas et Evangelia dominicalia totius anni.* Sermo III *In coena Domini.* Antverpiae, 1575, p. 344).

4. Conclude non minorem futuram fuisse efficaciam vitalem sacramenti, si, reservatum ex coena, ab aliquo fideli intra triduum dominicae mortis sumeretur.

« une participation à la vie divine : *Celui « qui mange ma chair et boit mon sang, a « la vie éternelle.* La piété chrétienne, « forte de son expérience même, aura, « en s'attachant à l'idée johannine, l'in- « tuition d'une réalité plus saisissable que « celle que représente l'idée de commu- « nion au sacrifice » (*Eucharistie*[3], p. 52). Quo loco auctor faciebat duo : primo, comparabat inter se rationem CIBI VIVIFICANTIS et rationem EPULI SACRIFICALIS ; secundo, alteram quasi DOCTRINAE PAULINAE propriam, alteram johanninae assignabat.

Quocirca duo occurrunt notanda.

Primo quidem attributio singularum notionum paulina atque johannina non est, ut patet, strictius accipienda ; nam et apud Johannem eucharistia est epulum sacrificale, si modo connectantur[1] reliqui versiculi capitis sexti cum versiculo 51 (Vulg. 52) : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (praeterquam quod, ut olim in Elucidatione VII diximus, sermo post coenam et totus est eucharisticus et totus est sacrificalis) ; nec apud Paulum desideratur prorsus indoles vivifica eucharistici cibi, siquidem, ut superius est declaratum, coenatur a nobis de carne redivivi Christi, qui est spiritus vivificans.

Secundo vero, quod illarum notionum una sit obscurior, altera clarior, videtur cum aliqua distinctione accipiendum. Etenim, si agitur de intellegentia quadam rudi nostri mysterii, qualis ab omnibus adultis ad debitam perceptionem sacramenti requiritur : verum est, indolem vivificam prius percellere oculos quam indolem immolatitiam. Sed si agatur de intellegentia excultiore, qua non tantum assequamur *an sit* vivificus panis, sed *propter quid* sit vivificus, jam aliter res habet. Non enim potest tunc una notio prae altera praedicari obscurior aut clarior ; nam una alteram supponit, nec nisi in correlatione sua ambae ad plenum intelleguntur. Non scilicet est vivificans cibus, nisi in quantum est epulum sacrificale, sicuti non est epulum sacrificale, nisi ut sit cibus vivificans. Hostia Deo oblata, suscepta a Deo, a Deo nobis redditur vivifica.

Quare sapienter in *Eucharistie*[5] praelaudatus auctor, pro illa antinomia, jam omissa, haec substituit profundiora : « Ces « deux enseignements [de S. Paul et de « S. Jean] manifestent en des langages « différents et ils approfondissent le même « mystère, qu'exprime la formule : Ceci « est mon corps, ceci est mon sang » (*Eucharistie*[5], p. 159). Quo verius aut aequius nihil dici potest.

1. Cf. supra, Elucid. VI.

Elucidatio XXIII.

Quanquam est sacerdos omnium nostrorum sacrificiorum Christus, tamen nullam elicit ipse respectu singulorum oblationem novam.

Ex polyptycho H. et J. Van Eyck de
Agno Mystico.

SACERDOS COELESTIS

Retroaltare ecclesiae cathedralis Gandavensis.


HIC Ē BAPTISTA IOHĒS · MAIOR HOĪE · PAR ANGLIS · LEGIS

§ 3. De habitudine missae ad oblationem dominicam.

Nil vulgatius apud Patres aut in Liturgiis quam Christum asseri sacerdotem offerentem nostra sacrificia eucharistica. Audita sunt jam multa testimonia, et pene infinita ad nauseam addi possint, idem sonantia quod canit in *majore ingressu* vetus liturgia *S. Basilii* : « Tu es offerens « et oblatio », ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος (B. 318 ; cf. hodiernam liturgiam S. *Chrysostomi*, B. 378). Quibus cumulum addit Concilium Tridentinum (sess. 22, cap. 2) : « Idemque nunc offerens sacerdotum mi« nisterio, qui se ipsum tunc in cruce ob« tulit » (D., 940).

Exsurgit igitur quaestio, qualiter respectu nostrorum sacrificiorum, sit Christus offerens : utrum formali actu oblationis novo, an causativa virtute actus oblativi unius, peracti olim, nec deinceps iterandi.

Omnis quidem missa est novum sacrificium praeteritis accrescens ; in omni autem novo sacrificio necesse est ut intercedat aliquis novus actus offerendi : estne actus ille ex parte Christi novus, an novus tantum ex parte subordinatorum Christo sacerdotum Ecclesiae ? Aliis verbis : interceditne ex parte Christi sacerdotis nova quaedam actio sacrificalis, an contentus est actione vere et proprie sacrificali, quam sensibiliter, ut par est, peregit in terris semel, muneraturam aeternaliter Deum hostia aeternaliter accepta ?

Jam facile intelleges esse tribuendum Christo actum oblativum novum, si in missa censeatur affici per nos statu victimali novo, vel quomodolibet indui vera proprietate immolatitia, qua ante caruerit, adeo ut qui in se nequaquam exsisteret hostia, hostia per nos fiat. Unitas enim sacerdotii nostri cum sacerdotio dominico postulat ut ipse Christus, summus sacerdos omnium nostrorum sacrificiorum, respectu illius novae proprietatis victimalis, si qua sit, inveniatur oblator ; nec oblator novae victimationis esse potest nisi per actum oblativum novum. Quare plerique recentiores talem actum novum Christo adstruxere[1] ; unde etiam visi sunt sibi posse repetere valorem illum missae, qui ex opere operato dicitur[2]. Qua de re sermo fiet infra (Elucid. XXV).

Sin autem, exclusa inductione novae conditionis victimalis, eatenus offeramus sacrificium novum, quatenus respectu aeternae hostiae inveniamur novi oblatores, adsciti in partem sacerdotalis oblationis a Christo olim peractae : jam utique in tantum erit dicendus Christus hic et nunc offerre, in quantum oblatio mea VIRTUALITER ab eo procedit. Procedit autem virtualiter, in quantum oblatio ejus, firma in saecula, supereminet nostris, quas incorporat sibi, influens in eas vim exhibendi Deo corpus et sanguinem Christi tanquam hostiam nostram. Christus enim unum est cum Ecclesia, cujus est caput. Communicat autem caput corpori virtutem illam, quam tunc exseruit, cum in coena tradidit seipsum ad mortem Deo pro mundi vita. Hac de causa nos offerimus corpus demor-

1. Salmanticenses, *De Eucharistiae Sacramento*, disp. 13, dub. 3, n. 49-50 : « Est autem « difficultas utrum Christus in singulis quae « offerimus sacrificiis sit immediate offerens « peculiari actu elicito... Longe veriorem, sicut « et communiorem, censemus opinionem... do« centem quod, sicut Christus secundum huma« nitatem concurrit instrumentaliter ad omnes « et singulas conversiones, sive transsubstan« tiationes, quae in Ecclesia fiunt, ita etiam co« gitat de omnibus, et SINGULIS SACRIFICIIS, « et ea vult, et DEO OFFERT ; atque ideo est « IMMEDIATUS OFFERENS in ratione praecipue « sacerdotis, oblatione FORMALI, ACTUALI, et « ELICITA » (Conferas Suarezium, disp. 77, sect. 1, n. 6).

2. Salmanticenses, *ibid.*, dub. 6, n. 111 et 116.

tui Christi assumptique in gloriam Dei. Sicut igitur potestas nostra habet causam principalem potestatem ipsius sacerdotalem, qua in iis quae sunt ad Deum constitutus est, ut offerret dona, sic etiam actio nostra sacerdotalis, ab exercitio ejusdem potestatis pendet, quod factum est semel. Partes habet oblatio Christi causae principalis et universalis in suo ordine ; partes habet oblatio nostra causae subordinatae et particularis[1]. Adeoque Christus offert per nos offerentes, quin de novo offerat ipse in sua persona. Novitas tota est ex parte Ecclesiae, quanquam virtus tota est ex parte Christi.

Hanc quaestionem non saepe Patres in propriis terminis positam tetigerunt[2].

At *primo*, solutio ejus implicatur doctrina generali de sacrificio Christi, quam, ex *Epistola ad Hebraeos* potissimum haustam, nobis, ut hucusque commonstratum est, tradidere.

Secundo, cum oblationem Christi respectu missae diffinierunt, soliti sunt eam in hoc constituere, quod apud Christum attenditur quaedam causalitas respectu nostrae oblationis. Sic Eusebius Caesariensis, loco supra recitato, postquam dixit : « Christus etiam nunc sui inter « homines sacerdotii opera PER NOS MI- « NISTROS PERFICIT », illud per hoc demum explicat, quod ortum ab ipsius sacerdotio nostrum consistit in offerendo, secundum exemplar illius, sacrificio corporis et sanguinis ejus in mysterio panis et vini (*Demonstr. Evangel.*, 5, 3. P.G. 22, 365). Ubi duae attenduntur causalitates : una efficiens (origo nostri sacerdotii), altera exemplaris (prototypus nostri sacrificii).

Item Ambrosius dominicam nostrorum sacrificiorum oblationem ad hoc reducit, quod « sermo [Domini] sanctificat « sacrificium quod offertur » (*In Psalm.* 38, n. 25. P.L. 14, 1052)[3]. Augustinus similiter melchisedecicum Christi sacrificium (post coenam) vult agi in Ecclesia eo quod « A CHRISTIANIS », « per sacerdo- « tium [id est, sacerdotes] Christi », « SUB « SACERDOTE CHRISTO », offertur eucharistia[4]. Consonat Ps. Primasius, monens Christum, post oblatum in terris a seipso sacrificium, etiam nunc censendum esse offerre Patri sine intermissione sacrificium, eo quod Ecclesia eucharistiam offerat : dum scilicet nos, qui sumus ejus, offerimus, ipse reputatur offerre. « Ponti- « fex noster mundam hostiam pro nobis

1. Id dilucide contra Lutheranos notaverat Canus : « Maxime animadvertendum censeo « oblationem non simpliciter et uno modo esse. « Una enim est universalis, altera est particula- « ris... Oblatio Christi una generalis fuit re- « demptionis humanae non solum idonea causa, « sed suis etiam omnibus numeris absoluta, cui « in genere suo dico, nihil addi, nihil detrahi « possit. At sunt plures oblationes particulares « quibus universalis illa efficientia ad effecta « quaedam singularia contrahitur.... Ita etiam « OFFERIMUS, UT OBLATIONIS IPSIUS [Christi] « PARTEM CAPIAMUS » (*De locis theologicis*, l. 12, c. 12. Col. Agripp. 1585, p. 421-422).

2. Nemo non videt, quam affinis sit quaestioni, quae agitabatur in Elucidatione XIV : adeo ut exclusioni novae litationis dominicae eadem, si nobis constare velimus, obsistere judicanda sint, quae illic contra orationem proprie dictam Christi in coelum recepti allegabamus. Auctoritatibus tunc commemoratis adde Rupertum, *De divinis officiis*, 9, 3. P.L. 170, 243-245, quem inconsulto omiseramus.

3. Videsis integrum locum recitatum supra (Elucid. XXI).

4. Agens de congressu Melchisedeci et Abrahae : « Ibi quippe primum, inquit, apparuit « sacrificium, quod NUNC A CHRISTIANIS offertur « Deo toto orbe terrarum, IMPLETURQUE illud « quod longe post hoc factum per prophetam « dicitur AD CHRISTUM, qui fuerat adhuc ven- « turus in carne : *Tu es sacerdos in aeternum se-* « *cundum ordinem Melchisedech* » (*Civit. Dei.* 16, 22. P.L. 41, 500).

Deinde commutationem sacerdotii arguens : « Hoc sacrificium [a Malachia praenuntiatum] « PER SACERDOTIUM CHRISTI secundum ordinem « Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu « usque ad occasum Deo jam videamus offerri « (sacrificium autem Judaeorum... cessasse ne- « gare non possunt), quid adhuc exspectant ali- « um Christum ? » (*Civit. Dei.* 18, 35, 3. col. 594).

Interim autem : « Quod adjungit : *Tu es* « *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchi-* « *sedech*, ex eo quod jam nusquam est sacer- « dotium et sacrificium secundum ordinem Aa- « ron, et ubique offertur SUB SACERDOTE CHRISTO « quod protulit Melchisedech, quando benedixit « Abraham, quis ambigere permittitur de quo « ista dicantur ? » (*Civit. Dei*, 17, 17, col. 551. Cf. *De Diversis Quaest.* 83, quaest. 61, n. 2. P.L. 40, col. 49-50).

« Deo Patri obtulit. Idem existens sacer« dos ad sacrificium, offert etiam sacrifi« cium Deo Patri acceptum PER ECCLE« SIAM SUAM. DUM ERGO NOS OFFERIMUS « sacramenta corporis ejus, IPSE OFFERT » (*In Hebr.*, 8[3]. P.L. 68, 734). In hoc scilicet consistit oblatio ejus, quod Ecclesia offert : Ecclesia inquam ejus, in virtute scilicet ipsius[1].

Pauca disserit de hoc puncto S. Thomas. Attamen, occasione accepta, notat eo esse Christum sacerdotem nostrorum sacrificiorum, « quod per eamdem ra« tionem [h. e. quia ,, celebratio hujus « sacramenti est imago repraesentativa « passionis "] etiam sacerdos GERIT IMA« GINEM CHRISTI, in CUJUS PERSONA ET « VIRTUTE verba pronuntiat AD CONSE« CRANDUM. Et ita QUODAMMODO idem est « sacerdos et hostia » (3 S. 83, 1, 3[m]). Ubi ipse Suarez, quanquam plus putat esse adscribendum Christo, tamen non plus intellegit esse adscriptum a sancto Thoma quam exemplarem formam et efficaciam virtualem : « Sacerdos conficit in persona « Christi, et tanquam legatus ejus, ip« sum repraesentans ; et IN HOC videtur « S. Thomas ponere hanc CHRISTI OBLA« TIONEM » (Disp. 77, sect. 1, n. 6).

At *tertio*, non deest apud Patres omnis explicita exclusio oblationis noviter a Christo ipso profectae. Immo scribit Theodoretus : « Sacerdotio autem fun« gitur nunc Christus, NON IPSE ALIQUID « OFFERENS, SED CAPUT EXSISTENS EO« RUM QUI OFFERUNT. Corpus enim suum « Ecclesiam vocat, et PER EAM sacer« dotio fungitur ut homo, recipit autem « ea quae offeruntur ut Deus. OFFERT « autem ECCLESIA corporis et sanguinis « sacramenta » (*In Psalm.* 109[4]. P.G. 80, 1773). Quibus verbis non solum excludit Theodoretus quod excludimus, sed adstruit quod adstruimus : in tantum scilicet competere Christo conditionem praesentem offerentis, in quantum, caput cum sit corporis Ecclesiae, in ipsum refunditur quod peragitur ab Ecclesia per virtutem ab illo derivatam. Praeierat Theodoreto Chrysostomus in arcenda a Christo conditione omni « sacerdotis « vel liturgi » actualiter offerentis, sicut arcebat Nazianzenus conditionem supplicantis (cf. supra, Elucid. XIV).

Inter Latinos S. Bruno Carthusianus non est minus dilucidus in sua *Expositione in Psalm.* 109 (P.L. 152, 1228) : « *Tu es*, inquam, *sacerdos secundum ordi« nem Melchisedech*, et hoc *in aeternum*, id « est, ita ut sacerdotium tuum, in loco « sacerdotii levitici, jam evacuati, admis« sum, sit durans in aeternum IN TE et « IN TUIS. IN SUI QUIDEM PERSONA sacer« dos in aeternum dicitur, NON QUOD « SACRIFICIUM CORPORIS ATQUE SANGUI« NIS IN AETERNUM OFFERAT, QUOD TAN« TUM SEMEL OBTULIT, sed quoniam in « aeternum pro filiis orat apud Patrem. « Sacerdotum enim non tantum est of« ferre, sed et pro populo orare. IN SUIS « autem sacerdos est in aeternum, et « SECUNDUM OBLATIONEM QUAM in aeter« num, id est USQUE AD FINEM MUNDI « JUGITER OFFERUNT, et secundum ora« tionem. Quotidie namque sacerdotes « ejus et oblationem dominici corporis et « sanguinis offerunt, et pro populo ora« tionem fundunt. »

Recte igitur Scotus in *Quodlibeto XX* cavet ne putetur nunc Christus ipse secundum se offerre : « Christus, inquit, etsi « hic offeratur ut contentus in sacrificio, « non tamen hic immediate offert sacri« ficium, juxta illud *Hebr.* 9 : *Neque ut « saepe offerat semetipsum.* Et ibid. : *Chris« tus semel oblatus est*, supple : *a seipso « offerente.* » Sed amplius erit infra considerandus locus ille Scoti et contextus, cum agetur de valore sacrificii missae pensando.

1. Idem nonnihil redolet ista locutio Gulielmi Parisiensis : « Nisi in Ecclesia SUA « [Christus] quotidie, ET AB EADEM, OFFERRE« TUR, non impleret ipse IN EA OFFICIUM SACER« DOTIS » (*De sacramento Eucharistiae*, c. 2. t. 1, p. 436). Ergo sacerdotium Christi praesens inter nos in hoc consistit, non quod ipse in se offerat, sed quod offeratur a nobis, in quibus, cum simus ipsius, censetur exercere officium sacerdotale.

Interim operae pretium est audire Vasquezium insimulantem sententias nostrae contrarias novitatis. Dum enim insistit removendae a Christo glorioso acquisitioni omni novorum meritorum, haec scribit : « Existimo Christum in alia vita « nihil nobis mereri, quia peracto jam ne« gotio nostrae redemptionis in vita sua « mortali, jam amplius in coelo neque orat « pro nobis, neque quidquam pro nobis « offert Deo... Ex hac doctrina infero GRA« VITER LAPSOS ESSE RECENTIORES ali« quos theologiae professores, qui dicunt « Christum nunc actu mereri[1]... in sacri« ficio missae, eo quod considerant ipsum « sacrificium missae tanquam ACTIONEM « IPSIUS, siquidem ipse dicitur seipsum « offerre... Quod vero dicitur Christus in « eucharistia seipsum offerre, non est ita « accipiendum, quasi oblatio corporis « Christi, quae fit quotidie Deo per mi« nistros ipsius Christi, sit ACTIO ETIAM « EJUS AB EO ELICITA, ut meritoria esse « possit ; sed quia illa dicitur fieri in « nomine Christi, ideo Christus dicitur in « ea seipsum offerre » (In 3 S. 19, 4, disp. 76, cap. 1, n. 6). Post Vasquezium[2] autem omnino legendus est Hiquaeus in sua *Quaestione VI* super commentarium Scoti in IV D. 13, 2, conclusione 4ª (Lugduni, 1639, p. 831 sq.)[3].

Si quis autem hanc inter otiosas computandam duxerit quaestiones, is non abs re erit ut consideret, quantae pendeant inde conclusiones. Semel enim supposito, Christum nova ipsum personaliter oblatione sacrificali missis nostris intercedere, perit jam id omne quod in tuto collocare maxime studuimus circa singularitatem sacrificationis dominicae (Elucid. V etc.). Accedunt quippe litationi primae nostri Redemptoris atque accrescunt litationes ipsius plurimae, contra *Epistolam ad Hebraeos* ; litationes immo pristinae illi aequales et dignitate et valore[4] : unde pessumdatur sufficientia crucis. Quocirca recte Scotus *(loc. cit.)* verbis modo recitatis haec subnectit : « Alioquin videretur quod

1. In describenda opinione adversariorum non admodum proprie usurpat vocem « mereri », sed lato quodam sensu, intellegens omnem propitiatoriam activitatem.

2. Ex Societate Jesu consenserunt Vasquezio ipsius coaetaneus Henricus Henriquez (*Summa Theologiae Moralis*, l. 9, *De vero missae sacrificio*, c. 19, n. 6), pariterque Azorius (*Inst. Mor.*, l. 10, c. 18) ; et deinde Becanus (*Summa Theologiae Scholasticae*, tract. de sacram., c. 25, q. 9, Lugd. 1679, p. 863) atque Franciscus Amicus (*De Sacramentis*, disp. 33, n. 94 sq.) citandus infra. Ita Henriquez : « Christus nunc per sacerdotes celebrantes « NON ALITER dicitur offerens, quam quia sua « institutione concessit ut sacerdotes offerrent « nomine Christi, deditque valorem et vim con« ferendi effectum ex opere operato. » Azorius autem : « Nunc quotidie Patri se offert, EO QUOD « ipsius Christi Domini jussu, institutione, auc« toritate et nomine, quotidie sacerdotes offe« rant. Ipse igitur est principalis sacerdos, caeteri « sacerdotes veri sunt ipsius ministri ad sacrifi« cium faciendum et offerendum, Ecclesiae auc« toritate consecrati et potestate praediti » (Lugd. 1602, col. 1117). Magis etiam restringit Becanus, et meo quidem judicio nimis, partes Christi, dum scribit : « Nec ideo praecise dicitur Christus « esse principalis offerens in hoc sacrificio, quia « per suam humanitatem, tanquam per in« strumentum divinum physice concurrit ad « actionem sacrificandi. Primo, quia multi ne« gant hunc physicum concursum, et vix de« fendi potest... Ideo dicitur Christus principalis « offerens in sacrificio missae, quia minister offert « in persona Christi. Nam minister in hoc mys« terio se gerit sicut legatus principis, qui sus« tinet et repraesentat personam. » Utique non ratione sui concursus activi ad transsubstantiationem efficiendam Christus secundum humanitatem dicetur offerre actu et denuo ; attamen non videtur mihi iste concursus humanitatis Christi negandus. Intervenit quippe sub causa prima increata humanitas illa tanquam instrumentum conjunctum, gaudens vera causalitate efficiente instrumentali. Neque (ut infra exponetur) exinde inferri potest praesens oblatio Domini accedens antiquae.

3. Legi utiliter potest in eumdem sensum Antonius Ruteus, O. Minim., *De fructu et applicatione sacrificii missae*, lib. 1, disp. 4, quaest. 1, dub. 1, Antverp. 1634, p. 70 sq. Pariterque Raphael Aversa a Sanseverino, Theat., *De eucharistiae sacramento et sacrificio*, q. XI, sect. 8, etc.

4. Amicus (*loc. cit.* n. 97) : « Si Christus « simul cum sacerdote, ACTU sacrificaret,... hoc « sacrificium, non solum prout fuit a Christo « in ultima coena et in cruce oblatum, sed etiam « prout nunc offertur, esset infiniti valoris et « meriti. Consequens est falsum. Ergo et ante« cedens » (*loc. cit.*, n. 97, in *Cursu theologico*, tom. 7, Duaci 1640, p. 440). Quod argumentum deinde evolvit per omnes suas partes, ac destruit rationes singulas adversariorum.

« unius missae celebratio aequivaleret « passioni Christi, si idem esset offerens « immediate et oblatus. Certum est au« tem quod missa non aequivalet passioni « Christi. » Perit proinde etiam unitas sacrificii missae cum sacrificio coenae et passionis : quae non salvatur, nisi subordinata intellegatur oblatio recens praeteritae illi oblationi Domini, tanquam capitali et principali ministerialis et participata. Non autem Christus sibi ipse subest, aut potest aliqua propria ejus oblatio posterior ad priorem se habere participative et ministerialiter; sed nequit dominicae oblationi uni altera non coordinari atque connumerari ut perfecte aequalis [1].

Novitas igitur SACRIFICII MISSAE respectu sacrificii crucis desumenda est TANTUM EX PARTE ECCLESIAE, nunc suam facientis illam oblationem, quam peregit olim Christus, et pro tanto eam innovantis, pro quanto a capite ad corpus transit et virtus et actus sacrificandi.

Distinguuntur autem inter se sacrificia missarum, sicut et consecrationes seu eucharistiationes panis et vini dupliciter. Primo quidem propter diversitatem sacerdotum litantium; litatio enim unius non est litatio alterius : nisi forte plures sacerdotes, puta sub episcopo ordinante, conspirent in unam efficiendam consecrationem; jam enim (sat probabiliter [2]) non multiplicantur oblationes pro numero concelebrantium; sed unus moraliter exsistit oblator, sicut et consecrator : presbyterium scilicet per modum unius corporis agens. Secundo vero propter unius ejusdemque sacerdotis consecrationes successivas, quibus pluralitas importatur oblationum, siquidem consecratione efficitur immolatio similitudinaria, qua involvitur hostiae nostrae oblatio.

Dices : Oblatio involvitur consecratione : atqui consecratio efficitur per Christum, ut sexcenties Patres et Doctores testificati sunt ; ergo offert Christus.

Respondeo primo : consecratio etiam dicenda est fieri per omnipotentiam divinam : attamen non dicitur Trinitas sibi offerre sacrificium. Et revera consecratio efficitur primum a Christo prout divinam habente naturam, cujus est transsubstantiatio, ut suo loco constabit, effectus proprius ; nec operatur sacerdos circa panem et vinum, nisi ut instrumentum divinitatis hic et nunc agentis. Non igitur statim causalitas respectu consecrationis importat in agente remoto rationem oblatoris [3].

Sed respondeo secundo, et quidem ad rem strictius : efficitur omnino consecratio

1. Ista incommoda persentiebat vir egregius Matthaeus Galenus Vestcapellius, cum id moniti traderet catholicis apologetis, non semper caute satis exponentibus usitatam locutionem : Christum in missa esse offerentem. « Utentium, inquit, ista locutione obvia est « ubique pluralitas, at qui enodet, aut rite in« telligat, non temere fortassis occurrat. ... Vi« deas namque quosdam ex fidei PRAESENTIBUS « adsertoribus ita premere verba, perinde ac si « Christum altari adsistentem animo figuravis« sent. Qui omnia per sacerdotem etiam nunc « obiret, postularet, gratias ageret, offerret, « otioso interim prorsus homine sacrifico, et « personam habitumque duntaxat Christo mu« tuo dante. Nam cernere est non minimi no« minis theologos eo confugere : UT MISSAE, « QUEM FINGUNT, TUEANTUR INFINITUM (pro« prium ipsorum est dictum) VALOREM. Cum « enim, inquiunt, Patres testentur Christum esse « ipsum qui sese offerat,... quis neget ejus ope« rationem et pretii et efficaciae esse infinitae. QUASI... NEQUAQUAM PUGNET CUM ILLIUS UNICA OBLATIONE isthaec IN IPSOMET iteratio, et « SUPPLICATIO ei modo congruat, CUI SUNT PER« FECTA OMNIA. Nam isti parum sane in hoc « argumento versati circumspectique theologi « non verentur Christum in coelis adhuc hodie « supplicem Patri... somniare, quod Paulus « interpellantem, Joannes advocatum eum apud « Patrem appellent... Melius profecto liturgici « graeci interpretes, sanctorum Patrum suorum « secuti vestigia, ad crucis plenissimum meri« tum et constitutum pretium omnia haec cen« sent referenda, et impie alio torqueri. Nam « ubi amplissimum, et quod semel annumera« tum usque et usque sufficiat, ἀντίλυτρον et re« demptionis pretium, ac copiosissimum extet « meritum, recte ac usitate quicquid ideo fertur « aut impetratur, mereri et jure suo poscere « postulareve, immo et obtinere, dicitur » (*De sacrificio missae Commentarius*, 1574, c. 13, p. 160-161). Haec ille.

2. Vide infra, Elucid. XXVIII.

3. Hanc solutionem ipse probat Suarez, scribens : « Unum ex requisitis ad offerendum « sacerdotali modo in hoc sacrificio est, ut qui « offert, concurrat ad actionem sacrificandi : non

a Christo prout humanum naturam habente, in qua est sacerdos summus, qui primus consecravit, et ut consecrarent hominibus charactere impresso concessit, nuncque virtutem causae primae defert per nos in materiam consecrandam. Quam secundum considerationem non tamen per formalem actum consecrandi hic et nunc elicitum Christus operatur, sed causativa ejus virtus praesens hoc habet, ut mediante charactere nos in partem adducat sui actus consecrativi olim eliciti. Cum enim in coena Christus dixit : *Hoc est corpus meum*, sermo ejus, qui se per Spiritum aeternum obtulit Deo (*Hebr.*, 9^{14}; cf. supra, Elucid. V), habuit, annexo sermone *hoc facile*, vim quamdam aeternam in aeternum valituram ; quae se nostris dominicorum verborum prolationibus immiscet jugiter, ut iterum in manibus nostris immoletur mystice et vere offeratur Christus, Ecclesiae hostia : quo sensu saepe dixere Doctores sermonem ipsum dominicum esse per os nostrum adhuc operantem[1] : quasi intimationem quamdam a principe profectam et per ministrum promulgatam. Sicut proinde baptizat Christus quidem in nobis baptizantibus : non quod ipse tamen versetur hic et nunc in actione baptizandi, quasi praeter meam baptizandi actionem alia quaedam foret formaliter a Christo procedens : sed una mea est, quae fit in virtute a Christo mihi collata ; sic quidem in nomine et virtute, atque ut dixit S. Paschasius, in sacerdotio ipso Christi consecro ; nec consecrat tamen Christus actione ulla sua consecratoria nova. Et hac praecise usi comparatione inter baptismum et eucharistiam, nostri Doctores elucidaverunt quomodo Christus per quemlibet etiam perditissimum sacerdotem consecret corpus et sanguinem suum, sicut etiam per ethnicum initiat fidelem (lege inter ceteros Algerum. *De Sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 3, c. 2-10. P.L. 180, 833-844). Qua paritate nedum suffulciatur, ut quidam putant, objectio modo facta, immo retunditur atque retorquetur. Tandem lux plenissima fiet ex iis quae infra (Elucid. XXVI) de valore missae disputabuntur, ut oblatione ecclesiastica affecto.

« tamen haec sola ratio per se sufficit, quia ALIA « EST HABITUDO EFFICIENTIS, ALIA OFFERENTIS ; « Deus enim efficit eamdem actionem, et tamen « non offert » (Disp. 77, s. 1, n. 6).

1. Ita imprimis Chrysostomus loco notissimo : « Adest Christus, et qui olim mensam « illam apparavit, ipse hanc nunc apparat. Non « enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, « qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens, « stat sacerdos verba illa proferens ; virtus autem « et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum*, inquit. « Hoc verbum transformat ea quae proposita « sunt. Ac quemadmodum vox illa *Crescite et* « *multiplicamini, et replete terram*, semel quidem « prolata est, omni vero tempore naturae nostrae « vim praebet ad filiorum procreationem ; ita « et VOX HAEC SEMEL PROLATA, in Ecclesiis, « ad unamquamque mensam, AB ILLO AD HODIERNUM TEMPUS, ET USQUE AD ADVENTUM « EJUS, SACRIFICIUM PERFECTUM EFFICIT » (*De proditione Judae*, hom. 1, n. 6. P.G. 49, 380. Cf. hom. 2, n. 6., col. 389-390). Simili ratione S. Joannes Damascenus (*De Fide orthodoxa*, 4, 13. P.G. 94, 1140-1141) atque Samonas Gazensis (*Disceptatio cum Achmed Saraceno*. P.G. 120, 829). Quodsi postea Nicolaus Cabasilas (*Liturg. Expos.* 29. P.G. 150, 428-433) et Symeon Thessalonic. (*Exp. de div. Templo*, c. 88. P.G. 155, 737) perverse hanc comparationem intellexerunt, putantes prolationem dominicam, non mediante nostra prolatione eorumdem verborum, sed mediante epiclesi, operari, nil contra principium a veteribus Patribus enuntiatum sequitur, sed solummodo contra Cabasilae et Symeonis praejudicia. Ceterum perspicue sanctus Thomas dominicae prolationi causalitatem illam principalem vindicat, dum scribit : « Ex prolatione ipsius Christi « haec verba virtutem consecrativam sunt conse- « cuta, a quocumque sacerdote dicantur, ac si « Christus ea praesentialiter proferret » (3 S. 78, 5, c.). Mirifice habitudinem nostrae prolationis ad prolationem dominicam effert Thomas Waldensis (*op. cit.*, tit. 4, c. 38, fol. 92) dum dicit : « Ponuntur verba illa superexcellentis « divinae auctoritatis, alta mentis devotione « promulganda : PROMULGATUR et SEMPER « EFFECTRIX Christi sententia : *Hoc est corpus* « *meum.* » Eo verius dictum, quia ratione talis promulgationis verificatur illud, quod in Canone dicimus, Christum demonstrative de hoc pane et de hoc nostro calice *(accipiens et* HUNC *praeclarum calicem)* locutum esse.

Elucidatio XXIV.

Variis modis peccatur contra rectam sacrificii eucharistici aestimationem, dum aut communio intra elementa constitutiva sacrificii ingeritur, aut censetur Christus nulla in nostro sacrificio affectus proprietate victimali intrinseca, aut per nostram litationem putatur tali proprietate affici.

CAPUT IV.

CONCLUSIO CIRCA VARIAS DE SACRIFICIO MISSAE SENTENTIAS.

Neque in mera commemoratione sacrificii consistit formaliter sacrificium missae, neque tamen praeter commemorationem sacrificii quicquam per missam inducitur quo Christus in se ullatenus mutetur, aut ex non hostia fiat hostia. Sed inde commemorationi accedit ratio veri sacrificii, quod *primo* : in sacramento, quo effigies seu commemoratio passionis exhibetur, continetur ipse Christus relictus ex passione sua in vero statu hostiae per gloriam consummato ; et *secundo* : quod ipsa immolatione sacramentali, per nos iterata, involvitur ac peragitur vera nostra oblatio demonstratae hostiae. Est autem verum sacrificium oblatio sensibilis vera vere immolatae hostiae. Est igitur missa nostra sacrificium verum, quamvis vera, h. e. cruenta, immolatio nulla in ea reperiatur nisi praesuppositive ex parte Judaeorum deicidarum, et terminative ex parte Christi theothyti. Nulla igitur in hostia nostri sacrificii inducitur PER NOS mutatio nisi extrinseca, in hoc consistens quod, ope signi sacramentalis, ex hostia Christi fiat etiam nostra. Fit autem nostra, in quantum, membra Christi cum simus, sub Christo capite innovamus, potestate ab ipso accepta, mysterium eucharisticum, quo, sub specie panis et vini defertur Deo hostia passionis, corpus atque sanguis Christi [1].

1. Ex parte saltem nobis suffragatur vir hisce diebus egregie de theologicis disciplinis meritus, Christianus Pesch, dum scribit : « Facile explicatur quomodo missa sit verum « sacrificium. *Adest hostia,* ipse Christus. *Adest « physica hujus hostiae destructio olim in cruce « facta,* quae in ordine physico diu quidem prae- « teriit, sed IN ORDINE MORALI a missae sacrificio « est inseparabilis. *Adest oblatio sensibilis,* quia « dum vi verborum corpus Christi ponitur « sub una specie et sanguis Christi sub altera « specie, habetur mystica mactatio, per quam « sensibiliter repraesentatur et OFFERTUR PHY- « SICA SANGUINIS CHRISTI EFFUSIO IN CRUCE « FACTA ad Deum colendum et placandum. Ergo « nihil deest, quod ad verum sacrificium re- « quiritur. » (*Praelectiones dogmaticae,* 1896, t. 6, n. 914). Prorsus placet ista expositio, excepto forte quod dubios nos relinquit, in quo fundetur connexio illa quae asseritur *moralis* duntaxat inter missae oblationem et immolationem passionis : utrum in perseverantia vera et reali status cujusdam sacrificalis ex passione oborti in aeternum (qua de re nullum ab auctore fit verbum) ; annon potius in mera habitudine imaginis et memorialis ad exemplar antiquatum ac peremptum : quo casu, non differt revera sententia auctoris ab aliis, quae infra recensebuntur, circa veritatem nostrae hostiae deficientes. Nec dubium tollit, immo auget, quod addit auctor : « Sic etiam soluta est altera illa objectio, quod « non apparet quomodo Christus sit in statu « victimae in altari. Nam est in statu victimae « quatenus physica mactatio, in cruce facta, fit « MORALITER PRAESENS, et Deo pro hominum « salute offertur » (*ibid.,* n. 915). Quibus verbis videtur nulla veri status sacrificalis permanentia signari realis, sed intentionalis tantum. Quae sane non sufficit, ut vera fiat hic et nunc oblatio hostiae hic et nunc verae. At, etiamsi ex illa parte non assentiamur plene, tamen dicendus erit auctor secundum quid accessisse propius quam plerique hujus aetatis scriptores ad genuinam doctrinam antiquitatis. Immo non mihi constat, exclusam esse ab ipso permanentiam illam, quam defendimus, status immolatitii. Quin et fieri potest ut sic sit intellegendus moralis ille nexus, quem ipse adstruxit.

Ex supra dictis inferes, qua de causa, quove gradu displiceant quorumdam sententiae magistrorum, sive hujus aetatis sive superioris, cum circa VERITATEM NOSTRAE OBLATIONIS, tum circa HOSTIAE NOSTRAE PROPRIETATEM.

§ 1. De veritate nostrae oblationis.

Veritati scilicet nostrae oblationis detrahunt profecto, qui, ut Renz (*op. cit.*, 2, 499-503 et passim), SUBLATA OMNI OBLATIONE NOSTRA CORPORIS ET SANGUINIS DOMINICI[1], sacrificium missae consistere demum censent formaliter in parando hominibus atque apponendo convivio de carnibus et cruore crucifixi Christi, in immolatitia specie praesentis ; vel, quod idem est, in donanda hostia crucis statu cibali. Contra hos procedere videtur aperte illud Tridentini : « Si quis dixerit in missa « non offerri Deo verum et proprium sacri« ficium, aut quod offerri non sit aliud « quam nobis Christum ad manducandum « dari, A. S. » (D., [10], 948).

Quanquam alieni prorsus ab isto errore, cum oblationem fortiter adserant, tamen non satis forte Dominicus Sotus[2] atque sequaces ejus, Canus[3] et Bellarminus[4], attenderunt, qualis sit habitudo inter oblationem et receptionem, dum, non totum sane sacrificium, attamen partem ejus constitutivam aliquam, ne dicam praecipuam, reponunt in communione, quasi importante destructionem hostiae, sive symbolicam (Sotus, Canus) sive etiam realem (Bellarminus).

At nequit, vereor, defendi commode talis interpretatio verborum cl[mi] W. J. Kelly (*The Veiled Majesty,* London, 1903, p. 291) : « The « one immolation made on Calvary still conti« nues as an element of sacrifice in the Mass... « To constitute a sacrifice, it is not necessary « that the thing offered in sacrifice should be « there and then put to death, but it is suffi« cient that there should be an oblation to « God of the thing which is about to be immo« lated, or which already had been immolated. « There is no need of actual coexistence, but « ONLY OF A MORAL UNION between the offering « and immolation, and this moral union DE« PENDS UPON THE INTENTION OF THE PRIEST « who offers the sacrifice. » Me piget, quod ista « moralis unio » non possit ex mente auctoris exponi salvans immolatitii status realitatem praesentem, cum ab intentione mea dicatur pendere. Ceterum praemiserat auctor : « The sacri« fice of Calvary was effected once only, and « the Victim of that sacrifice soon CEASED TO « BE A VICTIM » (p. 243). Immo est Christus aeternum quoddam sui sacrificii Theothytum.

Plenissime rem perspexerat, reor, cardinalis Manning, dum scribit : « He [viz. Christ] is « Altar, Victim and Priest, by an eternal conse« cration of Himself... One sacrifice has for « ever redeemed the world, and is offered con« tinually in heaven and on earth : in heaven « by the only Priest, before the Eternal Altar ; « on earth by the multitude and succession « of priests who are one with Him as partakers « of His priesthood. ...This is the argument of « the Epistle to the Hebrews » (*The eternal priesthood*[17], c. 1, n. 2, p. 4.).

Adverto, ex militia reversus, scripsisse interim in sensum fere nostrum, virum amplissimum, cl. Alexium Mariam Lépicier, Ord. Serv. B. M. V. priorem generalem (*De sacrosancto sacrificio eucharistico,* Romae, s. a., post 30 maii 1916, p. 109-115), quatenus defendit Christum a nobis offerri ut occisum in passione. At qualem influxum (eumque physicum) crucis in missam, qualemve formae sacrificalis derivationem in missam ex cruce, ipse (citra perseverantiam immolatitiae Christi conditionis indesinentem) adserat passim, non satis percipio.

Multum illi praecesserat Rev[mus] A. A. Paquet, Decanus Facultatis Theologicae Quebecensis in Universitate Lavallensi (*Disputationes Theologicae seu Commentaria in Summam Theologicam D. Thomae, De Sacramentis,* disp. 8, q. 1, a. 4. Quebeci 1900, p. 458-460).

1. Recte principii instar Canus, in capite omnis disputationis cum protestantibus de sacrificio missae, assumebat, « sacrificium tunc « solum esse, cum res aliqua sacra offertur Deo. « Ubi namque oblatio non est, ibi ne sacrificium « quidem esse potest » (*De locis theologicis*, l. 12, c. 12. Col. Agripp. 1585, fol. 407 b).

2. « Mors autem Christi non repraesentatur « in consecratione ; immo consecratur, ut im« moletur dum consumitur, nam illa est mortis « et sepulturae Christi effigies. Et in sumptione « sanguinis adhibetur imago effusionis ejus. » (4 D. 13, q. 2, a. 1).

3. Mirum praeterea, quod cum communione etiam fractionem putavit Canus pertinere essentialiter ad constituendum sacrificium missae (*op. cit.*, fol. 426 a.). Qua de re infra (Elucid. XXXIV) agetur.

4. « Quod autem [communio sacerdotis] sit « pars essentialis, inde probatur quia in tota ac« tione missae, ut mox ostendemus, nulla est « alia REALIS DESTRUCTIO victimae praeter « istam : requiri autem realem destructionem, « supra probatum est, cum definitionem con« stitueremus » (*De Missa*, l. 1, c. 27).

Quibus accedit cardinalis de Lugo, pro quanto destructioni alicui reali[1] Christi effectae prius per consecrationem addit, tanquam complementum quoddam destructionis (symbolicum?), ipsam communionem [2]. Sed multo magis adnumerandi sunt Salmanticenses, qui nullam Christi immolatitiam proprietatem agnoscunt nisi sitam in destructione praesentiae sacramentalis, per communionem effecta[3].

Quorum omnium positioni, praeter multa alia inconvenientia, id obstat vel maxime quod : per communionem neque offertur, neque immolatur corpus Christi. Et primo quidem non offertur per communionem sed oblatum Deo prius, scilicet per consecrationem, jam recipitur de manibus Dei in cibum nostrum et sanctificationem. Quare sanctus Thomas non solum tenet expresse sacrificium esse ante communionem peractum[4], sed etiam annotat nos non posse pro salute alterius aut profectu communicare[5], quantum saltem est ex parte operis operati[6], quod totum clauditur in fructu sacramentali percipientis ipsius proprio. Ratio autem est in promptu, quia *pro* aliquo compensatio fit per oblationem, atque impetratio per orationem ; sed receptio divini doni, ex se sola, neque oblatio neque oratio est : sicut dare aut petere non est idem ac accipere, sed se habent quasi ex opposito.

Secundo vero, erraverit, si quis dixerit : non offertur quidem Christus Deo per communionem, sed utique immolatur, jam prius oblatus. Offertur quippe consecratione, sed immolandus per communionem. Erraverit, inquam, ille; etenim Christus censeretur immolari per communionem aut realiter in seipso, aut symbolice tantum ratione specierum. Immolaretur realiter in seipso, si destrueretur sive ejus exsistentia in coelo (quod sane tibi placere non potest), sine alia nescio cujusmodi exsistentia ipsius per transsubstantiationem

1. De qua sermo erit infra.
2. *De venerabili eucharistiae sacramento*, disp. 19, sect. 5, n. 68.
3. *De sanctissimo eucharistiae sacramento*, disp. 13, dub. 2, § 3, n. 29-39. Adeatur etiam, et maxime, Gabriel a S. Vincentio, ejusdem Ordinis Carmel. Discalc., (*Tract. de sacramentis*, pars 2, *De sacros. missae sacrif.*, q. 4 ; ed. 1656, p. 579 sq.). Adeo communio totum integrat sacrificium, ut 1° in ipsa communione (exclusa consecratione) consistat oblatio etiam hostiae (p. 587); et 2° idcirco missa praesanctificatorum sit verum sacrificium (p. 583) !
4. 3 S. 83, 4 ; cf. 3 S. 83, 6, 6m.
5. 3 S. 79, 7, 3m.
6. *In Joan.*, 6, lect. 6. « Nec tamen si « laicus sumat hoc sacramentum, prodest aliis « quantum est ex opere operato... Ex quo « patet, quod laici sumentes eucharistiam pro « his qui sunt in purgatorio errant » (cf. Suarez, *De Sacramentis in genere*, disp. 1, sect. 1, n. 6, et *De Euchar.*, disp. 79, sect. 1, n. 4, atque *Commentarius* in 3 S. 79, 7). Quam conclusionem ita (ex nimia benignitate) emollit specietenus cardinalis Billot (*De Ecclesiae Sacramentis*[4], t. 1, p. 539) ut tamen probe corroboret ipse (*ibid.*, p. 604) : « Sane vero quidquid « sumitur, in ipso sumendi actu non offertur, « et vice versa. » Id olim contra Lutheranos defenderant venerabiles auctores *Antididagmatis*, duce Joanne Groppero : « Quod ad per- « ceptionem sacramenti attinet, beatus Joannes « Chrysostomus in cap. 15 prioris epist. ad Co- « rinth. dicit : Quod, quemadmodum unus pro « alio, praesertim mortuo, baptizari non potest, « ita etiam nemo pro alio, mortuo praesertim, « sumere possit corpus et sanguinem Christi, « [hom. 40, n. 1. P.G. 61, 347. Non tamen fidem « facit locus]... Hoc tantum dici forte posset... « quod inter omnia Christi, ut diximus, membra « (hoc est inter sanctos omnes et credentes, qui « ab initio mundi fuerunt, quique sunt modo, « aut venturi sunt usque ad finem mundi) sit « talis quaedam communicatio, qualis est inter « unius corporis membra, quorum hoc bonae « valetudini illius congaudet, et quicquid boni « alicui membro accidit, sit toti reliquo corpori « commune » (fol. LVII b).

Similiter legendus est noster Theophilus Raynaudus, S. J., *De communione pro mortuis* (tractatus a S. C. Indicis recognitus) Opera omnia, Ludg. 1665, t. 6, p. 633-652 ; et *Heteroclita Spiritualia*, sect. 2, punct. 1. t. 15, p. 393-394.

Nihilominus exhortandi sunt fideles, dum subvenire volunt proximo, ut communicent. Etenim, quia perceptione eucharistiae expiamur, ideo et jam minus sumus luendis poenis obnoxii (quod etiam aliis utique vivis eatenus prodest, quatenus debitum poenae meum potest ob unitatem socialem extendi coetui cujus sum membrum), et potissimum ad impetranda bona evadimus aptiores (quod aliis, etiam mortuis, proderit, quibus fausta imprecari satagemus). Praeterea indulgentias lucrari possumus, applicandas defunctis. Attamen non mea communio secundum se directe prodest aliis, sicut prodest aliis directe meum sacrificium missae, mea eleemosyna, mea impetratio, aut si quid ejusmodi.

quasi producta : sed istiusmodi nullam dari probabitur infra (Elucid. L). Diceretur autem immolari symbolice ratione specierum, quatenus, speciebus corruptis, destruitur habitudo, quam habebant, ad Christum designandum et continendum. Sed istiusmodi destructio, cum neutiquam attingat Christum realiter, nunquam poterit dari pro immolatione vera, sed imaginaria aut repraesentativa tantum. At in genere similitudinariae immolationis jam praecessit consecratio sub binis speciebus. Restat igitur ut communio non habeatur pro immolatione, sed, praesupposita immolatione, habeatur pro participatione hostiae.

Praeterea, si oblationi sacerdotali, in consecratione praehabitae, adnectis communionem in ratione immolationis, jam revera tot habebis immolationes, quot fient communiones, non solum sacerdotis, sed et universae plebis (cum intra tum extra missam) : cum ex sese immolatio, ubi dividitur ab oblatione, non sacerdotalem postulet operam potius quam laicalem. Quae erunt nimiae immolationes.

§ 2. De proprietate nostrae hostiae.

Circa conditionem nostrae hostiae peccari potest sive per *excessum*, dum victimari censetur Christus ultra modum; sive per *defectum*, dum ponitur carens reali ac intrinseca proprietate hostiae.

Sectio I. — De peccantibus per excessum.

Per excessum igitur peccare videntur qui, ut Lugo (*De venerabili eucharistiae sacramento*, disp. 19, sect. 5, n. 67-68, et sect. 6, n. 90) atque coaetaneus ejus Raynaudus [1] (*Candelabrum sanctum septilustre divinae mensae illucens*, sect. 3, c. 5, n. 19-23), et post paucos alios [2] novissime tandem cardinalis Franzelin (*De SS. Eucharistiae sacramento et sacrificio*, 1868, p. 265, 379-380, 384, 391), opinantur : Christum per consecrationem poni « in « statu decliviori » (Lugo, Franzelin), subjectum scilicet, non quidem immolationi alicui cruentae novae, attamen minorationi alicui verae, seu deperditioni atque interemptioni non substantiae ipsius, sed aptitudinis proximae ad vitae sensitivae actus exercendos : quippe quia, ait cardinalis Franzelin, « formaliter quatenus « constituitur sub his speciebus, DESINAT « OMNIS ACTUS CONNATURALIS VITAE COR- « POREAE PENDENS A SENSIBUS ; UT NIHIL « SECUNDUM CORPUS POSSIT AGERE CON- « NATURALITER » (*loc. cit.*, p. 380. In edit. 3, p. 403, coll. p. 398-399 et 404). Rursus : « Constituitur ibi PER MODUM REI INANI- « MATAE, quantum pertinet ad connatu- « rales actus vitae sensitivae, qui status « prae statu connaturali est quaedam exi- « nanitio » (*ibid.*, 383). « TALIS EXINA- « NITIO... non solum satis intelligitur ut « VERE ET PROPRIE SACRIFICALIS, sed eti- « am, excepto sacrificio cruento in cruce, « nullam sublimiorem ac profundiorem « rationem veri et proprii sacrificii con- « cipere possumus » (*Ibid.*, 380. Ed. 3, p. 403).

Quaeris quid vitalem sensuum motum impediat in Christo : ecce tibi occurrit responsum : « Ut res fiat evidens, haec ani- « madvertantur : corpus Christi habet « REALITER duplicem diversum modum « existendi, in coelo connaturalem, et al- « terum, quem induit sub speciebus panis « et vini, sacramentalem. Formaliter ut « constituitur in sacramento, non solum « prae nostra perceptione, sed REALITER « ET IN SE IBI CONSTITUITUR MODO INEX- « TENSO, et IDEO citra actus connaturales « vitae corporeae, et citra connaturalem « facultatem ad tales actus » (p. 382).

Nucleum doctrinae breviter cardinalis de Lugo comprehenderat his verbis :

1. Uter utri praecucurrerit non facile est determinare. Videtur alter altero inscio scripsisse.
2. Inter quos computandus est Gonetus, *Clypeus*, pars. 2, tract. 11, disp. 3, art. 3, n. 17. Ed. 6, Lugduni 1681, t. 4, p. 377. Quanquam in *Manuali* aliter, ut infra.

« Licet ipsa consecratione [corpus Christi] non destruatur substantialiter, sed « DESTRUITUR HOMANO MODO, quatenus « accipit statum decliviorem, et talem « quod reddatur INUTILE AD USUS HUMANOS CORPORIS HUMANI » (*loc. cit.*, n. 67).

Raynaudus vero ultimas ex principio trahebat ipse statim consequentias : «In « eucharistia (proh demissionem !) Christus adeo demisit sese, et adeo abjectum « statum elegit, ut citra peculiare miraculum, sit velut truncus vel stipes, NEC « PLUS INTELLIGERE PER SPECIES ACQUISITAS, qui est connaturalis homini intelligendi modus, NEC PLUS, EA COGNITIONE « PRAELUCENTE, VELLE, itemque non plus « sentire aut moveri quoquomodo valeat, « quam si nulla rationali aut sensitiva, « aut motrice facultate polleret... Probo, « quia ad omnes actiones corporeas per « corpus effective causandas, exigitur extensio corporis... Idem est de quibusvis « actionibus corporeis, sive immanentibus, « sive transeuntibus, ac etiam de actionibus quibusvis spiritualibus animae « propriis in statu informationis, nimirum « de actionibus elicibilibus per intellectum « speciebus acquisitis utentem, aut per « voluntatem tali notitia praelucente operantem. Est enim omnium hujusmodi « actionum eadem ratio. Restrinxi tamen « sermonem ad scientiam nixam speciebus « acquisitis :... quia est alligata phantasiae, cujus actio postulat suapte natura « extensionem, cum sit materialis et corporea[1]... Quid adhuc desideramus ad summam Christi abjectionem in Eucharistia, « quandoquidem Christus non secus jacet « quam truncus, aut stipes, quod sane in « cruce non valuit ? Nullis inter ea cruciamenta sensuum functionibus destituebatur... Est ergo hic status Christi « longe miserrimus, et supra ipsam crucis abjectionem, depressus » (*loc. cit.*, Avenione, 1645, p. 225-228). Nihil auctor infert, quod non fluat ex principiis sibi cum Lugone communibus[2]. Sed nonne sequeretur inde, nos pejores esse quam Judaeos deicidas ?... Fatendum tamen istiusmodi opinionem[3] per multorum recentiorum libellos aut sermones esse sparsam.

Sane deturpari adeo Christum, tanto per nos affectum casu, quantum nec Judaei intulerunt, non est quod pietati minus congruum ostendamus. Longe certe a mentibus majorum nostrorum exsulabat

1. Utique, quoad conditionem Christi in eucharistia constituti, idem senserant Suarez (disp. 53, sect. 3, n. 4) et Vasquez (disp. 191, c. 3, n. 28). Sed nullam in hoc victimationem unquam reposuerant.

2. Secundum quid fortasse procedit longius J. de Ulloa (*Theologia Scholastica*, t. 4, disp. 8, n. 8 et 9. Augustae Vindelicorum et Graecii, 1719, p. 290-291), dum non solum vitam, sed ipsum corpus atque sanguinem putat aboleri virtualiter per transsubstantiationem, secundum se consideratam : « Quoties totum « corpus Christi et totus sanguis ponitur respective in uno puncto loci, fit in utroque... id « in cujus sensu composito NEQUEUNT DURARE « VITA, CORPUS et SANGUIS Christi. Haec enim « TRIA, quantum in ipso esset, destrueret ille « qui totum illud sacrosanctum Corpus et Sanguinem conaretur redigere ad longe minus « spatium quam ipsis naturaliter debetur, licet « esset majus quam unum punctum loci. At « quoties Christianus sacerdos consecrat, ponit « respective consecratione ipsa... totum corpus et totum sanguinem Christi... in uno puncto loci... Ergo quoties Sacerdos etc.... Igitur « cum tota difficultas praesens stet in eo quod de « ratione sacrificii sit destruere hostiam,... et « cum haec destructio... sufficienter stet in ipsa « sola consecratione,... si quidem ex vi illius « consecrationis ut per Deum institutae, totum « Corpus et Sanguis totus ponuntur in statu « et coarctatione... in cujus sensu composito « nequit naturaliter durare illa vita... : inde est, « quod in sola consecratione... subsistit tota « ratio et essentia hujus sacrificii incruenti. » Est igitur secundum ipsum consecratio productio quaedam (virtualiter) destructiva producti.

3. Super istud fundamentum vir insignis, Cardinalis Cienfuegos, aedificavit suam singularem sacrificii nostri veluti structuram atque fabricam, quae haec est (*Vita abscondita*, disp. 5, sect. 3, § 1, Romae 1728, p. 359) : Christus in eucharistia, post factam consecrationem, reperitur primo vivens (miraculose quidem) vita sensitiva actuali. Deinde, « postquam aliquos « vitae corporis actus elicuit sub speciebus », ipse Christus hanc vitam suam actualem, « ut « supremus Sacerdos, immolat solus, et simul « offert; quatenus actus vitales miraculose « productos imperio suae voluntatis humanae « suspendat, sive removeat, decernatque non « elicere ulteriorem ullum,... donec per quasi

talis imaginatio, cujus indicium nullum, quod noverim, deprehendi potest genuinum nisi forte apud unum Rupertum Tuitiensem : cujus ceterum doctrina, simul atque innotuit, graviter est notata. Retulerat enim ille hanc contra veritatem corporis et sanguinis Christi, in eucharistia, contenti objectionem : « Sed dicit adversarius : Vivens et sensibilis in corpore suo mobilisque est « Deus et homo Christus. CORPUS AUTEM « SACRIFICII VITAM NON HABET, SENSUM « NON HABET, mobile non est. Hoc assumpto concludit sic : Corpus igitur « Domini non est, Christus non est. » Difficultatem autem videbatur sibi Rupertus enodare hac distinctione : « Obsecro te, « quam in corpore Domini vitam requiris ? Est enim vita animalis, est et « vita spiritualis. ANIMALIS VITA QUINQUE « SENSIBUS FUNGITUR, visu, auditu, gustu, « odoratu et tactu. Haec vita animalis « est, carnalis est, caro est ; Dominus « autem dicit quia *caro non prodest quicquam*... Animalis igitur vita, quia caro « est, si in corpore Domini adesset, nihil « nobis prodesset, ac propter hoc ILLAM « REQUIRERE SUPERFLUUM EST » (*De divinis officiis*, l. 2, c. 9. P.L. 170, 41). Qua responsione adversario certe videtur concedi istud : carere corpus Christi eucharisticum motu suorum sensuum vitali[1]. Quo commotus monstro Gulielmus a Sancto Theodorico statim Rupertum increpavit hisce verbis : « Corpus igi« tur sacrificii non aliud intelligo, quam « quod mortuum est et resurrexit : quod « non corpus sacrificii, sed, sicut vere « est, appellamus corpus Domini... Et « vos corpus illud sacrificii aliquando ap« pellatis corpus Domini. Sed, pace vestra « dixerim, infertis quod, nescio an corpori « sacrificii, sed corpori Domini non con« venit. Nam corpus Domini, imo Domi« num Jesum IN corpore suo, IPSO in« quam CORPORE IN QUO VOBIS PRAESTO « EST IN ALTARI (quod non est aliud quam « quod sedet ad dexteram Patris), MOTUM[2] « et SENSUM habere, et per omnia nostrae « esse naturae, licet alterius gloriae, con« tradicet nullus, nisi insipiens ille qui « dicit in corde suo : *Non est Deus* » (*Epistola ad quemdam monachum qui de corpore et sanguine Domini scripserat*. P.L. 180, 342). Post tria autem saecula, sententia Ruperti, sub nomine Ambrosii, allegata a Wicleff contra veritatem corporis Christi in sacramento, fuit a Thoma Waldensi (*Doctrinale*, t. 2, *De Sacramentis*, c. 31 et 47, fol. 52 et 81) non solum Ambrosio abjudicata, sed etiam simpliciter et absolute reprobata ut haeretica.

Jam audiatur Raynaudus (*loc. cit.* n. 21, p. 226) : « Nihilominus sententia Ru« perti videtur verissima, dummodo intel« legatur de vita in actu secundo, ut nos « facimus. Vitam quippe in actu primo, « etiam sensitivam et vegetantem, non « licet negare Christo in eucharistia : cum « nihil aliud sit quam inexistentia animae « in corpore... Agendo igitur de vita ac« tuali vegetativa, sensitiva et rationali, « qualem per species acquisitas elicere pos« sumus, admitto cum Ruperto eam deesse « Christo in eucharistia. » Hac de causa, reor, cardinalis Franzelin Raynaudum non advocat inter patronos quos enumerat suae sententiae (*op. cit.*, p. 378).

« resurrectionem... in mixtione corporis et « sanguinis ad vivum repraesentatam et imi« tatione quadam exercitam, resumat vitam « actualem. » Sed si forte sacerdos omiserit perficere illam mixtionem, quid sequatur, auctor non indicat. Interim vero utilitatem Epicleseos sic exponit : « Ut quid igitur descensus « ille clamoribus expetitus et toto corde desi« deratus ? Profecto non ad alium finem quam « ad instaurandam vitam actualem Christi « Domini immolatione [praedicta] sacrificatam : « cum Spiritus Sanctus sit proprius vivificator. »

1. Alia tamen interpretatio istius loci proponitur in *Histoire littéraire de la France*, t. 11, p. 555 (cf. P.L. 170, 784) non omnino improbabilis : ut abjudicetur Christo vita sensilis non quoad se, sed quoad nos : « [Rupert] ne « doute nullement que le corps de Jésus-Christ « ne soit vivant dans l'eucharistie ; mais il ne « l'est pas d'une manière qui NOUS soit sensi« ble. » In quo nil nisi catholicum.

2. Motum localem ratione praesentiae eucharisticae sane habet Christus nullum ; sed bene habet in eucharistia motum omnem suarum facultatum vitalem, scilicet eumdem ipsum quem in coelo habet. Cf. infra, Elucid. L.

Interea forsitan Ruperto quis adnumerandum censuerit virum, quem, tacito nomine, commemorat Guibertus Novigentanus, amicum suum, putantem tot fieri Christi mortes crucifixionesque, quot missae celebrarentur (*De pignoribus sanctorum*, l. 2, c. 6. § 1. P.L. 156, 645).

Uno igitur vel altero forte excepto, omnes uno ore clamavere doctores nostri in nullo laedi aut minorari Christum per sacramenti confectionem; at quicquid ad immolationem ibi spectet, in commemoratione esse positum, eaque symbolica, sacrificii crucis. Recole, quaeso, tot doctores supra (Elucid. XIX) recensitos, imprimisque Chrysostomum et sanctum Thomam. Recole quod superius (Elucid. XVIII) tradidere Patres circa illud ἄθυτον ἱερεῖον, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον.

Accedat jam doctoris eucharistici, S. Paschasii Radberti, illibata auctoritas. Visus quidem ille est aliquando ultra limites veri trahere sacrificam nostram actionem, et ad genus usque realis mactationis perducere. Scribebat enim : « Quomodo hostia vocatur [hoc sacramentum] nisi immoletur Christus in eo ? Non « enim immolatio recte dicitur, juxta « proprietatem nominis aut verbi, nisi ET « MACTATIO VICTIMAE consequatur. Attamen in pane isto et vino sacerdos recte « immolare dicitur, quoniam in eo Christus, ut ita fatear, Deo Patri in hac oblatione, ac si hostia pro peccatis nostris, « seu in cibo salutis nostrae, VICTIMATUR. » (*Expositio in Matthaeum*, l. 12, c. 26. P.L. 120, 894). At locutionibus istis *ac si*, *ut ita fatear*, quibus figura sermonis proditur, nonne recte quis conjecerit modificari adeo sermonem, ut mactatio vel victimatio asseratur nulla nisi symbolica? Porro hoc ipsum requirit doctrina alibi ab eodem doctore tradita. In libro enim *De corpore et sanguine Domini* (c. 4, n. 1. P.L. 120, 1278) distinguit ipse qua ex parte insit eucharistiae veritas, qua ex parte figura : veritas scilicet attenditur penes praesentiam corporis Christi ; « FIGURA vero, DUM, sacerdote quasi aliud « exterius gerente, ob recordationem sacrae « passionis, ad aram (quod semel gestum « est) QUOTIDIE AGNUS IMMOLATUR ». Immolatio igitur semel acta realiter in passione, quotidie peragitur figuraliter demum in sacramento. Rursus in decursu ejusdem libri, immolari definit Christum in mysterio (hoc est in symbolo) passionis, quae semel acta, quotidie sit commemoranda[1]. Tandem dubii quicquid fortasse substiterit, tolletur pellecta *Epistola de corpore et sanguine Domini ad Frudegardum* (praesertim, col. 1353-1355), ubi quicquid apud Augustinum sonat realismum, ad praesentiam dominicam flectitur asserendam ; quicquid symbolismum, ad enuntiandam immolationem quam peragimus. Quare iniquam prorsus adversus Paschasium movit (imprudens sane) B. Rabanus Maurus querelam, dum in epistula sua *ad Egilem Prumiensem* (P.L. 112, 1512) hunc illi errorem adscribit : toties Christum pati, quoties missarum sollemnia cele-

1. « Iteratur autem quotidie haec oblatio, « licet Christus, semel passus in carne, per unam « eamdemque mortis passionem semel salvaverit mundum ; ex qua morte idem resurgens « ad vitam, *mors ei ultra non dominabitur* : quia « profecto sapientia Dei Patris necessarium « pro multis causis hoc providit... Ideo quia « quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus « mystice immolatur, et PASSIO CHRISTI IN « MYSTERIO traditur... Corpus et sanguis illius « non infidelium manibus ad perniciem ipsorum « funditur et occiditur, si fidelium ore suam sumitur in salutem : cujus recte figuram agnus « in lege paschalis ostendit, qui, semel populum « de aegyptiaca servitute liberans, in memoriam « ejusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eumdem sanctificare « valebat, donec veniret ipse, cui talis hostia « testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis « in hostiam odoremque suavitatis MYSTERIUM « SUAE PASSIONIS, oblato agno, IN CREATURAM « PANIS VINIQUE TRANSFERRET, *sacerdos* factus « *in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, « *accedens per semetipsum ad interpellandum* « *pro nobis*. Quia ergo redemptor noster hoc « totum quod tempore passionis suae semel « gessit, adhuc usque hodie quotidiana ejusdem « beata passionis commemoratione peragit, hanc « imprimis praecipuam esse causam puto, quare « nos sacrosanctae mortis ejus recordationem, « corpus et sanguinem ipsius quotidie super altaris aram immolantes assidue replicamus » (*ibid.*, c. 9, n. 1-2., col. 1293-1295).

brentur. A quo errore facile est liberatus Paschasius apud Herigerum in scripto *De corpore et sanguine Domini*, (c. 8, inter opera Silvestri II. P.L. 139, 187)[1].

Quid profecto illa aetate intellegeretur per immolationem eucharisticam, mirifice pandit, exorta jam controversia berengariana, Guitmundus Aversanus : « Cum dicimus : in celebratione dominici « corporis CHRISTUS IMMOLATUR, NEMO « CARNALITER HAEC SECUNDUM LITTERAM « DEBET ACCIPERE. Christus enim semel « mortuus, *jam non moritur, mors ei ultra « non dominabitur.* Sed DUM PASSIONEM « EJUS, missas celebrando, MEMORAMUS, « pro nobis OLIM MORTUUS DESIGNATUR » (*De corporis et sanguinis Domini veritate*, l. 2. P.L. 149, 1455).

Haud minus quam Guitmundus institit arcendo a Christo eucharistico defectui cuilibet Algerus, exponens verba Chrysostomi, Ambrosio tunc temporis perperam adscripta : « Videndum autem est, cum « Ambrosius paulo ante dixerit, quia in « Christo semel oblata est hostia ad salu- « tem sempiternam potens, cur (quasi « quotidiana nostra oblatio post illam « semel oblatam veram non esset vera, vel « post illam potentem et sufficientem ad « salutem esset superflua) quaesierit : « quid ergo nos ? nonne per singulos dies « offerimus ? Sed sciendum quia, SI NOSTRA « QUOTIDIANA OBLATIO ALIA ESSET QUAM « ILLA IN CHRISTO SEMEL OBLATA, non « vera ESSET, sed SUPERFLUA. Cum enim « oblatio illa in Christo semel oblata, et « vere sit vera, quia vere vita aeterna, et « sufficiens, ut eam nobis conferat ipsa sola, « quam aliam vitam posset promittere vel « conferre, si esset alia ? Aliam enim obla- « tionem aliam oporteret conferre salu- « tem ; vel ad eamdem, ad quam conferen- « dam sola Christi sufficit oblatio, esset « superflua et vana. Quia ergo impossibile « est aliam conferri salutem, oportet EAM- « DEM ESSE, ILLAM SEMEL OBLATAM ET « NOSTRAM QUOTIDIANAM OBLATIONEM : « UT EADEM SIBI IPSI NON SIT SUPERFLUA, « sed eadem semper sufficiens et semper « necessaria... Ambrosius quasi respon- « dens suae quaestioni ait : offerimus, « sed ad recordationem mortis ejus ; et « una est hostia, non multae, QUIA SEMEL « OBLATUS EST CHRISTUS. Hoc autem sa- « crificium exemplum est illius : idipsum, « semper idipsum... IBI IN VERITATE PAS- « SIONIS, QUA PRO NOBIS OCCISUS EST, HIC « IN FIGURA ET IMITATIONE PASSIONIS « IPSIUS, qua Christus non iterum vere « patitur, sed ipsius verae memoria [*sic « legendum putamus, et non " vere me- « moriae* "] passionis quotidie nobis ite- « ratur... Licet oblatio Christi semel in « cruce sit vera, quotidiana autem in « altari sit FIGURATA, prorsus tamen ea- « dem hic et ibi nostrae salutis est gratia » (*De sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 1, c. 16. P.L. 180, 786-787). Quo loco, cum patenter nomine oblationis intellegat immolationem, vel, ut superius ex Paschasio audiebamus, victimationem, totum quod a nobis agitur circa Christum, redigit ad victimationem symbolicam, vel ut ipse dicit, figuratam :, constans sane suo principio, quod paulo ante, in capite 12 statuerat : « Corpus « Christi tale accipimus in sacramento, « quale post resurrectionem est in seip- « so » (*ibid.*, col. 781). Nec facile in iis quae determinative asserit de corpore et sanguine Christi Algerus est dimittendus, quem optimus judex, Petrus Cluniacensis, comparans cum decessoribus ejus Lanfranco et Guitmundo, sic scribit : « Horum primus de veritate « corporis et sanguinis Christi, quae sa- « cramentorum velamine obtegitur, bene, « plene, perfecte ; sequens melius, ple- « nius, perfectius ; ultimus optime, ple- « nissime, perfectissime disseruit, adeo « ut nihil etiam scrupulosissimo lectori « quaerendum reliquerit » (*Tract. contra Petrobrusianos*. P.L. 189, 788).

Idem deinceps sonabant verba illa Hu-

1. Ceterum ipse S. Paschasius quamdam serenam et pacatam apologiam inseruit suae *Expositioni in Matthaeum*, l. 12. P.L. 120, 891.

gonis Ambianensis, Rotomagensis archiepiscopi (*Contra Haereticos*, l. 1, c. 14. P.L. 192, 1272) : « Factus pro nobis hostia « salutaris... oblatus in cruce Deo Patri, « fideles suos... a peccato redemit... Se- « dens itaque ad dexteram Dei Patris, « seipsum ABSQUE DETRIMENTI PERPES- « SIONE, ABSQUE OMNIMODA DETRITIONE, « donat in altari per officium sacerdotis... « Haec est viva hostia, quam Dominus « noster Jesus Christus et ipse Deo Pa- « tri pro nobis obtulit, et nos more debito « offerre mandavit : *Hoc*, inquit, *fa- « cite*... etc.[1] »

Nec deflexere a principiis Paschasii, Guitmundi, Algeri, sequentes doctores scholastici, quorum antesignanus, Petrus Lombardus haec pronuntiabat : « Quaeritur si quod gerit sacerdos proprie « dicatur sacrificium vel immolatio, et si « Christus quotidie immoletur, vel semel « tantum immolatus sit. Ad hoc breviter « dici potest, illud quod offertur et con- « secratur a sacerdote vocari sacrificium « et oblationem, QUIA MEMORIA EST ET « REPRAESENTATIO VERI SACRIFICII ET « SANCTAE IMMOLATIONIS factae in ara « crucis. Et semel Christus mortuus in « cruce est, ibique immolatus est in se- « metipso ; quotidie autem immolatur in « sacramento[2], quia in sacramento recor- « datio fit illius quod factum est semel. » (*Sentent.*, l. 4, dist. 12, n. 7. P.L. 192, 866).

Verbis distinctioribus, non ita commiscens sacrificium et immolationem, sententiam eamdem effert magister Bandinus in *Sententiarum* suarum libro 4, dist. 12. (P.L. 192, 1097) : « Dicitur autem hoc « sacrificium immolatio Christi. Immola- « tur enim Christus quotidie, NON ESSEN- « TIA SUI, quia semel mortuus est, et jam « non moritur, SED SACRAMENTALI RE- « PRAESENTATIONE. »

Simili sensu, sed sermone acriore, Petrus Pictaviensis in quinto suarum *Sententiarum* libro (c. 13. P.L. 211, 1256) : « Quaeritur, inquit, an sit vera immolatio « quae quotidie fit in altari a sacerdote, « et an quotidie immoletur Christus, quo- « tidie occidatur, et ita non sufficit una « mors Christi. Ad quod dicendum, quod « immolatur Christus in sacramento, et « illa immolatio NON OB ALIUD dicitur « immolatio, NISI QUIA REPRAESENTAT ve- « ram immolationem quae semel facta est, « expansis manibus in cruce. SICUT PIC- « TURA repraesentat id cujus est imago, « et sicut imago nomine rei, quam signi- « ficat, dicitur, ut imago Achillis dicitur « Achilles : ITA immolatio illa nomine « verae immolationis, quae semel facta « est, nuncupatur. »

Rectissime sane illi omnes assecuti sunt sensum Augustini, scribentis ad Bonifacium episcopum : « Ipso die dominico di- « cimus, *Hodie Dominus resurrexit*, cum ex « quo resurrexit tot anni transierint. Cur « nemo tam ineptus est, ut nos ita loquen- « tes arguat esse mentitos, nisi quia istos « dies secundum illorum, quibus haec « gesta sunt, similitudinem nuncupamus : « ut dicatur ipse dies qui non est ipse, « sed revolutione temporis similis ejus ; et « dicatur illo die fieri, propter sacramenti « celebrationem, quod non illa die, sed jam « olim factum est ? Nonne semel immola- « tus est Christus in seipso, et tamen in « sacramento non solum per omnes pas- « chae solemnitates, sed omni die populis « immolatur, nec utique mentitur qui, « interrogatus eum responderit immolari ?

1. « Donat in tempore praesenti sicut ipse « fecit in coena paschali, et fieri mandavit usque in « finem saeculi, hoc est VERUM SACRIFICIUM » (Hugo Ambianensis, *Tractatus de memoria*, l. 1, c. 14. P.L. 192, 1305). Quanquam carens ulla detritione, tamen est verum in eucharistia Christi sacrificium, quia sacrificium seu hostia est ex cruce ad quam se obtulit, ex qua eum accepimus. Cf. supra (Elucid. XX) verba ejusdem Hugonis.

2. Ad illius aetatis terminologiam recte intellegendam, excludendamque aequivocationem, confert advertere quomodo loquatur Petrus Lombardus de fractione : « Potest dici fractio « illa et partitio non in substantia corporis, sed « in forma panis sacramentaliter fieri : ut vera « fractio et partitio sit ibi ; quae non fit in « substantia corporis, sed IN SACRAMENTO, ID « EST, IN SPECIE » (*ibid.*, n. 5, col. 865). Habes igitur quid velit sibi illud *in sacramento*, ut contradistinctum ab hoc altero *in semetipso*. Conferas de fractione Baudinum, loco mox citando, col. 1096.

« Si enim sacramenta quamdam similitu-« dinem earum rerum, quarum sacra-« menta sunt, non haberent, omnino « sacramenta non essent. Ex hac autem « similitudine plerumque etiam ipsarum « rerum nomina accipiunt. » (*Ep*. 98, n. 9. P.L. 33, 363-364.) Utique nonnisi in quodam signo, seu symbolo, seu sacramento immolationis, immolatur quotidie Christus, qui semel suscepit in se immolationis veritatem. Attamen verum est sacrificium nostrum, nec fictum : nam aliud immolatio, aliud sacrificium est. Est siquidem sacrificium oblatio immolatae carnis. Immolata autem est caro Christi in passione ; et, vivens aeterni sacrificii hostia, a nobis offertur, idem agentibus, quod egit ipse Christus, dum carnem suam sacramentaliter cruentavit.

Unde concludere potes nihil esse a sancto Thoma innovatum, nisi quod esset in scholis traditum, cum scriberet : « Celebratio autem hujus sacramenti « imago quaedam est repraesentativa pas-« sionis Christi, quae est vera ejus im-« molatio. Et IDEO celebratio hujus sacra-« menti dicitur Christi immolatio. » (3 S. 83, 1. cf. supra, Elucid. XIX). En veram traditionem Ecclesiae, qua non solum actualis cruentatio Christi, sed etiam alia quaevis detritio, aut diminutio, aut extenuatio, aut immutatio quaelibet, quantumvis incruenta, excluditur, nec retinetur nisi imitatio trucidationis antiquae symbolica.

Aliam affingere Christi immolationem vel minorationem, sicut contrariatur dictis sanctorum, sic et cum incorruptibilitate Christi pugnat, et cum praerogativa divinitus revelata hostiae non solum uni subjacentis victimationi, sed tali quae sufficiat ad repropitiandas omnes omnium saeculorum generationes. Ubi illud in memoriam revocare fas sit, quod tam saepe jam est inculcatum : perire necessariam intrinsecamque missae cum cruce unitatem, si in missa per se sumpta id agatur quo, etiam seclusa cruce, verum subsisteret sacrificium. Est utique missa *intrinsece* atque *absolute* sacrificium, quatenus per has voces excluditur mera effigies seu commemoratio sacrificii, necnon sacrificii mera participatio convivalis aut consummatio extrinseca. Sed adeo est intrinsece et absolute sacrificium, ut tamen non foret, nisi praecessisset sacrificium passionis, ex quo nobis prostat hostia quam offeramus. Quare sub hoc respectu dici debet missa ESSENTIALITER relativum sacrificium, relativum dico ad sacrificium crucis[1].

Contra istam sententiam valet tandem illud, quod una cum Eminentissimo auctore sententiae extreme oppositae, cardinali Billot, confidentissime asserimus, alibi demonstrandum : Christum per transsubstantiationem, nedum in decliviorem statum adducatur, sed ne posse quidem affici ulla mutatione, immo perstare simpliciter et absolute immobilem, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad omnia sibi quovis titulo inhaerentia, e quorum numero sane est dimensio seu statura[2].

1. Nec mirum, quod sub alio et alio respectu possit dici missa simul et absolutum et essentialiter relativum sacrificium : nam et meum *esse* est absolutum, quatenus non sum ens entis, sed in me subsisto; est tamen etiam essentialiter relativum ad *esse* subsistens, quatenus rationem entis non sortitur nisi per habitudinem intrinsecam multimodam ad illud.

2. Has omnes exceptiones redegerat jam in unum compendiolum ante quatuor saecula Matthaeus Galenus Vestcapellius, in suo jam saepe laudato *De sacrificio missae commentario*, c. 7 : « Si glorioso jam Christo et « immortali novam ac cottidianam et tantum « non assiduam affingamus mutationem, non « poterimus non videri eorum approbare erro-« rem qui sacrificio missae peculiarem vim suam « tribuunt, nequaquam ex crucis merito deri-« vatam. Nam ut Christi, triumphantis in ae-« quali cum Patre omnipotentia et reliqua gloria « ac beatitudine, mutatio illa existentiae nobis « constituet sacrificium distinctum a cruce ; « ita suam efficaciam discretam ac diversam ex « se necessum fuerit sortiatur... Quid isti respon-« suri sunt haereticis, qui cum orthodoxa Eccle-« sia hactenus saltem credunt ac contendunt : « crucem Dei esse virtutem, et per ejus unius « stultitiam placuisse illi mundum conservare, « qui per sapientiam se perditum ierat ? Quid « fiet Paulo, non semel unicae Christi oblationi « ac sacrificio crucis omnem gratiam, redemptio-« nem ac salutem ferenti acceptam ?... Quid

Attamen, objiciet quis, negari non potest Christum in sacramento annihilasse semetipsum novo modo atque inenarrabili, cum non solum divinitatem, sed etiam humanitatem absconderit, et sic descenderit quadantenus infra gradum assumptae mortalitatis ad conditionem usque rei inanimis atque irrationabilis, ad conditionem scilicet cibi et potus corporalis. Respondeo : haec vera sunt ; sed pertinent, non ad id quod est, sed ad id quod apparet : id est, se tenent ex parte apparentiarum seu specierum quibus subest Christus ; nequaquam afficiunt Christum in seipso. In eodem ordine proinde continentur ac immolatio symbolica, cui logice consequuntur. Sicut scilicet Christus exhibetur per species quasi mactatus, sic consequenter ratione specierum seu apparentiarum proponitur nobis quasi edulium et poculum quoddam corporaliter secundum. Non enim Christus (quantumvis vere praesens) est esibile aut potabile quid nisi ex parte indumenti symbolici. Igitur per hoc nulla proprietate immolatitia Christus afficitur realiter et intrinsece, sed specietenus tantum[1]. Quare qui contentus fuerit tali proprietate immolatitia in nostra hostia, is jam censebitur peccare, non quidem per excessum, sed utique per defectum, sicut alii theologi qui recensebuntur in sectione II. Interim nos quaerimus, unde Christus habeat conditionem hostiae veram et intrinsecam, nec fictam tantum ex parte effigiei cujusdam alienae. Idemque nobiscum quaerunt Doctores ipsi quibuscum in hac Sectione I rem habuimus. Quare nec ipsi sunt contenti istiusmodi explicatione (vide Franzelin, locis quos supra indicavimus), sed addunt quamdam intrinsecam conditionem declivioorem, quam modo discutiebamus.

Praeterea notes velim, conditionem cibalem respectu nostri consequi logice (ut saepe diximus) ad conditionem victimalem respectu Dei : sicut ratio epuli sacri sequitur ad rationem sacrificii. Praesupponitur igitur ratio sacrificii rationi cibi nostri ; nec proinde per hanc illa constituitur formaliter.

Ceterum satis absurdum foret, ut sacrificium constitueretur *formaliter* per hoc ipsum, quod nobismetipsis praepararemus coenam : cum omne sacrificium debeat consistere in quadam muneratione Dei ex parte nostra, non autem in quadam propria nostri gratificatione. Nec revera res sic habet : sed dapes sacrae nobis veluti redduntur a Deo et proponuntur sumendae, pro quanto demum praeintelleguntur Deo factae per sacrificium sacrae. Praeintellegitur igitur ratio sacrificii rationi edulii vel pabuli nostri. Aliis verbis, ea parte aliquid est sacrificium, qua offertur ; at non ea ratione praecise offertur Deo, qua a nobis deputetur usui nostro ; sed deputatur usibus nostris a Deo, quatenus est Deo oblatum sacrificium et acceptum, cujus nobis elargitur, ut commensalibus, convivalem participationem.

« universis priscis interpretibus relinquetur hic « argumenti adserentibus : missam cum crucis « sacrificio unum, idem, et nequaquam aliud « sacrificium, propter eumdem virtutis fontem ? Denique qui defensuri sunt iidem missae « jugem celebrationem non pugnare cum illa « unica Christi immolatione consummatrice ? « Et (ut semel finiam) quomodo mutatio gloriosi « ac beati non sonet humiliationem quampiam, « et saltem quid inglorium, ipsi viderint » (p. 116-117). Persentiebat is quantae foret difficultatis fidei defensio, si sacrificium missae istis notis et insignibus affectum censeretur.

1. Instabisne Christum dixisse : *Caro mea* VERE *est cibus, et sanguis meus* VERE *est potus* ? Cujus dicti gratia scribit J. B. Sasse (*De Eucharistia*, 1897, tom. 1, p. 542) : « De fide est corpus et sanguinem Christi per consecrationem « VERE et REALITER constitui in statu cibi et « potus ». Quod quidem est verissimum, si modo accipiatur sobrie. Non enim nisi penes apparentias Christus est cibus aut potus corporalis, sed est secundum veritatem alimonia spiritualis. Verum corpus et verus sanguis Christi, realiter in eucharistia praesens, est verus cibus et verus potus animarum, se exhibens oculis per species quasi esset alimonia corporum. Si esset vera alimonia corporum, foret vera exinanitio et realis et intrinseca. Esse autem alimoniam animae, nulla est exinanitio : cum competat idem divinitati ipsi, vero et perfecto pabulo animarum, praesertim beatarum. Restat igitur, ut ratione status cibalis sit Christus exinanitus specietenus, minime autem secundum se.

Praeterea, talis intellectus sacrificii faceret in eucharistia sacrificium absolutum, cujusmodi nimirum consisteret etiam remota passione : quod Patrum praedicationi, a nobis recitatae ad nauseam, contradiceret.

Aliunde Patres, qui pro ista sententia afferuntur (vide apud Franzelin, ed. 3, p. 298 sq.), nihil revera dicunt, nisi quod nobis cum omnibus theologis est (aut esse deberet) commune : scilicet 1° quod Christus pro quanto est (sacramentaliter) immolatus, pro tanto est cibus noster (ita plerique) ; 2° quod ratio cibalis evincit conditionem victimalem (realem), siquidem non foret Christus epulum nostrum in missa, nisi pro nobis esset mortuus (ita inter alios illi quos recitavimus in Elucid. XX), sicut neque in coena fuisset Apostolorum pabulum nisi morti datus (ita Gregorius Nyssenus, laudatus in Elucid. III, sicut Ephraem, aliique nonnulli recitati ab Elucid. III ad VII). Sed revera confutatio illius theoriae invenietur implicita in crisi sententiarum, quas in Sectione II et III enumerabimus.

Sectio II. — De peccantibus per defectum.

Per defectum peccaverint, si qui, praetermissa reali atque perenni conditione Christi in coelis victimali, ad meram contrahant speciem sacramentalem quicquid in Christo eucharistico defenditur immolatitii[1] : sive videatur iis, ut fortasse Vasquezio placuit (in 3 S. d. 222, c. 7 et 8, praesertim n. 68), haec species sacramentalis ex commemorativa sua demum indole conciliare demonstrato Christo proprietatem status sacrificalis; sive, ut sonant verba cardinalis Billot (*De Ecclesiae sacramentis*[4], t. 1, p. 611, 616, cf. p. 568-572), sacrificii species ipsa sacramentalis, etiam seclusa habitudine commemorativa, vim ex sese habeat constituendi sacrificium verum, utique absolutum, dum spectatur ut apta ad significandam internam invisibilemque offerentium ipsorum dedicationem in Dei laudem et cultum.

Cui positioni, nisi ea ratione defendatur quam infra subjiciemus (nescio annon mentibus amborum Doctorum supralaudatorum congruam satis), illud obstat, quod signum realitate vacuum non potest aequiparari realitati ; nec proinde commemoratio aut symbolum sacrificii pro sacrificio haberi potest, si ibi desit vera et intrinseca ratio hostiae. Sacrificium enim omne in oblatione verae hostiae est positum, nec verum erit sacrificium, si desit veritas aut oblationis aut hostiae. Veritas autem hostiae deest, ubi nihil adest immolatitii nisi secundum apparentiam externam alienamque, non autem secundum proprium internumque habitum.

Istud immolationis symbolum non aufert necessitatem alicujus immolatitiae veritatis ; immo infert : siquidem, sublata veritate, signum invenitur mendax. Demonstrat tanquam habitum aliquid quod non habetur : non habetur scilicet conditio immolatitia, neque tanquam praeexsistens, neque tanquam modo accedens, neque tanquam in futurum consequens. Igitur quid nisi simulatio habetur ? Simulas immolatum, qui in veritate expers est immolationis. Simulas sacrificium, ubi sacrificium non est. Utrum talem simulationem facias in commemorationem praeteritae veritatis annon, parvi refert quoad veritatis praesentis defectum. Praesens nulla est veritas, sed veritatis larva.

Quod, ad tuendam sententiam in sua posteriore forma, opponitur : sufficere similitudinariam immolationem per se solam ad subjectandam illam moralem significationem, quae propria est sacrificii respectu nostrae internae invisibilisque

1. Vix operae pretium est notasse, eos, quanquam immolatitiam proprietatem reducant ad meram speciem, non tamen ad meram speciem reducere praesentiam Christi. Immo nonnisi praesupposita praesentia Christi reali, effigies immolationis apud illos inducit per se solam, exclusa immolatitia proprietate, verum sacrificium.

immolationis : id, quamvis subtiliter valde excogitatum, tamen videtur inefficax, cum nequeat mera sacrificationis umbra significationem praedictam referre PER VIAM VERI SACRIFICII[1]. In sacrificio enim omni vero, ut olim dictum est, duo sunt attendenda, quorum unum est *res et signum*, alterum est *res tantum*. *Res tantum* est immolatio nostra interna. *Res et signum* est donatio sensibiliter facta alicujus hostiae aut immolatae, aut actualiter immolationem subeuntis, aut immolandae. Cujusmodi donatio pro tanto est *signum*, pro quanto per eam denotatur interna nostra deditio atque consecratio ; et pro tanto est *res*, pro quanto ipsa, ex seipsa, habet ut sit vera et solida externi cujusdam muneris traditio atque dedicatio. Quod si jam immolationis nullius proprietas subest, nihil sacrificatur, quia nihil aut immolatum aut immolandum datur : quaecumque ceterum praetendatur aut adsit significatio latreutica. Est quidem praeterea in sacrificio eucharistico, ut in dominica coena notavimus, aliquid per modum *signi tantum*, scilicet symbolum immolationis, se tenens ex parte specierum (quibus ex orali designatione accrescit vis significandi divisim corpus et sanguinem Christi). Sed istud immolationis signum foret vacuum realitate, ut diximus, nisi substaret contenta immolatitiae proprietatis veritas. (Nec sane corpori et sanguini Christi, quantumvis praesenti, nemo prudens opinabitur unquam accedere ex illis quae se habent per modum *signi tantum* realem internamque proprietatem rei immolatae vel quomodolibet immutatae.) Oportet igitur omnino ad sacrificii veritatem, ut penes ipsum contentum corpus et sanguinem reperiatur aliquid immolatitii, cui cohaereat nostra oblatio : adeo ut, quae caro Christi jam non offertur ad mortem, saltem ex sua morte offeratur praesens theothytum. Simili ratione hic arguimus, qua olim in coena (Elucid. III) utebamur, sed inverso modo. Ideo, inquiebamus, Christus censendus est in suo sacrificio se offerre ad immolationem cruentam, quia in sola repraesentatione non potest consistere sacrificium. Nunc dicimus : quia Christus jam non offertur immolandus, ideo oportet ut offeratur tanquam hostia immolata.

Ex dictis infertur, nullo prorsus jure vindicari omni cuilibet significationi externae internae nostrae immolationis indolem veri sacrificii, sed uni illi demum significationi cui subsit immolatae cujusdam rei proprietas, faciens *rem et signum*. Unde tandem consequitur, non ex eo provenire alicui rei rationem rei vere sacrificatae, quod ejus occasione significatio quaedam praetendatur latreutica ; sed inde oboriri latreuticam illam significationem, sacrificiorum propriam, et in hoc fundari, quod facta sit oblatio rei vere immolatae. Fert enim significatio sacrificalis, ut mediante aliqua hostia designemur donati. Non igitur est significatione evincenda indoles immolatitia, sed e converso immolatitiae realitati, tanquam praesuppositae atque substratae, debet superstrui significatio. Proindeque ipsa immolatio per se et in se debet stare. Quicquid contra hanc regulam attentaverimus, caveamus ne non tam videamur explicasse sacrificium quam evacuasse.

Habet id etiam incommodi ista sententia, quod, nihilominus quam lugoniana,

1. Potest utique deditio nostra interna significari aliis multis viis praeter viam sacrificii : puta per viam intimationis oralis, dum dico : Deus meus, me consecro tibi. Significatur tunc dedicatio mea ; attamen nullum est sacrificium verum : quia in vero sacrificio significatio ista non fit per viam meri sermonis, sed per viam actionis. Rursus per viam actionis etiam potest sine sacrificio fieri istiusmodi significatio : puta dum coram aliqua imagine Christi positus imitor ritus homagii feudalis principibus terrenis reddi soliti. Deest tunc sacrificium, quia in sacrificiis non qualicumque actione exhiberi debet praedicta significatio, sed actione qua sistatur ante Deum aliqua vera hostia ; siquidem sacrificium est (per prius) oblatio alicujus hostiae, cum adnexo (per posterius) fine essentiali significandi. Pertinet igitur hostiae proprietas ad ipsum substratum sacrificii : sine quo sacrificium nullum erit, quaecumque oboriatur significatio.

statuit sacrificium absolutum ejusmodi quod staret per se, etiam sublato sacrificio crucis. Quo fit ut intereat intrinseca unitas nostri sacrificii cum sacrificio dominico.

Tandem laborat difficultate non tenui sententia, qua admissa, nihil servatur in missa propitiatorii[1], quod stet quidem penes ipsa intrinseca sacrificii elementa, sed tantum aliunde accedens et quasi extrinsecus affixum atque emendicatum ; contra persuasionem (ni fallor) antiquitatis[2] et universi populi christiani : inesse missae ex propriis vim repropitiandi, et non solum impetrandi.

Sectio iii. — De peccantibus utroque simul modo.

Communicant incommodis utriusque sententiae illi qui post auctores, quos tacitis nominibus commemorat Bellarminus (*loc. cit.*, prop. 8ª § *Alii volunt*), tenent cum Lessio (*De perfectionibus divinis*, l. 12, c. 13, n. 97), Pasqualigo (*De sacrif. Nov. Leg.*, q. 43, n. 2, tom. 1, p. 44 ; cf. q. 49, n. 4, p. 54), Goneto[3] (*Manuale Thomistarum*, in 3 S., tract. 4, c. 12, § 2, n. 11 et 12), Billuart (*De almo euchar. sacram.*, diss. 8, a. 2, *Dico* 3º) etc., eatenus importari consecratione sacrificium, quatenus efficiatur hic et nunc quaedam veluti CONDITIONALIS occisio Christi : siquidem, aiunt, verba sacramentalia vi sua separarent corpus a sanguine, nisi quid aliunde obstaret, puta praesens Christi incorruptibilitas. Impingunt, inquam, illi in utriusque adversae partis scopulos. Nam *primo* : fugit eos, una cum lugonianis, transsubstantiationis conceptu formali, nedum importetur, immo excludi, termini inducti mutationem, proindeque et detritionem[4]: *Secundo* : quandoquidem occisio ex conatu quasi irrito consecrationis non sequitur reapse, sed sequeretur tantum, ut aiunt, nisi impediretur, dicendum est, nullum esse inductum in Christum statum hostiae, sed futurum tantum fuisse ut induceretur, si ictus esset efficax. Caret igitur apud eos, sicut et apud posterioris sententiae auctores, Christus statu hostiae vero ; nec verum proinde habetur sacrificium, quod tunc demum haberetur, si hostia vera tractaretur. Conditio enim

1. Propitiationem hic intellegimus proprie dictam, i. e. compensationem offensae ; nec solum improprie dictam, sitam in impetratione mera veniae, comparatae per sacrificium aliud vere propitiatorium ; qualem improprie dictam propitiationem Eminentissimus Billot (*op. cit.*, p. 616-617), missae defendit sollerter. Nos utique non defendimus missae propitiationem aliam a propitiatione passionis ; sed dicimus intrinsece nihilominus competere missae elementum propitiatorium : eo quod in missa deferatur Deo theothytum ipsum passionis perenne.

2. Cujus persuasionis indicia quaedam infra (Elucid. XXV) congerentur.

3. Cui adstipulatur cl. E. Hugon, O. P., in suo libro elegante, qui inscribitur *La Sainte Eucharistie*, Paris, 1916, p. 324-328.

4. Scilicet decipiuntur non parum praefati doctores locutione illa, qua dicitur corpus SOLUM sub speciebus panis poni *vi verborum* (et sub speciebus SOLUM sanguinem). Non enim sensus est quod verba, dum a nobis (vivente Christo) usurpantur, vim haberent ad ponendum corpus solitarie (i. e. sine sanguine aut anima), impeditam aliunde virtute nescio qua superiore ; immo vim habent, ex sua significatione, ponendi corpus, QUALECUMQUE CONTINGIT ESSE. Si igitur est actuatum seu informatum in ratione corporis per animam, verba jam vim habent ponendi animam. Si exsistit per *Esse* Verbi, verba jam vim habent ad inducendam praesentiam Verbi ut actuantis corpus quoad *esse*. Sensus igitur locutionis genuinus, omnino ab illo exclusionis intellectu alienus, is unus est, ut vis verborum non valeat INCONDITIONATE ad aliud quicquam praeter corpus inducendum ; proindeque non valeat inconditionate ad ponendam animam : quia, si Christus ESSET mortuus, corpus in eucharistia jam non informaretur in ratione corporis per animam ; et si solveretur unio hypostatica, jam corpus illud idem in eucharistia cessaret actuari quoad *esse* per Verbum. Sed ex hoc sobrio intellectu minime tandem sequitur, verba habere ex sese (quantumvis relicta sibi) vim ullam inducendi separationem, sed tantummodo, si separatio praeexisteret prolationi, illam non tollendi ; si superveniret, illam non impediendi. Quo nullum adversariorum theoriae sacrificali jam suppeditatur fundamentum. Uno verbo : *vi verborum* ponitur id quod sensus verborum ex suo formali demum infert. Non autem infert ex sese corpus exanime plus quam corpus animatum.

ubi est irrealis, conditionatum etiam irreale sit necesse est[1].

Nos autem deserta istiusmodi via media, in qua omnia inconvenientia extremae utriusque sententiae consociantur atque cumulantur, alteram inimus, a majoribus praemonstratam, qua et vitari scopuli videantur, et si quid aliis sententiis veri insit, id servetur intactum augeaturque. Consentimus scilicet Eminentissimo viro, cardinali Billot, nullam fieri per nos Christi immolationem realem ; consentimus nihilominus cardinali Franzelin requiri in nostro sacrificio, si verum sit, veram hostiae immolatae proprietatem[2]. Interea sacrificium retinemus verum : ea quidem lege, ut ex sacrificio dominico permanserit in Christo proprius intrinsecusque hostiae consummatae status ; quam hostiam penes nos sit offerre Deo consecrantes, ut dictum est.

1. Sed jam in idem irrealitatis inconveniens incidit ipse cardinalis Franzelin (*op. cit.*, p. 387-388) cum Raynaudo (*loc. cit.*, p. 228), quando activitatem vitalem sensuum, vi sacramentalis status impeditam, restitui tamen simul opinantur Christo eucharistico per miraculum novum. Etenim ipsi jam destruunt suum principium (nobis ceterum cum ipsis commune) : oportere ut insit reapse Christo eucharistico status victimalis realis. Nam, ex una parte, statum illum victimalem asserunt esse statum decliviorem ; ex altera parte, statum decliviorem, adjecto miraculo, tollunt. Nullus igitur superest status victimalis, qui esset tantum, nisi intercederet miraculum. Et proinde objectioni jam eidem patent obnoxii, quam contra Lessium movet ipsorum patronus Lugo (disp. 19, s. 4, n. 61) : « Si ictu gladii percuteretur ovis in « sacrificio, Deus tamen miraculose penetraret « gladium cum gutture ovis ita, ut non con« sequeretur abscissio nec vulneratio, vere non « diceretur ovis sacrificata : quia licet de se « ictus sufficeret ad occisionem, re tamen vera « non fuit secuta occisio. Sic etiam contingit « in praesenti. » Praeterea, repugnare prorsus ut Christo, semel supposito inextenso, competat usus facultatis cujusquam organicae, nemo est qui non videat. Nec Deus, etiam per miraculum, absurda facere potest, puta, ut angelus, aut Ipsemet, sentiat.

2. « Identitas rei alibi oblatae vero sacrificio « nihil confert ad veritatem sacrificationis prae« sentis, nisi HIC ET NUNC *inducatur* VERUS « STATUS VICTIMAE, qui sola repraesentatione « sacrificationis alibi factae certe non inducitur. « Sic si Jephte et filia ejus resurgerent, et in « honorem Dei vellent repraesentare sacrificium « olim oblatum, non ideo in tali repraesentatione « ulla esset nota sacrificii, ut recte animadvertit « card. de Lugo, l. c. n. 58. » (Franzelin, *op. cit.*, p. 369). Si loco vocis « inducatur » haberetur vox « adsit », omnino nobis locus probaretur. Ex una siquidem parte, fieri nequit, ut inducatur jam in Christo status verus victimae ; ex altera autem parte, sufficit, ut inductus olim perseveret adhuc : qui cum adsit, licet nobis offerre hostiam vera hic et nunc affectam victimationis proprietate antiqua et perenni.

Elucidatio XXV.

Fructus ex opere operato sacrificii exponitur in quo situs sit, distinguitur a fructu ex opere operato sacramentorum; et ostenditur unde sit finitus.

CAPUT V.

DE FRUCTU SACRIFICII LEGITIMI.

Ubi agetur solum de missa sacerdotis communionem et pacem cum Ecclesia habentis, amandata ad sequens caput quaestione de missa sacerdotis vel exauctorati ab Ecclesia vel ab Ecclesia praecisi.

§ 1. Diffinitur opus operatum sacrificii.

Hic, nomine missae, venit, demptis quibuslibet accidentalibus ritibus, una sacrificalis oblatio corporis et sanguinis Christi. Noscitur autem sacrificii, ut talis, fructus seu efficacia esse in genere impetrationis et propitiationis (cf. Elucid. I). Efficacia impetratoria competit sacrificio ut latreutico atque eucharistico ; efficacia vero propitiatoria, ut piaculari. Propitiatione autem importatur per se compensatio pro malefacto, culpam redimens et supplens poenam. Quae pro quanto culpam redimit, veluti justitia commutativa redintegrata, laesum seu offensum placat, diciturque proinde propriissime propitiatio[1];

1. Enuntiatur diserte ille effectus *proprie dictae propitiationis* a Cypriano, in libro *De lapsis* (c. 16. P.L. 4, 479), insurgente in eos qui post lapsum, nulla facta condigna poenitentia, auderent attingere corpus Christi : « Ante PURGATAM CONSCIENTIAM SACRIFICIO et manu « sacerdotis, ante OFFENSAM PLACATAM INDIGNANTIS DOMINI et minantis, vis infertur corpori et sanguini, et plus modo in Dominum « manibus atque ore delinquunt, quam cum « Dominum negaverunt. » Similiter Serapion Thmuitanus in sua *Anaphora* : « Deprecamur per hoc sacrificium : RECONCILIARE nobis « omnibus et PROPITIARE (καταλλάγηθι πᾶσιν « ἡμῖν καὶ ἱλάσθητι) Deus veritatis.» (F.D. 2, 174). Apud hodiernos Maronitas in *Anaphora ordinis Ecclesiae sanctae catholicae romanae* diaconus his verbis populum ante epiclesim facit attentum : « Spiritus vivus et sanctus de altitudinibus « excelsis coeli volat et descendit et movetur « super HANC EUCHARISTIAM, quae in domo « sanctuarii posita est PRO RECONCILIATIONE « NOSTRA. » Postque commemorationem vivorum et mortuorum, diaconus rursus ad sacerdotem : « Benedic, Domine, iterum et iterum per « hoc sacrificium purum et sanctum, PER HANC « VICTIMAM RECONCILIANTEM, quae Deo Patri « praesentata et sanctificata et adimpleta et « perfecta est, et super quam descendit Spiritus « Sanctus vivens. » Tandemque sacerdos ipse : « [Deus] ASPICE DELICTA, SED ASPICE SIMUL « SACRIFICIUM, quod pro ipsis offertur : quia « multo majus est sacrificium et victima quam « reatus » (Max. Saxon., *Missa Syro-Maronitica*, p. 39, 45, 48). Abundat *Missale romanum* istiusmodi testimoniis. « Haec hostia... « emundet nostra delicta » (*Secreta* Dom. 3 post Epiphan.). « Fragilitatem nostram ab omni « malo purget » (*Secreta* Dom. 4 post Epiphan.). « Suscipe... sacrificium cujus te voluisti dignan- « ter immolatione placari : ...ut hujus operatione « mundati... » etc. (*Secreta* sabbati ante dom. 1 quadrag.). « Per haec sancta commercia vincula « peccatorum nostrorum absolve » (*Secreta* fer. 4 post dom. 2 quadr.). « His sacrificiis peccata « nostra mundentur » (*Secreta* fer. 4 post dom. 4 quadr.). « Oblationibus nostris... placare sus- « ceptis » (*Secreta* sabbati ante dom. passionis). « Haec munera vincula nostrae pravitatis ab- « solvant » (*Secreta* dom. passionis). « A cunctis « nos... reatibus... propitiatus absolve : quos « tanti mysterii tribuis esse consortes » (*Secreta* sabbati ante dom. palmarum), etc., etc.

Vide quam distinguat inter se Hugo Ambianensis, Rotomagensis archiepiscopus, « re- « missionem peccatorum » in fidelibus nondum absolutis, et « expiationem poenarum » in iis qui sunt jam a reatu absoluti. » Deus et homo, « unus Jesus Christus per omnia nobis absque « peccato similis factus, pro nobis hostia salu- « taris, reconciliatio generalis, oblatus in cruce « Deo Patri, fideles suos pariter omnes, tam « defunctos quam viventes a peccato redemit, « A REATU PURGAVIT, A POENA GRATANTER AB-

pro quanto vero poenam supplet, justitiae vindicativae facto satis, judicis seu ultoris gladio aufert locum, proindeque dicitur proprie satisfactio[1]. Quia autem propitiatio, ut latriam et eucharistiam, sic secum fert impetrationem (cf. Elucid. I), sufficiat plerumque brevitatis causa fructum in propitiatione collocare.

Dum igitur disputatio de fructu missae instituitur, nulla movetur quaestio de merito proprie dicto gratiae aut gloriae, quale regulariter debet adesse ex parte actionis oblativae ut informatae caritate (seu ex opere operantis), et cumulus ei convenienter accedit ex communione sacramentali, seu ex opere operato, non quidem sacrificii[2], sed sacramenti. Sed id unum quaeritur, quantam habeat missa vim repropitiandi Deum hominibus.

Nec rursus quaeritur, quanta sit istiusmodi vis ex parte actionis missam offerentium, per se solam spectatae, in quantum est quaedam actio humana, etiam per Spiritum Sanctum principiata ; sed omnino quaeritur, quanta inhaereat missae, praeter solum opus operantium, propitiatoria virtus ex opere operato.

Opus autem operatum constat ex modo dictis non posse in sacrificio accipi eodem prorsus sensu quo in sacramentis. Sacrificium enim non in recipiendo aliquo bono a Deo consistit, sed in offerendo ; sacramentum autem, ut tale, non in offerendo, sed in recipiendo. Passivi sumus respectu

« SOLVIT. Sedens itaque ad dexteram Dei Patris, « seipsum... donat in altari per officium sacerdo- « tis viventibus suis fidelibus IN REMISSIONEM « PECCATORUM ; defunctis sanctis, vel intra « Ecclesiam absolutis, IN EXPIATIONEM POE- « NARUM. » (*Contra haereticos sui temporis*, sive *De Ecclesia et ejus ministris*, l. 1, c. 14. P.L. 192, 172). Indiscriminate Innocentius III : «Per « immolationem hostiae salutaris, dimissis pec- « catis, reconciliamur Altissimo » (*De sacr. alt. myst.*, 6, 5. P.L. 217, 909).

Cui non parum favet Tridentina synodus doctrinae : « Hujus quippe [sacrificii] oblatione « PLACATUS Dominus, gratiam et donum poeni- « tentiae concedens, CRIMINA et PECCATA ETIAM « INGENTIA dimittit. » Non videntur ergo praerogativis tanti sacrificii satisfacere theologi illi plurimi, qui, praeter impetrationem, nullam admittunt ejus virtutem, nisi aut satisfactivam pro poenis peccatorum (utique jam antea remissorum), vel purgativam peccatorum venialium. Quanquam enim non efficienter justificat sacrificium missae, tamen omnino repropitiat peccata, etiam ingentia, necdum dimissa, PLACANS Deum, ut illa, infusa poenitentia et per sacramentorum virtutem gratia collata, nobis condonet.

1. Non sunt nimis dividendi illi varii fructus, quasi possint materialiter, si venia sit verbo, vel mechanice secari atque separari. Supposito scilicet, duo omni ex parte aequalia offerri sacrificia : unum pro homine capaci quidem bonorum impetrandorum, at satisfactionis minime indigo ; alterum pro homine utrumque beneficium requirente : sentiunt quidam, aequalia utrique esse obventura per viam impetrationis bona ; cum tamen uni praeterea accrescat satisfactio, alteri non : unde fiet, ut sacrificium tandem uni plus prosit quam alteri, pejori scilicet quam meliori. Hos latet, cunctas illas modalitates fructus ex sacrificio oriundi contineri sub virtualitate boni respondentis caritati, qua se Christus pro nobis Patri tradidit (cf. Elucid. I et II). Quae sacerdotis et hostiae nostrae caritas fuit fons unus principalis, unde promanavit sacrificio virtus ad omnem necessitatem quamlibet sublevandam, sive debiti erga divinum jus, sive debiti erga divinam ultionem, sive inopiae respectu boni indebiti. Quod si cui igitur minus sub forma aut propitiationis proprie dictae aut satisfactionis est necessarius fructus sacrificii, eo major accrescet per viam impetrationis : omnes suas veluti undas caritate Christi sacrificali (quantamcumque pro nostro modulo captamus) per unius impetrationis valvas volvente. Sicque, e converso, ubi praecipuus sactisfationi est locus, impetrationi autem minimus, ut in missa pro purgantibus animabus oblata, per viam illam unam compensationis satisfactoriae erit actuosa vis nostri sacrificii, tota tamen.

Quae organica est notio fructus sacrificalis, non mechanica aut artificiosa, sed orta ex intestinis rei rationibus. In contrarium legesis eruditam dissertationem cl. Galtier, *La messe en seconde intention* (*Nouvelle Revue théologique*, février 1907, p. 86-87). Interim vero advertas, non esse confundendum fructum missae cum eo unde est fructus. Gratiarum enim actio vel adoratio nullus est respectu hominum fructus ; sed rationat fructum : siquidem eo est fructuosa nobis missa, quod latriam atque eucharistiam Christi exhibet Deo ut nostram ; quo fit, ut ipsa nobis exsistat fons beneficii. Beneficium autem ipsum respectu nostri totum positum est in tripartito illo commodo propitiationis, satisfactionis et impetrationis. Et pro tanto nullus fructus Christo personaliter accrevit per viam sacrificii, quanquam ipse nomine suo omnino et gratias egit et adoravit.

2. Sacrificium, ut patet, hic accipitur active, pro oblatione hostiae. Si enim sumeretur passive pro hostia oblata, non posset contradistingui a sacramento.

sacramenti, activi respectu sacrificii. Agit circa nos Deus in sacramento ; agimus nos erga Deum in sacrificio. Unde sequitur diversitas respectu fructus ex opere operato utrinque oriundi. Fructus enim ex opere operato in sacramento consistit in quadam nostra sanctificatione per Deum effecta ; fructus autem sacrificii, ut saepe diximus, in quadam placatione et conciliatione Dei. Nihil hujusmodi fructus (quantumvis ex opere operato enascens) per se solum ponit in nobis immediate infusi, puta gratiam vel donum ; nihil in natura rerum inducit per modum rei efficienter causatae ; sed intercedit sacrificium per modum causae mere moralis, dum, pia laude Deo reddita, vel justa compensatione exhibita, MISERICORDIAE DIVINAE RECLUDITUR ADITUS AD NOS, sive justificandos, sive custodiendos in bono, atque in melius promovendos. Uno verbo, fructus ex opere operato sacrificii, si qui datur, id unum importare potest, ut sit Deus, intuitu sacrificii, (praeter et supra considerationem nudam nostrae devotionis) PARATUS, et aliquo modo OBLIGATUS, ad impendendam in nos misericordiam suam eo modo qui statui atque conditioni cujusque congruat[1]. Quare de se est operationi sacramentorum praevius, sicut antecessit redemptio nostra, per viam sacrificii a Christo oblati, vivificationi nostrae, per influxum gratiae a Christo nobis conferendae. Quocirca scripsit apostolus : *Mortuus est propter delicta nostra* [propitianda], *et resurrexit propter justificationem nostram* [efficiendam].

Ex dictis constat, quam immerito recentiores theologi (v. g. Suarez, Disp. 79, sect. 2, n. 6 sq.) extra fines *operis operati* amoverint impetrationem sacrificalem ; quasi praeter propitiationem aut satisfactionem nihil posset ex *opere operato* missae sequi. Immo missa eodem modo operatur ut impetratoria quo operatur ut propitiatoria. Est enim sacrificium omne ex sese quaedam pragmatica impetratio (cf. Elucid. I). Fuit igitur Christi sacrificium impetratio pragmatica bonorum indebitorum, non quidem sibi, sed nobis, quos in se portabat. Impetratio autem Christi sacrificalis (quam explicavit oratione sua sacerdotali) efficax apud Deum fuit : nam oblationem a Christo factam se intimavit Deus acceptasse, cum Christum e mortuis suscitavit. Tunc scilicet sancitum est ex parte Dei pactum, vi cujus ad hunc finem valeret hostia Christi, ad quem erat oblata. Efficacem autem illam Christi impetrationem APPROPRIAMUS NOBIS, dum sub ipso offerimus hostiam ejus : quo fit ut, ultra precationem omnem nostram, nostri summi sacerdotis impetratio, rata jam atque exaudita a Deo pro sua reverentia, ascendat PER MANUS NOSTRAS ad coelum, ubi immobiliter nobis comparat bona quaecumque sunt nobis exorata olim a Christo vitam suam pro nobis ponente. Et pro tanto dicitur efficax ex opere operato impetratio sacrificalis per missam facta, pro quanto continet et admovet nobis impetrationem illam dominicam, veluti schedulam quamdam, divinae gloriae sigillo obductam aeterno. Pari igitur jure dicitur missa ex opere operato impetratoria, quo dicitur propitiatoria ex opere operato ; siquidem eodem modo nobis appropriat impetrationem Christi, quo nobis appropriat propitiationem ; nec aliunde propitiatio magis valet quam impetratio ad immediate inducendum quicquam in rerum naturam per viam efficientiae[2].

Quapropter de fructu ex opere operato missae dicturi, per modum unius agemus simul de propitiatione et impetratione : quanquam, ut dictum est, propitiationis potius vocabulo utemur.

1. Ideoque dicitur *ex opere operato*, quia transcendit omne opus sive operantis individui, puta sacerdotis celebrantis, sive etiam operantis collectivi, id est Ecclesiae deferentis.

2. Quod ultro concedit Suarez, de ipsa poenae remissione, extra quam nullum agnoscit effectum ex opere operato sacrificii, haec scribens : « Non « est effectus physicus ac positivus, sed moralis, « quia non consistit in influxu alicujus qualita- « tis, vel entitatis physicae, sed tantum est « moralis condonatio cujusdam debiti, quae « solum moraliter causari potest ; tamen in suo

In perpendenda autem ista utilitate missae, duae veniunt quaestiones solvendae : una, quantum sit missa utilis ; altera, quibus sit utilis.

Prima igitur quaestio est de quantitate fructus : ad quanta scilicet unum certum missae sacrificium valeat compensanda peccata vel bona concilianda.

Altera est de qualitate percipientium fructum : nimirum ad cujusmodi homines valeat oblatio sacrificii repropitiandos.

Circa primam quaestionem examinabitur primo, unde limitetur fructus missae in genere ; et respondebitur quidem, limitari illum per affectum offerentium, quicumque sint. Deinde disputabitur de variorum offerentium interventu in specie.

§ 2. De quantitate propitiationis per missam inductae.

Ex natura missae, hactenus declarata, constabit jam, valorem seu fructum ejus, ratione rei oblatae infinitum, finiri ratione oblationis. Idque quidem ita, ut proportionetur principaliter quidem affectui totius Ecclesiae communiter offerentis, sed etiam, secundario ac cumulative, affectui specialius offerentium.

Sectio i. — De interventu offerentium generaliter spectato.

Principio quidem, plus confert ad repropitiandum Deum sacrificium missae quam fert ex natura sua et conditione noster actus oblativus, sumptus scilicet pro sua intestina ratione satisfactoria et impetrativa. Non quippe ex opere operantium duntaxat valet ad istum finem oblatio sacrificii, sed omnino ratione rei oblatae, qui est Christus, passionis hostia. Ideoque dicitur fructus gigni ex opere operato. Quamvis enim aliqualis, ut infra monstrabitur, requiratur actus operantis, tamen non illi demum coaequatur fructus, sed mirifice praestat : valorem inferente proprium re oblata, ex cujus parte nullus assignari potest propitiandi finis aut limes. Tanti nimirum est illa hostia pretii, ut omnia compenset delicta, nec ullis sit Dei beneficiis impar : siquidem oblata a Christo semel, Deo est rata atque accepta in aeternum pro dignitate ejus, qui datus est, et a quo datus : Christi dico Redemptoris. Quare omnino dicendus est infinitus valor nostri sacrificii ratione rei oblatae. Quod si igitur finitudo accedat, non accedet ex parte rei oblatae, sed aliunde.

Quaerendum ergo venit primo, accedatne finitudo ; quatenus vero affirmative, quaerendum secundo, unde accedat : utrum ex voluntate positiva Dei, veluti missae valorem taxantis : an ex natura rerum intestina. Quatenus vero negative ad primum, affirmative ad secundum, determinandum ulterius est, quid ex intrinsecis missae elementis ferat secum vim finiendi.

Ad primam igitur quaestionem, sitne missa, a certis quibusdam fidelibus oblata, infinitae efficaciae in propitiando et satisfaciendo, nemo videtur respondisse affirmative ; etsi quidam, quos commemorat Suarez (disp. 79, s. 11, n. 1) sic respondisse reputantur, sed immerito, ut infra constabit speciatim de Cajetano. Et re quidem vera ista solutio contrariaretur directe mori Ecclesiae, plures missas solitae in satisfactionem vel unius peccati celebrare (cf. 4 D. 45, q. 2, a. 4, q. 3, ad 2m).

Jam vero ad secundam quaestionem : unde affigatur mensura, quidam respondent eam esse repetendam ex arbitrio divino semel pro semper effectum hujus oblationis taxante. Quibus aperte videtur patrocinari Suarez (disp. 79, s. 11,

« ordine dicetur conferri EX OPERE OPERATO, « SI EX VI SACRIFICII, ULTRA OMNE MERITUM ET « SATISFACTIONEM OPERANTIS, INFALLIBILITER « CONFERATUR NON PONENTI OBICEM » (disp. 79, sect. 1, n. 3; cf. sect. 6, n. 1). Porro impetrat missa ex vi sacrificii, ultra et supra impetratoriam vim omnem, sive nostram sive Ecclesiae, bona infallibiliter conferenda non ponentibus obicem.

n. 5)[1]. Sed haec sunt ut gratis asserta, ita etiam inconvenienter. Nam quod Deus, nemini cum sit ullius boni invidus, ipse coarctet atque minuat valorem operis a nobis in suam laudem et nostrum bonum patrati, id sapientiae divinae non videtur satis congruere[2].

Quare omnino assentiendum videtur S. Thomae, docenti (teste ipso Suarezio, *ibid.*, n. 2) valorem actualem sacrificii non quidem coaequari, sed tamen proportionari ad fervorem offerentium; cujus ratio est, quia « in satisfactione « magis attenditur affectus offerentis « quam quantitas oblationis », id est rei oblatae; unde, « quamvis haec oblatio « [id est : res oblata] ex sui quantitate « sufficiat ad satisfaciendum pro omni « poena, tamen fit satisfactoria illis pro « quibus offertur, vel etiam offerentibus, « secundum gradum suae devotionis, et « non pro tota poena[3] » (3. S. 79, 5. c.; cf. 4. D. 12, 2, 2, 3). Ideoque rationabiliter a Deo petitur ut accepta fiant Deo nostra sacrificia, quamvis iis offeratur corpus et sanguis Christi, immo ut ita fiant accepta, sicut olim fuerunt, in gregibus et fructibus terrae, veterum patrum sacrificia propter intensissimam devotionem, Deo acceptissimam, ut habet idem sanctus Thomas (3. S. 83, 4, 8^m^ et 9^m^).

Cui perfecte consonat Scotus in suo *Quodlibeto XX*. Distinctione enim facta inter efficaciam missae ex opere operantis sacerdotis, et efficaciam ex opere operato (cui nomen dat Scotus efficaciam seu valorem *ex virtute* sacrificii), de hujus alterius quantitate seu mensura inquirit his verbis : « Cui merito correspondet bonum red« dendum virtute sacrificii ? » Quaestionem autem sic solvit : « Dici potest quod non « correspondet praecise bono contento in « eucharistia : illud enim bonum aequale « est, quando eucharistia conservatur in « pyxide, et tamen non tunc aequivalet « Ecclesiae, sicut quando offertur in missa. « ... Ultra ergo bonum contentum in eu« charistia REQUIRITUR OBLATIO eucha« ristiae. ISTA NON EST ACCEPTA NISI SIT « OFFERENTIS ACCEPTI... Ex istis patet « quod sicut eucharistia NON PRAECISE « RATIONE REI CONTENTAE PLENE ACCEP« TATUR, sed oportet quod sit oblata, sic « nec plene acceptatur oblata, nisi ratione « bonae VOLUNTATIS ALICUJUS OFFEREN« TIS ». Haec Scotus.

Patet ergo, missam ex re contenta et oblata valere longe quidem supra nostrae actionis oblativae bonitatem et dignitatem propriam, attamen secundum quamdam proportionem ad ipsam, sicut sacramenta ex opere operato sanctificant cum proportione ad dispositiones. Adest quasi fons inexhaustus hostia passionis, scaturiens propitiatione quam quisque sibi pro suo captu admoveat exhibendam Deo tanquam suam.

1. In quo sibi constat : dum, admissa iteratione dominicae oblationis, de qua supra (Elucid. XXIII), non solum ex parte rei oblatae, sed ne ex parte quidem offerentis, missa censetur finiri. Deficiente autem ratione intrinseca finitudinis, nihil restat, nisi ut finitudo ab extrinseco Dei decreto inducatur.

2. Ceterum in operibus Dei, quantumvis utique finitis, nunquam limes adest ratione Dei, qui, actus cum sit, profundit actum; sed ratione potentiae, qua capitur actus. Nec aliud est Deo potentiam creare, quam actum elargiri : puta non est aliud facere id quod est, quam facere ut sit, seu dare *esse*. Certe me juvat, quod Venerabilis Pater noster Lancicius (*De meditationibus rerum divinarum recte peragendis praesertim in recollectione octiduana*, cap. 6. Ed. Cracov., 1883, p. 86) approbatione sua suum facit hoc principium, quod recitat ex commentatione *De divinis moribus* perperam quidem S. Thomae adscripta, at nihilominus eximia : « Deum crea« turis communicare quicquid communicabile « et ab eis receptibile est. Etiam singulis mo« mentis communicat, cum habilitatem invenit » (vide inter opuscula S. Thomae, ed. Parm., opusc. 55, tom. 17, p. 286).

3. Quare generaliter omnino sanctus Thomas alibi (*in Psalm.* 19) : « Qui plus devote sa« crificium offert, magis est acceptum : quantum« cumque sit illud. » Bellarminus optime totam rem exponit, defendens, « ad sacrificium « missae, licet non sit necessaria bonitas ministri « offerentis, tamen alicujus offerentis bonitatem « necessario requiri... Neque obstat, quod in « sacrificio missae res ipsa, quae offertur, ex se « Deo gratissima est. Nam non res illa, sed rei « illius oblatio proprie sacrificium est ; sacrifi« cium enim est actio, non res permanens. Porro « LICET RES PLACEAT EX SE, TAMEN OBLATIO REI « NON PLACET, NISI OFFERENS PLACEAT, AC

Jam ergo venit quaerendum, quorumnam offerentium devotione finiri censendus sit temperarive missae valor : aliis verbis, quinam, quove gradu, veniant, quantum ad istum effectum, sub nomine offerentium. Aliter enim alii computantur inter offerentes. Offert siquidem universa Ecclesia, ut saepe dictum est, et mox constabit. Offert sacerdos, legitimus Ecclesiae publicusque minister. Offerunt fideles ea comparantes, ex quibus et materia sacrificii consecrari queat, et sustentari sacerdotes aliique, quibus fas sit de altari vivere. Offerunt tandem fideles adstantes sacrificio. Porro horum omnium devotio et fervor[1] concurrit ad valorem definiendum, sed non eodem modo.

« PRAESERTIM DEO, QUI NULLA RE INDIGET... « Quamvis ceteris paribus gratior sit oblatio rei « praestantioris, et proinde gratissima oblatio « corporis Domini, rei videlicet omnium praes- « tantissimae » (Bellarminus, *De Missa*, l. 2, c. 4). Conferatur cum Irenaeo infra citando.

1. Bellarminus : « Observandum totam « quidem Ecclesiam offerre omnia sacrificia, « quae a sacerdotibus omnibus offeruntur, sed « non eodem modo. Nam aliqui solum habitua- « liter offerunt, qui nimirum absunt, neque de « sacrificio cogitant, sed tamen habitualiter cu- « piunt offerri; aliqui offerunt actu, qui nimi- « rum intersunt sacro, et actuali desiderio offe- « runt; aliqui praeterea offerunt etiam causaliter, « quia causa sunt ut sacrificium fiat... Denique « minister ipse offert, ut sacerdos verus, sed mi- « nisterialis » (*De Missa*, l. 2, c. 4). Similia reliqui theologi.

Elucidatio XXVI.

Praecipuum locum in offerendo obtinet Ecclesia, atque in valore sacrificii regulando Ecclesiae devotio.

Et primo quidem adstantium potuit esse devotio nulla, immo adstantes nulli ; potuit ipsorum sacrificium procurantium, potuit ipsius sacerdotis litantis devotio deficere (cogita potissimum casum quo sacerdos in peccato exsistens offert, non de alienis, sed de suis bonis sacrificium) : manet etiam tunc devotio Ecclesiae, quae in offerendo principalem locum tenet[1], et acceptabilitatem conciliat *oblationi* hostiae indefectibilem. Eatenus enim dicti sumus deferre Deo hostiam corporis et sanguinis Christi, quatenus, de corpore ejus cum simus, incorporat Dominus oblationi suae nostram. Nisi videlicet capiti nostro coadunaremur, non possemus ejus donum tanquam nostrum Deo exhibere. Qui autem offert in quantum est de corpore Christi, is non ut suam demum propriam offert hostiam, sed ut communem totius corporis ecclesiastici. Unde fit ut nullum sacrificium vere deferatur Deo unquam nisi ex parte totius Ecclesiae. Nunquam igitur est privatum sacerdotis sacrificium, sed publicum Ecclesiae, cujus sacerdos est legitimus minister (*Trid.*, sess. 22, cap. 6, D. 944) ; adeo ut « AB ECCLESIA per sa- « cerdotes [sit] immolandum » illud Pascha nostrae salutis (*ibid.*, cap. 1, D. 938).

Objicies fortasse : ex una parte, sacerdotem non consecrare ut vicarium Ecclesiae, sed ut vicarium Dei ; ex altera parte, consecrationem et oblationem non esse duas actiones, sed unam : consecratio siquidem est oblativa, et oblatio consecrativa, adeo ut, si quis vellet consecrare et tamen OMNINO[2] nollet offerre, is nil efficeret, carens intentione faciendi id quod facit Ecclesia, et est a Christo institutum[3]. Ex quibus duobus assumptis videtur fluere consectarium : nequaquam sacerdotem offerre ut vicarium Ecclesiae, nec proinde ullatenus Ecclesiam offerre per sacerdotem.

Cui objecto respondetur consecrationem et oblationem, quanquam sint una actio subjecto, esse tamen duas actiones ratione (Suarez, disp. 76, sect. 3, n. 7). Etenim potuisset, si Deus vellet, insti-

1. Cum hic dicimus, Ecclesiam esse principaliter offerentem, accipi jam illud debet sub lumine eorum quae disputata sunt in Elucidatione XXIII de habitudine Christi ad nostras oblationes. Est utique Christus principalis oblator suo modo eminentiore per virtutem suae oblationis unius nec iterabilis. Ecclesia principalem locum tenet inter eos qui NOVITER offerunt in singulis sacrificiis. Porro de his est quaestio unice, ubi jam inquiritur de finitudine fructus rationanda : ut constat ex Elucidatione XXV.

Cum igitur loquemur infra de sacerdote ut ministro Ecclesiae, hoc non erit sane per exclusionem alterius considerationis secundum quam est Christi minister. Sed ejus ministerium respectu Christi, se habet secundum instrumentalem potestatem a Christo semel litante derivatam. Ministerium autem respectu Ecclesiae attenditur quantum ad munus procuratoris pro Ecclesia indesinenter supplicante et offerente. Quare hoc alterum ministerium (si cohaerere velimus principiis in Elucidatione XXIV et XXV vindicatis) unum est considerandum in quaestione, ad quam mensuram finiatur fructus missae.

2. Qui casus, ut notatur apud Suarezium, disp. 76, sect. 3, n. 7, potuit esse aliquando sacerdotum errore lutherano infectorum, quo ita retinetur praesentia dominica in sacramento, ut negetur ecclesiastica sacrificatio.

3. Principium admittit Suarez implicite, dum dicit : « Ex institutione Christi haec conse- « cratio et oblatio sacrificii ita sunt necessario « conjuncta, ut, posita una, non possit minister « voluntate seu intentione sua aliam auferre » (disp. 76, s. 3, n. 7). Explicite autem, sicut et verissime, post Lugonem (disp. 19, n. 103), Salmanticenses : « Si... nollet agere secun- « dum intentionem Ecclesiae, sed sistere in « consecratione sola materiae, nullatenus sacri- « ficando, vel offerendo sacrificium, tunc, sicut « non sacrificaret, nec offerret sacrificium, sic « etiam non consecraret : nam consecratio hujus « sacramenti est essentialiter sacrificatio sive « oblatio sacrificii... : quare qui simpliciter non « vult sacrificare, convincitur nolle simpliciter « consecrare : atque ideo neutrum efficiet » (disp. 13, dub. 2, § 2, n. 28). Vide etiam ea quae habet in hunc sensum Raphael Aversa a Sanseverino, Theat., *De Eucharistiae sacramento et sacrificio*, q. XI, sect. 1, Bononiae, 1642, p. 229-230. Cf. illa quae infra dicentur (Elucid. XXXIII et XXXV).

tui consecratio non oblativa, et oblatio non consecrativa. Quare fit, ut secundum duos qui ei insunt respectus, suscipiat actio una praedicata valde diversa, ordinem dicentia ad diversos terminos et diversa principia : consecratione enim mutatur panis in corpus Christi a Deo; oblatione autem sistitur Deo corpus Christi hostia ab hominibus[1]. Et sic sacerdos facit consecrationem nomine et potestate omnipotentis Dei; facit tamen oblationem suo atque omnium nomine fidelium. Ut instrumentum Dei consecrat, offert autem ut procurator Ecclesiae; ut habet Gulielmus Parisiensis, scribens : « Causa autem totius Ecclesiae « in missa agitur, scilicet coram Deo « Patre, tanquam per procuratorem sa« cerdotem » (*De Sacram. Euchar.*, c. 2, t. 1, p. 435). Unde apparet, quomodo per sacerdotem offerat reapse Ecclesia, ut idem Gulielmus habet alio loco : « Sacerdos in altari se gerit ut ministrum « et gestorem alieni negotii, videlicet ne« gotii ipsius Ecclesiae ; personam etiam « et vocem, seu verba gerit Ecclesiae : ILLE « AUTEM AGIT NEGOTIUM, CUJUS NOMINE « AGITUR » (*De Sacram. Ordinis*, c. 5, t. 1, p. 538).

Quam quidem veritatem nemo fere ex iis qui inter veteres missam exposuerunt omisit inculcare. Inter alios Remigius Antissidorensis (*De divinis officiis*. P.L. 101, 1258) : « Fideliter considerandum « est quod tota Ecclesia Deo offerat illud « sacrificium laudis » ; at ceteris dilucidius et uberius sanctus Petrus Damianus, cujus sufficiat haec vox : « Hinc est enim « quod in ipsa celebratione missarum, « cui dicitur : *Memento, Domine, famulo« rum famularumque tuarum*, paulo post « subditur : *Pro quibus tibi offerimus*, « *vel qui tibi offerunt hoc sacrificium lau« dis*. In quibus verbis patenter ostenditur « quod A CUNCTIS FIDELIBUS, NON SOLUM « VIRIS, SED ET MULIERIBUS, SACRIFI« CIUM ILLUD LAUDIS OFFERTUR, licet ab « uno specialiter offerri sacerdote videa« tur ; quia quod ille Deo offerendo mani« bus tractat, hoc multitudo fidelium in« tenta mentium devotione commendat. « Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur : « *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae* « *sed et cunctae familiae tuae, quaesumus* « *ut placatus accipias*. Quibus verbis luce « clarius constat quia SACRIFICIUM, QUOD « A SACERDOTE SACRIS ALTARIBUS IM« PONITUR, A CUNCTA DEI FAMILIA GENE« RALITER OFFERATUR » (*Liber qui appellatur Dominus Vobiscum*, c. 8. P.L. 145, 237-238). Sed evidentius certe id sonant haec verba : « Tibi offerimus... una cum « famulo tuo Papa nostro et antistite « nostro et OMNIBUS ORTHODOXIS ATQUE « CATHOLICAE ET APOSTOLICAE FIDEI CUL« TORIBUS. »

Quantum ad communem illam generalemque oblationem tota Ecclesia est sacerdotalis : *Regale sacerdotium (I Petr.*, 2[9]*)* omnes nos, quos fecit Christus Deo *regnum et sacerdotes* (*Apocal.*, 1[6] et 5[10]). Character enim baptismalis est participatio sacerdotalis potestatis qua Christus se Deo devovit hostiam ; omnisque fidelis, Christo in Ecclesia conjunctus, voto saltem habituali se conformat Christo in reddenda Deo hostia unica salutis, extra cujus latriam nullus nobis stillat fons propitiationis[2]. Quare Ecclesia in quadam Secreta : « HIS SACRIFICIIS, quaesumus, Domine,

1. Unde explicatur, qualiter a multis theologis dicatur consecratio una, et oblatio multiplex, in missa a pluribus sacerdotibus concelebrata. Quanquam rectius dicetur ipsa oblatio esse formaliter una, tanquam unius collegii una actio collectiva, quanquam est virtualiter seu aequivalenter multiplex.

2. Ad hunc sensum interpretandus, si genuinus est, locus Irenaei in 4 *Adv. Haer.*, 8, 3 : « Omnes enim justi sacerdotalem habent ordi« nem » ; vel etiam dictum Hieronymi (*Dial. contra Luciferianos*, c. 4. P.L. 23, 158) : « Sacer« dotium laici, id est, baptisma » ; at maxime Augustini illud : « Omnes [christianos dici« mus] sacerdotes, quoniam membra sunt unius « sacerdotis » (*Civit. Dei*. 20, 10. P.L. 41, 676). Inter Graecos vero Chrysostomus similiter *in Homil*. 3 in 2 *Cor*. (P.G. 61, 417) : « Et tu « efficeris in baptismo sacerdos. » Quomodo juxta ipsum eo efficiamur in baptismo sacerdotes, quod litemus nosmetipsos una cum immolato Christo, vide infra, Elucid. XLVI, ubi integer locus recitatur.

« anima famulae tuae a peccatis omnibus « exuatur, SINE QUIBUS A CULPA NEMO « LIBER EXSTITIT » (*Missale romanum*, inter orationes diversas pro defunctis, 6, pro una defuncta). Quare rursus supralaudatus Remigius Antissiodorensis scribebat : « Quod enim adimpletur « proprie ministerio sacerdotum, hoc gene« raliter agitur fide et devotione cuncto« rum. » Pariterque S. Petrus Damianus (?) : « Populus agit voto, sacerdotes « peragunt mysterio » (*Expos. canon. missae.* P.L. 145, 885) ; atque tandem Innocentius III consonanter : « Non « solum offerunt sacerdotes, sed et uni« versi fideles. Nam quod specialiter « adimpletur ministerio sacerdotum, hoc « universaliter agitur voto fidelium » (*De sacr. Altar. Myst.* l. 3, c. 6. P.L. 217, 845)[1].

Noli tamen putare, secundum illud *votum* esse mere internam oblationem communem fidelium : quo casu ne inchoative quidem pertineret ad ordinem proprie dicti sacrificii. Immo est externa dupliciter. Primo quidem et principaliter, ratione publicae initiationis, qua in baptismo facta ordinatur omnis fidelis ad offerendum per ministerium sacerdotum sacrificium Ecclesiae; atque ratione ordinationis sacerdotalis, qua publice deputatur quivis presbyter ad deferendum sacrificium ex parte omnium fidelium. Secundo autem, ratione liturgicarum formularum, quibus haec communitas oblationis exprimitur. Isti suo officio atque muneri omnis fidelis consentit interne per votum supradictum, quod perfectum continetur in caritate, imperfectum in fide informi. Quo voto vel consensu nihil rati habetur, nisi quod per se importat publica christiani cultus professio. Professioni autem non addit istud votum nisi ut sit sincera ; sicut in collatione sacramentorum ministri intentio addit ritui externo sinceritatem, sine qua ritus caret sua efficacia. Vere igitur fideles, secundum votum seu propositum praedictum, exsistunt sacrificii omnis oblatores.

Alia via potest comprobari interventus universae Ecclesiae. Sacrificio enim visibili sacrificium invisibile perhibetur. Per hostiam igitur corporis Christi designatur oblatio invisibilis membrorum Christi in terris conversantium, Ecclesiae scilicet militantis (ad quam pertinet adhuc in actu esse litandi). Sicut quippe corpus ecclesiasticum est *res* sacramenti eucharistiae, sic ejusdem corporis oblatio et dedicatio est propria *res* sacrificii eucharistici. Est

1. Huc aptari debet, quod scribit Lugo de vi impetratoria sacrificii per ministerium sacerdotis, in cujus legationem censetur consentire omnis fidelis : « Fideles... per eamdem volunta« tem qua volunt esse Ecclesiae membra et « vivere ejus legibus, volunt etiam implicite « ratum habere quidquid ab Ecclesiae praelatis « omnium fidelium nomine ad communem « utilitatem factum est, et per consequens ratam « habent designationem oratorum et ministro« rum factam ad communem omnium causam « apud Deum perorandam. Potest ergo Deus ac« ceptare has preces tanquam preces singulorum « fidelium, qui nunc sunt, et eas per suum ora« torem Deo offerunt » (Disp. 19, s. 9, n. 127). Nota illam pulchram locutionem Lugonis : sacerdos est *orator* fidelium. Sexto decimo saeculo quidam Gerardius Lorichius Hadamarius, vir aliunde parum cautus, istud utique bene notaverat : « Missam audire, est sacerdoti « sacrificanti, h. e. vota Ecclesiae Deo offerenti, « consensum praebere... Sacerdos siquidem, « tanquam os ECCLESIAE, omnium circumstan« tium vice, cum de morte Christi gratias Deo « exsolvit, tum vota fidelium Deo commendat. » (*De missa publica proroganda raccmationum libri tres*, 1536, l. 1, c. 5, fol. F 2. Cf. F 5 : « os est « populi. ») Apud veteres Syros, cujuscumque persuasionis essent, jacobiticae aut nestorianae, trita erat comparatio fere similis inter sacerdotem litantem et linguam corporis ecclesiastici. Sic, quinto saeculo, Narsai, discipulus Ibae Edesseni, Nisibenae scholae institutor, in sua *Mysteriorum Expositione*, quam anglice versam edidit R. H. Connolly (T. a. S., vol. 8, n. 1, *The liturgical homilies of Narsai*, p. 12) haec habet : « The bright (— robed) priest, THE TON« GUE OF THE CHURCH, opens his MOUTH [!] and « speaks in secret with God as a familiar. » Metaphora magis cohaerente, Gregorius, Arabum episcopus († 724), vir « admodum eruditus « et in omni literatura versatus » (Hurter), in sua pariter *Mysteriorum expositione*, edita anglice ab R. H. Connolly et H. W. Codrington (*Two Commentaries on the Jacobite Liturgy*, Oxford, 1913, p. 16-17), notat : « THE PRIEST... « IS THE TONGUE WHICH IS IN THE HEAD OF THE « ECCLESIASTICAL BODY. » Idem deinceps promit Moses Bar Kepha (IX s.), in sua *Explanatione Mysteriorum Oblationis* (*ibid.*, p. 35).

autem totius Ecclesiae totam offerre Ecclesiam. Ergo non constabit sacrificatio nisi peracta et in nomine et ex parte totius Ecclesiae[1]. Quo pertinet inter alia multa dicta Augustini (de quibus vide supra, Elucid. XIX) illud *ad Paulinum* (Ep. 149, c. 16), quo vox Apostoli (*I Tim.*, 2[1]), προσευχάς, exponitur de canone missae : « Ea proprie intelligenda est oratio quam « facimus ad votum, πρὸς εὐχήν. Voveн« tur autem omnia quae offeruntur Deo, « maxime SANCTI ALTARIS OBLATIO. QUO « SACRAMENTO PRAEDICATUR NOSTRUM « ILLUD VOTUM MAXIMUM, QUO NOS VO« VIMUS IN CHRISTO ESSE MANSUROS, « UTIQUE IN COMPAGE CORPORIS CHRISTI. « Cujus rei sacramentum est quod *unus* « *panis unum corpus multi sumus.* »

Quae cum ita sint, manet semper respectu omnis sacrificii intra Ecclesiam oblati, deficiente quavis alia particulari, communis tamen devotio Ecclesiae, qua commendatur semper sacrificii oblatio, et acceptabilitas in tuto collocatur. Immo, sicut universalior, ita principalior est influxus ille totius Ecclesiae, cujus ceteri quicumque offerunt (ut ministri vel administri) organa vel membra censentur. Et inde est, quod perditissimi etiam sacerdotis sacrificium acceptabile est apud Deum, Patrem Domini Nostri Jesu Christi, Ecclesiae sponsi, cui cum sit conjugata, Ecclesia offert munda hostiam mundam : corpus sui capitis, et caput sui corporis. Hoc videtur intimasse Irenaeus, cum scriberet : « Non sacrificia « sanctificant hominem,... sed conscientia « ejus qui offert sanctificat sacrificium, « pura exsistens, et praestat acceptare « Deum quasi ab amico. *Peccator autem,* « inquit, *qui occidit mihi vitulum, quasi* « *occidat canem*. QUONIAM IGITUR CUM « SIMPLICITATE ECCLESIA OFFERT, JUSTE « MUNUS EJUS PURUM SACRIFICIUM APUD « DEUM DEPUTATUM EST » (*Adv. Haer.*, 4, 18, 3-4. P.G. 7, 1026). Recte igitur Scotus, postquam exclusit iteratam Christi litationem, haec subjungit : « Sic ergo « patet, quod Eucharistia oblata accepta« tur non ratione voluntatis Christi ut « immediate offerentis ; ratione ergo vo« luntatis Ecclesiae generalis : illa autem « habet rationem meriti finitam » (*loc. cit.*)[2]. Sic proinde, oblata ex parte Ecclesiae, missa omnis actu est propitiatoria ex opere operato secundum proportionem quamdam ad praesentis Ecclesiae catholicae habitualem devotionem.

Habitualis autem Ecclesiae devotio non est augmenti aut decrementi impatiens. Nunquam sane vanescet, cum Ecclesia Spiritum, quem accepit, sanctitatis nunquam sit amissura : sed tamen potest aliis temporibus esse minor, aliis major. Quo autem erit major, eo erit Ecclesiae oblatio acceptabilior ; et fructus ex opere operato

1. Ex dictis hactenus inferas, non posse consecrari valide ab eo qui excludat praevalenter intentionem offerendi ex parte Ecclesiae : siquidem eo ipso excludit implicite intentionem sacrificandi. Sine intentione autem sacrificandi non consecratur, ut dictum est.

2. Scoti discipulus insignis, Gabriel Biel, hanc doctrinam apprime expressit : « Quamvis « enim sacerdos malus sit, neque in se habeat « ut sacrificium possit Deo placere, ab eoque in « ordine ad spiritualia bona conferenda accep« tari ; quia tamen nuncius et procurator est « Ecclesiae Deo dilectae in hac oblatione, quae « ex officio sibi incumbit, respicit Deus ad Eccle« siam principaliter offerentem et petentem, « non obstante malitia nuncii offerentis. Et si « per impossibile in Ecclesia tota militante « nullus esset Deo acceptus, obsecratio hujus « sacrificii nihil a Deo impetraret in ratione « oblationis : quia sic nullus esset in Ecclesia « offerens et petens sibi gratus, unde oblatio « illa posset esse sibi grata, placita et accepta, « in quantum oblatio sacrificii efficaciam habet « ex merito Ecclesiae offerentis. » (Gabriel Biel, *Sacri canonis missae tum mystica tum literalis expositio*, apud Johannem Clein, s. l. s. a. lect. 27, fol. 38). Superius autem, lectione 26ª (fol. 36), distinctione facta post Scotum, inter oblationem sacrificii, ut talem, et confectionem sacramenti, ut talem, ita quantificat oblationem sacrificii ex devotione Ecclesiae, ut tamen confectioni sacramenti tribuat ex institutione Christi aliquem suum valorem absolutum. Qui si valor intellegitur, ut opinor, in ordine ad sanctificandos eos qui sumant, nil nisi laudandum. Sin autem intellegi debet efficacia sacrificalis (puta propitiatoria, impetratoria), nec sibi ipsi consonus est auctor, nec Scoto, qui confectioni sacramenti, ut tali, nullum istiusmodi valorem taxavit, sed reservavit sacrificio, et quidem quantificandum ex Ecclesiae devotione.

sacrificii crescet pro crescente Ecclesiae sanctitate atque, ut loquitur Gulielmus Parisiensis « gratiositate » (*De sacramento ordinis*, c. 5, t. 1, p. 535)[1]. Magni igitur interest, ut multi sint in Ecclesia sancti atque sanctissimi : nec est spiritualibus viris et feminis parcendum temperandumve quin sua cura augeatur in dies valor missarum, et clamantis ex his terris sanguinis Christi vox indefessa in auribus Dei invalescat. Clamat enim in altaribus Ecclesiae sanguis Christi, sed per os atque cor nostrum clamat ; tantum quantus ei aperitur vociferandi meatus. Visne scire cur a diebus Pentecostes per annos plurimos tantopere creverit Evangelium in mundo, et in Ecclesia floruerit sanctitas fidelium, quorum esset cor unum et anima una, perfectio ultima caritatis, quae est summa perfectionis ? Cogita Mariam Virginem prosperantem in his terris omnia quae tunc celebrabantur sacrificia Ecclesiae ; nec amplius mirare, quod nunquam abhinc visa sit tam miraculosa expansio christianismi aut profectus spiritualis tantus. Praeter primam enim gratiam (cui respectu Ecclesiae correspondet descensus Spiritus Sancti) ceterae omnes coemi, ut ita dicam, debent a Deo ope prioris. Et hoc faciebat Ecclesia tunc, et facit etiam nunc, quanquam parcius, attamen Deo digne semper, et electis sufficienter : utinam vero in dies et dignius et sufficientius !

EPILOGUS.

De inconcessa apostolis potestate litandi ante diem Pentecostes.

Ex interventu illo necessario Ecclesiae offerentis, rursus suadetur non potuisse ante diem Pentecostes offerri ab apostolis sacrificium eucharistiae[2]. Etenim Ecclesia a Christo quidem in terris versante fundata est quoad institutionem et collationem potestatis, sive doctrinalis, sive disciplinaris, sive sacramentalis : at nonnisi tunc exercendae cum, lapso Spiritu de coelis, ipsa efficeretur in animal vivum. Quippe Ecclesia non perfecte vivit aut est, nisi vegetata Spiritu Sancto, qui in die Pentecostes descendit, et manet exinde semper ; qui est Ecclesiae Spiritus, et anima, et velut ipsum cor (3. S. 8, 1, 3m). Factum quidem erat antea corpus sociale credentium, at veluti inanime, cujus adhuc deficeret fides, ut in apostolis omnibus post passionem[3] ; ut

1. Hoc rursus elucidat Biel his verbis : « Et « ex hoc alicui videri posset, quod missa uno « tempore efficacior est et magis Deo accepta « quam alio. Et regulariter quod missa sacerdotis « boni existentis in gratia (cujus personale meri- « tum est partiale meritum Ecclesiae) melior « est quam si ipse sacerdos esset extra gratiam. » Quam utramque deinde ipse conclusionem probat, quippe quia « Ecclesiae meritum, non est « universale platonicum, seu meritum abstrac- « tum, extra homines particulares per se « existens, sed est personarum et membro- « rum Ecclesiam constituentium » (*Canonis missae expositio*, lect. 26, fol. 36. Ex theologis nostratibus concinuit Fagundez, non quidem solus, sed praecipue : « Fructus missae « ex opere operato respondens toti Ecclesiae « offerenti, accrescit vel decrescit accidentaliter « juxta majorem vel minorem numerum justo- « rum offerentium in Ecclesia militante pro va- « rietate temporis exsistentium, et juxta majo- « rem vel minorem sanctitatem illorum : crescit « enim valor ille accidentaliter ex meliori dis- « positione totius Ecclesiae offerentis » (*Tractatus in quinque Ecclesiae praecepta*, praecept. 1, l. 3, c. 6, n. 20. Lugd., 1632, p. 149). Per illam variabilitatem nil praejudicari quin fructus sit ex opere operato, luculenter explicat ipse ibidem, n. 14. Quod et nos explicabimus in Elucidatione sequente.

2. Recole dicta supra de triduo mortis dominicae (Elucid. XVII). Quae illo loco disputata sunt, probant aequaliter non potuisse ab apostolis litari ante ascensionem Christi : qua *introivit semel in sancta*, perfectionem adepturus sui sacrificii et sacerdotii, ac aeternae nobis inventae redemptionis pretio comparaturus donum Spiritus Sancti. Etenim 1° non injuncta erat nobis celebratio sacrificii, nisi prius rati ac efficacis ; et 2° non minus commemoratio ascensionis quam resurrectionis intrinseca est missae, ex monito Pauli : *Mortem Domini annuntiabitis* DONEC VENIAT [utique de coelis], aut ex liturgicis attestationibus vel interpretationibus dominicae intimationis.

3. Verum quidem est, tunc fuisse in terris Beatam Virginem, cujus sanctitas praeponderaret omni sanctitati omnium saeculorum ecclesiasticorum. At interea, quamvis esset tanta illa sanctitas, tamen non erat nisi individua Beatae

in sancto Thoma, post manifestationem ceteris apostolis factam, et potestatem collatam remittendi peccata. Deficiebat potissimum intellegentia fidei, ut in interrogantibus Dominum, mox in coelis ascensurum, essetne tunc restituturus regnum Israel *(Act.*, 1[6]). Spiritum autem veritatis, Spiritum sanctitatis et fortitudinis, erat tandem consecutura Ecclesia in Pentecoste. Tunc veluti spiraculo vitae, id est, fidei, spei et caritatis indefectibilis, insufflato in faciem a Domino, exstitit corpus Christi ecclesiasticum, coagmentatum interna virtute Spiritus Sancti. Ex tunc factum est, ut sacerdos quivis posset offerre ex parte Ecclesiae plene constitutae, proindeque valide (siquidem, ut dictum est supra, nemo consecrat valide nisi offerens ex parte totius Ecclesiae), et ex parte Ecclesiae sanctificatae, proindeque fructuose (siquidem nemo devotione sua afficit oblationem eucharistiae nisi ut membrum organumve Ecclesiae). Collata quidem erat potestas sacerdotii in coena, sed, ut olim dictum est, collata erat tunc pro nunc ; id est pro tempore, quo, et ex parte hostiae, susceptae a Deo in coelis, et ex parte Ecclesiae, vivificatae a Deo in terris, nihil jam deficeret illorum quae ad adimpletionem mysterii a Christo instituti requirerentur : ad perfectionem adducto non solum eo quod offerretur, sed etiam a quo offerretur. Character sane sacerdotalis erat in coena impressus ; sed, sicut manebit post resurrectionem, cum tamen non poterit consecrari corpus Christi, quia nonnisi usque ad adventum Domini institutum est ut fieret ; sic neque ante adventum Spiritus Sancti fieri potuit, quia non erat institutum a Christo ut fieret nisi *in regno Dei*[1]. Unde colligas velim quid veri, quidve falsi habeat sententia Nicolai Cabasilae : « Ipse dixit : *Hoc est corpus meum. Hic est* « *sanguis meus*. Ipse etiam jussit apostolis, « et per illos universae Ecclesiae hoc fa- « cere : *Hoc enim*, inquit, *facite in meam* « *recordationem*. Non juberet autem facere, « nisi virtutem esset daturus, unde facere « possent. Et quaenam est virtus ? Spiritus « Sanctus, virtus quae apostolos ex alto « descendens armavit, secundum illud « quod dictum erat ad ipsos a Domino : *Se-* « *dete in civitate Jerusalem donec induami-* « *ni virtute ex alto* » (*Liturgiae Expositio*, c. 28. P.G. 150, 425-428). Si enim, per virtutem (δύναμιν) intellegens potestatem ipsam ordinis sacrificalem, hanc negat in coena concessam, errat, obnoxius damnationi latae postmodum a Tridentino (sess. 22, can. 2. D., 949) ; sin autem voluit tantum, ut potestatis prius collatae exercitium non posset haberi ullum ante adventum Spiritus Sancti, nihil catholicae fidei repugnans adseruit. Quin et jamdudum tradiderat istud catholice prorsus S. Paschasius Radbertus, scribens : « EX QUO RENOVATI SANCTI APOSTOLI PER « ADVENTUM SANCTI SPIRITUS DE COELIS, « et inebriati sunt musto charitatis, EX « EO SANE CREDIMUS HUNC CALICEM IN « ECCLESIA CONSECRATUM : quod ille Spi- « ritus veritatis, in quo renovati sunt ex « vetustate, induxerat eos in omnem veri- « tatem, et confirmaverat in plenitudinem « doctrinae [perfectam ?], Ubi jam, sicuti « a Christo, ita sane AB EIS ET DEINCEPS « IN NOVITATE SPIRITUS[2] CONSECRATUR » (*Lib. de corp. et sang. Dom.*, 21, 2. P.L. 120, 1335).

Virginis, non autem socialis et collectiva dos alicujus corporis organici, quale debet esse corpus Ecclesiae ex multitudine quadam fidelium sanctorum compactum ac congregatum (cui demum uni concreditum est sacrificium eucharistiae). Non quantitas igitur aut moles sanctitatis deficiebat, praesente in terris Beata Virgine ; sed desiderabatur sanctitatis diffusio ecclesiastica : donec Spiritu veritatis et roboris confirmaretur quaedam Societas indefectibiliter constans plebe sacerdoti adunata in fide et caritate.

1. Pro certo habendum est, *regnum Dei* de quo prophetae tam multa tamque grandia praenuntiavere, de quo ipse Christus *per dies quadraginta apparens* loquebatur apostolis *(Act.*, 1[3]), non esse plene in terris institutum nisi die Pentecostes. Idem dicas de foedere novo seu novo testamento, sicut recte docet Cyrillus Hierosolymitanus, in sua *Catechesi* 17, c. 29 (P.G. 33, 1000), Spiritum Sanctum, in suo descensu, « constituisse in Ecclesia catholica, ex consensu « Patris et Filii, Novum Testamentum. »

2. Paullo ante (c. 12, n. 1. col. 1310-1311) scripserat Paschasius, fieri a nobis consecratio-

Ante Paschasium, ex Beda jam audivimus (Elucid. XII) sacrificium Domini in Pentecoste demum esse consummatum. Sed multo ante, Chrysostomus ea posuerat, ex quibus suam conclusionem (quatenus catholica est) traheret Cabasilas[1]. Etenim volens Chrysostomus, ut Spiritus Sanctus, semel lapsus in apostolos, remanserit in Ecclesia, unde id arguit? Ex variis quidem capitibus, sed ultimo loco ex sacrificio eucharistico (*De S. Pentecoste*, hom. 1, n. 4. P.G. 49, 458-459) : « Non prius [sacerdos] attingit proposita « [munera], quam vobis ipse gratiam « fuerit precatus a Domino, vosque illi « acclamaveritis : *Et cum Spiritu tuo* ; qua « responsione vobismetipsis in memoriam « revocatis : nihil adstantem [hominem] « praestare, neque humana natura prospe- « rari dona proposita, sed Spiritus gra- « tiam praesentem, et in omnes [quicumque « sacerdotio funguntur] advolantem, per- « ficere illud mysticum sacrificium... Nisi « SPIRITUS ADESSET, ECCLESIA NON CON- « SISTERET ; SI VERO CONSISTIT ECCLESIA, « DUBIUM NON EST, QUIN ADSIT SPIRI- « TUS. » Inferius vero (n. 6, col. 64) : « Ostendimus adesse Spiritum Sanctum : « ex remissione peccatorum,... ex ordina- « tionibus, ex mystico sacrificio. » Quod si eucharisticum sacrificium praesupponit, missum a Deo Spiritum Sanctum perseverasse nobiscum, sane ante Pentecosten non potuimus litare ; quo tempore necdum Ecclesia « consistebat ».

Non mirum igitur videri debet, quod S. Thomas (in II Nocturno Officii pro feria VI infra Octavam Corporis Christi) nos admonet ideo esse isti sollemnitati assignatam feriam V post Octavas Pentecostes, ut eucharistiae « institutionem « illo tempore specialiter recolamus, quo « Spiritus Sanctus corda discipulorum « edocuit ad plene cognoscenda hujus « mysteria sacramenti. Nam et in eodem « tempore coepit hoc sacramentum a fide- « libus frequentari. » Non esse autem de facto litatum ab Apostolis nisi primum in die Pentecostes disputat noster Theophilus Raynaudus per integrum suum tractatum *De prima missa et praerogativis christianae Pentecostes* (opera Omnia, t. 6, p. 523-622). Nuperrime vero visus est sibi demonstrare idem ex primaevarum liturgiarum epiclesibus Dom Cagin (*Eucharistia*, p. 70), addens : « L'action sa- « cramentelle des apôtres n'avait com- « mencé qu'à la descente du Saint-Esprit. « Le principe de la rédemption, du sacri- « fice nouveau, de la sanctification, avait « été institué au jour de la Passion... Il « était réservé à la Mission temporelle du « Saint-Esprit d'en valider, d'en confir- « mer l'accomplissement, d'en signifier la « ratification, en même temps qu'en était « inaugurée la dispensation » (cf. etiam, p. 208). Haec mihi videntur medullam veteris dogmatis continere (cf. dicta superius in Elucid. XII).

nem *in sacerdotio* Christi (cf. supra, Elucid. XXI); nunc scribit fieri eam *in novitate Spiritus* lapsi die Pentecostes de coelis. Priore assertione in tuto collocabat necessitatem commissae a Christo apostolis potestatis sacrificae in coena ; altera autem adstruit necessitatem aptandae Ecclesiae sacrificio principiando.

1. Veram hujus puncti doctrinam etiam tradiderat Hesychius implicite (*In Levit.*, 9^{1-6} et 23^{9-14}. P.G. 93, 889-891 et 1083-1087), quantum equidem intellego.

Elucidatio XXVII.

Cumulative conferunt ad illum valorem mensurandum sacerdos celebrans, fidelis stipem dans, et populus adstans.

Sectio III. — De iis qui specialiter offerunt.

Articulus I. De sacerdote ut offerente.

Ex praedictis constat qualiter sit etiam mali sacerdotis missa bona : melior tamen erit, si ipse sacerdos sit bonus, et tanto melior, quanto devotius obtulerit.

Est enim considerandum, sacerdotem ipsum esse de Ecclesia ; et proinde ejus devotione augeri devotionem totalem totius Ecclesiae. Sed insuper non membrum est quodibet, sed ut excellens dignitate, ita etiam, et quidem potissimum, cum hoc praesente negotio, in oblatione eucharistiae posito, maxime et proxime conjunctum. Est enim, quantum ad hoc, organum Ecclesiae electum, cui uni virtus inest symbolicam peragendi immolationem, in qua absolvitur publica communisque oblatio ; et ex hoc titulo specialius ei prae ceteris Christi fidelibus individuis imputatur illud sacrificium (sicut fere visus, licet sit totius hominis, tamen specialiter tribuitur ejus oculo). Maxime igitur sacerdos celebrans inter reliquos conferre censendus est ad exaggerandum valorem hujus sui sacrificii ; praevalet tamen totum corpus membro singulari, membroque putrido corpus indefectibiliter sanctum : ut opera sui ministri, quantumvis ad iracundiam personaliter Deum provocantis, conciliet ipsa sibi tamen Ecclesia propitiationem[1]. Nec indignitate aut malitia ministri quicquam deperit efficaciae seu fructus correspondentis, ut dictum est, devotioni communi Ecclesiae ; quanquam accrescit aliquid per accedentem ministri sanctitatem.

Unde fit ut perfecte cohaereant inter se illae duae sententiae, quarum una, omnium catholicorum communi[2], negatur :

1. Quare cum grano salis accipienda est historiuncula quam narrat lepidam sane S. Petrus Damianus in suo opusculo *De Bono suffragiorum*, c. 6 et 7, ad illustrandam hanc suam sententiam : *quod fructuosior est eleemosyna pauperibus data quam oblatio a sacerdote carnali celebrata* (P.L. 145, 568-569).

2. Apud Patres et scriptores ecclesiasticos distinguendum est inter causam sacerdotum haereticorum (quibus a jure aequiparati sunt Simoniaci), vel schismaticorum, vel excommunicatorum, vel certe degradatorum aut exauctoratorum, de quibus omnibus dicetur infra (Elucid. XXXIII), et causam sacerdotum solummodo improborum. Rursus distingui debet quaestio de validitate consecrationis ab altera quaestione de efficacia sacrificii. Si de improbis duntaxat sacerdotibus sit sermo, nemo ex nostris doctoribus unquam illis denegavit vim conficiendi corpus Christi : ne Origenes quidem, qui in *Commentario in Epistolam ad Romanos*, 9, 42 (P.G. 14, 1249) evidenter agit solum de immundis cibis sanctificandis *per verbum Dei et orationem*, juxta 1 *Tim.*, 4[5] (vide in contrarium Batiffol, *l'Eglise naissante et le catholicisme*, 1909, p. 370) ; sed neque Etherius et Beatus, qui, dum scribunt *adversus Elipandum*, l. 1, c. 67 (P.L. 96, 936) : « Neque potest hoc sacri« ficium offerri per quemlibet sacerdotem, nisi « per sacerdotem sanctum et justum », ostendunt per contextam orationem se loqui de principali demum sacerdote Christo : « Quis ergo tam jus« tus et sanctus sacerdos quam unicus Dei Fi« lius, » qui ipse obtulit sacrificium sui corporis « mortalis » pro nobis ,« pro quibus offerebat », « vitiosis mundandis » : unde nobis prostat hostia non solum sumenda « amabiliter », sed etiam offerenda « grate » : « Quid tam grate « offerri et suscipi possit quam caro sacrificii « nostri, corpus Christi perfectum sacerdotis « nostri ? » (c. 67 et 68, *ibid.*. Vide in contrarium Baluze, *Notae in Cyprianum*. P.L. 3, 1023.) Porro verissimum est, hostiae nostrorum sacrificiorum esse per prius comparatam apud Deum acceptabilitatem indefectibilem per oblationem nostri Summi Sacerdotis. Denegare autem improbis sacerdotibus efficaciam sacrificii visus quidem prima fronte est Cyprianus in *Epistola de Basilide et Martiale*, n. 2 et 3 (P.L. 3, 1022-1023 ; cf. Batiffol, *op. cit.*, p. 453-454). Attamen potuit ipse libellaticos habere jure optimo pro apostatis, seu fidei desertoribus, proindeque haereticis, iisque cum maxime notoriis, tum maximam fidei ruinam passis, cum non in unum dogma sed in universam christiani dogmatis fabricam impingerent : quo casu, jam non defectus probitatis tantum, sed et fidei, isque publicus, opponebatur ; praeterquam quod exauctoratio per jus ecclesiasticum erat inflicta. Quae cum ita essent, non sola improbitas in causa erat, sed et legitimi gradus amissio et alienatio ab Ecclesia. Ceterum haec quaestio necessario recurret infra (Elucid. XXXIII).

corrumpi sacrificium malitia sacerdotis[1], siquidem « illa munda oblatio est, quae « nulla indignitate aut malitia offerentium « inquinari potest » (*Trid.*, sess. 22, c. 1. D., 934) ; asseritur nihilominus altera : « sacerdotes, quo sanctiores sunt eo ma- « gis prodesse fidelibus per sua sacrifi- « cia », quibus ipse verbis Suarez (disp. 79, s. 8, n. 10), quamvis nobis sit contrarius, tamen interpretatur[2] probe caput *Ipsi sacerdotes* (*Decret.* 2, 1, q. 1, c. 91) ex epistula 2ª Ps. Alexandri[3] (P.G. 5, 1069) depromptum, ubi legitur : « Ipsi [sacer- « dotes] enim pro populo interpellant, et « populi peccata comedunt, quia precibus « suis et oblationibus ea delent atque con- « sumunt. Qui quanto digniores fuerint « tanto facilius pro necessitatibus, pro « quibus clamant, exaudiuntur. »

Hic tamen sedulo advertendum est, non affici sanctitate celebrantis, quantumvis eximia, valorem propitiatorium hostiae ipsius secundum se spectatae, cujus, ut diximus, est infinita efficacia ad propitiandum. Et hoc sonat oratio Chrysostomi, quam adversarii nostri saepe opponunt : « Volo quid plane stupendum adjicere ; « sed ne miremini, neque turbemini. Quid « hoc est ? oblatio eadem est, quisquis of- « ferat, sive Paulus, sive Petrus ; eadem « est QUAM CHRISTUS DEDIT discipulis, et « quam nunc sacerdotes faciunt ; haec illa « nihil minor est, quia non homines hanc « sanctificant, sed is ipse qui ILLAM SANC- « TIFICAVIT. Sicut enim verba, quae Deus « locutus est, eadem sunt quae nunc sa- « cerdos dicit, sic oblatio eadem ipsa est, « ut et baptisma quod dedit... Et hoc « igitur corpus Christi est, et illud : qui « vero putat hoc minus illo esse, is nescit « Christum etiam nunc adesse et operari » (*In II Tim.*, hom. 2, n. 4. P.G. 62, 612)[4]. Quo loco vox oblatio (ἡ προσφορά) evidenter designat non sacrificium active consideratum, sed passive, id est rem oblatam, seu ipsam hostiam, siquidem dicitur esse idipsum quod consecratum est a Christo in coena et datum discipulis[5]. Ejusdem scilicet est res illa, non solum dignitatis personalis, sed et valoris propitiatorii, quicumque consecret[6]. Sed non sequitur oblationem rei esse ejusdem efficaciae, quicumque offerat.

Nec rursus afficitur sanctitate (aut multo minus vitio) celebrantis hostia illa, in quantum est sacramentum, seu spectatur in ordine ad sumentes. Quod eo evidentius est, quia is qui suscipit sacramentum, non directe per hoc particeps efficitur actionis sacrificae, sed hostiae sacrificatae, quae ipsa est hostia passionis, Deo in aeternum sacra et sanctificans homines. « Non ho- « mines hanc sanctificant, sed is ipse qui « illam sanctificavit », dicens olim *Hoc*

1. Haecque ratione sunt intellegenda verba sancti Hieronymi, *in Sophon.*, 3 (P.L. 25, 1375) : « Sacerdotes quoque, qui eucharistiae « serviunt et sanguinem Domini populis ejus « dividunt, impie agunt in legem Christi, pu- « tantes εὐχαριστίαν imprecantis facere verba, « non vitam, et necessariam esse tantum « solemnem orationem, et non sacerdotum « merita. » Nam ipse Hieronymus continuo addit : « Cum haec faciant,... nihilominus « clemens et justus est Dominus. Clemens « in eo quod ab Ecclesia sua non recedit : « justus in eoquod reddit unicuique quod « meretur. »

2. Quanquam ibidem interpretationem istam studet ad suam mentem flectere.

3. Sane nulla est auctoritas Epistulae Ps. Alexandri, nisi quod recepta est a veteribus : qui proinde nihil fidei contrarium in ea adverterunt.

4. Conferatur in eumdem sensum locus sane perpulcher insertus ex incerto auctore *Decreto Gratiani* (Pars 2, Caus. 1, q. 1, c. 84. P.L. 187, 516).

5. Conferatur liturgia vetus sancti Basilii, ubi, epiclesi jam facta, inter alia, quae a Deo enixe et prolixe postulantur, hoc habet suum locum : « Memento, Domine, secundum divitias miseri- « cordiarum tuarum, etiam indignitatis meae ; « ignosce mihi omne delictum voluntarium, et « noli propter peccata mea avertere gratiam « sancti tui Spiritus a propositis donis », μὴ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας κωλύσῃς τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος ἀπὸ τῶν προκειμένων δώρων (B. 336). Tali precatione post peractum jam sacrificium, ostendit se sacerdos sollicitum, fideliter tamen, circa constantiam miraculi « plane stupendi », quod praedicat Chrysostomus : ne quid suae eucharistiae detrahatur virtutis sanctificativae. Quod per gratiam Dei ita obtinet, ut non fructuosius sit communicare de sacrificio sanctissimi sacerdotis, quam perditissimi. Rem sane notatu dignam et admiratione !

6. Conferatur infra Elucid. XLV.

est corpus meum, quo etiam tempore orabat : *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Quare, disputans late in eumdem sensum atque Chrysostomus supra laudatus, Nicolaus Cabasilas pulchre concludit argumentum his verbis : Πάντας τοὺς πιστοὺς ἁγιάζει ταῦτα τὰ δῶρα, καὶ πάντοτε, πάντοτε ὄντα δεκτὰ τῷ θεῷ (*Liturgiae Expositio*, c. 46, P.G. 150, 469)[1].

His utique praenotatis, reperietur non contrarius esse nobis sanctus Thomas in 3 S. 82, art. 6 et ad 1m, ubi missae a malo sacerdote recitatae aequalitatem cum missa recitata a bono stricte coarctat ad ipsum demum quod conficitur in missa sacramentum. Fatendum est quidem illum antea (4 D. 13, 1, 1, 5) ita opposuisse inter se haec duo : « id quod est essentiale « in [missa], scilicet corpus Christi », et id quod est « annexum sacramento, et quasi « secundarium » (puta actionem nostram oblativam) : ut nullam nisi priori membro (« corpori Christi », « sacramento ») adscriberet « efficaciam ex opere operato ». Unde quis forsan nobis objiciat : ergo quantum ad efficaciam ex opere operato est ejusdem valoris apud sanctum Thomam missa boni atque mali sacerdotis. Sed si ista apud sanctum Thomam usitata partitio operis operati retineretur a nobis literaliter, jam abjudicaretur sacrificio valor omnis propitiatorius ex opere operato : siquidem non res oblata est sacrificium, sed oblatio rei, consentiente ipso sancto Thoma (3 S. 79, 5, c. et 7, 3m) ; nec contra nos tantum procederet auctoritas sancti Thomae, sed contra omnes uno ore profitentes hodie catholicos inesse sacrificio missae vim quamdam propitiandi ex opere operato : quod est inconveniens. Re autem vera, mutata est post sanctum Thomam, non doctrina, sed terminologia. Sanctus scilicet Thomas, sicut reliqui scriptores illius aetatis, non solebat uti locutione illa *operis operati* per respectum ad valorem oblationis activae, sed tantum per respectum ad valorem hostiae oblatae, qui est infinitus, semper proinde sibi constans. Sed neque ipse Scotus aliter loquitur. Quin apud omnes illos veteres recensebatur virtus oblationis activae in virtute orationis, utique sacrificalis. Quod eo satius fiebat, quia omne sacrificium intrinsecam habet rationem impetrationis, exsistens quaedam oratio pragmatica, et nostrum sacrificium peragitur orationis eucharisticae verbis quibusdam. Postea transiit locutio *operis operati* ab ipsa re oblata ad oblationem ejus, nec incongrue (quanquam analogice) : si quidem, ut diximus, incomparabiliter eminet fructus oblationis sacrificae super devotionem sive offerentis individui sive etiam Ecclesiae communiter offerentis : valorem scilicet inferente suum re oblata[2].

Interpretationi nostrae sancti Thomae suffragatur gravis ille scholae Salmanticensis parens, « theologus summus » (Hurter), Franciscus a Victoria in *Summa Sacramentorum Ecclesiae*, edita studio et cura Thomae a Chaves : « Quae-

1. Videntur quidam episcopi olim reputasse eucharistiam suam meliorem quam eucharistiam presbyterorum, cum hujus communionem fastidirent. Quos increpat auctor (sane vetus) *Epistolae de VII Ordinibus Ecclesiae* (c. 6) editae inter opera sancti Hieronymi (P. L. 30, 155-156).

2. Etiam tempore Concilii Tridentini quamdam veluti novitatem spirabat, in materia sacrificii, ista locutio *ex opere operato*, ut apparet ex *Judicio* [synodaliter prolato] D. Judoci a Ravesteyn, Tiletani, *ad articulos I* [Lutheri] *et IX* [Calvini] *de sacrificio missae propositos* (Le Plat, *Monumentorum... Concilii Tridentini*, tom. 4, Lovanii, 1784, p. 352). « Hoc « est quod de valore et virtute sacrificii mis- « sae docent catholici :... oblationem missae « factam pro aliis valere eis ad remissionem « peccatorum, culpae et poenae, ipsumque « valorem et virtutem inesse missae sacrificio « non ex dignitate, conditione et qualitate « ipsius operantis, hoc est ipsius qui sacramen- « tum illud celebrat ; sed ex qualitate, conditione « et natura rei oblatae, quae, cum sit ipse Chris- « tus... gratiam Patris illis conciliat, pro quibus « offertur, nisi indignos se Patris misericordia « et clementia exhibeant : atque HOC NONNULLI « DOCTORES NEOTERICI EXPLICARE VOLENTES, « DIXERUNT MISSAE SACRIFICIUM non ex opere « operantis, sed EX OPERE OPERATO VALERE aliis « non quidem sine bono ipsorum motu, sed per « motum fidei et poenitentiae dispositis et « praeparatis, ut mox sumus prolixius explica- « turi. » Quam deinde locutionem nedum reprehendat, ipse usurpat libere.

« ritur, inquit, utrum missa sacerdotis « mali tantum prosit aliis, sicut missa bo- « ni. Sanctus Thomas dicit quod in missa « duo sunt consideranda, scilicet ipsum « sacramentum, et orationes quae in ea « dicuntur ac OBLATIO SACRIFICII. » Praemisso autem quod sacramentum est utrobique aequale, pergit auctor : « Ex PARTE « autem orationum et IPSIUS OBLATIONIS, « quo melior fuerit minister, eo magis « accepta erit oblatio : facilius enim et « saepius et amplius impetrat bonus quam « malus » (Antverpiae, 1594, fol. 47-48).

Revera non mihi videtur sententia sancti Thomae in hoc diversa ab illa quam Scotus protulit bimembrem his verbis : « Missa melioris erit melior, et « tamen sacramentum est utrobique ae- « quale » (4 D. 13, q. 2, ad 3^m, n. 19). Ad repropitiationem enim quod attinet, « Deus, SECUNDUM JUSTITIAM RETRIBUTI- « VAM, non habet alicui in Ecclesia, nec « toti Ecclesiae, recompensare tantum « bonum pro ista [missa mali sacerdotis] « quam pro illa [missa boni] » *(ibid)*. Cujus haec assignatur ratio, quod missa, quantum attinet ad vim propitiatoriam, non debet spectari in abstracto, prout sub sua definitione venit, in quantum oblatio eucharistiae, sed spectanda est in concreto, pro modo secundum quem proficiscitur ab offerentibus. Non autem proficiscitur eodem modo per membrum vivum atque per membrum mortuum[1].

Hujus elucidatio puncti magnum habuit in controversia cum protestantibus momentum, ut apparet ex *Antididagmate* canonicorum Coloniensium, adversus Hermannum, prevaricatorem archiepiscopum, ubi haec leguntur : « *Alia calumnia haere- « ticorum contra Ecclesiam.* Multi non pa- « rum HODIERNO TEMPORE sese fatigant, « imo dicere audent, hactenus in Ecclesia « praedicatum fuisse sacrificium sacerdo- « tis valere coram Deo ex opere operato, « sine bono motu utentis. Appellant au- « tem opus sacerdotis, qualecumque sit, « non considerata mentis cogitatione, opus « operatum. In quo iterum non levis injuria « violentiaque Ecclesiae Christi irrogatur. « Innocentius enim tertius, l. 3 *de sacro « altaris mysterio*, capite 5, et SCHOLAS- « TICI DOCTORES OMNES PER OPUS OPE- « RATUM SACRIFICIUM ALTARIS INTELLI- « GUNT, non externas sacerdotis actiones, « sed OPUS DEI IN CONSECRATIONE et « sanctificatione SACRAMENTI. Quod non a « merito sacerdotis, sed a Christi potentia « dependet... Illud dicunt, cum sit opus « solius Dei et Christi, NON CONSISTENS « IN OBLATIONE, sed in sacramenti con- « secratione et sanctificatione, semper pu- « rum esse et sanctum » (fol. LXXI b).

Pariter carpit coaetaneos sententiae adversae auctores Galenus, dum hac ratione distinguit duplicem effectum consacrationis : *primo*, « illum quo Christus « nobis exhibeatur praesens : quod sacra- « menti est ; cujus vim, magistra pro- « fitemur Ecclesia, et ipsius veluti cadu- « ceatoribus atque internuntiis victoribus, « Joanne Chrysostomo et Nicolao Cabasila, « nihil morari sui ministri iniquitatem, « aut etiam justitiam. » *Secundo*, « eum « qui sacrificii est proprius, et positus « est in aliis (partim praesentibus, par- « tim absentibus, partim vivis, partim « mortuis) impertienda crucis Christi vi « ac gratia ». « Hunc (inquam) effectum « num audetis eumdem, unum, aequa- « lemve adserere » [quicumque fuerit minister] ? *(De sacrificio missae commentarius*, c. 19, p. 242)[2].

1. Quanquam Hiquaeus in commentario suo super hunc locum (Lugduni, 1639, tom. 8, p. 849) negat doctorem subtilem agere de valore quem nuncupamus ex opere operato, tamen constat oppositum, ut fatetur Suarez (dispt. 79, s. 8, n. 10).

2. Fateor hunc scriptorem, nimio zelo sanctitatis clericalis abreptum, eo processisse, ut teneret sacrificium missae, valide quidem oblatum a sacerdote catholico, carere tamen omni fructu et utilitate, si peccatis irretitus offerret iste solus, nullo nimirum mandante, ministrante, adstante homine bono : « Catholicis functum « ritibus credere modo necesse habemus etiam « tunc [i. e. quamvis exsistat in peccato] verum « missae perfecturum sacrificium ; profuturum « tamen cuiquam, maxime si solus haec tentet, « et non adsint pii, sacrilegii ejus ignari, perne-

Inter recentioris Scholae magistros citari omnino debent ex Societate nostra Henriquez et Fagundez. « Fructus satis« factionis, inquit Henriquez, qui ex « opere operato communicatur alteri ho« mini justo, pro quo offertur sacrifi« cium missae, uberior est ex opere ope« rato pro ratione devotionis » (*Summa theologiae moralis*, l. 1, *de sacramentis in genere*, c. 14, n. 4). Rursusque : « Oblatio missae consistit in actione, et « meritum impetrantis consistit in ac« tione vitali et libera : ideo crescit « uterque fructus missae ex opere operato « in alium justum, quanto major est dis« positio et devotio offerentis ; ut cres« cit effectus baptismi ex opere operato « quanto melior est dispositio adulti re« cipientis... Quare expedit... quaerere « probatos et religiosos sacerdotes, qui « sancta sancte tractent, ut, devotius offe« rentes, applicent integre uberiorem fruc« tum missae » etc. (*ibid.*, l. 9, *de missa*, c. 18, n. 5). Fagundez autem assonanter : « Omnibus igitur consideratis, plus « valet missa boni sacerdotis quam mali : « ...quia ex parte illius, quatenus est « publicus minister Ecclesiae, accrescit « valor ex opere operato accidentaliter » (*Tractatus in quinque Ecclesiae praecepta. Primum Ecclesiae praeceptum*, l. 3, c. 6, n. 22). Extra Societatem autem ex professo suscepit hanc thesim defendendam Zacharius Pasqualigo (*De sacrificio Novae Legis*, q. 102, n. 6, et q. 103, n. 5. Romae 1707, tom. 1, p. 103 et 104) : « Dicendum : fructum substantialem sa« crificii ex opere operato crescere acci« dentaliter ex majori DEVOTIONE [*intel*« *lege* : actuali] offerentis sacerdotis. » Rursusque : « Dicendum : fructum sacri« ficii ex opere operato, tam secundum « propitiationem quam secundum satisfac« tionem et impetrationem, augeri acci« dentaliter ex majori SANCTITATE [*intel*« *lege :* habituali] sacerdotis offerentis. »

Quod si vero, infra generalem quidem Ecclesiae influxum, magnae tamen sunt partes sacerdotis in quantificando valore sacrificii, quis mirabitur, quod per totam fere missam totus est in exoranda a Deo gratia, qua fiat idoneus ad offerendum Deo sacrificium acceptum[1] ?

ARTICULUS II. — DE STIPEM DANTE, IN QUANTUM OFFERENTE.

Praeter sacerdotem, ut talem, id est publicum in litando Ecclesiae ministrum, intercedunt etiam tanquam offerentes, ii ex quorum parte specialius per sacerdotem offertur sacrificium, utpote qui istud ipsum Ecclesiae procuraverint sternendum.

Sacrificium enim ita est corporis et sanguinis Christi, ut tamen offeratur sub specie melchisedecica panis et vini ; quae licet non ingrediatur rem oblatam, tamen omnino intrat rei oblationem. Non enim nisi mediante complexu sensibilium elementorum, quibus absolvitur immolatio symbolica, potest dominicae hostiae sacrificium in nostrum transire censum ; in complexu autem illo numerantur praeter verba a sacerdote egredientia, etiam res, penes quas attenditur speciei melchisedecicae proprietas[2]. Qua ex parte, sane ipso-

« gamus (*De sacrificio missae*, c. 19, p. 245). Origo erroris fuit in hoc, quod vir austerus non putavit posse praevalere indignitati ministri sanctitatem Ecclesiae universae : quae non est, inquit, « tantae potentiae » ut « quidvis a Deo « per quemvis se confidat exoraturam » (*ibid.*, p. 243). In eo quod excedit Galenus, maneat absque nostro suffragio : retentis interim illis quae apposuit bona.

1. V. g. *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi, Domine Deus.*

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta ut sacrificium quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus pro quibus illud obtuli sit, te miserante, propitiabile.

Quin et populus pro sacerdote orans : *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae.*

Apud Orientales infinitae sunt precationes sacerdotis pro seipso litante, v. g. in liturgia vetere *S. Basilii* atque *S. Chrysostomi*. B. 316-320.

2. Confert igitur ad immolationem symbolicam sacerdos elementum formale, stipem autem dans elementum materiale. Ex utroque demum

rum est sacrificium, quorum propria sunt dona, munera, sacrificia, a sacerdote consecranda ; si quidem ex una parte, ut recte monet Auctor incertus *Quaestionum Veteris et Novi Testamenti* (v. 46. P.L. 35, 2246), « ipse semper dicitur offerre, cujus « oblationes sunt, quas super altare im« ponit sacerdos... Ipsi enim imputatur, « cujus munera offeruntur » ; ex altera autem parte, non sunt sacerdoti talia munera commissa, nisi ut « ad hoc perveniant ad « quod sunt oblata » (Walafr. Strab., *De ecclesiasticarum rerum exordiis et incrementis*, c. 22. P.L. 114, 948), scilicet ut mutentur in carnem et cruorem victimae, exteriorque eorum habitus immolationi sacramentali peragendae deserviat[1]. Provisum autem jure divino est ut qui serviunt altari de altari vivant (*I Cor.*, 9^{13-14}). Quare oportet ut de oblationibus ejus qui paravit sacrificium, is qui defert accipiat victum. Nec proinde apud Deum reputabitur mensam stravisse eucharisticam, nisi qui tantum protulerit, unde et sacramentum confici rite queat, et illi possint ali, quibus fas sit[2]. Hoc autem praestant nostris temporibus, qui eleemosynam, seu, ut aiunt, stipendium missae erogant justum : cujus censu nihil nisi solita olim deferri dona recte existimaveris compensari[3].

Quos esse suo modo veros oblatores sacrificii, testantur et Patres, et Concilia, et Liturgiae.

Quod spectat ad Patres, omissis duobus locis Tertulliani (*De Exhort. Castit.*, 11, et *De Monogamia*, 10. P.L. 2, 926-927 et 942), de quibus olim (Elucid. XVIII) satis dictum est, occurrit Cyprianus, mulierem, prae avaritia desistentem ab offerendo, sic increpans : « Locuples et di« ves es, et dominicum celebrare te credis, « ...quae in dominicum sine sacrificio ve« nis, quae partem DE SACRIFICIO, QUOD « PAUPER OBTULIT, SUMIS » (*De opere et eleemosyna*, c. 15. P. L. 4, 612-613). Per communionem scilicet eucharisticam sumebat illa sacrificii partem. Sacrificium autem, cujus sumebat partem, erat a paupere illo oblatum. Eucharistici igitur sacrificii censebatur ipse pauper oblator[4].

consistit illud, quod diximus esse sacrificii *signum tantum*, ratione cujus sibi homines appropriant sacrificium dominicum. Attamen adverte species panis et vini non fieri sacramentales nisi per sacerdotem, penes quem igitur unum est dare elementis rationem symboli. Et ex hac parte auctor est materiae sacramentalis ipse sacerdos.

1. Quare scribit recte S. Martinus Legionensis : « Non enim oblationes tantum offe« runtur sacerdoti, sed et Jesu Christo summo « pontifici » (*Sermo* 24 *in resurrect. Dom.* P.L. 208, 922).

2. Sunt autem isti : *primo*, titulo cujusdam justitiae imperfectae, seu religiosi debiti, non solum sacerdotes, sed et clerici inferiores sacerdotibus in mysteriis servientes ; *secundo*, titulo quodam misericordiae, seu piae liberalitatis, pauperes quorum curam habet Ecclesia. Sufficit igitur stricte sustentatio cleri ; nec tamen exorbitat sustentatio, si accedat, pauperum ; sed erit ipsa liturgica quodammodo (cf. *Canones Hippolyti*, 159-185 et 214-216, apud Duchesne *Orig. du culte chrét.*, 3e édit., 536-539 ; et orationes sacramentarii gelasiani atque gregoriani, quas collegit Dom Leclercq, D. A. C., I, 834-835), adeo ut onerati pauperes oblationibus fidelium solerent olim nuncupari altaria Ecclesiae (cf. supra, Elucid. XIII). Nec fortasse alia de causa stylo adeo liturgico sanctus Paulus commendat eleemosynas Ecclesiarum Hierosolymam mittendas, nisi quod essent impendendae ibi per modum agaparum eucharisticarum : ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης οὐ μόνον ἐστὶν προσαναπληροῦσα τὰ ὑστερήματα τῶν ἁγίων, ἀλλὰ καὶ περισσεύουσα διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ θεῷ, κτλ (*II Cor.*, 9^{12-15}). Quod si igitur plus quam stricte sufficiens sit oblatio ; quia tamen nulla ex parte exorbitat, tota habet indolem atque vim, non communis tantum eleemosynae, sed et verae propriaeque latriae. Quia autem non exigi id debet, quod nullius justitiae pars est, ideo, deficiente etiam sustentatione pauperum, acceptari tamen debet quod aequivaleat sustentationi solius cleri ; adeo ut, si quis, inito pacto, stipem dederit clericalibus necessitatibus stricte adaequatam, is integri sacrificii censeatur auctor, nec proinde in sacerdotis potestate sit alterum stipendium cum illo conflare in unius ejusdemque sacrificii oblationem principiandam, ut amplius infra contra Cajetanum disputabitur.

3. Quo circiter tempore in locum muneris esculenti successerit nummarium, videsis indicatum apud Martene, *De Antiquis Ecclesiae Ritibus*, cap. 4, art. 6, n. 6.

4. Conferatur Augustinus (*Epist.* 111, 8. P.L. 33, 426) : « Sic enim sunt illae [feminae « christianae raptae a barbaris] in terra capti« vitatis suae, quomodo erant illi [captivi He« braei] in ea terra, ubi nec sacrificare more suo « poterant Domino : sicut nec istae possunt vel « ferre oblationem ad altare Dei, vel invenire ibi « sacerdotem, per quem offerant Deo. »

Simili ratione Caesarius Arelatensis fideles ad offerendum impellebat : « Oblationes quae in altario consecrentur « afferte : erubescere debet homo idoneus, « si DE ALIENA OBLATIONE COMMUNICA-« VERIT » (in appendice ad sermones S. Augustini, sermo 265, n. 2. P.L. 39, 2238)[1]. Quare simpliciter loquitur S. Gregorius M. de viro « pro quo sua conjux « diebus certis sacrificium offerre consue-« verat » (*Dial.*, l. 4, c. 57. P.L. 77, 424. Cf. *Hom.* 38 *in Eevang.*, n. 8. P.L. 76, 1279).

Quae offerendi facultas non adimebatur a fidelibus nisi per excommunicationem quamdam minorem, cujus praeclarum exemplum nobis exhibet primi Concilii Nicaeni canon undecimus : « De « his qui praeter necessitatem... praevari-« cati sunt... sub tyrannide Licinii, pla-« cuit synodo, quamvis humanitate pro-« bentur indigni, tamen eis benevolentiam « commodari. Quicumque ergo veraciter « poenitudinem gerunt, tribus annis fideles « inter audientes habeantur, [et septem « annis inter substratos] ; duobus autem « annis sine oblatione populo in oratione « communicent », χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν, (Mansi, *Concilia*, 2, 673, coll. 680. Cf. Dom Leclercq, *Histoire des Conciles*, tom. 1, p. 590). Quocirca id recti notat Petavius : Haec « erat PERFECTA COMMUNIO ad quam « poenitentes et a sacris extorres aspi-« rabant, ac per longissimi cruciatum « temporis squaloremque perveniebant, uti « JUS haberent OBLATIONIS, quam κοινω-« νίαν vocant μετὰ προσφορᾶς... Sine dubio « idem illud est [κοινωνῆσαι μετὰ προσ-« φορᾶς] ac *communicare cum oblatione*, hoc « est jus habere offerendi » (*De Potest. consecr. et sacrif.*, cap. 1, t. 8, p. 8-9)[2]. Unde jam facile intellegitur cur Theodosio, caede Thessalonicensi infecto, rescripserit Ambrosius : « Tunc offeres, cum SACRIFICANDI ACCEPERIS FACULTATEM[3], quando hostia tua accepta sit Deo » (*Ep.* 51, n. 15, P.L. 16, 1163).

Sed et liturgiae celebriores eos omnes in numero oblatorum, respectu ipsius sacrificii eucharistici, habent, quicumque munera devoverunt. In primis liturgia romana post commendationem donorum eos qui dederunt commendat Deo his verbis : « qui tibi OFFERUNT hoc sacrificium « laudis pro se suisque omnibus, pro re-« demptione animarum suarum, pro spe « salutis et incolumitatis suae, tibique « reddunt vota sua aeterno Deo vivo et « vero. » Quodnam, quaeso, pro redemptione nostrarum animarum defertur Deo laudis sacrificium, nisi sacrificium ipsum corporis et sanguinis Christi[4] ? Pariter in liturgia *S. Marci* : « OFFERENTIUM hos-« tias, oblationes, sacrificia (τὰς θυσίας, τὰς « προσφοράς, τὰ εὐχαριστήρια), suscipe, Deus »,

1. Oblationes istiusmodi, ut patet, sunt, apud Caesarium, sicut apud Cyprianum et alibi saepe, intellegendae non stricte individuae, quales solent esse hodie stipum erogationes, sed collectivae, perinde ac si hodie adstantes omnes vel plerique in unam stipem erogandam conspirarent.

2. Concilio Nicaeno alia minora subnectit Petavius *(ibid.)*. Sed exempla nitidiora produci possunt, puta Nicolai I *Epistola ad Hincmarum Rhemensem* de poenitentia injungenda illi, qui monachum presbyterum occideret. Post multa : « Residuis praeterea septem « annorum curriculis, COMMUNIONEM DOMINICI « SACRAMENTI SUSCIPERE LICEAT celeberrimis « festivitatum diebus, OBLATIONES QUIDEM NUL-« LATENUS OFFERENDO » (P.L. 119, 1122-1123).

A fortiori verum est illud : « Quibus communio « sacra denegabatur, haudquaquam fas erat « offerre » (Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. 1, c. 4, art. 6, n. 5.).

3. De facultate sacrificandi hic agi, quae potissimum exerceretur muneribus sacrae mensae illatis, patet per Eusebium, narrantem (*Hist. Eccl.*, l. 5, c. 17. P.G. 82, 1236) quomodo primum imperator, post expletam poenitentiam, se in tali officio inferendorum munerum gesserit. Non agitur hic de oblatione, quae communis est omnium adsistentium, prout mere adstant, sed magis de illa quae propria est erogantium stipem.

4. Possunt ex *Sacramentario bobiensi* conferri quatuor missae votivae, praesertim autem ex tertia haec Secreta : « Omnipotens et misercors « Deus, cui redditur votum in Hierusalem, exau-« di preces famuli tui ; memor esto sacrificii sui. « fiant holocausta sua [pinguia] » (P.L. 72, 542) ; rursusque in missa votiva singulari mozarabica, haec benedictio ante communionem : « Vota ves-« tra atque sacrificia clementis Dei gratiam « benigne suscipiant » (P.L. 85, 994). Cf. notata supra in Elucid. XXI de votis sacrificiorum.

etc. (B. 129). In anaphora autem Serapionis, post recitata verba dominica factamque epiclesim, sic oratur : « Suscipe « etiam gratiarum actionem populi (τὴν « εὐχαριστίαν τοῦ λαοῦ) et benedic eos qui « OBTULERUNT oblationes et gratiarum ac« tiones (τὰ πρόσφορα καὶ τὰς εὐχαριστίας) » (F.D. 2, 176). Similiter in liturgia *Sancti* « *Jacobi :* Memento, Domine, eorum qui « has oblationes obtulerunt hodie in sancto « tuo altari, et eorum pro quibus unus« quisque obtulit » (B. 56).

De offerentibus hac ratione sacrificium, seu « hostiam », scribebat Innocentius I in sua *Epistula ad Decentium Eugubinum*, quae medio aevo, et apud Liturgistas (v. g. Remigium Antissiodorensem, *De celebratione missae et ejus significatione*. P.L. 101, 1258) et apud Juristas (*De Consecratione*, dist. 1, c. 73), maximae fuit auctoritatis : « De nominibus vero recitandis « antequam precem sacerdos faciat, atque « eorum oblationes, quorum nomina reci« tanda sunt, sua oratione commendet, « quam superfluum sit, et ipse pro tua « prudentia recognoscis : ut CUJUS HOS« TIAM necdum Deo offeras, ejus ante no« men insinues, quamvis illi incognitum « sit nihil. Prius ergo oblationes sunt com« mendandae, ac tunc eorum nomina, « quorum sunt, edicenda : ut inter sacra « mysteria nominentur, non inter alia, quae « ante praemittimus » (Epist. 25, c. 2. P.L. 20, 553-554).

Oblatores igitur munerum, seu erogatores stipum, sunt cum procurato a se sacrificio prae ceteris non procurantibus specialius atque propius intimiusque connexi ; proindeque etiam magis afficitur sacrificium illorum oblatione, magisque interest eorum fervor et devotio in efficacia sacrificii cumulanda.

Patet enim, quo quis magis connectatur cum dono faciendo (est enim donum omne sacrificium), eo magis erga eum devinciri illum qui dono muneretur. Puta enim donum nomine totius Galliae alicui viro insigni oblatum, at cura et liberalitate quorumdam privatorum potissimum comparatum : pro ejusmodi dono gratitudinem habebit quidem ille ad omnes, sed potissimum ad istos, et tanto majorem, quanto melius affectos. Sic igitur, prae ceteris non comparantibus sacrificium, specialiorem partem habent illi, qui dant eleemosynam, in sacrificio offerendo et valore ejus regulando.

Neque hoc etiam est praetermittendum, quod sacerdos, eorum munera deferens, tenetur, ut legatus, intentionem suam illorum intentioni conformare[1] ; et quandoquidem ex commissione totius Ecclesiae offert, totius etiam nomine Ecclesiae atque affectu munera eorum commendat atque vota transmittit. « Providerunt enim [Doc« tores Ecclesiae] quia QUIDQUID in divi« nis obsequiis A QUOLIBET ECCLESIAE « MEMBRO reverenter OFFERTUR, id etiam « FIDE ET DEVOTIONE CUNCTORUM UNI« VERSALITER EXHIBEATUR. Unus est enim « Ecclesiae Spiritus, quo vivificatur unum « corpus, quod a Christo videlicet suo ca« pite praeservatur. Tota igitur Ecclesia « diversorum quidem constat compage « membrorum, sed unum est procul dubio « corpus, unius fidei soliditate fundatum, « una vivificantis Spiritus virtute perfu« sum. Unde et Apostolus ait : *Unum cor« pus, unus spiritus, sicut vocati estis in « una spe vocationis vestrae* (*Ephes*., 4). « Dignum ergo est, ut QUIDQUID in sa« cris officiis A QUIBUSCUMQUE FIDELIBUS « PARTICULARITER AGITUR, HOC IPSA EC« CLESIA per unitatem fidei et charitatis « AMOREM UNANIMITER AGERE VIDEATUR (S. Petr. Damian., *Liber qui appellatur Dominus Vobiscum*, c. 7. P.L. 145, 237).

1. Conformat cetero suam intentionem EO IPSO quod sacrificium defert tanquam PRINCIPIATUM ab ipsis. Ex natura enim rei est, ut per sacrificium reperiatur commendata intentio ejus qui auctor est sacrificii. Nec proinde requiritur, ut sacerdos ulterius quicquam de suo, vel per modum orationis, vel per modum simplicis affectus, conferat ad intentionis commendationem. Neque omnino fieri potest, ut, dum offertur sacrificium tanquam ex parte Titii, sacerdos ipse, quantumvis volens, pro intentione, quam habet Titius, aliquam alteram subroget, puta ex Titii patre ad matrem Caii translato fructu.

Articulus III. — De adstantibus, ut offerentibus.

Stipem dantibus proximi veniunt adstantes, qui, prae ceteris non adstantibus, eo magis exserunt suam vim oblativam (ecclesiastici corporis membris nativam), quo magis conjunguntur rei sacrae adfectu actuali externe significato. Qua significatione testificantur se ratam habere, quantum in ipsis est, oblationem, suo nomine factam, proindeque eam speciali titulo faciunt suam et offerunt[1].

Non enim sine causa populus, invitatus primum a sacerdote, ut gratiarum actionem, seu eucharistiam, Deo reddat dignam et justam, deinde, completa prece sacerdotali respondet ipse, vel ejus nomine respondetur : *Amen* ; sed ideo sane, ut consensus exprimatur adstantium in id quod est pro omnibus ab uno transactum[2].

Qui usus semper invaluit. Etenim primo, ad invitatorium quod attinet, in omnibus liturgiis vetustissimis inchoatur anaphora per dialogum similem ejus qui primitus (cf. Dom Cabrol, art. *Canon*, D. A. C., t. 2, 1849 : « Si l'on veut « remonter à l'époque antérieure à la for« mation du canon romain, il faut affir« mer... que la prière eucharistique, sous « quelque nom qu'on la désigne, doit com« mencer avec le dialogue de la préface ») ipsum censebatur esse initium romani canonis : *Gratias agamus Domino Deo nostro. — Dignum et justum est.* Ut videre est in *Constitutionibus Apostolicis* (F. D. l, 496), in *Liturgia graeca Sancti Marci* (B. 125) ; cui etiam operae pretium est addere *Canones Hippolyti* (n. 21 sq., ap. Duchesne, *Orig. du Culte chrétien*[3], p. 526), *Constitutiones Ecclesiae Aethiopicae* (B. 189, cf. *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae*, F. D. 2, 99), *Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum reliquias* (Hauler, *Didascaliae apostolorum fragmenta veronensia latina. Accedunt canonum*, etc., p. 106) et *Testamentum Domini nostri Jesu Christi* (ed. Rahmani, 1899, p. 39)[3]. Quin et in *Liturgia graeca sancti Jacobi* (B. 49-50) haec non solum prolixiora, sed et expressiora habentur : *Sacerdos* : « Pax omnibus ! » *Populus* : « Et Spiritui « tuo ! » *Archidiaconus :* « Stemus pulchre, « stemus prudenter, stemus cum timore « Dei et compunctione. Solliciti simus « per sanctam anaphoram in pace of« ferre Deo. Populus : propitiatio« nem (ἔλεον)[4] pacis, sacrificium laudis ». *Sacerdos :* Caritas Dei Patris, gratia Domini et [Filii], communicatio et donum Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis ! » *Populus :* « Et cum Spiritu tuo ! » *Sacerdos* : « Sursum habeamus mentem et corda. » *Populus :* « Habemus ad Dominum. » *Sacerdos :* « Gratias agamus Deo. » *Populus :* « Dignum et justum est. »

Praeter unanimem liturgiarum consensum primaevo usui attestantur, in Occidente, Cyprianus (*Lib. de Orat. Dom.*, c. 31. P.L. 4, 539) atque, in Oriente, Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech.* 23, n. 4 et 5. P.G. 33, 1112-1113).

Quod si autem vim talis usus perspectam habere volueris, audias Chrysostomum

1. De adstantibus, ut offerentibus, quid recentiores scholastici senserint, reperies apud Suarezium (disp. 79, s. 8, n. 5), Vasquezium (disp. 226, c. 2), et Lugonem, cujus haec sunt verba : « Has personas praeter cele« brantem in aliquo sensu, saltem mediate, « offerre sacrificium, et non solum pro iis « offerri, dubitari non potest » (disp. 19, sect. 11, n. 230).

2. « C'est le prêtre ou l'évêque, qui invite le « peuple au recueillement ; le peuple répond, et « se tient attentif. Le pontife reprend alors une « formule de prière, que les fidèles écoutent reli« gieusement... Toute la prière se termine par « une doxologie à la gloire du Père, par le Fils, en « l'unité de l'Esprit, comme au canon romain *Per « ipsum... est tibi Deo Patri in unitate Spiritus « Sancti omnis honor et gloria per omnia saecula « saeculorum.* Et à cette doxologie le peuple « répond, comme aujourd'hui encore, par le « mot *Amen*, s'unissant ainsi à tout le sacrifice « et à la prière du canon » (Dom Cabrol, art. *Amen*, in D. A. C., l, 1558 ; cf. t. 2, 1851 et 1899).

3. Non exhibet quidem dialogum *Anaphora Serapionis*, sed videtur praesupponere, dum incipit per verba : Dignum et justum est... » (F. D., 2, 172).

4. Nisi forte legendum sit ἔλαιον εἰρήνης (olivam pacis), ut ferunt veteres editiones (P.G. 63, 915).

haec concionantem : « ORATIO, QUA DEO « GRATIAS AGUNTUR (τὰ τῆς εὐχαριστίας), « UTRIUSQUE [et sacerdotis et plebis] COM- « MUNIS EST : neque enim ille solus gratias « agit, sed et plebs universa. Nam, CUM « PRIUS VOCEM EORUM SUMPSIT, ATQUE « ASSENSERUNT ID DIGNE AC JUSTE FIERI, « TUM DEMUM GRATIARUM ACTIONEM AU- « SPICATUR... Haec porro cuncta eo a « me dicta sunt, ut unusquisque, etiam « eorum qui subsunt, advigilet ; illudque « intellegamus, nos omnes unum corpus « esse, tantumque inter nos differre, « quantum membra a membris differunt ; « ac proinde ne omnia ad sacerdotes reji- « ciamus ; quin potius nos Ecclesiae totius, « perinde ac communis corporis, cura « afficiamur. Hoc enim et securitatem « ampliorem et majus nobis donativum « comparat » (*In II Cor.*, Hom. 18, n. 3. P.G. 61, 527)[1].

His de invitatione notatis, non minus, immo certius constat, vel a primis nostrarum missarum exordiis solitum esse sacerdoti celebranti acclamari a populo, in fine demum canonis vel anaphorae, Amen[2]. Quod, praetermissis liturgiis, attestantur, si minus verba Pauli in *I Cor.*, 14^{16}, sane inevidentiora, quibus valde affinis est sermo *Didaches* 16^{6} (F.P. 1, 24), certe assertiones luculentae Justini (*Apol.*, 1, 65 et 67)[3], atque epistula Dionysii Alexandrini ad Xystum Romanum (apud Eusebium, H.E., 7, 9. P.G. 20, 656) de illo non baptizando, qui, veri expers baptismi, cum bona fide « gratiarum actionem « frequenter audierit, et cum ceteris re- « sponderit *Amen ;* qui ad sacram mensam « adstiterit, et manus ad suscipiendum « sacrum illum cibum porrexerit, qui cum « exceperit, et corporis ac sanguinis Do- « mini nostri fuerit per longum tempus par- « ticeps[4]. »

Consensum autem exprimi per particulam *Amen*, notissimum est : « Quod autem « CONSENSUM significet audientis, et sit

1. Similiter septimo saeculo, explicans liturgiam Syriacam, Jacobus Edessenus, scriptor monophysita, *in Epistola ad Thomam presbyterum* (apud Dyonisium Bar Salibi, *Expos. Liturg.*, trad. Labourt, p. 38) haec tradit : « Sacerdos ad populum dicit : Sursum sint *corda* « *vestra ;* et populus respondet : *Habemus corda* « *nostra ad Dominum.* Rursus exclamat ad eos : « *Gratias agamus Domino ;* cui illi respondent : « *Dignum et justum est, quod dixisti.* Cumque per « illa tria, quae diximus, nimirum : per hoc quod « pacem eis dederit, et quod signo crucis eos « consignaverit, et quod eidem ipsi convenienter « responderunt ; per haec praeterea duo pos- « teriora, videlicet quod ipse eis mandatum dede- « rit, et QUOD ILLI EIDEM CONSENSERINT, ejusque « sententiam justam esse pronuntiaverint : cum « PER HAEC, inquam, ILLI CUM IPSO ET IPSE « CUM IIS UNUM CHRISTI CORPUS UNAQUE MENS « EFFECTI FUERINT, tunc conversus ad Deum « sacerdos, EX VERBIS QUIBUS CONSENSERE ET « EX SENTENTIA IPSIUS POPULI exordium su- « mens, verba sua ad Deum Patrem dirigit, cui « sacrificium corporis et sanguinis Unigeniti in « propitiationem animarum fidelium offertur. » Recole adnotata supra ex fontibus syriacis de « lingua Ecclesiae ».

2. Irrepserunt quidem in omnes liturgias serius, praeter illud unum *Amen* alia intra Anaphoram plura : attamen testantur veteri usui : *Anaphora Serapionis* (F. D. 2. 176), *Liturgia Constitutionem Apostolicarum* (F. D. 1, 514), *Constitutiones Ecclesiae Aethiopicae* (B. 189-190) et *Ecclesiae Aegyptiacae* (F. D. 2, 99-100), *Canonum... reliquiae* (ed Hauler, p. 107), atque *Testamentum D. N. Jesu Christi* (Ed. Rahmani, 1899, p. 39-45). *De Testamenti* liturgia haec scribit apposite Rahmani (p. XLVI) : « Liturgia autem ipsa cum descriptione sancti « Justini martyris concordare omnino videtur... « tota proprie dicta liturgia in una oratione eu- « charistica, satis quidem prolixa, sed non inter- « rupta, consistit, et nonnisi ad finem eucharis- « ticae precis populus acclamat : Amen ! »

3. « Ei qui fratribus praeest panis affertur, « et poculum aquae et vini : quibus ille accep- « tis, laudem et gloriam universorum Parenti « per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit, et « gratiarum actionem pro dignatione, qua haec « ab eo accepimus, prolixe exsequitur. Postquam « preces et gratiarum actionem absolvit, popu- « lus omnis acclamat, dicens : *Amen. Amen* au- « tem hebraea lingua idem valet ac *Fiat.* Post- « quam autem is qui praeest preces absolvit, « et populus omnis acclamavit, qui apud nos « dicuntur diaconi panem et vinum et aquam « in quibus gratiae actae sunt unicuique prae- « sentium participanda distribuunt » (P.G. 6, 428). « Panis affertur et vinum et aqua ; et qui « praest, quanta ei suppeditat vis, preces et gra- « tiarum actiones emittit, et populus acclamat : « *Amen ;* et eorum in quibus gratiae actae sunt, « distributio fit et communicatio unicuique prae- « sentium » (col. 429).

4. Dubium sane est, utrum oblationi sacrificii an communioni congruat illud *Amen*, de quo Tertullianus in libro *De Spectaculis*, c. 25 : « Quale est enim... ex ore, quo *Amen* in Sanctum

« signaculum veritatis, *ad Corinthios* quo« que prima nos docet, in qua Paulus ait : « *Ceterum si benedixeris spiritu, quis sup« plet locum idiotae ? quomodo dicet amen « super tua benedictione : quoniam quidem « nescit quid dicas* (*I Cor.*, 14^{16}) ? Ex quo « ostendit non posse idioten respondere « verum esse quod dicitur, nisi intellexerit « quod docetur » (Hieronymus, *Commentariorum in Epist. ad Galat.*, l. 3, c. 6, P.L. 26, 438). Quare *Amen* illud, post doxologiam canonis a fidelibus emissum, habet Augustinus pro quadam populari subscriptione. « Cum audieritis a sacerdote : « *Sursum cor*, respondetis : *Habemus ad « Dominum*. Laborate ut verum respon« deatis ; quia apud acta Dei respondetis. « Sic sit, quomodo dicitis ; non lingua « sonet, et conscientia neget. Et quia hoc « ipsum, ut sursum habeatis cor, Deus « vobis donat, non vires vestrae, ideo « sequitur, cum dixeritis habere vos sursum « cor ad Dominum,... *Domino Deo nostro « gratias agamus*. Unde gratias agamus ? « Quia sursum cor habemus, et, nisi illud « levasset, in terra jaceremus. Et inde « jam, quae aguntur in PRECIBUS SANCTIS, « quas AUDITURI estis, ut, accedente verbo, « fiat corpus et sanguis Christi. Nam, tolle « verbum, panis est et vinum ; adde ver« bum, et jam aliud est. Et ipsum aliud, « quid est ? Corpus Christi et sanguis « Christi. Tolle ergo verbum, panis est et « vinum ; adde verbum, et fiet sacramen« tum. AD HOC DICITIS : *Amen. Amen* DI« CERE, SUBSCRIBERE EST. *Amen* latine « interpretatur *Verum*. DEINDE dicitur « dominica oratio, quam jam accepistis « et reddidistis. Quare ANTE dicitur quam « accipiatur corpus et sanguis Christi ? « Quia, etc. » (Sermo inter editos a Michaele Denis sextus, n. 3. P.L. 46, 836)[1].

Quia autem « *amen* dicere, subscribere « est », ideo Augustinus in mysteriis distinctam vult castigatamque adhiberi elocutionem, « ut populus ad id quod plane « intelligit, dicat : *Amen* » (*De catechizandis rudibus*, c. 9, n. 13. P.L. 40, 320)[2].

« protuleris, gladiatori testimonium reddere ! » Quanquam comparationem cum doxologia canonis potius insinuant succedentia verba : « Εἰς « αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος alii omnino dicere nisi Deo « Christo ? » (P.L. 1, 657).

1. In eumdem sensum videtur scripsisse Theodoretus in *II Cor.*, 2^{20} : « Per ipsum Fili« um eucharistiae hymnum Deo offerimus. *Amen* « autem non sine causa hic adjecit Apostolus : « sed docens, non solum orantem sacerdotem « offerre hymnum, sed et eum qui adjiciat *Amen* « participem esse oblatae laudis » (P.G. 82, 384).

2. Quare etiam Justinianus in quadam novella (123. P.L. 72, 1026), occurrens usui jam irrepenti demissioris vocis, habet : « Jubemus ut « omnes episcopi pariter et presbyteri, non tacito « modo, sed clara voce, quae a fideli populo « exaudiatur, sacram oblationem, et preces in « sancto baptismate adhibitas, celebrent : quo « majore exinde devotione in depromendis « Domini Dei laudibus audientium animi effe« rantur. Ita enim et divus Apostolus docet, di« cens in prima ad Corinthios epistola : Enimvero « si solummodo benedicas spiritu, quomodo qui « privati locum implet dicet ad gratiarum ac« tionem tuam Deo ipsum *Amen*, quandoquidem « quid dicas non videt. » Evidens quippe est ex « verbis Justini et Dionysii supracitatis, fuisse « Romae et Alexandriae in usu olim claram et altam pronuntiationem anaphorae seu canonis, quicquid in oppositum scripserit Le Brun (*Explication de la messe*, t. 8. Paris, 1778, vol. 3). Vixque fieri potuit aliter, quamdiu nondum erat in certas formulas redacta liturgia (cf. A. Fortescue, *The Mass, a Study of the Roman liturgy*, 1914, p. 113-115), sed permissa arbitrio devotionique celebrantis, nec proinde populis, nisi audiretur, comperta. Quomodo enim populus assentiretur orationi, si nesciret quid oraretur ? Cum autem formulae fixae sunt, tunc populus potuit ratihabere orationem, quin audiret : nimirum si modo moneretur a scientibus, puta a diacono, ut fiebat in liturgia Constitutionum Apostolicarum quoad invocationem et intercessionem. Non igitur jam necessaria erat publica enuntiatio mysteriorum ; nec, si diaconus interim pronuntiabat suas monitiones, fieri illa poterat. Unde potuit intercidere usus pristinus. Quod autem asserit Remigius Antissiodorensis (*De celebratione missae et ejus significatione* P. L. 101, 1256, vel fortasse interpolator aliquis operis posterior), et post ipsum Belethus (*Rationale Divinorum Officiorum*, c. 44 et 46. P.L. 202, 52-54) : ideo esse inductam tacitam recitationem, « ne verba tam sacra, et ad tantum mysterium « pertinentia, vilescerent, dum pene omnes per « usum ea retinentes, per vicos et plateas, aliisque « in locis, ubi non conveniret, ea decantarent » (Rem. Ant.) ; ad cujus probationem allegatur utrinque quaedam historiuncula narrata a Joanne Moscho in *Prato Spirituali* (c. 196. P.G. 87ter, 3080-3084, et P.L. 74, 225-226) : illud sane nullo fundamento nisi frivolo nititur (cf. Le Brun, *loc. cit.*, p. 105-108 et 158-173).

Tenuis est conjectura Edmundi Bishop (*Silent recitals in the Mass*, in T. a. S., vol. 8,

Non aliter autem quam Augustinus intellexerunt mediaevales viri illud *Amen*, quod dicitur sub finem nostrae doxologiae *Per ipsum et cum ipso et in ipso*..., ad complendam orationem eucharisticam priusquam incipiatur oratio dominica.

De ipso enim habet Florus Lugdunensis : « *Amen*, quod ab omni Ecclesia « respondetur, interpretatur Verum, non « ubicumque, et quomodocumque, sed « mystica religione. Hoc ergo AD TANTI « MYSTERII CONSECRATIONEM, sicut et in « omni legitima oratione respondent fideles « et RESPONDENDO SUBSCRIBUNT » (*De Expositione missae*, n. 74. P.L. 119, 65).

Pariter Remigius Antissiodorensis : « *Amen*, autem, quod ab omni Eccle« sia respondetur, interpretatur Verum. « Hoc ergo ad TANTI MYSTERII CONSUM« MATIONEM, sicut et in omni legitima « oratione, respondent fideles, et quasi « SUBSCRIBUNT RESPONDENDO » (*De celebratione missae et ejus significatione*. P.L. 101, 1265. Cf. Raban. Maur., *De Cleric. Institut.*, l. 1, c. 33. P.L. 107, 323 ; Auct. incert. *Micrologi*, c. 7, P.L. 151, 981).

Simile quid colligi potest ex osculo pacis, olim intra missas usurpari solito promiscue a fidelibus. Sive enim, ut in liturgiis orientalibus atque in gallicana et mozarabica erat mos, locum in offertorio habebat, sive habebat in communione, ut Romae (saltem post secundum saeculum)[1] mos fuit, videtur sane inter causas dandi osculi haec posse numerari, quam assignat Innocentius I in *Epistola ad Decentium Eugubinum* (c. 1, n. 4. P.L. 20, 553) : « Pacem « igitur asseris ante confecta mysteria « quosdam populis imperare, vel sibi inter « se sacerdotes tradere, cum post omnia « quae aperire non debeo, pax sit neces« sario indicenda, per quam constet PO« PULUM AD OMNIA, QUAE IN MYSTERIIS « AGUNTUR ATQUE IN ECCLESIA CELEBRAN« TUR, PRAEBUISSE CONSENSUM[2]. »

Constat igitur adstantes fideles prae ceteris non adstantibus in oblatione sacrificali majores partes habere intimioresque. Quare non dubitat S. Leo M. sacrificium perhibere ab ipsis oblatum, in *Epistola* 9, *ad Dioscorum Alexandrinum*, cap. 2, *De iterando missae sacrificio ut plebi supervenienti satisfiat* : « Necesse est autem ut « quaedam populi pars sua devotione pri« vetur, si, unius tantum missae more « servato, SACRIFICIUM OFFERRE NON POS« SINT, nisi qui prima diei parte convene« rint » (P.L. 54, 627)[3].

Quae cum ita sint, non mirandum est quod diaconus, veluti primicerius fidelium, dicat cum sacerdote : « OFFERIMUS tibi « calicem salutaris... pro nostra et totius

n. 1, 1909, p. 124), originem secretae recitationis fuisse Syriacam, propterea quod attestetur Narsai suo tempore (exeunte saeculo v) in sua Ecclesia (Nisibena) solitum esse recitari canonem secreto. Immo potuerunt causae eaedem, cum liturgicae (ut supra), tum psychologicae (quae facile cogitanti tibi occurrent), sparsim in universa Ecclesia, et orientali et occidentali, parere effectus eosdem.

Ad rem praesentem pertinet, quod in *Constitutionibus Ecclesiae Aegyptiacae*, juxta versionem copticam (G. H. Horner, *The Statutes of the Apostles, or Canones Ecclesiastici*, London, 1904, p. 309), quae, judice R. H. Connolly (*The So-Called Egyptian Order and derived documents*, in T. a. S., vol. 8, n. 4, Cambridge, 1916, p. 65), exhibet veriorem textus lectionem, episcopus non tenetur memoriter perorare eucharistiam, sed potest agere extemporalem, si idoneus sit. « Now (de) « the bishop shall give thanks (eukharistou) « according to things which we said before. It « is not altogether (ou pantōs) necessary for « him to recite the same words which we said « before, as if learning to say them by heart « in his thanksgiving (eu.) to God ; but according « to the ability of each one he is to pray » (Horner, *op. cit.*, p. 309).

1. Cf. Dom Cabrol, art. *Baiser*, in D. A. C., 2, p. 118-127.

2. Hanc explicationem susceperunt mediaevales viri, sive liturgistae, ut Innocentius III (*De sacro Alt. Myst.*, 6, 5. P.L. 217, 909), sive canonistae, ut Gratianus (*De Consecrat*, dist. 2, c. 9.).

3. Ultra fas progreditur B. Guerricus Abbas, dum in sermone *de Purificatione B. Mariae* quinto (n. 16. P.L. 185, 87), haec scribit : « [Sa« cerdos] non solus sacrificat, non solus conse« crat, sed totus conventus fidelium qui adstat, « cum illo consecrat, cum illo sacrificat. » Attamen, ne inique premantur verba viri pii et orthodoxi, quem minime latere potuit solis sacerdotibus esse concessam potestatem sacramentum eucharistiae conficiendi, putandum est vocem *consecrare* usurpatam esse sensu, non technico, sed lato quodam, secundum quem idem sonat ac Deo deputare, vel mancipare, vel offerre, aut certe per hendiadyn ambas voces *consecrare* et *sacrificare* esse conjunctas, ut intellegatur offerri

« mundi salute » ; vel quod ipse sacerdos, conversus ad populum dicat : « Orate, « fratres, ut MEUM AC VESTRUM SACRI- « FICIUM acceptabile fiat apud Deum Pa- « trem omnipotentem[1] » ; deinde ad Deum conversus : « Hanc igitur OBLATIONEM « servitutis nostrae [hoc est : meam], SED « ET CUNCTAE FAMILIAE TUAE [hoc est « populi], quaesumus, Domine, ut placatus « accipias[2] » ; atque rursus etiam post consecrationem : « Nos servi tui [hoc est : ego], « sed ET PLEBS TUA SANCTA [hoc est : po- « pulus]... OFFERIMUS praeclarae majes- « tati tuae, de tuis donis ac datis, HOSTIAM « puram, hostiam sanctam, hostiam imma- « culatam, PANEM sanctum vitae aeternae, « et CALICEM salutis perpetuae. »

Hanc olim promulgabant oblationem propriam adstantium diptycha vivorum, qualia nobis in mozarabica missa cottidiana asservata sunt : « Offerunt Deo Domino « oblationem sacerdotes [*intellege :* sacer- « dotis] nostri papa romensis et reliqui, pro « se et pro omni clero ac plebibus Ecclesiae « sibimet consignatis, vel pro universa « fraternitate. Item offerunt universi pres- « byteri, diaconi, clerici ac POPULI CIR- « CUMADSTANTES, in honorem sanctorum, « pro se et suis. Offerunt pro se et pro uni- « versa fraternitate » (P.L. 85, 541-543). Expressior etiam in oratione *post-pridie* feriae 2^ae^ post Pascha distinctio fit inter « offerentes » (stipe collata) et « adstantes » (nullam procurantes materiam sacrificii) : quorum tamen indiscriminatim dicuntur esse propria ea, quae vota sunt et offeruntur, sacrificia : « Deferatur in ista solemnia « Spiritus tuus sanctus, qui tam adstantis « quam offerentis populi et oblata pariter « et vota sanctificet » (P.L. 85, 491).

Quod si igitur adstantium sacrificium est quod agitur, non dubitandum est quin, aucta ipsorum devotione, augeatur, respectu effectus ab ipsis intenti, valor ascendentis ad Deum oblationis sacrificalis.

sacrificium quod consecratione peragatur. Offert autem populus cum sacerdote, ita ut offerat per sacerdotem ; non enim pari passu offerunt sacerdos et fideles ; nec dividitur solum secundum plus et minus eorum vis aut activitas oblativa, sed secundum modum et modum. Alio enim modo offert sacerdos, alio fideles. Est enim ipse sacerdos, ut diximus, unicum organum activae oblationis. Fideles autem, quocumque modo intercedant, non offerunt nisi mediante illo organo, quatenus cum ipso unum corpus organicum constituunt. Per ipsum tamen ita offerunt, ut recte imputetur illis sacrificium, proindeque sacrificii valor eorum devotione afficiatur.

1. Bossuet, *Manière de bien entendre la messe*, ad *Orate fratres* : « Cet endroit de la messe « est très important. Le prêtre, prêt à entrer « dans l'action du sacrifice se retourne pour aver- « tir les assistants que c'est en leur nom qu'il va « offrir, et il demande la société de leurs prières « dans le sacrifice QU'ILS DOIVENT OFFRIR AVEC « LUI » (conferantur ea quae scribit de offertorio : « Il faut songer que le prêtre offre au nom « de toute l'Église, et qu'EN LUI ET PAR LUI, « TOUS LES ASSISTANTS DOIVENT AUSSI offrir à « Dieu LEUR sacrifice »). Quod illa verba sint introducta per respectum ad munera, quae celebrans haud secus atque populus offerret consecranda (Batiffol, *Leçons sur la messe*, 23), per hoc non praejudicatur quin, sicut et reliquae ejusdem styli precationes, intellegenda sint de sacrificio nostro vero atque unico, cujus est ut sit corporis et sanguinis Christi, apparet autem quasi panis et vini.

2. Apposite Le Brun (*Explication... de la messe*, vol. 1, 1777, p. 441-442) : « Un grand nom- « bre d'anciens missels nous font entendre que « ces mots *servitutis nostrae* designent le prêtre, « et qu'on entend par *cunctae familiae* tous les « fidèles qui, pendant la messe, composent la « famille ou l'assemblée, dont le prêtre est re- « gardé comme le père ou le président. Dans « ces anciennes messes, où la prière *Hanc igitur* « est quelquefois plus étendue, le prêtre y « marque aussi plus distinctement son oblation « particulière : *cette oblation de ma bassesse,* « dit-il, *cette oblation que votre serviteur vous* « *offre* (Hanc oblationem humilitatis meae, « *Missal. Illyr.* Hanc igitur oblationem quam « tibi offero ego famulus tuus hodie, *Cod. Sa-* « *cram. Thom.*). Et quand il dit : *Servitutis nos-* « *trae,* on voit que *nostrae* est mis pour *meae,* « comme divers auteurs l'ont remarqué depuis « plusieurs siècles (Servitutis nostrae, id est : « meae, Durand, l. 4, c. 39, n. 1). On ne trouve « pas moins distinctement dans ces messes l'ex- « plication des mots *sed et cunctae familiae,* « pous signifier l'assemblée actuelle des assis- « tants. Car, à la messe de la Dédicace, dans la « prière *Hanc igitur,* le prêtre ajoute : *toute la* « *famille qui vient se réunir avec empressement* « *dans ce lieu saint de prière* (Cunctam familiam « tuam ad aulae hujus suffragia concurrentem. « *In Dedicat. Basil. Cod. Sacram. Thom*)... Ce- « qui peut encore nous porter à entendre ici « par *notre servitude* et *toute votre famille,* le « prêtre et les assistants plutôt que toute l'Église « c'est qu'ils demandent à Dieu d'être reçus « favorablement en considération de l'Église « universelle, à laquelle ils sont unis » etc. (cf. *ibid.*, p. 491). Locutio *servitutis nostrae* originaliter significabat pluralitatem concelebrantium.

Elucidatio XXVIII.

Unde habes quomodo computari possit fructus missae; quidve sentiendum sit de obligatione celebrandi tot missas quot sint accepta stipendia.

Potest computari primo fructus unius missae uni stipendio respondentis ; deinde comparari potest fructus unius missae ad debitum ex pluribus stipendiis ortum. Quae sunt duae diversae quaestiones.

ARTICULUS I. DE FRUCTU UNIUS MISSAE AB UNO FIDELI DEMANDATAE.

Jam vero unde dimetiendus sit valor missae a certis fidelibus oblatae, tandem luculenter constat : siquidem pretium hostiae infinitum expenditur secundum quamdam rationem attemperationis ad devotionem offerentium. Et primo quidem ac principaliter, ad devotionem generalem Ecclesiae ; at secundario, et quasi cumulative, ad devotionem sacerdotis celebrantis, ad devotionem stipem dantium, denique ad devotionem adstantium (inter quos eminent ii qui ad altare ministrant). Quo devotius sibi appropriat Ecclesia universalis oblationem factam a Domino in coena, in cujus oblationis virtute ipsa offert : quo devotius sibi eamdem appropriat sacerdos, ceterique supra enumerati : eo magis valet apud Deum sacrificium nostrum, utpote uberiorem capiens atque irrigans ad nos venam coelestem, scaturientem satisfactionibus dominicis, olim redditis in passione, nunc autem a nobis Deo in missa exhibendis.

Advertendum interea, fideli stipem danti posse etiam competere rationem adstantis, sicque eumdem esse duplici titulo offerentem ; et quia alia sit devotio posita in erogatione stipendii, alia in auditione missae, posse unum fructum ex priore titulo derivari, alterum ex posteriore. Idem censeas de sacerdote, qui praeterquam sit publicus Ecclesiae minister et deferat dona stipem dantis[1], etiam potest simul, sicut quilibet adstans, suo proprio et privato nomine offerre : quod in canone missae indicatur verbis ad commemorationem sive vivorum sive defunctorum spectantibus.

Jam vero, sicut omnes illi potuerunt ad eamdem intentionem offerre, sic potuerunt ex iis alii ad aliam. Potuit idem fidelis ut stipem dans dirigere suam intentionem in unum finem, et praeterea ut adstans in alium finem. Similiter sacerdos potuit intentionem unam habere ut deferens dona oblata (quae est omnino principalis, eo quod stipendium materiam praebet sacrificio ejusque exsistentiam principiat), et alteram ut aequivalens adstanti.

Quibus positis, haec conclude.

1° Quanto pluribus titulis a certo fideli missa offertur pro uno eodemque, eo magis huic prodest.

2° Quo plures sunt illi, pro quibus est a certo fideli cum certa devotione ex certo titulo missa oblata, eo minor ad unumquemque ipsorum pertingit fructus missae, ut ab isto fideli oblatae : siquidem tali oblationi respondet fructus devotioni oblatoris proportionatus : qui proinde cum sit certae mensurae, nequit esse tantus respectu multorum quantus foret respectu unius. Si igitur idem fidelis cum eadem devotione ex eodem titulo eamdem missam, quam obtulit pro multis, obtulisset pro uno, plus huic profuisset, quam profuit singulis illorum. Puta si quis stipem dans, atque sacerdos ex ejus parte, offerant pro decem peccatoribus, unicuique horum obtinget quasi decima pars fructus provenientis ex opere operato missae ut ab illis oblatae ; item si adstans fidelis offerat pro decem, unicuique horum obtinget quasi decima pars fructus provenientis ex opere operato missae ut ab isto oblatae. Notandum

1. Praeterea potest sacerdos celebrans ipse in loco esse stipem dantis, cum scilicet, nullo accepto stipendio, veluti ex propriis bonis sacrificium subministrat.

tamen est, posse ex crescente numero intentionum crescere in adstante fideli devotionem adeo, ut unicuique ex illis promovendis vix non tantum inserviat sacrificium, quantum si sola esset.

3° Quo plures fideles adstant, eo magis, ceteris paribus, crescit valor totalis missae[1]. Etenim tot sunt oblationes, quot sunt oblatores ; nec devotio unius alterius devotioni officit ; nec proinde detrahit una oblatio alteri, sed accrescit. Ergo quod unus, audiens missam, inexhaustibile bonum aliqualiter suum facit, nil praejudicat alteri idem agenti, etiamsi diversae sint singulorum intentiones. Quod si conspirent, eo validior erit in finem communem vis cunctorum unita, et veluti multiplicata. Non igitur sine causa ad missam sive nuptialem, sive exsequialem, fideles rogant amicos suos ; nec frustra Ecclesia cogit coetum popularem ad sacrificium votivum pro re gravi offerendum.

4° Ex eo solo quod Ecclesia per orbem dilatatur, non sequitur necessario aut majorem aut minorem derivari ad singulos Christifideles fructum communem sacrificii. Nam communiter universi pro universis offerunt. Unde simul atque crescit numerus eorum a quibus offertur, etiam crescit numerus illorum pro quibus offeratur, et e converso. Quare, ceteris paribus, manet eadem pars communis fructus singulis obtingens. Et sic constat, qualiter valor missae quantificetur primario quidem per devotionem Ecclesiae, secundario autem et cumulative per devotionem sacerdotis, stipem dantis, et adstantium : ita ut etiamsi nulla sit particularium offerentium devotio, tamen semper vigeat devotio Ecclesiae ; et fructus necessario major oboriatur semper, quam mereatur ex sese, secluso hostiae pretio, affectus Ecclesiae caritativus, sive in recompensatione malefactorum sive in imprecatione beneficiorum positus[2].

Articulus II. De obligatione intrinseca celebrandi tot missas quot sunt accepta stipendia.

Potest comparari fructus unius missae cum debito orto sive ex plurium fidelium stipendiis singulis, sive ex unius fidelis stipendiis pluribus. Quae sunt duae distinctae considerationes.

Membrum I. De fructu per comparationem ad stipendia singula plurium fidelium. Examinatur sententia Cajetani.

Jam exsurgit nova quaestio, eaque subtilis, quam movit Cajetanus, in 3 S. 79, 5, et potissimum in tomo 2° *Opusculorum*, tractatu III, q. 2 ; nonne, quemadmodum ex numero adstantium augetur efficacia missae (ita ut fructus ab uno collectus minime officiat fructui collecto ab alio), sic etiam, ubi plures fideles sibi singulis unam integram missam petunt, erogato a singulis stipendio unius missae justo, forte possit missae unius singularis pro omnibus simul stipendiis celebratae valor atque efficacia adeo crescere (pro plurificatione scilicet devotionum mandantium ac procurantium), ut tantumdem valeat illa unica missa ad promovendas singulas singulorum erogatorum intentiones, quantum valerent plures, si pro singulis singulorum fidelium stipendiis essent missae singulae celebratae[3].

1. Franciscus a Victoria : « Augetur « etiam VALOR MISSAE ex assistentia audientium : « OFFERUNT ENIM SACRIFICIUM CIRCUMSTANTES. « ...Unde regulariter majoris valoris est missa « dicta UBI SUNT MULTI, quam ubi sunt pauci » (*Summa Sacramentorum Ecclesiae*, 1594, fol. 47-48). Dominicus Soto, agens expresse de inferioribus ministris et adstantibus fidelibus : « In sacrificio quanto plures sunt offerentes, « tanto major est VALOR SACRIFICII ; non quidem in singulis, sed in omnibus simul, quia « unusquisque eamdem offert hostiam » (4 D. 13, q. 2, a. 1).

2. Qui delectantur formulis mathematicis, possunt illud sic efferre :

Si x_1 sit devotio Ecclesiae ...... $(> O)$
Si x_2 sit devotio sacerdotis ...... $(\gtreqless O)$
Si x_3 sit devotio stipem dantis . $(\gtreqless O)$
Si x_4 sit devotio adstantium[3] ... $(\gtreqless O)$

Si y sit valor missae, jam scribi potest

$$y = f(x_1, x_2, x_3, x_4) \geq f(x_1) > x_1, > O.$$

3. Non igitur de casu, quo plures fideles ultro

Quam ad quaestionem si affirmative responderis, jam sequetur minime fraudari fidelem a sacerdote unam tantum missam pro ejus simul stipe atque alterius celebrante : siquidem non minuitur proventus.

Jam vero affirmativam tenet Cajetanus, fretus nimirum illo ipso principio, quod a nobis in audientibus missam est advocatum : devotionem devotioni non detra« here. Quantitas, inquit, devotionis unius « [stipem dantis] nihil tollit de quanti« tate devotionis alterius » [stipem pariter dantis] (3 S. 79. 5). Rursusque : « Quantitas « devotionis magis pensatur quam quan« titas rei oblatae. Et quoniam ex parte « rei oblatae est infinitas in hoc sacrificio, « et per unicam devotionem non exhauri« tur, nec minuitur, consequens est ut non « solum pluribus, sed infinitis devotioni« bus unicum sacrificium sufficienter re« spondeat, cuilibet certam pariendo satis« factionem. Nihil igitur adimitur alicui « facienti pro se offerri hoc sacrificium... « ex hoc quod alter procurat eamdem [mis« sam] pro se dici, nec e converso : sed uni« cuique respondet tantumdem, quantum « si pro se solo diceretur : quia unicuique « sufficienter et efficienter juxta quantita« tem devotionis suae » (tom. 2, tract. 3, q. 2)[1].

Minime autem tenet Cajetanus, SECLUSA PLURALITATE STIPEM DANTIUM, posse vel erogatorem vel sacerdotem efficere sua sola voluntate ut sacrificium, ad salutem plurium oblatum, tantum unicuique proficiat, quantum, oblatum ad salutem unius, huic proficeret. Immo tenet contrarium : « Cave « tamen, inquit, hic ne fallaris, putans « ex hoc sequi quod una missa tantum « satisfaciat, si dicatur pro uno, quantum « si dicatur pro pluribus. Hoc enim non « sequitur ex dictis : quoniam non diximus « quod effectus hujus sacramenti respon« det intentioni sed devotioni. Non enim « quantum intendo ex hoc sacrificio satis« facere, tantum satisfacio, sed quantam « devotionem habeo, tantum ex illo haurio. « Unde si ego offerens hoc sacrificium habeo « devotionem tantam, quam ei respondet « in hoc sacrificio satisfactio unius anni, « et intendo celebrare pro satisfactione « unius, ille relevabitur satisfactione unius « anni. Si autem intendo satisfacere pro « duobus aequaliter, quilibet relevabitur « pro medio anno tantum, si pro tribus pro « tertia parte anni : et sic de singulis. » Quod tenet de sacerdote, idem tenet de unoquoque stipem dante. « Et similiter, « inquit, etiam dico de satisfactione re« spondente devotioni Martini, qui facit ce« lebrari eamdem missam, quod, si pro uno « sit, totam sortitur ille ; si pro pluribus, « dividitur inter eos. Et similiter dico de « quibuscumque aliis facientibus eamdem « missam celebrari. Semper enim satis« factio cuilibet devotioni respondens est « finita, et si ad plures per intentionem « applicetur, dividitur, et minus a sin« gulis participatur. Et sic verificatur theo« logorum sententia, dicentium effectum « hujus sacrificii finitum et divisum mino« rari in eis quibus applicatur. Intelligitur

conspirent in unum stipendium missae conflandum ex singulis suis oblationibus, quantumvis forte aequantibus aut etiam superantibus solitum vel taxatum stipendii censum ; sed solummodo agitur de casu, quo seorsim singuli unam missam sibi solis petant, collata utique a singulis integra stipe. De illo casu alio dicetur infra.

1. Juxta cl. Galtier *(La messe en seconde intention*, in *Nouvelle Revue Théologique*, février 1907, p. 84) hic est sensus Cajetani, ut, distinctione facta inter eos qui demandent sacrificium, et illos in quorum favorem demandetur, in casu proposito non minoretur quidem fructus missae respectu priorum, minoretur tamen respectu posteriorum. Sed praeterquam quod talis interpretatio a priori parum est probabilis, utpote quae everteret parallelismum in doctrina sancti Thomae constantem inter fructum missae ipsimet oblatori veluti reflexe obtingentem, et fructum alteri procurandum per modum suffragii ; insuper a posteriori repugnant verba evidentissima Cajetani : « Unde « arguendi instruendique simul sunt homines « ignoranter petentes vel exigentes pro sua « eleemosyna totam sibi missam dari AUT SUO « DEFUNCTO : nihil enim minus IPSE habebit « si mille alii petant eamdem missam pro seip« sis aut ALIIS DEFUNCTIS, quam si pro ipso « solo celebrari dicatur » (In 3 S. 79, 5). Cum igitur dicit (loco superius recitato) Cajetanus : « pro se », intellegendus est dicere, sicut et nos solemus in cottidiano sermone : pro se, id est pro sua intentione (sive reflexa in semetipsum, sive in alios protensa).

« enim (ut patet ex dictis) non in ordine « ad plurium devotiones, sed uti participa- « tum ab hac vel illa devotione » *(ibid.)*.

Nec rursus tenet Cajetanus ad intentionem promovendam unius fidelis, qui pro centum a se erogatis stipendiis missarum centum petierit celebrari missas, unius demum missae celebrationem singularem tantumdem valere, quantum valerent centum. Immo tenet oppositum ; et ratio ex principiis ejus fluit. Istius enim fidelis devotio, gratiositas dico habitualis et actualis fervor, cum sit, ex pacto inito, efficax circa centum sternenda Ecclesiae sacrificia, magis hauriet ex centum, quam ex uno tantum. Etenim centies hauriet devotio illa in eodem gradu spectata. Nec poterit sane centum haustuum aequalium fructus non esse uno centies major[1]. Ergo fraudaretur omnino fidelis singularis a sacerdote missas recitante pauciores, quam sunt ab illo stipendia computata (tom. 2, tract. 3, q. 2, ad 3m).

Igitur sufficientiam unius missae restringit Cajetanus expresse ad casum quo plurium fidelium singuli singulas sibi missas petant.

Quae sententia Cajetani, quamvis acuta ratione conficta, tamen non convincit Etenim magnopere interest, quantum ad multiplicationem fructus pro multiplicatione devotionum, inter partes adstantis et partes stipem dantis. Adstantes enim, ut diximus, vinculo, ut laxiore, ita multiplicabili, conjunguntur cum oblatione sacrificii : in quantum scilicet sunt fideles specialiter ratihabentes sacrificationem communi nomine Ecclesiae peractam. At stipem dantes, ut strictiore, ita prorsus singulari, nec multiplicabili, titulo intercedunt : nimirum ut praebentes materiam sacrificii et de facto et ex pacto adaequatam. Postquam enim quis ex condicto principiaverit sacrificium adaequate, non remanebit alteri locus idem sacrificium principiandi ; sed si quid hic contulerit, id extra ambitum reperietur materiae respondentis celebrationi istius sacrificii : cujus ratio est quia, ubi quid est non solum materialiter sed et formaliter adaequatum, id est datum et acceptum ut tale, nihil, stante tali pacto, accedet nisi omnino extrinsecum. Sicut non potest tributum bis solvi ; sed post tributum redditum quicquid superimpenditur, aliam rationem habet. Si igitur sacerdos ad intentionem Titii stipem formaliter integram dantis litet, NON POTEST simul litare ad intentionem Caii ut stipem dantis : etsi potest, suo nomine, ut diximus, veluti privato, intentionem etiam Caii suscipere per sacrificium promovendam. Sed pro tali genere beneficii aliquod veluti missae stipendium accipere, ut fraus, ita simonia foret : cum deficiat titulus cohonestans pecuniariam pactionem, qui unus demum est in ministratione materiae, seu sacrificii principiatione, positus.

Quare ex intrinseca rerum natura profluunt decreta Ecclesiae, quibus duae illae propositiones sunt damnatae, quarum una

1. Diversus erit casus, si alter fidelis unum dederit stipendium singulis a priore illo oblatis centies majus. Tunc enim respectu unius sui sacrificii liberalior exstiterit, et quidem centies liberalior, quam ille respectu sacrificiorum suorum singulorum. Devotio autem liberalitatis centies majoris (non tamen inordinatae) censebitur esse, ceteris paribus, devotio centies actuosior, id est, quoad exercitium intensior. Et pro tanto poterit ad cumulum centies excelsiorem perduci valor sacrificii. Sicque in fine fieri poterit, ut tantum percipiat fructum, qui unam missam petierit, quantum qui petierit centum. Unde patet quomodo fructuosior esse soleat una missa sollemnis *de requiem* quam non paucae missae privatae ; sicut scribit Zacharias Pasqualigo (*De sacrificio Novae legis*, q. 131, n. 10, Romae 1907, tom. 1, p. 133) : « Dicendum : « Sacrificium solemniter oblatum esse magis « efficax EX OPERE OPERATO quoad suum fructum propitiationis, satisfactionis et impetrationis. » Aliunde plures missae pluries locum dabunt exercendae devotioni sacerdotis et adstantium : qua ex parte major procuratur Dei honor et spiritualis utilitas Ecclesiae : proindeque pietas aliqua specialis exercetur. Quare, omnibus perpensis, servet unusquisque bonas consuetudines Ecclesiae probatas, et congruas conditionibus temporum, locorum, rerum ac personarum. Quod dictum est de uno erogatore stipis majoris, idem censendum de pluribus fidelibus in unum majus stipendium conflantibus ultro suas symbolas, quantumvis singulatim ex sese procurandae missae pares.

habet : « Duplicatum stipendium potest « sacerdos pro eadem missa licite accipere, « applicando petenti partem etiam spe- « cialissimam fructus ipsimet celebranti « correspondentem, idque post decretum « Urbani VIII » ; altera : « Non est CONTRA « JUSTITIAM pro pluribus sacrificiis stipen- « dium accipere, et sacrificium unum offer- « re. Neque etiam est contra fidelitatem, « etiamsi promittam promissione, etiam « juramento firmata, danti stipendium, « quod pro nullo alio offeram » (D., 1108, 1110)[1].

MEMBRUM II. EXAMINATUR SENTENTIA ALIORUM QUORUMDAM DOCTORUM DE FRUCTU MISSAE PER COMPARATIONEM AD PLURA UNIUS FIDELIS STIPENDIA.

Ultra sententiam Cajetani longe progreditur sententia Vasquezii, quam post Salmanticenses (disp. 13, dub. 6, n. 119 sq.) amplexus est sanctus Ligorius (*Theologia moralis*, l. 6, tr. 3, c. 3, dub. 1, seu *De eucharistia*, n. 312)[2] : « hoc sacri- « ficium oblatum pro pluribus perinde « singulis prodesse, ac si pro paucioribus « offerretur. » Ita Vasquez (disp. 231, cap. 3, n. 15) ; sive plurium fidelium stipendia intercedant ut supra, sive non : eo quod sacrificium operetur ad mensuram, non illorum qui offerant, sed ipsorum pro quibus offeratur : quorum unus devotione sua alterius devotioni nihil detrahat. Quare (secluso praecepto ecclesiastico) liceret, secundum illam sententiam, unam missam celebrare pro decem fratribus Caii, petentis sibi pro suis decem fratribus missas singulas, decem stipendiis erogatis. Quod sane in sententia Cajetani minime liceret.

In hoc vero decepti sunt praefati doctores, quod oblationem sacrificii pro aliquo, duxerunt parificandam cum collatione sacramenti alicui facta. « Sacrificium hoc, « inquit Vasquez, juxta mensuram devo- « tionis ejus pro quo offertur operari, ra- « tioni maxime consentaneum est, cum « operetur instar sacramenti ; sacramenta « autem juxta dispositionem recipientium « magis ac magis operari, apud scholas- « ticos certissimum sit » (Vasquez, disp. 231, c. 7, n. 50 ; cf. c. 3, n. 17). Immo vero inter sacrificium et sacramentum hoc maximum intercedit discrimen, quod sacramentum est aliquod bonum collatum a Deo homini ; sacrificium autem est aliquod bonum oblatum ab homine ipsi Deo, acceptum proinde et propitiatorium juxta illius affectum : mensuratur igitur sacramenti fructus, quae est gratia, ex dispositione ipsius recipientis ut talis ; mensuratur autem fructus sacrificii, quae est propitiatio, ex dispositione offerentis in quantum hujusmodi. Unde corruit ista sententia cum suo fundamento, neque ullam nobis videtur habere probabilitatem intrinsecam[3].

Facit tamen pro ea fucum, quod necessaria quidem est, in illis pro quibus offertur sacrificium, aliqua conditio, ut propitiatio sit relate ad ipsos efficaciter salutaris et proficua ; infallibiliter enim obtinentur proximo gratiae, sed non infallibiliter usus gratiarum. Item procuratur satisfactio tanta, sed non infallibiliter satisfactionis

1. Sapienterque praecucurrerat Concilium Lambethense A. D. 1281 (cap. 2, *De annalibus celebrandis et anniversariis*. Mansi, 24, 406). « Nec credat celebrans, se dicendo missam unam « posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque « promisit specialiter et in solidum celebrare. »

2. Posset pro ea advocari ex mediaevalibus Walafridus Strabus (*De eucharisticarum rerum exordiis et incrementis*, c. 22. P.L. 114, 948) : « In hoc error non modicus videtur, quod « quidam se non posse aliter plenam commemo- « rationem eorum facere, pro quibus offerunt, « nisi singulas oblationes pro singulis offerant, « vel pro vivis et defunctis non simul aestimant « immolandum ; cum vere sciamus unum pro « omnibus mortuum, et unum panem esse et « sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. « Quod si cui placet pro singulis singulatim « offerre, pro solius devotionis amplitudine, et « orationum augendarum delectatione id faciat, « non autem pro stulta opinatione, qua putet « unum Dei sacramentum non esse generale « medicamentum. Quodammodo enim in fide « imperfectus est, qui putat Dominum non dis- « cernere, quando una petitione pro multis roga- « tur, quid cui sit necesse ; vel fastidire eum aes- « timat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc « pro alio exhibetur. »

3. « Absit enim ne a quoquam catholico creda- « tur tantum intentione prodesse missam unam « devote celebratam mille hominibus pro quibus « forsan dicetur, quantum si mille missae pro

utilitas. Et primo quidem, peccanti ad mortem, atque gratiis Dei, etiam uberioribus, renitenti, non poterit esse haec propitiatio quantumvis importata per sacrificium, efficaciter salutaris. Secundo ipsi justo non erit proficua, quantumvis sacrificio vere procurata, satisfactio pro peccatis venialibus quae non doleat : cum nequeat poena tolli culpae non deletae, aut deleri culpa neutiquam dolentis.

Sed haec se habent in utroque potius per modum conditionis negativae, ut remotio obicis : cujusmodi obex si removeatur, tantum percipient singuli illorum, pro quibus obtuleris, fructum sacrificii in vitam aeternam, quanta eis obtingit pars boni respondentis tuae devotioni. Quod jam ipse Cajetanus in antecessum notaverat : « Devotio, inquit, quantificans affec- « tum sacrificii non se tenet ex parte « accipientium effectum, quamvis indis- « positio talium ad impediendam receptio- « nem talis effectus sufficiat (SACRIFICIUM « ENIM NON OPERATUR PER MODUM AGEN- « TIS, UT SACRAMENTA, SED PER MODUM « OBLATIONIS) ; sed se tenet ex parte con- « currentium ad tale sacrificium causaliter, « quomodolibet sit causalitas ista, puta « petendo, ministrando... » (tom. 2, tract. 3, q. 2). Unde concludas, immerito Cajetani patrocinium vindicari sententiae Vasquezii et S. Ligorii (Vasq. et S. Ligor., *loc. cit.)*, aut etiam concedi (J. Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, 3, Paderborn, 1905, 373). Conclude igitur, in omni quolibet casu laedi, ex natura rei, justitiam (et religionem praeterea gravissime), nisi tot missas celebraveris, quot acceperis stipendia.

APPENDIX D.

De concelebrantium sacerdotum stipendiis.

Hoc loco attentaverim equidem solutionem dubii jam in Elucidatione XXIII indicati : scilicet circa concelebrantium sacerdotum stipendia. Quod dubium nequit tolli priusquam aliquid de ipsa concelebrationis vi atque efficacia statuatur. Porro negotium illud concelebrationis eucharisticae est adhuc densissimis quibusdam obscuritatis theologicae nubeculis offuscatum : quanquam applicationem habet non solum in ordinationibus presbyterorum, sed etiam in consecratione episcoporum certissimam, et multo magis in usu orientali, legitimo inter nostros et frequentissimo, concelebrationis presbyterorum cum episcopo et episcoporum cum patriarcha, qui etiam fuit mos olim Ecclesiae Romanae et multarum aliarum Ecclesiarum occidentalium, praesertim gallicanarum (cf. P. de Puniet, art. *Concélébration*, in D. A. C.). Non solum disputatur de stipendiis ; nec solum disputatur de sacrificiorum numero ; sed etiam inter Scholasticos controversia est utrum consecrent omnes concelebrantes annon. Quae ipsa quaestio quam salebrosa sit, aut, ut habet Suarez, lubrica, compertum habebis, si conferas inter se disputationem prolixam satis Suarezii (disp. 61, sect. 4) et alteram longe prolixiorem Vasquezii (disp. 218, cap. 2-4), priorem illam evertentis. Quorum ceterum Doctorum neuter attentat salvare singulorum symmystarum consecrationes nisi pro casu satis chimaerico, quo cunctae simul (veluti in eodem mathematice uno instante temporis) absolverentur. At videntur ambo, quantum mihi judicare licet, deficere a simplicitate solutionis sancti Thomae.

Substernitur enim solutioni S. Thomae (3 S. 82, 2^{m}) admirabile illud principium : sacerdotium nostrum, cum sit in nobis per participationem dominici sacerdotii, esse essentialiter unum ; proindeque parvi referre, si actio exerceatur per sacerdotem individuum singulariter, an per collegium sacerdotale communiter et in solidum. « Sacerdos non consecrat nisi in persona

« eis devotione simili canerentur » *(Concilium Lambethense, loc. cit.)*. Praeterea nullificaretur practice damnatio lata a Pio VI contra propositionem Pistoriensem 30^{am} (D., 1530). In omni enim sacrificio offertur *pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis* ; nec proinde unicuique horum minor obveniret fructus, quam ulli pro quo litare intendit determinate sacer-

« Christi : multi autem [sacerdotes] sunt « unum in Christo. » Unde sequitur omnia sacramenta proprie sacerdotalia posse ex sese confici collegialiter : Scilicet Confirmationem (*Act.*, 8^{15-17}) ; Poenitentiam (Cyprian., *Ep.* 9. 2 ; 10, 1 ; 16, 2. P.L. 4, 251-252, 254, 257) ; Ordinationem ; Extremam Unctionem, ut apud Orientales, ita inter Latinos (Rev^mus^ C. Ruch, art. *Extrême-Onction du* Ier *au* IXe *siècle*, *in* D. T. C., col. 1983) ; et Eucharistiam. Quod non competit aliis sacramentis ; nam, ut notat S. Thomas (3 S. 67, 6), si plures ministri dicant : « Nos te baptizamus », nihil efficiunt, et hoc quidem, quia ex una parte, cum non sit stricte sacerdotalis actio, non habent ministri unde, ut tales, in unum collegium coalescant (praesertim cum possint esse extra ipsam Ecclesiam : adeo ut ne in unitatem quidem corporis ecclesiastici coeant ministri baptismi, ut tales ; et ex altera parte, ea est, ut notavit scite Vasquezius (Disp. 148, cap. 5, n. 39), nativa vis vocis *Nos baptizamus*, ut denotet conspirationem plurium in unum quid efficiendum collegialiter, per modum scilicet causae unius. Neque, ut patet, in matrimonio contrahendo, valet, si plures viri et plures feminae alloquantur inter se his verbis : Nos accipimus vos conjuges. Sed in illis sacramentis quae sacerdotalia sunt, semper totum sacerdotium agit, sive per omnes, sive per unum : quia unum sacerdotium nos, sacerdotes omnes, sumus in Christo, summo sacerdote uno.

Quo posito fundamento, dicendum : posse sacerdotes, conformiter omnino ad institutionem Christi, consecrare in solidum TANQUAM UNUM INDIVIDUUM PRESBYTERIUM : adeo ut prolationes, tot numero quot sunt sacerdotes, tamen non constituant (ex condicto) nisi UNUM SIGNUM SACRAMENTALE, ac proinde UNAM CONSECRATIONIS FORMAM : quae proinde non est completa, nisi postquam omnes absolverunt suam recitationem. Non quasi suspendatur (ut quidam commentati sunt) efficacia formae alicujus completae et integrae in suo genere, sed quia tunc demum collectiva illa prolatio (proindeque et forma) est (in quantum talis) integra atque completa. Unitas igitur illa variarum prolationum (quanquam diversarum physice nec terminatarum in eodem mathematico instante) in genere signi unius, seu sententiae et intimationis unius (qualis ab aliquo collegio procedere solet), seu, ut vocabulo Waldensis utar, promulgationis unius verborum dominicorum ad hunc panem ac calicem, salvat efficaciter unitatem consecrationis, tanquam profectae ab uno collective presbyterio celebrante. Et hoc sensu tenet, id quod aiebat S. Thomas *(loc. cit.)* post Innocentium III : intentionem singulorum referri ad idem instans consecrationis, scilicet ultimum ultimae prolationis[1] ; quae intentio includitur ipsa voluntate efficaci conspirandi in celebrationem unam. Et sic omnes consecrant, et consecratio est una ; et quamvis una sit, tamen, quia indivisibilis, in singulos refunditur tota. Nec tamen ullus ex symmystis est totalis causa, sed partialis tantum, quatenus est pars causae totalis.

Quia vero singuli sunt partes unius totalis causae, ideo fit, ut, si sacrificium sit demandatum ab aliquo fideli, debeatur singulis erogatae stipis sua pars. Juxta principia autem superius tradita (Elucid.

dos. « Doctrina synodi... sic intellcta, ut... specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae « fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis pro quibus applicatur, quam aliis « quibusque : ...falsa, temeraria » etc.

1. Cujus interpretationis et opinionis patronum salutamus Gregorium de Valentia (*Commentariorum theologicorum* tomus IV, disp. 6, q. 10, punct. 2, Venetiis 1608, col. 1104). « Sententia est D. Thomae ...omnes novos sacerdotes, qui cum episcopo celebrant, consecrare, licet finiant alii post alios, modo intentionem suam referant ad unum aliquod « et idem instans consecrationis, nempe ad « illud in quo ultimus vel ultimi simul finiunt « prolationem verborum. Atque hanc ego sententiam magis probo. » Quam igitur sententiam, cum non sit adeo modicae auctoritatis, non prudenter satis egerit qui traduxerit ut erroneam aut improbabilem.

XXVII) non censebitur sacrificium ab aliquo fideli demandari efficaciter, aut deferri vere ex ipsius parte, nisi is talem stipem contulerit unde victum suum accipiat clerus celebrans. Ubi igitur intercedit presbyterium concelebrans, adaequata stips debebit esse talis unde singuli alantur. Necessario ergo crescet cum numero symmystarum. Aliunde crescet etiam fructus ex opere operato pro majore devotione, se tenente cum ex parte plurium concelebrantium, tum ex parte liberalitatis in principiando sacrificio locupletiore majoris (Elucid. XXVII). Quare, donec aliter per Ecclesiam sit provisum, videtur posse tolerari, ut (quemadmodum mos est in Oriente) postquam sacerdos accepit ab aliquo fideli stipem (solita taxa haud minorem) unius missae pro illo celebrandae, deinde satisfaciat oneri suo in aliqua concelebratione. Nam quanquam est unum sacrificium omnium concelebrantium, tamen, ut dictum est, et aequivalet sacrificiis pluribus (nec proinde fraudantur fideles), et meretur singulis symmystis stipem ordinariae aequivalentem (nec proinde ditatur inhoneste sacerdos).

Sed haec dicta sint, non tam animo diffiniendi rem inter Doctores controversam, quam fideliter adlaborandi venationi veritatis theologicae communi.

Elucidatio XXIX.

Fidelibus vivis obvenit fructus missae et per modum veluti proprii quaestus et per modum suffragii. Fidelibus autem defunctis hoc altero certe modo.

§ 3. De qualitate percipientium fructum.

Quaeritur jam ad cujusmodi homines valeat missa repropitiandos vel juvandos.

Sectio i. — De fidelibus vivis et defunctis.

Et primo quidem, patet eos demum per missam repropitiari vel juvari ex opere operato, pro quibus missa offeratur : siquidem ille repropitiatur, cujus offensa compensatur ; compensatur autem per viam sacrificii offensa in quantum pro ea donum exhibetur; pro cujus igitur offensa donum redditur, is duntaxat repropitiatur. Similiter ratiocinandum erit, si sacrificium, seclusa propitiatione, consideraveris duntaxat ut impetratorium. Huic enim impetratio secundum sui rationem prodest, cui aliquid exoratur. Apposite Vasquez : « Ut sacrificium alicui « prosit ex opere operato, prodesse debet « tanquam sacrificium; ut autem prosit « tanquam sacrificium, necesse est ut pro « illo offeratur » (Disp. 231, c. 3, n. 11).

Ratio igitur formalis, sub qua spectandi sunt illi ad quos pertingit fructus, est ratio, non causae efficientis, sed causae finalis, respectu oblationis. Quapropter, si quis posset ita pro aliis offerre, ut nequaquam offerret pro se, is nullum in se derivaret fructum litationis. Qui casus in Christo obtinuit. Et haec quidem ratio est proxima cur tenendum sit, « Christo mortem « suam nihil profuisse per modum sacri« ficii, sed tantum ratione devotionis... et « ita Christum non suscepisse in se effec« tum sui sacerdotii, sed aliis potius ipsum « communicasse... : quia Christus non se « obtulit Patri pro seipso, sed pro aliis. « Dicitur autem profuisse illi sacrificium « mortis suae ratione devotionis, quia fuit « illi opus meritorium » (Vasquez, *ibid.*).

Uno autem excepto Christo, ceteri necesse est ut pro se simul atque pro aliis offerant sacrificium. Quod patet dupliciter, spectata scilicet indole sacrificii cum propitiatoria, tum etiam mere impetratoria. Ad propitiationem enim quod spectat, considerandum est, omnes adultos homines peccatores esse, nec posse peccatorem, praetermissis peccatis suis, compensationem pro alienis offerre acceptam. Quae ratio fuit cur sacerdotes legales necessitatem habuerint *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi* (*Hebr.*, 7^{37}. cf. 5^{3}. Vide Suarez, disp. 78, sect. 1, n. 3).

Ad impetrationem autem quod attinet, id sane est recolendum, quod etiam, dempta peccati noxa, quisquis in corpore peregrinatur a Domino, nondum est totaliter in finem suum translatus et principio suo conjunctus, quippe qui careat et visione beatifica, et amore illo summo, quo de Dei conspecta, sicuti est, felicitate et perfectione, ad plenum, sicuti dignum est, gaudetur[1]; immo periclitatur istius salus, saeviente in membris lege peccati, et malis hujus vitae animum prementibus. Id autem habet oblatio sacrificii, ut voluntatem significet, quam habet homo, se in Deum ordinandi atque ferendi. Tali autem voluntate importatur appetitio omnis divini beneficii ad istum finem necessarii. Appetitio ergo illa significatur per sacrificium, et veluti intimatur Deo. Intimata autem Deo appetitio est oratio. Ergo exorantur per sacrificium gratiae, sine quibus Deo non potest reddi ab oblatore id quod est illi in visibili donatione invisibiliter mancipatum. Unde rursus fit, ut quicumque inter nos eucharistiae sacrificium sincera mente offert, primum pro se offerat, et postea demum pro aliis, quos diligit instar

1. Ob quam unam rationem Beatae Virgini ipsi competiit primum pro se et deinde pro aliis sacrificium dominici corporis et sanguinis offerre, quo consummationem suam sibi impetrare et potuit et debuit.

sui. Et hac quidem ratione ipsi infantes baptizati, licet expertes cujusvis peccati, tamen juxta intentionem habitualem, quam secum fert infusa fides et caritas, dicendi sunt offerre pro se : scilicet ut obveniant ipsis beneficia Dei (inter quae semper maximum tenet locum perseverantia finalis).

Omnis igitur offerens, inter nos, etiam in numero est eorum pro quibus offertur : siquidem offert pro se. Sicque patet, fructum sacrificii ad omnes Ecclesiae catholicae fideles transire jam certe pro modo quo eos offerre contingit, sive solum habitu, sive etiam actu, pro suo quisque gradu et loco[1].

Insuper ultra oblationem quam quis pro seipso facere potest, etiam ab aliis potest pro illo offerri, non solum communiter, sed etiam specialiter, pro caritate qua compaginati in unitatem corporis Christi omnes inter se habere possunt et debent tanquam aliquid sui.

Et sic constat, quomodo ad quemlibet Ecclesiae militantis fidelem possit transire fructus sacrificii dupliciter : et PER MODUM PROPRII, ut ita dicam, QUAESTUS, in quantum pro se ipse offert[2] ; et PER MODUM SUFFRAGII, in quantum pro ipso offertur ab aliis. Quo sensu scripsit sanctus Thomas : « [Eucharistia] effectum sacramenti « habet in eo qui sumit ; effectum autem « sacrificii in eo qui offert, vel in his pro « quibus offertur. » Rursusque : « Haec « oblatio... fit satisfactoria illis pro qui- « bus offertur, vel etiam offerentibus « secundum quantitatem suae devotionis » (3 S. 79, 5 c.)[3].

Fidelibus autem purgantis Ecclesiae potest missa, in quantum est satisfactoria[4],

1. Cajetanus : « Cum enim sacerdos oret « et offerat in persona Ecclesiae, et quilibet « fidelis sit membrum Ecclesiae, consequens est « ut quilibet per sacerdotis actus oret et offerat, « et sic causaliter concurrat ad sacrificium : « ac per hoc quaelibet missa singulis fidelibus « prodest etiam satisfactorie juxta eorum de- « votionem, quam habent in communibus Ec- « clesiae orationibus et sacrificiis » (Opusc. tom. 2, tr. 3, q. 2).

2. Quod si quis autem offerat, non (specialiter) pro altero, sed pro se tantum, majorem, CETERIS PARIBUS, sibi ipsi conciliabit fructum sacrificii, sive propitiatorium sive impetratorium, quam si obtulisset pro altero. Quanquam enim offert pro se, qui pro altero offert, tamen ita offert pro se ut offerat pro duobus. Divisus autem inter duos, fructus minor unicuique obtinget, secundum dicta in praecedente sectione. Adverte etiam atque etiam sermonem non esse nisi de fructu ex opere operato, qui est in genere propitiationis et impetrationis. Si enim ageretur de fructu ex opere operantis, quale est meritum gratiae et gloriae, aliter dicendum foret, siquidem speciale meritum caritatis fraternae eo ipso adquiritur, quod quis in gratia exsistens offert pro proximo.

Propter eamdem rationem divisionis fructus inter duos, dicendum etiam, CETERIS PARIBUS, minus tibi prodesse sacrificium ab altero pro te oblatum, quam oblatum a te pro teipso.

3. Distinctionem inter duos illos modos percipiendi fructum sacrificii plerique, ne cum Salmanticensibus (*De Euchar.*, disp. 13. dub. 3, n. 52, coll. dub. 4) dicam omnes, Scholastici ante haec tempora observarunt sedulo. Unus pro ceteris audiatur Lugo (*De sacram. Euchar.*, disp. 19). « Sect. 10. *De iis quibus provenire « possunt effectus hujus sacrificii, quatenus pro « ipsis offertur.* Dupliciter potest aliquis partici- « pare fructus sacrificii ; primo, quando pro « ipso offertur ; secundo, quando ipse offert » etc. « Sect. 11. *De iis quibus, ut offerentibus, prove- « niunt fructus hujus sacrificii...* Inter quos pri- « mum locum obtinet minister immediatus, seu « sacerdos consecrans et celebrans. Deinde qui « ministrant, ut diaconus, subdiaconus et alii « ministri ; postea alii circumstantes ; illi etiam « qui stipem dant sacerdoti, vel alio modo con- « currunt ad oblationem sacrificii... Porro has « personas, praeter celebrantem, in aliquo sensu, « saltem mediate, offerre sacrificium, et non « solum pro iis offerri, dubitari non potest. » Legentur etiam utiliter Joannes a Sancto Thoma, in 3 S. 83, disp. 32, art. 3, *ultimo inquires*, et Pasqualigo, *De oblatione sacrificii*, tom. 1, q. 136, n. 1, 9 et 10.

4. Satisfieri pro debito poenae nondum a purgantibus animabus exsoluto, extra controversiam omnem ponit fides catholica. At subtilior est quaestio de reatu culpae : nonne possit compensari per sacrificium pro mortuis oblatum, adeo ut non solum satisfactio, sed etiam propitiatio exseratur. Et quidem merito quis dubitaverit, nonne possit defunctos retro, (ut ita dicam) repropitiare sacrificium missae : cum Christi Domini sacrificium, non solum omnes tunc viventes aut postea victuros, sed etiam mortuos anteactis saeculis homines omnes repropitiarit Deo. Ad quem modum scribebat Franciscus a Victoria (vel Thomas a Chaves ?) : « Quia Christus in ultima coena... seipsum « obtulit pro vivis et mortuis, IDEO missa offerri « potest pro peccatis vivorum et mortuorum » (*Summa Sacramentorum Ecclesiae*, ex doctrina R. P. F. Francisci a Victoria. *Huic editioni accesserunt multae quaestiones ex sanctorum*

prodesse certe posteriore modo, id est per modum suffragii : etenim ex una parte, ipsi egent satisfactione, et ex altera parte, conjuncti cum sint nobis per caritatem, possunt singuli eorum ab unoquoque nostrum haberi et intendi tanquam alter Ego.

Possitne vero priore modo illis prodesse, non sine distinctione est determinandum.

Si enim ipsi, cum in vivis essent, disposuerunt de missis pro se post mortem dicendis, puta per legatum assignata stipe, tunc prosunt illis tales missae priore modo, tanquam fructus scilicet propriae oblationis. Obtulerunt enim, ut stipem dantes, quantum erat ex ipsis, cum stipendia ad missae celebrationem ordinaverunt; dirigitur autem, secundum eorum intentionem, sacrificium ad propriam suam utilitatem ; proindeque fructum percipiunt sacrificii ut sui[1].

Excepto autem illo casu, non offerunt ulla ratione, neque actualiter, neque habitualiter, in ulla missa, nec proinde percipiunt ullum fructum tanquam suo sacrificio partum. Cujus ratio est, quia, ut mortui, sunt extra visibilem Ecclesiae coetum, ad quem neque re neque voto jam pertinent. Visibilis autem Ecclesiae solius est ut utatur rerum spiritualium symbolis sensibilibus, qualia sunt sacrificia. Quanquam igitur sunt nobis conjuncti caritate, tamen non sunt censendi conspirare nobiscum in communi oblatione sacrificii[2].

Ceterum non minus infallibilis est uti-

conciliorum decretis praesertim Tridentini... cura et studio R. P. F. Thomae a Chaves, 1594, fol. 54). Cui praecucurrerat simile argumentum ex Hugone Ambianensi : « Dic, quaeso, hostia quam Filius Dei in cruce Patri obtulit, « nonne pro defunctis fidelibus oblata fuit ? « Hostia quidem illa generalis tam praeteritos « quam praesentes et futuros expiavit... Hunc « itaque morem Ecclesia tenuit, ut ipsum in « praesenti pro suis offerat defunctis, sine quo « nec vivus poterit nec defunctus absolvi » (*Dialogorum* l. 5, c. 20. P.L. 192, 1213). Utique catholicum virum nullum fugit, non posse justificari post mortem eum qui mortuus sit in statu peccati. Nec proinde vis potest, salva fide, adscribi sacrificio missae transmittendi defunctum ex statu peccati in statum gratiae. Nihilominus, salva fide, autumaverit quis, Deum, intuitu sacrificiorum post mortem celebrandorum (veluti compensationis ab Ecclesia pro PECCATIS sui defuncti oblatae), potuisse PROPITIATUM impendere ante mortem misericordiam illi, ut se converteret et salvus fieret. Quemadmodum nec mors Domini, cum contigit, tum transmisit veteres Patres ex peccato in gratiam : quos tamen credenda est omnino repropitiasse a suis delictis Deo ; siquidem nullo fuit unquam tempore homo repropitiatus Deo nisi per mortem Christi. Ceterum, quia nullus potest in hominem jam defunctum induci mei praesentis sacrificii EFFECTUS RECENS nisi liberatio a poena, (cum nullus jam sit praesenti justificationi aut augmento gratiae locus), ideo recte solet dici, valere tantum sacrificium missae ad juvandos defunctos pro sua vi satisfactoria (intellege quantum ad mutationem nunc de novo in ipsis procurandam).

Quod diximus de retro compensandis defunctorum peccatis, nequaquam extendi debet ad retro impetranda (nobis vel aliis) bona praeterita : cum secus ac debiti persolutio, impetrationis motus in suo formali claudat respectum ad res sperandas, proindeque nondum habitas, sed futuras. Quare nec Christum in sua prece sacerdotali apparet orasse pro donis olim collatis in veteres Patres, sed tantummodo pro donis conferendis in eos qui in ipsum crederent aut credituri essent. Non sunt ergo laudandae mulierculae devotae, quod exorent Beatae Mariae Virgini vel immaculatam conceptionem vel maternitatem divinam, aut si quid ejusmodi. E contra, omnino permittendum, ut mater pia filii sui defuncti peccata repropitiet sacrificiis, et eleemosynis, omnique ope bonorum operum piacularium, sacrificio missae unitorum.

1. Conclude, ex annotatis supra, majorem, ceteris paribus, obvenire fructum satisfactionis animae purganti ex sacrificiis quae pro seipsa curavit offerri, quam ex iis quae pro illa de alterius mandato offeruntur.

2. Beati coelites non hac una de causa extra numerum eorum qui offerant sunt collocandi ; sed etiam, et potissimum, quia minime jam sunt in via, sed totaliter in termino. Omni enim sacrificatione significatur quidam veluti donationis motus, quo a donantibus nobis nostra propria substantia in Dei donatarii manus transeat. Sancti autem cum pervenerint jam ad Deum, cum sint Dei, non est jam quod transferantur ad Deum ; sed omnis talis motus exsulat ab iis qui jam in termino quiescunt. Rursus omni sacrificio contrahitur foedus : sed non est quod paciscantur cum Deo, qui jam sunt haereditatis divinae comprehensores. De angelis vero valet ulterius alia ratio ; quod nunquam in illorum censum translatum est sacrificium illud corporis et sanguinis Christi : quod a sacerdote nostro, non ipsorum, oblatum est in redemptionem nostram, non ipsorum, subofferendum a corpore Christi ecclesiastico, cujus nos membra sumus, non ipsi. Unde parum intellegitur, quomodo « angeli hoc affectu possint sacrificium

litas suffragii, ubi nullus est obex malae voluntatis, quam utilitas reflexae, ut ita dicam, intentionis et applicationis ; nec rursus minus infallibilis est respectu mortuorum quam respectu vivorum[1] : et hoc quidem totum, propter illam veluti spiritualem identitatem et unitatem omnium sanctorum, sive triumphantium, sive militantium, sive purgantium, in uno corpore Christi communicantium.

« missae Deo offerre » (Vasquez, disp. 226, c. 2, n. 10), quo fideles Ecclesiae militantis communiter offerunt. Immo non habet majorem potestatem angelus respectu sacrificii nostri quovis modo offerendi, quam respectu absolutionis sacramentalis impertiendae aut matrimonii contrahendi.

1. Ubi advocari possunt ea quae scribit Suarez (*De Poenitentia*, disp. 48, sect. 6, n. 5) de indulgentiis per modum suffragii animae purganti applicabilibus et INFALLIBILITER applicandis. De missae autem sacrificio agens Zacharias Pasqualigo (*De sacrificio Novae Legis*, q. 74, n. 3 et 4. Romae 1707, tom. 1, p. 78), citat innumeros theologos pro sua sententia : « Hoc sacrificium remittere infallibiliter poenas « animabus existentibus in Purgatorio ». « Sen- « tentia, inquit, est communis. »

Elucidatio XXX.

Nequaquam potest offerri sacrificium ex parte infidelium, aliorumve quovis modo extra visibilem Ecclesiae societatem versantium.

Sectio II. — De infidelibus aliisque extra visibilem Ecclesiae societatem versantibus.

De quibus duo quaeruntur : primo, possitne ex ipsorum parte offerri sacrificium ; secundo, possitne pro iis offerri per modum suffragii.

Articulus I. — De ipsorum inhabilitate ad procurandum sibi, per erogationem stipendii, missae fructum.

Principium idem valet in hac re, quod in ceteris quaestionibus superius de utilitate nostri sacrificii disputatis est adhibitum : missam non posse offerri nisi ab eo qui sit de corpore Christi. Cujus, ut diximus, ratio est quia : nemo offert hostiam Christi nisi ipse Christus, vel qui est ejus ; nec est Christi, nisi qui est in corpore, cujus est caput Christus. Nemo ergo offert ab Ecclesia alienus. Offert autem per sacerdotem, quicumque sacerdoti mandat deferenda dona[1]. Nequit ergo ex parte cujusquam ab Ecclesia alieni deferri missae sacrificium.

Apprime Lugo : « Ii qui non sunt Ecclesiae visibilis membra, non possunt offerre hoc sacrificium. Nam sacerdos non est sacerdos gentilium, sed solius Ecclesiae ; ergo solius Ecclesiae est legatus et nuncius ad Deum ; ergo non possunt per eum offerre nisi qui sunt de hac Ecclesiae republica, cui Christus reliquit hoc sacrificium » (Disp. 19, sect. 10, n. 167).

Membrum I. De infidelibus.

Alienissimus autem omnium ab Ecclesia est homo infidelis. Nequit ergo ex illius parte offerri sacrificium, sicut nec ipse potest sua per sacerdotem delegare dona consecranda Deo.

Inde sequitur, non fore vacuum simonia pactum, quo, infideli dante pecuniam vel aliquid istiusmodi, se vicissim sacerdos obligaret ex justitia[2] ad celebrandum juxta ejus intentionem. Nam deficeret in casu titulus, quo uno cohonestatur pecuniae pro missa retributio : ministratio scilicet materiae [adaequatae], qua intellegatur demandari sacerdoti sacrificium celebrandum. Quo titulo deficiente, nequit pecunia (si contractus fiat) haberi nisi ut pretium expetiti suffragii, seu acquirendorum fructuum missae. Erogans enim pecuniam infidelis, siquidem non mandat, ut faciunt fideles, sacrificium deferendum, quid tandem contractu attentat, nisi ut coemat sibi suffragium, quod fideles nunquam agunt ? Non enim, ut diximus, fideles mandantes sacrificium paciscuntur de suffragio sacerdotis sibi pro erogata stipe procurando ; sed ministerio, non suffragio sacerdotis sibimet ipsis, vel aliis quibus volunt, procurant fructum missae sua ex parte delatae . Sicut autem peccaret fidelis suffragium missae a se demandatae alteri pro pecunia tribuens, sic peccat sacerdos pro pecunia suffragium suae missae dans infideli.

Dices primo : pecuniam in tali casu non necessario habere rationem pretii vel compensationis, aut spectandam esse sinistro oculo tanquam « motivum conferendi vel « efficiendi spirituale[3] », sed ordinem habere ad sustentationem ministri, qui est legitimus titulus dandi et accipiendi temporale pro spirituali.

Respondeo : utique stipem a fideli erogatam pro missa habere ordinem ad sustentationem ministri, sed consequenter ad divinam legem, vi cujus licet sacerdoti-

1. Obsecro lectorem ut hic recolantur ea quae disputata sunt supra, in Elucidat. XXVII, de stipem dante et κοινωνίᾳ μετὰ προσφορᾶς.

2. Neve putes posse licite contrahi in tali casu ex fidelitate ; nam simoniacam rationem habet ipsa « gratuita *compensatio* pro spirituali » (D., 1195).

3. D., 1195.

bus vivere de altari, id est de sacrificiis, quae ipsis demandantur offerenda : adeo ut stips non adaequate principiet sacrificium, nisi includat sacricolae victum. Quare praesupponitur et substernitur titulo sustentationis, titulus demandati sacrificii : quo corruente, corruit et ille; nec ullus superest legitimus, quo possit sacerdos, sive ex justitia, sive ex fidelitate, pacisci cum dante stipem de bono missae.

Dices secundo, aliter esse provisum a sacra Congregatione S. Officii in solutione hujus dubii : « Utrum liceat sacerdotibus « missam celebrare pro Turcarum alio- « rumve infidelium intentione, et ab illis « eleemosynam pro missae celebratione « percipere. » Die enim 12 julii 1865 prodiit responsum : « *Affirmative*, dummodo « non adsit scandalum, ac nihil in missa « specialiter addatur, et quoad intentio- « nem constet nihil mali aut erroris aut « superstitionis in infidelibus eleemosynam « offerentibus subesse. »

Respondeo : illam decisionem, etiam nulla facta mentione approbationis pontificiae, gaudere auctoritate sua, eaque maxima ; ideoque, si interpretanda sit, ut prima fronte utique videtur, de pecuniaria pactione vera, hanc posse tuta conscientia in opus deduci, quamdiu non fuerit reformata decisio. At interea, dubitari potest nonne aliter forte sit interpretanda. Potuit enim in casu[1] talis intellegi *eleemosyna*, quam neque qui erogaret, constitueretur oblator seu auctor sacrificii, neque qui acciperet, contraheret ullam obligationem, neque ex justitia, neque ex fidelitate, sed tantummodo significaret, se ex caritate et gratitudine[2] celebraturum in illius commodum, per modum suffragii[3], ut dicetur in proxima Elucidatione.

Membrum II. De haereticis et schismaticis.

Quae dicta sunt de infideli, pariter valent de haeretico atque schismatico : quorum uterque alienus est a communione Ecclesiae, quae constat unitate fidei in vinculo pacis. Ab alterutro igitur acceptare stipendium missae, simoniacum foret, siquidem neutrius potest deferri sacrificium per sacerdotem, contitutum in his quae sunt ad Deum pro fidelibus.

At dices : non omnes in secta haeretica vel schismatica versantes sunt formali haereseos vel schismatis peccato implicati. Possunt quoad unum vel alterum articulum vel quoad jus legitimae auctoritatis, aliquot illorum laborare errore invincibili : qui nec virtute proinde fidei carent, nec quicquam prohibet quominus sint in caritate. Aliunde gaudent charactere baptismali, qui, ut dictum est, habet respectum ad eucharisticum mysterium. Ergo et ratione sacramentalis initiationis, et ratione gratiae invisibilis, reperiuntur tales intra ecclesiasticam unitatem constituti, nec extorres sunt nisi penes apparentias visibiles. Unde fit, ut reapse gaudeant potestate fidelium nativa offerendi per sacerdotem sacrificium Ecclesiae : quare licet sacerdoti ab iis stipendium acceptare.

Ad hoc respondeo : non carent sane tales communione invisibili cum Ecclesia, nec potestas illis adempta est, quae cha-

1. Idque pariter fortasse in responsione S. Congregationis *De Propaganda Fide* ad hanc quaestionem : « Se possa un missionario rice- « vere la limosina della Messa ed applicarla « secondo la mente o intenzione di un oblatore « gentile che abbia per iscopo di ottenere la « guarigione da malattia o la liberazione dal « carcere o dalla pena capitale che gli so- « vrasta. » Responsum est : « Affirmative », die 11 martis, 1848.

2. Huc, opinor, aptari possunt verba quae in alia causa protulit J. Bucceroni (*Institutiones theol. mor.*[5], t. 2, n. 632, p. 223) : « Po- « test pecunia accipi liberaliter, et vicissim « liberaliter possunt promitti missae, ita tamen « ut posterior promissio non sit velut compen- « satio, seu solutio reciproca quasi pro sti- « pendiis, sed mero eleemosynae titulo pecunia « admittatur ; adeo ut offerens plane intelligat « accipi non posse alio nomine, et hoc eodem « ipse largiatur. » Theoretice haec in praesente etiam negotio verum habent. Practice vero nemo non videt quanti fuerit periculi res, si assidue frequentetur.

3. Neque revera amplius erui potest ex principiis Bellarmini (*De missa*, l. 6, c. 6) in adnexa *Instructione* memoratis. Nam locus apud Bellarminum procedit, non de iis, quibus pro-

racteri baptismali est intrinseca. Quare dicendi sunt communiter offerre cum universa Ecclesia secundum illam vim oblativam, quae indivisa exercetur ab omnibus fidelibus circa quodlibet sacrificium. At quoad specialiorem illam oblationem individuam, quae stipendii erogatione continetur, res aliter habet. Judicat enim Deus secundum interna hominis, homo autem secundum externa. Constans igitur hominibus Ecclesia non potest rationem habere nisi eorum quae se externe produnt, reliquis, quae latent, divino reservatis judicio[1]. Quare, si quis publice haeresim profitetur, aut adhaeret sectae schismaticae, is in rebus sacris necesse est ut communionis internae cum fidelibus REPUTETUR exsors, proindeque externa Ecclesiae communione careat. Ad externam autem communionem maxime pertinet κοινωνία illa μετὰ προσφορᾶς, secundum quam homo personaliter demandat sacerdoti offerendum sacrificium. Qua amota communione externa, nullus jam suppetit titulus honestus paciscendi stipendii.

Attamen si vir ille SIGNANTER petat a te missam ad hunc finem, ut sibi procuretur gratia redeundi ad Ecclesiam, jam satis PRODIT affectum suum, quo interne prosequitur Ecclesiam veram veramque fidem. Nec proinde respectu rerum sacrarum (exceptis utique illis in quibus lex aliqua forsan Ecclesiae intercesserit) invenitur, etiamsi sit peccati reus, in pejore conditione quam quivis alius excommunicatus toleratus. Excommunicatis autem toleratis permittit jus Ecclesiae hodiernum auctoritatem demandandi sacrificii.

Quare ex genuinis theologiae principiis procedit responsio, quam dedit sacra Congregatio Concilii ad hanc quaestionem : « Utrum possit aut debeat celebrari missa « ac percipi eleemosyna pro *Graeco schismatico*, qui enixe oret atque instet, ut « missa applicetur pro se, sive in ecclesia « adstante, sive extra ecclesiam manente. » Die enim 19 aprilis 1837 resolutum est : « Juxta exposita non licere, nisi constet « expresse eleemosynam a schismatico « praeberi ad impetrandam conversionem « ad veram fidem. » QUAM RESOLUTIONEM P. M. Gregorius XVI APPROBAVIT.

Adverte nihilominus posse Ecclesiam, respectu potissimum excommunicatorum toleratorum, cras prohibere, quod hodie permittit ; et pro quanto haeresi vel schismati adnectitur excommunicatio, posse illam, quod indulget relate ad homines unius sectae, puta Graecos schismaticos, omnino interdicere relate ad alteram sectam, puta Methodistarum ; rursusque relate ad eosdem, aliter se habere in alia parte terrarum. Reservandum est enim Ecclesiae jus aliter et aliter cum excommunicatis, pro suo lubitu arbitrioque, agendi, ut supra notavimus.

MEMBRUM III. DE CATECHUMENIS.

In meliore prae haereticis et schismaticis conditione sunt catechumeni, quatenus et rectam profitentur fidem, et debitum Ecclesiae praestant obsequium : in quo conveniunt cum fidelibus. Quare putaverit quis eos posse ad sacrificii celebrationem concurrere per erogationem stipendii. Quod enim obstabat quominus heterodoxi id agerent, apud illos locum non habet, quorum notoria atque publica est mens Ecclesiae adhaerens et concordans Evangelio. Attamen obsistit, quod nemo offerre sacrificium potest nisi configuratus atque coadunatus sacerdotio Christi per characterem baptismalem. Quicumque autem auctor est sacrificii, stipe

fuerit sacrificium ut offerentibus, sed ut pro quibus offeratur. Non igitur de procurantibus sibi sacrificium per stipem agitur, sed de recipientibus fructum per oblatoris suffragium.

De *Codice Juris Canonici*, can. 809, vide infra, Elucid. XXXI.

1. In causa viri excommunicati morte ante absolutionem praerepti, sic scribebat Innocentius III : « Judicium Dei veritati, quae « nec fallit nec fallitur, semper innititur ; judi« cium autem Ecclesiae nonnunquam opinio« nem persequitur ; quam et fallere saepe con« tingit et falli. Propter quod contingit interdum « ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam « sit solutus, et qui liber est apud Deum, eccle« siastica sit sententia innodatus » (*Regest.*, l. 2, ep. 61. P.L. 214, 600. Cf. cap. *A nobis, Decret.* l. 5, tit. 39, c. 28 : vide infra).

data, censetur per sacerdotem offerre. Nequit ergo pactio stipendialis inter catechumenum et sacerdotem vacare simonia[1].

At DICES : nimis hoc argumento probari : sequeretur enim ne invisibiliter quidem eos consociari Ecclesiae in oblatione communi sacrificii ; cum tamen possint et ipsi, per votum baptismi, caritate perfectum, ita suo modo invisibili incorporari Christo, ut, praerepti morte, cives adscribantur coelestis Ecclesiae : qui igitur, cum per caritatem et gratiam interim sint intra corpus Christi, necessario cum universo corpore Christi conjunguntur in offerendo sacrificio Christi.

Huic objectioni satis occurritur per distinctionem, quam insinuat cardinalis de Lugo (disp. 19, sect. 10, n. 168), inter oblationem effectivam et oblationem affectivam. Affective offert, quicumque per votum baptismi pertinet ad Christum et Ecclesiam. Effective autem is demum offert, qui baptismum in re suscepit. Affective offerebant sacrificium corporis et sanguinis Christi veteres Patres, dum figurativa sacrificia offerebant, quibus promittebatur magnum illud sacrificium, quod, pro redemptione mundi a Domino peractum, offerret Ecclesia, non in umbris et figuris, sed in veritate. Eodem, non ritu, sed affectu offerunt catechumeni, quorum ut est (aut esse potest), pro rei praesentia, clarior fides, ita votum distinctius. At aliter offerunt fideles : qui sigillati sunt sacerdotio Christi, ut conjungerentur Christi sacrificio non per solam fidei intentionem et caritatis desiderium, sed per veram potestatem mittendi ad Deum ministerio sacerdotum suam, suo scilicet dicatam nomine, hostiam, quae totius Ecclesiae catholicae communis est. Non offertur autem nomine[2] catechumenorum, quanquam possunt ipsi et debent illorum APPETERE[3] locum, quorum nomine offertur.

Non igitur eodem sensu veteres doctores supra allegati dicebant agi sacrificium voto fidelium, et nos nunc dicimus catechumenos ipsos offerre voto. Votum enim seu PROPOSITUM habent fideles, quantumvis implicitum, EXERCENDI respectu sacrificii omnis ecclesiastici POTESTATEM ac praerogativam illam, qua SUNT INSTRUCTI nativa. Votum autem, seu desiderium habent catechumeni istam adquirendi primum, postea demum exercendam.

Praeterea potest esse hominis non baptizati votum omnino invisibile. Votum autem christiani semper est suo modo visibile : nimirum ex professione externa, quam intrinsece fert secum baptismus[4], ut dictum est (Eludic. XXVI).

1. Qua ex parte recte J. Grassi (*Universa Theologia Moralis juxta doctrinam S. Alphonsi de Ligorio*, tom. 3, 1854, p. 121) : « Quamvis « igitur sacerdos possit Deo offerre sacrificium « quoad fructum impetrationis pro Catechu- « menis, et pro non baptizatis, ut Deus eisdem « donet gratiam fidei, ditet bonis, liberet a « malis hujus vitae, ab his tamen non potest « accipere missae stipendium, quo fiant parti- « cipes et offerentes in oblatione sacrificii ; « sicut nec ab excommunicatis, quia sacerdos « cum iis communicat, quos sacrificii participes « esse vult, quales sunt ii qui dantes eleemo- « synam sacrificium sibi communicari cupiunt. »

2. Offeraturne pro iis per modum suffragii disputabitur infra.

3. Et hoc est quod dicitur : offerre affective.

4. Quamdiu scilicet non est abnegatus (explicite vel implicite) per infidelitatem externam quae ab Ecclesia separat.

Elucidatio XXXI.

Potest tamen rite offerri pro vivis istiusmodi omnibus per modum suffragii, et prodesse illis respective omnibus ex opere operato.

Articulus II. — De acatholicorum habitudine ad percipiendum fructum missae per modum suffragii.

Alia est quaestio de acatholicis vivis, alia omnino de acatholicis mortuis.

Membrum I. De acatholicis vivis.

Distingui primo debet id quod fieri potest absolute loquendo, hoc est ratione habita solius rerum naturae seu legis divinae ; et id quod fieri potest, ratione habita etiam legis ecclesiasticae.

Particula I. Ex jure divino.

Secundum primam autem considerationem, missa offerri potest per modum suffragii, pro omnibus hominibus vivis, cum haereticis aut schismaticis, tum etiam non baptizatis, nec solum catechumenis, sed etiam infidelibus.

Quod quanquam relate ad non baptizatos negat Vasquez (disp. 227, c. 3)[1], tamen verius omnino esse constat multipliciter. Primo quidem auctoritate, secundo autem ratione intrinseca.

I. Auctoritas autem duplex attenditur : una desumpta ex usu antiquo Ecclesiae, altera ex doctrina Patrum.

In liturgia *Constitutionum Apostolicarum* non solum oratur « pro rege » (8, 12. F.D. 1, 512), qualis certe, illo tempore quo se vult haberi conscriptam liturgia, nullus erat nisi ethnicus ; sed etiam signanter « pro iis qui oderunt nos et PROPTER NO- « MEN TUUM NOS PERSEQUUNTUR, pro iis « QUI FORIS SUNT ET ERRANT, ut ADDUCAS « EOS AD BONUM, et furorem eorum miti- « ges » ; deindeque « pro Ecclesiae cate- « chumenis » : hocque totum intra ipsam anaphoram, ubi sane ipsa intentio sacrificalis censetur designari[2].

Litantes pro ethnicis, speciatimque pro rege, prae oculis habuerunt primi christiani illud *Epistolae ad Timotheum* primae : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* (δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας) *pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1 *Tim.*, 1^{1-6}). Quare specialem hujus apostolici moniti ingerebant recordationem diaconi, dum adhortabantur plebem his verbis : « Pro regibus et in « sublimitate constitutis oremus », cum parallelam faceret suam orationem episcopus « pro rege et iis qui in sublimitate « sunt » (*Const. Apost.*, 8, 12 et 13, p. 512-514).

Ex Patribus attestatur primaevo christianorum usui Tertullianus (*Ad Scapulam*, 2. P.L. 1, 700) : « Sacrificamus pro « salute imperatoris, sed Deo nostro et « ipsius, sed quomodo praecepit Deus, « pura prece[3]. Non enim eget Deus, con- « ditor universitatis, odoris aut sanguinis « alicujus[4]. »

Attestationem similem suo tempore vi-

1. Cui Salmanticenses alios paucos scriptores recentioris aetatis annectunt (disp. 13, dub. 4, § 2, n. 58).

2. Serapion quidem Thmuitanus non distincte in sua Anaphora orabat pro infidelibus ; attamen notanter praemittebat narrationi coenae haec verba : « Omnibus reconciliaris et « omnes ad te trahis per visitationem Filii tui « dilecti » (F. D. 2, 172).

3. De quorum verborum interpretatione, vide supra.

4. Vix operae pretium est colligere auctoritates respectu sacrificii pro haereticis viris offerendi ; cum ea de re vix adversarii sint ulli. Tamen juvat unum hic recensere Hilarium, qui dum ad Constantium Augustum, virum haeresi arianae addictum, scribit, rogans ut catholicis catholicos liceat habere episcopos, id videtur omnino significare, ut inter sacra sollemne sit catholicis pro Constantio orare : « Permittat lenitas tua populis ut quos voluerint, « quos putaverint, quos delegerint, audiant

detur nobis dare Chrysostomus, saltem relate ad catechumenos, cum in laudem caritatis, omnem christianum cultum decorantis et bona omnia gignentis, haec perorat : « Ideo et in mysteriis inter nos « osculamur, ut multi unum efficiamur ; et « pro NON INITIATIS communes effundi- « mus preces, pro infirmis, pro orbis fruc- « tibus, pro terra et mari. Viden totam ca- « ritatis vim ? » (*In Joan.*, hom. 78, n. 4. P.G. 59, 426)[1]. Certe in commentario suo super *I Tim.*, 2[1] (hom. 6, n. 1 et 2. P.G. 62, 529-531) non ambigue docet, preces intra ipsa mysteria fuisse fundendas pro ethnicis regibus. « Quasi communis pater « totius orbis est sacerdos. Curam igitur « omnem gerat oportet, sicut et Deus, « cujus sacerdos est. Ideo ait : *Obsecro* « *igitur primum omnium fieri obsecrationes*, « *orationes*... Quid sibi vult illud : *Pri-* « *mum omnium* ? Id est in cultu quoti- « diano. Et hoc sciunt initiati, quomodo « quotidie fiant precationes et vespere et « mane ; quomodo pro toto mundo, pro « regibus et omnibus qui in sublimitate « sunt, obsecrationem emittamus. At dicet « fortasse quispiam, illum non pro omni- « bus dixisse, sed pro fidelibus. Cur ergo « dixerit *pro regibus* ? Reges enim seu « imperatores tunc veram religionem non « sectabantur, sed longo tempore impiis « impii succedebant.,. Deinde, quia verisi- « mile erat ut christianus animus haec au- « diens torpesceret, neque monitum hoc « admitteret, si PRO GENTILI (ὑπὲρ τοῦ « Ἕλληνος) MYSTERIORUM TEMPORE preces « oporteret offerri, vide quid dicat :... « *Ut securam*, inquit, *et quietam ducamus* « *vitam*. Id est, illorum salus nobis tran- « quillitatem parit... Deus enim principa- « tus constituit ad communem utilitatem. « Quomodo ergo non absurdum fuerit, ip- « sos quidem ideo militare et arma circum- « ferre, ut nos in tranquillitate vivamus ; « nos autem non supplicationes offerre pro « iis qui pericula subeunt et militant ? » Tandem omnino vult, sacerdotes in missa interpellare apud Deum pro omnibus totius orbis necessitatibus. « Qui pro « tota civitate — et quid dico civitate ? « — immo PRO UNIVERSA TERRA orato- « rem agit, Deoque supplicat, ut OMNIUM « PECCATIS SIT PROPITIUS, non vivorum « tantum, sed etiam eorum qui obierunt, « qualem, quaeso, oportet esse ?... Etenim, « ac si mundus totus sibi concreditus sit, « ac si omnium pater ipse sit, sic ad « Deum accedit, rogans OMNIA MUNDI « BELLA exstingui, tumultus sedari, pos- « tulans pacem, prosperitatem, OMNIUM « SINGULIS IMMINENTIUM sive publice, « sive privatim MALORUM celerem depul- « sionem » (*De Sacerdotio*, l. 6, n. 4. P.G. 48, 680-681).

Cum dicit Augustinus, « ad altare[2] » sacerdotem et exhortari populum, ut oret, et proprias orationes fundere, ut convertantur infideles, omnino videtur ad liturgicum quemdam missae usum attendere ; et quod ad tales voces sacerdotis responderi ait *amen*, per hoc amplius suadetur, intra ipsum canonem esse illius intercessionis assignandum locum. Ad Vitalem enim Carthaginensem, docentem initium fidei nullum esse Dei donum, haec scribit : « Exsere contra orationes Ecclesiae dis- « putationes tuas : et quando audis sacer- « dotem Dei ad altare exhortantem popu- « lum Dei orare pro incredulis, ut eos « Deus convertat ad fidem, et pro cate- « chumenis, ut eis desiderium regenera- « tionis inspiret, ...subsanna pias voces,

« docentes, et divina mysteriorum solemnia « concelebrent, et pro incolumitate et beatitu- « dine tua offerant preces » (*Ad Constantium Augustum*, l. 1, c. 2. P.L. 10, 559).

1. Sensus est hujus loci : Nos qui adstamus sacrificio, ex caritate inter nos osculamur, ut in unitatem Christi transeamus. Sed caritatis vis et fructus non ad eos tantum restringitur, quibus et jus et potestas competit adstandi ; sed etiam transit ad illos qui adstandi carent aut jure, ut catechumeni, aut potestate, ut infirmi ; quin et ad omnes omnium necessitates sublevandas valet : tam late enim patent preces, quas communes fundunt, qui intersunt mysteriis initiati.

2. Conferas velim cum loco altero, ubi certius agitur de sacrificio missae : « Quis autem audivit « aliquando fidelium stantem sacerdotem AD « ALTARE,... dicere in precibus : Offero tibi sa- « crificium, Petre, » etc. (*Civ. Dei*, 8, 27, 1. P.L. 41, 255.).

« et dic te non facere quod hortatur, id « est, Deum pro infidelibus, ut eos fideles « faciat, non rogare... Numquid et orare « prohibebis Ecclesiam pro infidelibus, « ut sint fideles ; pro iis qui nolunt cre« dere, ut velint credere ; pro iis qui « ab ejus lege doctrinaque dissentiunt, « ut legi ejus doctrinaeque consentiant, « ut det illis Deus, quod per prophetam « promisit, cor cognoscendi eum, et « aures audiendi ?... Numquid ubi au« dieris sacerdotem Dei ad ejus altare « populum hortantem ad Deum oran« dum, vel ipsum clara voce orantem, ut « incredulas gentes ad fidem suam venire « compellat, non respondebis *Amen ?* » (*Ep.* 217, n. 2 et 26. P.L. 33, 978 et 988). Sed praeterea diserte in epistula *ad Paulinum* (*Ep.* 149, 16-17. P.L. 33, 636-637) vacans explicando mandato apostolico (*I Tim.*, 2^{1}), postquam notavit per προσευχάς significari canonem missae, addit hunc fuisse scopum Pauli, « ne quisquam, « sicut se habet humanae cogitationis « infirmitas, existimaret, non ESSE ISTA « FACIENDA PRO HIS A QUIBUS PERSECUTIO« NEM PATIEBATUR ECCLESIA, cum mem« bra Christi ex omni essent hominum « genere colligenda. »

Eamdem, quam supra Augustinus, de initio fidei thesim munit Coelestinus (*Ep.* 21 *ad episcopos Galliarum*, c. 11, n. 12. P.L. 50, 535) argumento eodem ex liturgia ducto : « Obsecrationum quoque « sacerdotalium sacramenta respiciamus, « quae ab apostolis tradita, in toto « mundo atque in omni Ecclesia catho« lica uniformiter celebrantur, ut legem « credendi lex statuat supplicandi[1]. Cum « enim sanctarum plebium praesules man« data sibimet legatione fungantur, apud « divinam clementiam HUMANI GENERIS « AGUNT CAUSAM, et tota secum Eccle« sia congemiscente[2], postulant, et pre« cantur ut infidelibus donetur fides, « ut idololatrae ab impietatis suae libe« rentur erroribus, ut Judaeis ablato « cordis velamine, lux veritatis appa« reat, ut haeretici catholicae fidei per« ceptione resipiscant, ut schismatici « spiritum redivivae caritatis accipiant, « ut lapsis poenitentiae remedia confe« rantur, ut denique catechumenis ad « regenerationis sacramenta perductis coe« lestis misericordiae aula reseretur. »

Parallelus locus est libri primi *De Vocatione omnium gentium* (cap. 12, P.L. 51, 664), ubi, memorato apostolico praecepto (*I Tim.*, 2^{1-6}), haec subjunguntur : « Quam « legem supplicationis ita omnium sacer« dotum et omnium fidelium devotio con« corditer tenet, ut nulla pars mundi sit, « in qua hujusmodi orationes non cele« brentur a populis christianis. Supplicat « ergo ubique Ecclesia Deo, non solum « pro sanctis et in Christo regeneratis, sed « etiam pro omnibus infidelibus et inimicis « crucis Christi, pro omnibus idolorum « cultoribus, pro omnibus qui Christum « in membris ipsius persequuntur, pro « Judaeis, quorum caecitati lumen evan« gelii non refulget, pro haereticis et « schismaticis, qui ab unitate fidei et « charitatis alieni sunt. »

Occurrit e regione Vasquez (*loc. cit.*, n. 24) arguens, « pro infidelibus non bap« tizatis, sive Judaeis, sive gentilibus,... « publicam orationem,... nisi contraria « consuetudo aut praeceptum Ecclesiae « obstet, fieri posse, sacrificium vero non « item. » « Quod vero attinet ad ora« tiones, inquit, fatemur sane antiquam « Ecclesiam in missarum solemniis pro « illis, sicut pro catechumenis, orare « consuevisse, nunc autem id solum « licere in die Parasceves[3], sicut etiam

1. Sicut supplicii nomine designatur proprie sacrificium, sic apte sacrificatio exprimitur per vocem supplicare. Praeterea ille uniformis ritus celebrandi sacramenta obsecrationum, ab apostolis traditus, quam dum sequuntur sacerdotes, funguntur sua legatione, quid sponte ante oculos nostros objicit, nisi sacrificium missae ?

2. Vide sapienter discriminatas partes eorum quibuscum litat sacerdos, et illorum pro quibus litat : litat enim cum Ecclesia catholica pro genere humano.

3. Omnes norunt, liturgiam Parasceves fuisse prae aliis omnibus firmam immobilemque : unde factum est, ut ad nos in ipsa transmitteretur vetus usus ; qui in liturgiis missarum proprie

« de catechumenis supra notavimus, eo « quod nullo alio die id permittat Ec- « clesia, neque ad orandum in missa alio « die ullam pro ipsis orationem instituе- « rit. » Sed quomodo virum peracutum fugit, id quod postea Lugo erat in clara luce collocaturus : « Ecclesia fere « nunquam explicat in actu signato se « offerre pro impetranda hac vel illa re, « sed solum orat pro illa re, dum sacrifi- « cium celebrat ; et hoc ipsum est in actu « exercito offerre ad illam impetrandam» (disp. 19, s. 10, n. 174).

Ceterum palmaris ratio Vasquezii sumebatur ex defectu baptismi, « sine quo « nullius sacramenti quis capax esse po- « test: ergo nullus catechumenus capax « erit fructus eucharistiae » (disp. 228, c. 3, n. 17). Jamvero, praeterquam quod neganda est paritas inter sacramenti collationem et suffragium sacrificii, etiam potest quaeri, quomodo quis se probe expedire queat a tam multis tamque illustribus exemplis Ecclesiae sacrificium pro catechumenis expresse offerentis ? Sic in *Sacramentario Gelasiano* a dominica tertia ad quintam quadragesimae non solum plurimae pro *electis* catechumenis (mox in sabbato sancto baptizandis) funduntur orationes (collectae, secretae, postcommuniones), sed, et quidem maxime, infra ipsam actionem sic orabat Ecclesia : « HANC IGITUR OBLATIONEM, « Domine, ut propitius suscipias depreca- « mur ; QUAM TIBI OFFERIMUS PRO famu- « lis et famulabus tuis, quos ad aeternam « vitam et beatum gratiae tuae [donum] « dinumerare, ELIGERE atque vocare dig- « natus es. Per Christum. *Et recitantur no- « mina electorum. Postquam recensita fue- « rint, dicis* : Hos, Domine, FONTE BAPTIS- « MATIS INNOVANDOS, Spiritus tui munere « ad sacramentorum tuorum plenitudinem « poscimus praeparari. Per. » (*Sacramentarium Gelasianum*, l. 1, c. 26. P.L. 74, 1076 ; conferatur editus a Mabillone *Ordo Romanus*, n. 3. P.L. 78, 996). Speciatim autem in dominica quarta haec adhibebatur Secreta : « Remedii sempiterni « munera, Domine, laetantes OFFERIMUS, « suppliciter exorantes, ut eadem nos et « digne venerari, et PRO SALVANDIS CON- « GRUENTER EXHIBERE perficias » (*ibid.*, c. 27, col. 1079). In dominica vero quinta, audacius : « Exaudi nos, omnipotens Deus, « et famulos tuos, QUOS FIDEI CHRISTIA- « NAE PRIMITIIS IMBUISTI, HUJUS SACRI- « FICII tribuas OPERATIONE MUNDARI[1] » (*ibid.*, c. 28, col. 1081 ; ed. Wilson, p. 34, 38, 42). Mundari ergo suo modo, id est repropitiari Deo, possunt ope sacrificii catechumeni, ut obtingat illis actu per baptismum remissio peccatorum et gratia Dei ! Quid validius dici potest ab Ecclesia ad inculcandam efficaciam operis operati in favorem ipsorum catechumenorum. Corruit ergo cum suo fundamento tota Vasquezii oppositio.

Istae orationes pro catechumenis, fateor, intra missarum solemnia jam non sunt in usu, cum interierit mos liturgicus paschalium baptismatum et praeambulorum ipsis *scrutiniorum*. Sed nostris interea temporibus (omissa etiam missa votiva *pro fidei propagatione*, in qua per omnes orationes efflagitatur, ut « omnes « gentes cognoscant ...Deum verum », ut « magnificetur nomen [Dei] in gentibus », ut « fides semper vera proficiat »), nonne Ecclesia quotidie in oblatione calicis, qua declaratur intentio sacrificii, postulat, ut « pro nostra ET TOTIUS MUN- « DI salute » ascendat iste quem calicem salutaris nominat, propterea quod in

dictarum tunc fortasse interiit, cum jam, converso ad fidem orbe romano toto, sublataque idololatria, vanuit ab oculis fidelium proxima omnis vicinitas gentilium, nec obversati sunt alii praeter saracenos, feros hostes debellandos atque eradicandos (vide in nostro missali romano missam CONTRA *Paganos*), aut Judaei compescendi, atque pro perfidia inveterata permittendi judicio divino atque sub maledicto relinquendi, donec veniret tempus illorum.

1. Nemini illas missas legenti potest esse dubium, quin sub nomine salvandorum vel mundandorum veniant catechumeni electi, cum inscribantur ambae *Pro scrutinio*.

antecessum consideratur[1] ut calix sanguinis Christi quo redempti sumus ?

Huc accedit quod Pius X, die 26° octobris 1907, indulgentia centum dierum ditavit illud opus misericordiae, quod commendatur sacerdotibus in plurimis ecclesiis per chartas, quarum hic est tenor : « Singuli sacerdotes in hac eccle-« sia missam celebrantes obsecrantur in « Domino ut in *Memento* praesentes ha-« beant peccatores totius mundi nunc « positos in agonia et hodie morituros. » Pariterque indulgentiam ter centum dierum concessit huic formulae oblationis : « Mon Dieu, je vous offre toutes les « messes qui se célèbrent aujourd'hui « dans le monde entier, pour les pé-« cheurs qui sont à l'agonie, et qui doi-« vent mourir ce même jour. Que le sang « précieux de Jésus Rédempteur leur « obtienne miséricorde[2] ! ».

Sane cum Judaeorum sacrificia, quibus nostra praefigurabantur, ethnicis, pro quibus offerebantur, prodessent, quomodo non tibi videatur mirum, si nostris, omnem illorum virtutem cumulantibus, nihil in favorem infidelium effici potuerit ? Quare et nos pro rege infideli, sicut Dario (*I Esdr.* 6), et pro gente incredula, sicut Spartiatis (*I Mach.*, 12^{11}), et pro impio persecutore, sicut Heliodoro (*II Mach.*, 3^{32-34}), litare possumus ; quanquam pro dignitate nostri sacrificii, nemo, nisi per baptismum consecratus, partem in litando habere potest.

II. Ratione autem intrinseca, et quidem triplici, eadem conclusio evinci potest.

Et *primo* quidem, hostia quam offerimus, hostia passionis est pro omnibus omnium hominum peccatis a Christo sacrificata. In partem igitur dum ingredimur dominicae oblationis, cur non potuerimus in bonum omnium sacrificare, quorum exstent aut peccata repropitianda aut salus impetranda ? Dixerisne ibi suffragii deficere locum, ubi desit vinculum unitatis, quod attenditur secundum incorporationem fidelium in Christo ? Fatendum sane, non esse incorporatos adhuc Christo, qui fide et baptismo careant ; nec nisi secundum quemdam invisibilem gratiae effectum incorporatos, quicumque ex voto sacramenti sacramenti rem acceperint. Attamen, qui in hac vita Christo nondum est incorporatus, in potentia est ut incorporetur. Et pro quanto sunt nobis uniti in potentia infideles, pro tanto secundum fidem quam habemus universaliter salvificae Dei voluntatis et passionis Christi, pro spei nostrae extensione ad exspectationem alienae salutis, pro caritate qua illos concupiscimus fratres divinique boni cohaeredes, possumus, intuitu futurae (si Deo placuerit) communionis in Christo, omnes adhuc in terris vivos homines suffragii nostri beneficio prosequi, fovere atque munire. Sic igitur « Ecclesia congemiscente » fieri potest, ut « humani generis agatur « causa » (Coelestinus). Sic sacerdos « pro « universa terra oratorem agit : tanta « vis est caritatis ! » (Chrysostomus). Quare sanctus Thomas : « [Eucharistia] « in quantum est sacrificium, habet ef-« fectum etiam in aliis, pro quibus offer-« tur, in quibus non praeexigit vitam « spiritualem in actu, sed in potentia « tantum. Et quod in contrarium dicitur, « quod non offertur nisi pro membris « Christi, intelligendum est pro membris « Christi offerri, quando offertur pro ali-« quibus. ut sint membra » (4 D. 12, q. 2, a. 2, qcl. 2, ad 4m).

Esto tamen. Dicas sacrificium missae pro Ecclesia proprie offerri. Nondum per hoc excluseris ab ejus suffragio et bene-

1. Vide L. B., 1, 317.

2. Nec dubium est, quin omnes omnino agonizantes, sive christiani, sive infideles, talis intentionis amplitudine contineantur, cum chartis praedictis, sive latinis, sive gallicis, inscriptum respective legatur : « Singulis diebus circiter centum quadraginta hominum millia « per totum orbem moriuntur. » « Pour les cent « quarante mille mourants de chaque jour » ; utrisque autem approbatio ecclesiastica sit concessa.

« *Visum, approbatum et valde commendatum.* « † Josephus, *Episc. Andegavensis.* »

« Approuvé et très recommandé. † Joseph, évêque d'Angers. »

ficio illos qui extra Ecclesiam versantur. Nam pronum erit respondere : offertur pro Ecclesia amplificanda, dilatanda, colligenda ex quatuor ventis in regnum Dei[1], ut orabatur in *Didache* 10[5] (F. P. 1, 24) ; vel sicut precabatur in sua anaphora Serapion Thmuitanus : « Ecclesiam tuam sanctam collige ex omni « gente et omni terra et omni urbe et « vico et domo, et redde unam vivam « catholicam Ecclesiam » (F. D. 2, 174). Sic et Christus pro Ecclesia mortuus est, aiente Paulo : *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (*Eph.*, 5 25-27). Sed ita mortuus est pro Ecclesia, ut acquireret sibi aedificandam ex omni hominum genere, quorum nullum ipse respuit, sed omnes ad catholicam suam Ecclesiam et vocavit et vocat, cum praedicatione evangelii externa, tum potissimum occulta suae secretioris gratiae insinuatione. Quare omnes sibi reclamat homines Ecclesia, nec quisquam remanet usque in finem alienus, nisi renitens contra voluntatem Christi sacerdotalem, et suffragiis Ecclesiae obsistens, quae ex ipso sicut et ex ceteris coalescere cupiebat et coagmentari, siquidem catholica est. Quare recte Augustinus *(loc. cit.)* pronuntiavit esse sacrificandum « pro his « a quibus persecutionem patiebatur Eccle- « sia, cum membra Christi ex omni essent « hominum genere colligenda. » Monuitque sapienter Bellarminus hodiernum ritum, secundum quem offertur « pro augmento, unitate, et pace illius Ecclesiae quae inter haereticos vel ethnicos conversatur », aequivalere illi alteri pristino, quo infideles directe respiciebantur (*De Missa*, l. 2, c. 6, fi.).

Sed jam *secundo*, altiorem speculam conscendamus. Jam non sit sermo de profectu infidelium, non sit de Ecclesiae augmento : sed utique de Dei laude, imperio atque dominatu. A primis enim nostrorum sacrificiorum exordiis[2], quantum ex

1. Cf. *Isai.*, 11[12] ; *Matth.*, 24[31]. Istiusmodi formulae reliquiam exhibet illud : « Petimus « ut mittas Spiritum tuum Sanctum in obla- « tionem sanctae Ecclesiae, in unum congre- « gans, des omnibus qui percipiunt sanctis... » etc. (*Didascal. apost. fragm. veron. latina. Accedunt canonum... reliquiae.* Ed. Hauler, 1900, p. 107).

2. Quae tamen verba Gregorii M. (*Epist.*, l. 9, ep. 12 ad *Joan. Syrac.* P.L. 77, 956-957) putantur a multis referre originem apostolicam talis usus, minime id sonant, si recta adhibeatur verborum interpunctio constructioque sententiae : « Orationem vero dominicam, inquit « Gregorius, idcirco MOX POST precem dicimus, « quia mos apostolorum fuit ut AD IPSAM SOLUM- « MODO ORATIONEM OBLATIONIS HOSTIAM con- « secrarent. Et valde mihi inconveniens visum « est ut precem, quam scholasticus composuerat, « super oblationem diceremus, et ipsam tra- « ditionem, quam Redemptor noster composuit, « super ejus corpus et sanguinem non dicere- « mus. » Si dicantur apostoli consecrasse *oblationis hostiam* ad ipsam solummodo *orationem*, consequens est, propter superiora verba, ad solam *orationem dominicam* eos consecrasse. Quod ceterum in ore Gregorii nimis portentosum est oraculum. Nihil autem enorme, sed omnia sunt plana, si dicantur apostoli consecrasse *hostiam* ad ipsam solummodo *orationem oblationis* (= precem ; = canonem ; = anaphoram ; = εὐχὴν προσφόρου, ut in inscriptione capitis 12 *Sacramentarii Serapionis*, F. D. 2, 172 ; = « orationem oblationis », apud Marium Victorinum, *Adv. Arium*, 2, 8. P.L. 8, 1094 : « Oratio « oblationis... precatur. » Quanquam exstat etiam vox *oblationis hostia* apud Gregorium, *Dial.* 4, 57. P.L. 77, 425, et reperitur in *Sacramentario Gregoriano*, ad *Dominicam octavas* [sic] *Pentecostes*, in oratione *super oblata*. P.L. 78, 116). Qua admissa interpunctione, sic disputat Gregorius : satius demenda fuit oratio quaedam, a viro nescio quo scholastico concinnata contextaque actioni (ita quidem, ut jam exsularet oratio dominica a serie precum super dominicum corpus prolatarum) ; et continuanda potius statim fuit canoni oratio dominica. Si quid enim inter canonem et communionem ponatur, absurdum est ut praeferantur verba viri privati verbis orationis a Domino traditae. Sic disputat Gregorius. Unde concludendum est, secundum ipsum, apostolos, solo usos canone, non intertexuisse orationem dominicam mediam inter consecrationem et distributionem eucharistiae.

Porro nono saeculo Amalarius, deceptus lectione mendosa sententiae gregorianae (« ad « ipsam solummodo orationem DOMINICAM oblationis hostiam consecrarent », cf. Mabillon, *In ordinem romanum commentarius*, c. 12. P.L. 78, 897), in prima editione sui operis *De ecclesiasticis officiis*, l. 4, c. 26, Gregorio falsum supposuerat dogma : posse eucharistiam consecrari per sola verba orationis dominicae ! Quem

monumentis liturgicis fere ad unum consonis judicare possumus, connexa est cum oratione sacrificali oratio dominica, quasi virtus unius effloreat in petitionibus alterius commendandis. Quem morem praetermitti non posse affirmabat Optatus Milevitanus, testes advocans ipsos donatistas, quantumvis ausos se immunes a peccato profiteri. « Ad altare conversi, inquit, dominicam orationem praetermittere non potestis » (*De schismate donatistarum*, l. 2, c. 20. P.L. 11, 975 ; cf. *August.*, cit. supra, ex sermone denis. 6, n. 3. P.L. 46, 836). Quin et Hieronymus nonnihil videtur in apostolos refundere istius traditionis originem, dum scribit : « Sic « docuit [Christus] apostolos suos, ut « quotidie, in corporis illius sacrificio, « credentes audeant loqui : *Pater noster*, « *qui es in coelis* » et rel. (*Dial. adv. Pelagianos*, l. 3, c. 16. P.L. 23, 585)[1].

Jamvero, ut nervose argumentatur Chrysostomus : « Non dictum est, in« quies, esse illic [scil. in oratione domini« ca] ORANDUM PRO INFIDELIBUS. Immo « nescitis orationis vim, neque altitudinem « aut thesaurum illius cognoscitis. Si quis « eam diligenter scrutetur, hoc etiam in « illa inveniet. Cum enim precando dicitur « *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, « NIHIL ALIUD QUAM ILLUD SUBINDICA« TUR. Quomodo ? Quia in coelo nullus « infidelis est, nullus qui offendat. Si ergo « id de fidelibus tantum intellegendum « esset, non esset rationabili modo dictum, « Nam si fideles essent voluntatem ejus « facturi, non autem infideles, jam non « fieret voluntas ejus sicut in coelo. Sed « quid ? Sicut in coelo, nemo malus, in« quit, sic nemo in terra sit : sed omnes, « inquit, ad timorem tui attrahe, omnes « homines fac angelos, etiamsi inimici sint, « etiamsi hostes. » (*In I Tim.*, hom. 6, n. 3. P.G. 62, 533). Idem dic de divini nominis sanctificatione, idem de divino regno. Quomodo non omnem Dei laudem, omne ejus imperium promoveret Ecclesia per sua sacrificia, sed coarctatam, coangustatam, imperfectam illi adprecaretur ditionem ? Universam autem velle, quid est nisi omnes quotquot sunt in via homines velle ad Deum conversos per fidem et gratiam ? Non potest igitur Ecclesia per orationem dominicam competenter exorare fructus sacrificii, nisi fructus sacrificii intellegantur tam late quam hominum genus patere. Undique ergo adigimur ad hanc conclusionem : suffragia sacrificiorum nostrorum extendi ad infideles.

Nec mirum : etenim *tertio*, sacramentalia verba hodie, sicut et cum ex ipso ore Christi procedebant, id ferunt, ut mystica effusio sanguinis, qua oblatio peragitur, fiat *pro vobis*, credentibus, et *pro multis*, credituris[2], necdum proinde credentibus.

Objicitur Augustinus, saepe non so-

errorem in subsequente editione ejusdem sui operis (P.L. 105, 1210) correxit, adhibito textu Gregorii emendatiore.

Mirum est quod nostris temporibus liturgistae insignes perversam illam Amalarii interpretationem, sine Amalarii excusatione, innovarunt. Sic Rev^mus L. Duchesne (*Orig. du culte chrét.*³, p. 184) : « On n'est pas obligé de croire, « malgré l'autorité de ce texte [de Grégoire], « que la liturgie apostolique n'ait connu d'autre « formule que le *Pater* ; mais il est difficile de « contester que saint Grégoire l'ait pensé. » — Locum intellegit sicut Duchesne A. Fortescue, *The Mass*, 1914, p. 362-363. E regione, rectam dant interpretationem Probst, *Die abendländische Messe vom fünften bis zum achten Jahrhundert*, 1896, p. 185 ; Rauschen, *L'eucharistie et la pénitence*, tr. fr. 1910, p. 108 ; Rev^mus P. Batiffol, *Eucharistie*⁵, p. 352-353.

1. Quanquam satisfieri etiam verbis Hieronymi fortasse potest, si intellegantur apostoli a Domino edocti, non quidem intermiscere sacrificiis dominicam orationem, sed et fundere ipsimet, et tradere nobis credentibus, apud quos jam obtineat usus illam in missa adhibendi. Sic scilicet docuit apostolos suos orare generaliter, ut nos specialiter in missa audeamus dicere : *Pater Noster*.

2. Eodem pacto, quo apud *Joan.*, 17²⁰, perorabat Salvator : *Non pro eis autem rogo tantum ; sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Quibus suae orationis sacerdotalis verbis enuntiabat intentionem suam sacrificalem ; non quod salutem omnium non intenderit Christus, aut non procuraverit, quantum ex se erat ; sed quod in iis solis qui crederent esset Christi sacrificatio sortitura suum effectum ultimum, quae salus est hominis. Qua de causa dici poterat, et debebat, pro illis litare, quibus erat sua litatio profutura actu in vitam aeternam. Attendens Vasquez illa voce *pro multis* comprehendi omne genus humanum, negat eam ad hoc desi-

lum statuens hoc principium : pro solis membris Christi posse offerri corpus Christi : « Quis enim offerat corpus Christi « nisi pro eis qui membra sunt Christi ? » (*De anima et ejus origine*, l. 1, c. 9, n. 10. P.L. 44, 480) ; sed et inde deducens hanc regulam : pro non baptizatis offerri non posse : « Nulla ratione conceditur, ut pro « non baptizatis cujuslibet aetatis homi« nibus offeratur sacrificium corporis et « sanguinis Christi » (*ibid.*, c. 11, n. 13, col. 481 ; cf. l. 2, c. 11, n. 15 ; et c. 15, n. 21 ; l. 3, c. 12, n. 18. col. 504, 508, 520). Sed utique, pro materia subjecta, sunt intellegendi omnes illi loci de oblatione sacrificii pro defunctis. In qua causa, ut infra disputabitur, ratio certe est habenda regulae ab Augustino positae, quae recte consequitur ad principium ab ipso statutum ac praemissum. Quaestionem fuisse revera inter Augustinum et adversarium ejus de sacrificiis pro defunctis solum, quis dubitet, audiens sententiam Vincentii Victoris, quam carpit Augustinus : « Sane pro eis [parvulis qui morte prae« veniuntur priusquam baptizentur in « Christo] oblationes assiduas et offerenda « jugiter censeo sanctorum sacrificia sa« cerdotum » (*ibid.*, l. 1, c. 9, n. 10 ; cf. l. 2, c. 11, n. 15 ; c. 15, n. 21 ; l. 3, c. 12, n. 18). « Eas [animas infantium] quas baptisma « non abluit, sacrificia pro eis crebra mun« dabunt ; quod praesciens Deus paululum « illas voluit alienis haerere peccatis, sine « ullo exitio damnationis aeternae et cum « spe felicitatis aeternae » (*ibid.*, c. 11, n. 13). Quin et diserte Augustinus restringit suam sententiam ad mortuos, cum in fine concludit : « Noli credere, nec dicere, « nec docere : sacrificium christianorum « pro iis qui non baptizati DE CORPORE « EXIERINT offerendum » (l. 3, c. 12, n. 18). Quippe quia nec actu nec potentia jam ad corpus Christi pertinent infantes sine baptismo mortui, non est pro iis sacrificandum. Quis enim audeat corpus Christi offerre pro iis qui perpetuo sunt exsules a corpore Christi ?

Objicitur et sanctus Thomas, apud quem (3 S. 79, 7, 2^m) haec verba leguntur : « Hoc sacrificium, quod est memoriale « dominicae passionis, non habet effectum « nisi in illis qui conjunguntur huic sacra« mento per fidem et charitatem. » At totus hoc loco est sanctus Thomas in cavendo ne putetur per vim sacrificii induci in quemquam effectus aut gratiae sanctificantis aut gloriae, aut remissionis actualis peccatorum sive mortalium sive venialium, nulla intercedente dispositione fidei aut caritatis ex parte subjecti : ut patet ex ipsa objectione quam sibi proposuit[1]. Quare sapienter monet nullum illiusmodi effectum consummatum (et mediatum) reperiri posse, nisi in iis qui habent fidem et caritatem. In quo omnes Angelico consentire debent. Sed minime per hoc impeditur, quin et propitiationem et impetrationem exserere possit sacrificium in favorem illorum qui careant fide et caritate : ut intuitu talis operis ea praestet Deus, unde ipsi per fidem et caritatem se disponant ad justificationem.

Nec tamen pro infidelibus oramus in canone[2]. Cujus causa est, quia in canone hodierno Ecclesiae Romanae non oratur nisi pro illis quibuscum censeamur offerre ; quales non sunt nisi ii demum qui, cum sint intra ecclesiastici corporis

gnandum, quod in eucharistia aut fit a nobis aut a Domino factum est, pertinere (disp. 199, cap. 2, n. 14). Quanquam et apud *Matthaeum*, 26^{28} legitur τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον, atque apud *Marcum*, 14^{24}, τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν ; quae locutiones sane de eucharistico calice (τὸ ποτήριον) intellegendae omnino sunt, ut superius (Elucid. III) declaravimus : unde sequitur libationem eucharisticam praedicari a Domino *pro multis* factam. Vide quam fallat viros doctissimos et acutissimos praeconcepta sententia !

1. « Effectus hujus sacramenti est adeptio « gratiae et gloriae, et remissio culpae ad minus « venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet « effectum in aliis quam in sumentibus, posset « contingere, quod aliquis adipisceretur et gra« tiam et gloriam et remissionem culpae, « absque actione et passione propria, alio su« mente vel offerente hoc sacramentum » (3 S. 79, 7, 2^m).

2. « Unde et in canone missae non oratur pro « his qui sunt extra Ecclesiam » (*Ibid.*, ad 2^m).

unitatem, praesumuntur conjuncti sacramento corporis Christi per fidem et caritatem, ut ibidem annotat sanctus Thomas.

Cum autem non oremus pro infidelibus tanquam coofferentibus, patet nos non eodem modo pro iis orare atque pro fidelibus, ut jam in ipso commentario super *Sententias* (4 D. 18, 2, 1, 1, 1m) dilucide notaverat S. Thomas, solvens hanc objectionem : « Videtur quod incompetens « sit haec definitio excommunicationis a « quibusdam posita : *Excommunicatio est « separatio a communione Ecclesiae quoad « fructum et suffragia generalia.* Suffra- « gia enim Ecclesiae valent eis pro qui- « bus fiunt. Sed Ecclesia orat pro eis qui « extra Ecclesiam sunt, sicut pro haere- « ticis et paganis. Ergo etiam pro excom- « municatis, qui extra Ecclesiam sunt ; « et sic eis suffragia Ecclesiae valent. » Respondet sanctus Doctor : « Ad primum « dicendum quod pro infidelibus rogatur ; « sed IPSI FRUCTUM ORATIONIS NON PER- « CIPIUNT, NISI AD FIDEM CONVERTANTUR. « Similiter et pro excommunicatis orari « potest, quamvis NON INTER ORATIONES « QUAE PRO MEMBRIS ECCLESIAE FIUNT ; « et tamen fructum non participant, « quamdiu in excommunicatione manent : « sed oratur ut DETUR EIS SPIRITUS POE- « NITENTIAE, ut ab excommunicatione « solvantur. » Inferiusque ad 2m subdit : « Suffragia Ecclesiae eis non prosunt, « QUAE PRO TOTA ECCLESIA FIUNT ; nec « ex persona Ecclesiae oratio pro eis « INTER MEMBRA ECCLESIAE fieri po- « test[1]. »

Modum autem orationis sequitur modus oblationis. Quo fit ut recte sanctus Thomas quaestioni propositae (3 S. 79, 7, 2m) aptaverit dictum Augustini : « Quis « offerat corpus Christi nisi pro his qui « sunt membra Christi[2]? » Non enim offertur pro infidelibus sicut pro fidelibus, id est UT PRO COOFFERENTIBUS et infallibiliter sortituris effectum sacrificii in semetipsis. Offertur tamen pro iis, ut fiant, si voluerint, ex infidelibus fideles, et ex servis peccati membra Christi, ut ipse S. Thomas, super eadem verba Augustini disseruit loco supra citato (4 D. 12, q. 2, a. 2, qcl. 2, 4m).

III. Qua autem via, propitiationis scilicet an impetrationis, an utraque, sacrificium prodesse possit non baptizatis, non una est faventium nobis hucusque doctorum sententia.

Probabilius Suarezio (Disp. 78, s. 2, n. 6) est, et Lugoni (Disp. 19, s. 10, n. 166) omnino persuadetur, fructum nullum talibus hominibus obtingere nisi per viam impetrationis.

Oppositum tenent Salmanticenses (Disp. 13, dub. 4, n. 60), quibus adstipulandum videtur[3].

Etenim verentur Suarez et Lugo ne effectus ex opere operato ad illos se protendat, quos, prae defectu baptismi, novimus esse cujusvis ulterioris sacramenti incapaces (Suarez, disp. 79, s. 10, n. 2. Lugo, *loc. cit.*). Sed respondeo : Primo, ipsam impetrationem sacrificalem habere rationem operis operati, ut superius (Elucid. XXV) demonstratum est. Ergo aut amoveant fructum impetratorium, aut concedant opus operatum. Secundo, nullam esse paritatem, ut saepe commonitum est, inter opus operatum sacramenti et opus operatum sacrificii. Quare apte hoc loco Salmanticenses : « Negandum est « istum sacrificii fructum [ex opere ope-

1. Non sane potest eodem modo atque pro fidelibus orari pro illis, circa quos non censetur infallibilis nostri suffragii exitus ultimus : qui, ut diximus, non est infallibilis circa infideles. Quare non inconvenienter Ecclesia in suo stylo obsecrandi sequitur monitum johanninum : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis* (*I Joan.*, 5 16).

2. « Unde et Augustinus dicit : Quis offerat « corpus Christi nisi pro his qui sunt membra « Christi ? » (3 S. 79, 7, ad 2m).

3. Nostris temporibus scripsit Bucceroni, *Institutiones theologiae moralis*², t. 2, n. 610 : « [Sacrificium missae] offerri potest... pro infi- « delibus ; non tantum generatim pro omnibus, « sed etiam pro singulis infidelibus,... quatenus « est propitiatorium. expiatorium, impetrato- « rium. »

« rato] se habere tanquam fructum sa« cramenti » *(loc. cit.)*.

Rursus Suarez, cum nullum alium fructum ex opere operato intellegat praeter satisfactionem pro poenis peccatorum, nullum quidem in infidelibus admittere potest fructum ex opere operato. Omnes enim consentimus, « sacrificium missae « non posse pro infidelibus offerri quantum « ad fructum satisfactionis : quoniam hic « fructus supponit in subjecto, cui appli« catur, statum gratiae : quippe nequit re« mitti poena ante remissionem culpae. « Infideles autem nequeunt in sensu com« posito esse in statu gratiae ; cum fides, « qua carent, sit principium salutis. Qua« re in sensu composito infidelitatis inca« paces sunt ut sacrificium missae illis ad « satisfaciendum proficiat » (Salmanticenses, disp. 13, dub. 4, § 3, n. 65). At haec ratio minime impedit, quin fructus ille satisfactionis in catechumenis locum habeat, ut sapienter notant iidem Salmanticenses : « Sacrificium missae « quantum ad fructum satisfactionis pro« desse potest catechumenis vivis existen« tibus in statu gratiae. Et hoc videtur « nobis absolute probabilius » (n. 60). Sed praeterea non est, ut diximus (Elucid. I et XXV), satisfactio pro poenis, per seipsam, tota propitiatio. Sed est pars tantum propitiationis generaliter dictae, et condividitur a propitiatione proprie dicta[1]. Jamvero propitiatio proprie dicta, id est compensatio seu indemnificatio pro laeso Dei jure, qua placetur Deus, omnino locum habere potest in illorum favorem, qui non caritate solum, sed et fide carent. Est enim aliquid secundum se praevii ipsi justificationi et vocationi actuali ad fidem. Nec quicquam proinde prohibet quominus talis effectus ab universa Ecclesia in cottidianis suis sacrificiis pro vivis omnibus hominibus exseratur.

Concludendum ergo : omnibus modis propitiationis, satisfactionis et impetrationis, posse suffragium missae prodesse catechumenis : infidelibus vero et propitiatione et impetratione.

Particula II. Ex jure ecclesiastico.

Haec omnia dicta sint de iis quae fieri possunt habita ratione solius legis divinae vel rerum naturae. Sed attendendum praeterea, numquid idem liceat ratione habita legis ecclesiasticae. Cujus quaestionis duae sunt partes. 1° Prohibeatne lex ecclesiastica oblationem specialem[2] missae in favorem hominis (vivi) excommunicati. 2° Prohibeanturne respectu ejusdemmodi hominis suffragia communia Ecclesiae publicis liturgiae eucharisticae formulis distincte enuntiata.

I. Ad hanc alteram quaestionis partem fiat primum responsio : istiusmodi suffragia esse omnino prohibita respectu excommunicatorum. Patet enim ex historia Ecclesiae semper cautum fuisse ne publice inter sacra nominarentur homines excommunicati, adeo ut, si quis talis regulae esset violator, is eo ipso se proderet cum homine excommunicato in sacris communicantem ; quemadmodum ex opposito, quemcumque excluderes e diptychis nominum recitandorum, eo ipso tanquam excommunicatum diffamares. Etenim, ut recte scribit Lesleus in suis notis ad *Missale Mixtum* : Finis et usus « praecipuus diptychorum erat ut retine« retur catholica communio tum VIVORUM « INTER SE, tum vivorum et mortuorum » (P.L. 85, 541)[3]. Praeter romanum pontificem autem et episcopum loci alii episcopi

1. Ut olim praenotavimus, propitiatio proprie dicta habet rationem compensationis pro damno, id est pro reatu culpae ; satisfactio (quae consequens est) habet rationem multae poenalis, id est exstinguit debitum poenae.

2. Extra controversiam est, posse sive laicum adstantem, sive etiam sacerdotem celebrantem, mentaliter tamen, privato suo (veluti adstantis) nomine, commendare per sacrificium Deo omnes quoslibet homines, etiam excommunicatos. Sed quaestio est tantum, de oblatione speciali cum fidelis sacrificium procurantis, tum sacerdotis deferentis, tanquam officialis ministri : sive duae personae sint, sive una.

3. Diptycha vivorum orientalia nonnulla videsis apud Brightman (*op. cit.*) : byzantina vetera (VI, s.), p. 528, 529 ; byzantina recentiora (XV s.), p. 552 : hierosolymitana vetera (XII s.),

aliquando nominabantur, atque imperator vel rex ejusque conjux et proles, aliique optimates vel benefactores, aut si quid ejusmodi. Jamvero, si quis horum excommunicationem incurreret, erat e diptychis delendus. En sensum historicum illius legis, qua privabantur excommunicati suffragiis Ecclesiae communibus publicisque : intellege privatos publica illa denuntiatione atque commendatione per communes Ecclesiae sacrificantis preces. Haec quidem propria erat poena et nota excommunicatorum[1].

Quae erat eo rationabilior, quod hominem nullum vivum talibus suffragiis Ecclesiae publicis commendare consuevere paulatim sacerdotes, nisi computandum inter illos quibuscum ipsi censerentur offerre sacrificium; ut patet maxime ex formis diptychorum latinorum nobis transmissorum : vide supra (Elucid. XXVII) diptycha vivorum mozarabica ; quae velim conferas cum orationibus omnibus *post nomina* ejusdem missalis, ubi vivorum quotquot commemorantur rogatur semper ut oblatio sit accepta Deo ; atque etiam notes illud sancti Isidori : « Tertia autem « oratio [quae est post nomina diptycho- « rum proclamata] effunditur PRO OFFE- « RENTIBUS, sive pro defunctis fidelibus » (*De ecclesiasticis officiis*, l. 1, c. 15, n. 1. P.L. 83, 752)[2]. Patet idem ex ipsius nostri canonis romani forma, secundum quam celebrantes « OFFERIMUS... UNA CUM... Papa « nostro N. et Antistite nostro N. [et Rege « nostro N.] et omnibus orthodoxis atque « catholicae et apostolicae fidei cultori- « bus. » Post quae verba olim[3] non exstabat in commemoratione vivorum illud *pro quibus tibi offerimus, vel* ; sed sic decurrebat oratio : *Memento, Domine famulorum famularumque tuarum N et N et omnium circumstantium* : *quorum tibi fides cognita est et nota devotio* ; *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, etc. Unde patet neminem in ista commemoratione nominari esse solitum, nisi quatenus cum sacerdote in offerendo sacrificio conjunctum.

Non autem homo excommunicatus inter eos jam computatur quibus competat oblatio sacrificii : siquidem excluditur a corpore Christi, extra cujus unitatem nemo exsistit sacrificii oblator.

Quare, si quis vel infidelem, vel haereticum, vel schismaticum, vel excommunicatum (puta regem, aut episcopum, aut alium quemlibet) nominaret, sive in oratione *Te igitur*, sive in nostra *commemoratione pro vivis*, is certe[4] foret legis ecclesiasticae violator[5].

Quia autem HODIE non solum in *commemoratione pro vivis*, sed etiam in nulla alia parte missae suscipit Ecclesia quemquam nominatim commendandum Deo vivum, nisi prout sibi communicantem, ideo etiam hodie non videretur carere culpa, qui in ulla qualibet oratione liturgica nominaret hominem vel infidelem, vel haereticum, vel schismaticum, vel excommunicatum.

Privatio illa suffragiorum Ecclesiae communium publicorumque minime restringitur ad solos excommunicatos vitandos, ut videre est ex *Codice Juris Canonici* (Can. 2262, § 1).

p. 501 ; hierosolymitana hodierna, p. 503. Prodiit, dum haec eduntur, dissertatio Rev^{mi} F. Cabrol, *Diptyques (Liturgie)* in D. A. C., 4, ubi haec verissima leguntur : « Être inscrit sur « ces diptyques est une preuve de communion « avec l'Église et d'orthodoxie... L'inscription « aux diptyques [des morts] équivaut à une sorte « de canonisation (... *canonizare*, mettre au « canon, c'est-à-dire aux diptyques » (col. 1057-1058).

1. Vide omnino de hac re Benedicti XIV epistulam ad Graeci ritus Orientales datam die 1° martis 1756. § 23. Opera omnia 1846, t. 3, pars 2, p. 308.

2. Consonanter diptycha hibernici *Stowe Missalis* : « Cum omnibus in toto mundo offe- « rentibus sacrificium spiritale Deo Patri et « Filio et Spiritui Sancto sanctis et venerabilibus « sacerdotibus offert senior noster et presbyter » ... etc. (ed. G. F. Warner, t. 2, p. 14).

3. Vide *Micrologum*, c. 23. P.L. 151, 993 ; et c. 13, col. 885. Conferatur L. B., 1, 420-423.

4. Quamvis aliter sentiant non pauci doctores, vim orationis nostrae liturgicae non satis attendentes.

5. Quanquam, si talem hominem non nominet sacerdos, sed tantum TACITE ibi format, vel innovat suam intentionem celebrandi in favorem talis hominis, nil peccat.

II. Ad priorem autem quaestionis propositae partem : possitne, attenta lege ecclesiastica, offerri sacrificium missae specialiter in favorem hominis excommunicati, respondent plerique doctores negative : non licere scilicet aut fideli mandare missam, aut sacerdoti celebrare, in favorem alicujus excommunicati, saltem vitandi. Attamen non omnes... Scribit enim Billuart : « Non video cur « non liceret sacerdoti celebrare pro ex- « communicato, etiam non tolerato[1]... « Scio hanc assertionem communiter ne- « gari ab auctoribus, SED QUO FUNDA- « MENTO NESCIO » (*De religione dissert.* 2, art. 6). Neque ego video[2]. Nam nullam importat communionem in sacris cum homine excommunicato illa oblatio missae per modum suffragii, de qua nunc sermo est.

Neque enim communicat in sacris cum infideli, qui pro salute infidelis aut mandat sacrificium aut a fideli mandatum defert : quanquam communicaret cum infideli (attento nostrae hodiernae liturgiae stylo) qui ejus nomen insereret canoni vel aliis missae orationibus. A pari ergo, quamvis non sit nominandus homo excommunicatus inter sacra, tamen nil obstat quominus pro ipso fidelis mandet, et mandatum a fideli deferat sacerdos sacrificium : dummodo tamen ex externis adjuncti› non videatur id fieri in illius commendationem atque decus aut praesidium : qualiter contingeret, si in die natali vel onomastico alicujus excommunicati viri, praesertim principis, denuntiaretur publice sacrum pro ipso faciendum : quae signa honoris vel comitatis non solent dari nisi hominibus pacem et societatem cum coetu fidelium habentibus. Aliter autem est, si missa intellegatur celebrari pro ipsius conversione, reconciliatione, salute, aut si quid ejusmodi. Quare recte nostris temporibus scripsit Wernz : « Hujusmodi « prohibitio non excludit secretam ap- « plicationem *pro vivis* [excommunicatis « etiam vitandis] ad obtinendam conver- « sionem illorum » (*Jus Decretalium*, 1908, t. 3, p. 2, n. 542).

In hac ergo parte, spectatis utique rei momentis intrinsecis, videtur posse tuto quis assentiri conclusioni praelaudati Billuart.

At ultra fas Billuart progreditur, dum pronuntiat : « Non video cur non liceret « sacerdoti celebrare pro excommunicato, « etiam non tolerato, SIVE ACCEPTO, sive « non accepto ab eo STIPENDIO » (*loc. cit*).. Alia enim prorsus est causa, ut abunde supra disputavimus, missae per modum suffragii in favorem alicujus hominis oblatae, et missae ex parte hominis ejusdem delatae. Jamvero excommunicatus, eo quod est excommunicatus, nec reputatur jam juridice inter eos quibus competat activitas ulla oblativa, etiam communis, respectu sacrificii, nec proinde (quantumvis forte sit in gratia) permittitur ullam specialem oblationem exercere, sive per modum adstantis (quare arcetur a loco ubi mysteria peraguntur), sive a fortiori per modum stipem dantis : si quidem illo uti coofferente, est cum ipso communicare in sacris, nec potest sacerdos quoquam uti magis sibi coofferente, quam stipem dante. Quare rursus sapientissime admonet Wernz *(loc. cit.)*. « Nequaquam « iisdem excommunicatis etc. conceditur « jus ad postulanda illa suffragia missa- « rum, v. g. missas votivas[3], ut fieri « potest a fidelibus[4].»

Jam vides, quomodo plene congruat doc-

1. Paucis ante annis praeierat suo sodali cardinalis Gotti (*Theologia Scholastico-Dogmatica. Tract. de euchar. ut sacrificium est,* quaest. 2, dub. 2, § 2. Bononiae, 1733, tom. 14, p. 198).

2. Capitibus *A nobis* et *Sacris,* quibus innituntur adversarii, satisfiet infra (Elucid. XXXII), exposito illorum sensu vero, quo mortui tantum attinguntur, minime autem vivi. Interim nota, caput *Si quis episcopus,* de haereticis, in Causa XI, q. 3, cap. 91, ex ipsa animadversione Correctorum Romanorum, ad solos mortuos contrahi.

3. Missam « votivam » intellege proprie, quae ab ipso postulante demandetur pro seipso : secundum veterem sensum liturgicum illius vocis.

4. Totam illam solutionem jam concinnarat XVII saeculo Franciscus Sylvius (in 3 S. 83, 1, *quaeritur IX*). « Responsio probabilis, in- « quit, est sacrificium licite offerri posse pro

trina haec Canonibus 809 et 2262 nuper promulgati *Codicis Juris Canonici* : « Integrum est Missam applicare PRO QUIBUSVIS... VIVIS... salvo praescripto can. « 2262, § 2, n. 2 » ; quod est tale : « Non « prohibentur... sacerdotes missam privatim ac remoto scandalo pro eo [excommunicato] applicare ; sed, si sit vitandus, pro ejus conversione tantum. » Nihil ibi determinare videtur *Codex* de accipiendo aut non accipiendo ab acatholicis aut excommunicatis stipendio missae ; sed diserte permittit, ut saltem per modum suffragii pro illis litetur. Quod restringitur, in excommunicato, scopus oblationis ad conversionem, nihil odiosi habet. Nam revera pro nullo homine litatur, nisi in ordine ad salutem aut ad bona illa quae in finem salutis conducunt. Si igitur homo est excommunicatus, quia eo ipso praesumitur juridice contumax erga Ecclesiam, non potest pro illo litari nisi in ordine ad justificationem, qua una ad suam salutem perduci queat.

« omnibus fidelibus, etiam excommunicatis ; « ...ita tamen, ut, quando fuerint de numero eo« rum qui per capitulum *Ad evitanda* debent « vitari, duo observentur » : scilicet, 1° ne nomina eorum proclamentur ; 2° ne pro iis agatur ut Ecclesiae membris, puta per celebrationem missae votivae. — Dilucide omnino Eminentissimus Gasparri : « Ceterum Missam pro excommu« nicato applicantes, cavere debemus..., si « agitur de vitando, NE CUM IPSO COMMUNICE« MUS : unde, v. g. NON POSSUMUS AB EODEM « ELEEMOSYNAM PRO APPLICATIONE RECIPERE » (*op. cit.*, n. 483, p. 345 ; coll. n. 484 ff., p. 346).

Elucidatio XXXII.

Pro catechumenis defunctis licet offerre specialiter. Quod etiamsi non liceat pro defunctis acatholicis, tamen his potest (positis ponendis) succurri per sacrificium missae communiter. Pro excommunicatis autem resipiscentibus, post mortem absolutis, potest offerri et specialiter et publice.

Dictum est jam supra, pro catholicis in pace Ecclesiae defunctis posse indubitanter litari in Ecclesia. At de aliis defunctis alia est quaestio. Etenim, sicut omnes suos Ecclesia praesumit obiisse in Christo, sic ceteri quicumque extra societatem visibilem omnem Ecclesiae sunt mortui, praesumuntur jam in perpetuum a Christo alieni : propterea quod, ut diximus, secundum externe comparentia debet Ecclesiae judicium consistere. Quo fit ut hujus proprie loci sit illud Augustini : « Quis enim offerat « corpus Christi, nisi pro iis qui mem« bra sint Christi » (*De Anima et ejus origine*, l. 1, c. 9, n. 10. P.L. 44, 480) ? Qui enim mortuus censetur extra corpus Christi, is non pro tali jam habetur, qui possit fieri aliquando membrum Christi.

Quare quaestio orta est, quam alii aliter solverunt, et de acatholicis simpliciter dictis, et de catechumenis, qui veluti medii inter catholicos et acatholicos consistunt, et de ipsis catholicis excommunicatis. Tanquam facilior expedietur quaestio de catechumenis. Deinde transibitur ad acatholicos, quibus copulabuntur excommunicati.

Particula I. De Catechumenis.

De catechumenis variae visae sunt Patrum inter se conflictare auctoritates.

Primo enim Ambrosius de defuncto Valentiniano imperatore, qui, cum esset « sanus, robustus, incolumis », per litteras ad ipsum datas, baptismum postulaverat (*De obitu Valentiniani consolatio*, n. 51 et 52. P.L. 16, 1374 ; cf. *Epist.* 53, n. 2, col. 1166), haec exclamat confidenter : « Date « manibus sancta mysteria, pio requiem « ejus poscamus affectu. Date sacramenta « coelestia, animam nepotis nostris obla« tionibus prosequamur... Non ergo flori« bus tumulum ejus aspergam, sed spi« ritum ejus Christi odore perfundam » (*Consolatio*, n. 56, col. 1375-1376).

Pariter Innocentius III (vide cap. *Apostolicam. Decret.*, l. 3, tit. 43, c. 2) ad episcopum Cremonensem, de homine, qui, se nesciens non baptizatum, in presbyteratus gradu defunctus erat : « Sopitis « igitur quaestionibus doctorum, inquit, « Patrum sententias teneas, et in Ecclesia « tua juges preces hostiasque Deo offerri « jubeas pro presbytero memorato. »

Nec in contrarium potest advocari sanctus Augustinus loco supracitato (*De anima et ejus origine*, l. 3, c. 12, n. 18. P.L. 44, 520), negans, « sacrificium christia« norum pro iis qui non baptizati de « corpore exierint offerendum » (cf. in eumdem sensum *Serm.* 172, c. 2. P.L. 38, 937). Nam, ut constat ex occasione scribendi et integro argumento, agit Augustinus de iis qui ita caruerint baptismo, ut minime se baptismi cupidos ostenderint aut potuerint ostendere, quales infantes erant sine baptismo mortui. Cupidos autem baptismi ipse habet pro baptizatis, seu Christo incorporatis. « Inve« nio, inquit, non tantum passionem pro « nomine Christi id quod ex baptismo « deerat posse supplere, sed etiam fidem « conversionemque cordis, si forte ad « celebrandum mysterium baptismi in « angustiis temporum succurri non po« test... Tunc impletur invisibiliter, cum « ministerium baptismi non contemptus « religionis, sed articulus necessitatis ex« cludit » (*De baptismo contra donatistas*, l. 4, c. 22. P.L. 43, 173)[1].

At difficultatem majorem facit Chrysostomus haec ad Antiochenos perorans : « Non frustra haec ab apostolis

1. *Libri de Baptismo contra donatistas* (A.D. 400) scripti erant viginti annis ante libros *De anima et ejus origine* (A. D. 420) ; nec quicquam assertae illic doctrinae reprobat Augustinus in *Retractationum*, l. 2, c. 18, P.L. 32, 638, sed solum exempli idoneitatem ex bono latrone petiti.

« lex est lata, ut in tremendis mysteriis « memoria fiat defunctorum. Noverunt « illis magnum fructum inde obventurum, « magnam utilitatem. Cum enim stat « populus universus manibus expansis, « atque coetus sacerdotalis, jacetque tre- « menda hostia, quomodo non supplica- « bimus, pro ipsis Deum invocantes. At- « que id quidem de illis qui in fide de- « cesserunt ; catechumeni autem ne hac « quidem consolatione digni habentur, sed « destituti sunt omni tali ope, una ex- « cepta. Quanam ? Licet dare pauperi- « bus eleemosynam pro ipsis » (*In Phil.*, hom. 3, n. 4. P.G. 62, 204). Superiusque dixerat : « Luge infideles, luge eos qui « nihil ab infidelibus differunt, qui sine « illuminatione decesserunt, sine signa- « culo... Extra regiam sunt, una cum iis « qui poenae sunt obnoxii, una cum dam- « natis » (*ibid.*, col. 203).

Quid tamen velit Chrysostomus, fortasse apparebit, non adeo diversum a superioribus, si recogitemus primo : eum potissimum de commemoratione publica defunctorum egisse, intra missam fieri solita, id est de diptychis mortuorum, in quibus sane nunquam videmus catechumenos esse relatos. Nec nos in canone romano mortuos illos censemur nominare, nisi *qui nos praecesserunt cum* SIGNO FIDEI[1]. Cujus ratio fortasse est, quia, qui oblatores in vita non potuerunt esse (nisi affective, non autem effective) nec proinde in diptychis oblatorum vivorum nominari, eos multo minus decebat mortuos diptychis inseri. Quanquam enim mortui non proprie[2] ut oblatores referebantur, tamen, ut dictum est, diptycha etiam mortuorum ad hunc potissimum finem instituta erant, ut retineretur enuntiareturque, etiam post mortem, communio cum iis qui vivi habuerant cum Ecclesia κοινωνίαν τῆς προσφορᾶς[3].

Praeterea, quatenus Chrysostomus videtur etiam simplicem oblationem missae in favorem talium catechumenorum defunctorum excludere, notandum est, eum satis manifeste, contra illos loqui qui baptismum ex incuria, fastidio aut ignavia in finem usque vitae differrent[4] : qui, si taliter conversantes morte praeoccuparentur, vix reputari poterant in Ecclesiae foro baptismi efficaciter et sincere cupidi. Nec proinde contrarius est Chrysostomus Ambrosio, petitionem baptismi in Valentiniano connotanti, aut Augustino, damnanti defectum baptismi ex quodam

1. Quare videretur peccare, praesertim attenta ratione mox facienda, qui in *Commemoratione pro defunctis* nominaret aliquem mortuum non baptizatum. Idem dicas de defuncto haeretico vel schismatico, vel excommunicato nominatim, nec absoluto : non enim tales, secundum externum Ecclesiae judicium, « dormiunt in « somno pacis ».

2. Quidam tamen defuncti etiam ut perpetui oblatores seu auctores sacrificii censebantur : nimirum qui ecclesiam fundaverant, aut si quid ejusmodi. Sic Chrysostomus alliciens auditorem ad fundandam ecclesiam in villa : « Pa- « rumne est, dic mihi, quaeso, in sacris oblatio- « nibus semper nomen tuum referri, et quotidie « pro villa preces ad Deum emitti » (*In Act.*, hom. 18, n. 5. P.G. 60, 148).

3. Id etiam satis innuit dictum Augustini in *Sermone* 172, c. 2. P.L. 38, 936 : « Hoc enim a « Patribus traditum universa observat Ecclesia, « ut pro eis qui IN CORPORIS ET SANGUINIS « CHRISTI COMMUNIONE defuncti sunt, cum ad « ipsum sacrificium loco suo commemorantur, « oretur, ac pro illis quoque id offerri comme- « moretur. » Cum non dicat Augustinus « in « corpore Christi », sed « in corporis ET SAN- « GUINIS communione », videtur omnino de baptizatis agere, quibus potestas competierat respectu sacrificii corporis et sanguinis Christi frequentandi atque participandi.

4. Consonat in *Catechesi prima ad illuminandos*, n. 1. P.G. 49, 223-224, istud : « Vos, an- « tequam in sacrum illum thalamum ingredia- « mini, beatos praedico ; nec beatos solum prae- « dico, sed etiam laudo vestrum prudens con- « silium : quod non sicut socordiores homines « ad baptismum in extremo halitu accedatis... » etc. Conferas Greg. Nyss., *Orat. adv. eos qui differunt baptismum* : « Nihil boni possum « exspectare iis qui mysteriis non sunt initiati. « Quamnam enim revera veniam aequum est « illis impertiri, qui regis gratiam affecerunt « contumelia, debitorum suorum non admitten- « tes rescissionem, nec amplectentes libertatem, « quae sua sponte ad eos e coelo descendit, per « contemptum autem doni ipsum qui donavit « afficientes dedecore ? » etc. P. G. 46, 424. Lege etiam Greg. Naz., *Or.* 40 *In S. Baptisma*, praesertim n. 23. P.G. 36, 389 ; Severianum Gabalensem, *In S. Baptisma*, n. 8 (quae disputatio perperam adscripta Basilio habetur in P.G. 31, 441).

contemptu religionis exortum, aut Innocentio III, conscientiam erroneam baptismi in praelaudato presbytero attendenti.

Etiam opponitur Concilium Bracarense II (A. D. 563), cujus canon quidam 17[us] sic habet : « Placuit ut catechumenis « sine redemptione baptismi defunctis « simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur « officium : nam et hoc per ignorantiam « usurpatum est » (Mansi, 9, 779). At primo, nil vetat quin iste canon intellegatur fere ut supra peroratio Chrysostomi. Secundo potuit etiam jus quoddam positivum ibi statui, puta ad praepediendam nimiam dilationem baptismi. Nam dicit Concilium: «simili modo » ; quae similitudo refertur ad praecedentem canonem, ubi vetatur, ne pietatis illa officia impendantur illis qui fuerint poena capitali multati. In quibus sane nil nisi per jus positivum stare unquam potuit, quominus suffragiis missarum juvarentur.

Quare, omnibus perpensis, videtur omnino in partem benigniorem accipiendum testimonium antiquitatis, ut liceat, nisi aliter sit per Ecclesiam (ob particulares rationes) consultum, offerre missam etiam SPECIALITER et PUBLICE in levamen defunctorum, catholicae Ecclesiae adhaerentium, qui se baptismi sincere cupidos in vita perhibuerint[1].

Particula II. De infidelibus, haereticis et schismaticis.

Etiamsi cui forte censeatur soluta quoad praxim, magnas tamen habet suas difficultates theologicas haec quaestio : hinc inde dimicantibus inter se gravibus argumentis ac auctoritatibus.

Et *primo* quidem, ad rationem intrinsecam quod spectat, valde difficile intellegitur, quomodo possit Ecclesiae sacrificium offerri pro aliquo acatholico defuncto specialiter seu nominatim (etiam tacito nomine). Ratio, est quod Ecclesia est quaedam societas visibilis, in qua quicquid est publici juris seu externi fori, necessario secundum ea quae externe comparent est ordinandum ac transigendum. Porro, et secundum externe comparentia defunctus acatholicus est extra fines salutis, et secundum se applicatio specialis nostrorum sacrificiorum videtur esse quiddam publici juris.

Et primo quidem, quoad acatholicum defunctum, quanquam enim potuit in terris, vigente intus fide et caritate, pertinere ad corpus Christi (quod est Ecclesia) invisibiliter, tamen, sicut tunc habebatur publice pro extraneo, sic nunc, per consequentiam, habetur publice pro exsistente foris aeternaliter. Proindeque secundum hanc juridicam praesumptionem debent circa ipsum ordinari in Ecclesia omnia quaecumque sunt fori externi. Jamvero applicatio specialis fructuum sacrificii videtur illis quae sunt fori externi accensenda. Nam, etiamsi soli fideli sacrificium mandanti et sacerdoti deferenti nota sit illa specialis applicatio, satis rationabiliter tamen censebitur ex sua natura esse aliquid publici et socialis, pro quanto sacerdos celebrans non ministrat intentioni fidelium nisi ut publicus Ecclesiae officialis, adeo ut tota et integra auctoritate ac vi communitatis ecclesiasticae illam commendet atque promoveat apud Deum[2]. Quae cum ita sint, parum certe apparet, quomodo possit pro defuncto acatholico specialiter litari, etiam, ut aiunt, privatim, id est tacito nomine.

1. Patet autem, proprie per modum satisfactionis juvari et levari animas defunctorum. Unde novum accedit argumentum nostrae conclusionis circa vivos superius politae : non solum per viam impetrationis sacrificium prodesse non baptizatis. Nam si satisfactio praestatur ex opere operato pro defunctis fidelibus non baptizatis, nulla potest excogitari ratio, cur non etiam idem contingat vivis quibuslibet in gratia, etiam sine baptismo, exsistentibus. « Sacrificium « missae prodest quantum ad fructum satisfactionis animabus catechumenorum exis« tentibus in Purgatorio... Ergo pariter sacri« ficium missae quantum ad fructum satisfac« tionis prodesse potest catechumenis vivis « existentibus in statu gratiae » (Salmanticenses, disp. 13, dub. 4, § 2, n. 60).

2. Cf. dicta supra de hoc argumento in Elucid. XXVII.

Haec de ratione intrinseca.

Jamvero *secundo*, quoad momenta extrinseca hujus quaestionis, primum occurrit, quod nullum ex tota antiquitate exemplum afferri potest, quod norim, istiusmodi applicationis specialis pro defuncto acatholico. Secundo, nunquam ante nostram aetatem ullus doctor, quem norim, istud pronuntiavit licitum. Quicumque enim de hac re legit theologos scholasticos, sive dogmaticos sive morales (quos commemorare otiosum foret[1]), novit, semper ab omnibus, in ordine ad applicationem missae, defunctos esse divisos in tres classes : beatos, purgantes, damnatos ; prohiberi communiter celebrationem pro tertia classe[2] ; nonnisi secundum quid permitti pro prima ; permitti autem simpliciter pro secunda[3]. Istud sollemne est omnibus doctoribus. Sed non illinc solvitur quaestio ulterior practica, possimne litare pro hoc nominatim defuncto specialiter. Etenim non mihi constat, ad quamnam ex tribus suprarecensitis classibus ipse pertineat. Sed pro inconcessa notitia locum habet praesumptio juridica, ut dictum est, fundata super hoc, quod visibilis communio et pax cum Ecclesia habeatur in foro externo pro pace et communione spiritali cum Christo, cujus corpus Ecclesia est. Quare iidem principes scholae, qui jus tuebantur pro omnibus defunctis in purgatorio exsistentibus litandi, tamen, data occasione[4], omnino excludebant applicationem specialem pro ullo defuncto acatholico. Quare juxta illorum mentem, promiscua potestas litandi pro defunctis in purgatorio exsistentibus, non secum trahebat jus litandi pro hoc vel illo nominatim defuncto, puta acatholico. Et revera, si quis probe rem examinet, inveniet in duabus omnino dissitis sphaeris se habere distinctionem illam tripartitam, qua utebantur ipsi, et distinctionem alteram, qua defuncti dividuntur in catholicos et acatholicos. Distinctio illa veterum desumebatur ex statu praesente ac reali (nobis ignoto) animarum separatarum, sive beato, sive purgante, sive reprobo ; et erat praesertim polemica contra Protestantes. Distinctio autem altera fit penes statum juridicum (nobis notum), quem in hac vita obtinebant, communionis visibilis cum Ecclesia, aut alienationis saltem apparentis ; et est immediate practica quoad

1. Sufficiat nominasse principes scholae, Bellarminum, *De missa*, l. 6, c. 6, coll. c. 7; Vasquezium, disp. 226, cap. 5 ; Suarezium, disp. 78, sect. 3 ; Lugonem. disp. 19, sect. 10, n. 192 ; Salmanticenses (Theol. Mor.), *De Sacrificio missae*, cap. 2, punct. 3 ; et *Cursus Theologicus, De Euchar.*, disp. 13, dub. 3, n. 52, et dub. 4 ; Billuart, *De almo euchar. sacram.*, diss. 8, art. 4 ; S. Liguorium, *Theologia Moralis, De Euchar.*, c. 3, dub. 1, n. 310. En verba introductoria Vasquezii *(loc. cit.)* : « Ultimum « genus hominum pro quo hoc sacrificium offerri « potest, est defunctorum, quorum aliqui sunt « damnati in inferno, alii vero sunt in Purgatorio, « alii vero beati : de quibus singillatim suo ordi- « ne dicemus. » Iisdem verbis Suarez exorditur (*loc. cit.*) : « Distinguamus tres defunctorum « ordines » etc. Similiterque omnes doctores scholastici ad nostram usque aetatem. Vide pro exemplo Sasse, *Institutiones theologicas de sacramentis Ecclesiae*, Friburgi Brisg., 1897, tom. 1, p. 575 sq. : « Reliquum est, ut de oblatione « sacrificii pro iis qui ex hac vita decesserunt, « pauca dicamus. Horum autem triplex est « ordo » etc.

2. Aliquando satis prolixe de ipsa damnatorum classe disputabant, ut puta P. A. Persico (*De primo ac praecipuo sacerdotis officio*, l. 2, c. 4, d. 6. Neapoli 1639, p. 544 sq) ; Pasqualigo, (*op. cit.*, tom. 1, q. 156 et 157, p. 159-161) ; vel Tournely, *Theol. Mor., De Euchar.*, pars. 2, cap. 8, art. 2, Venet. 1751, p. 754-758). Quin et veterum quarumdam missarum pro damnatis exempla vide in P. L. 40, 284, et apud A. Franz, *Die Messe im Deutschen Mittelalter*, Frib. Brisg. 1902, p. 225.

3. Unde sequitur statim, si litem pro animabus purgantibus, id communiter profuturum omnibus defunctis quicumque purgatione indigeant. Quanquam vel isti conclusioni non pauci doctores contradicunt quoad purgantes non baptizatos ; sed immerito, ut sequitur ex supra disputatis in Elucidatione hac et XXXI.

4. Dico *data occasione*, quia (opinor) lex excludens celebrationem pro acatholico defuncto adeo clarebat illis, ut quaestionem nunquam moverent ex professo, sed obiter tantum (ut in re indubitata) sententiam suam proferrent. Vide pro exemplo sanctum Liguorium in *Opere dogmatico contra haereticos pseudo-reformatos*, disp. 10, n. 24 (tr. lat. A. Walter, *Opera dogmatica*, Romae, 1903, t. 1, p. 622) ita pronuntiantem omnino ; quanquam loco superius citato scripserat : « Pro defunctis autem exis- « tentibus in purgatorio certum est quod licite « et utiliter offertur missa. »

oblationes nostras in individuo. Quare transitus ex una ad alteram dialecticus, sicut nec licet, sic nec ab ipsis fiebat, nisi secundum regulas praesumptionis legalis.

Auctoritati autem scholasticorum praecesserat quidem auctoritas Augustini, omnino negantis posse sacrificium fieri pro non baptizatis[1] defunctis « cujuslibet[2] « aetatis » (*De anima et ejus origine*, l. 1, c. 11. P.L. 44, 481)[3].

Successit vero auctoritas gravissima Gregori XVI, scribentis ad Episcopum Augustanum, die 16° februarii 1842, contra fas esse indicta ab illo sacrificia pro anima defunctae reginae haereticae. « Vix « autem possumus explicare verbis, quantum concepimus animo dolorem, cum « ex earumdem [literarum] lectione cognosceremus, jussisse te, ut publicae « illae supplicationes *quae pro omnibus « in christiana et catholica societate defunctis* [Augustin., *De cura pro mortuis gerenda*, c. 4, n. 6. P.L. 40. 596] « institutae ab Ecclesia sunt, haberentur « istic pro muliere principe, quae in haeresi, ut manifestissime vixerat, ita et « diem obiit supremum. NEC QUIDQUAM « AD ID REFERT, SI POTUERIT EADEM « IN EXTREMIS VITAE MOMENTIS, OCCULTO « DEI MISERENTIS BENEFICIO, ILLUMINARI « AD POENITENTIAM. ETENIM SACRETIORA « HAEC DIVINAE GRATIAE MYSTERIA AD « EXTERIUS ECCLESIASTICAE POTESTATIS « JUDICIUM MINIME PERTINENT. Atque « HINC veteri JUSTA ac nova disciplina « interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione « defuncti catholicis ritibus honorentur[4] » « (*Acta Gregorii P. P. XVI*, ed. A. M. Bernasconi, Romae, 1902, tom. 3, p. 199). Dicesne solam publicitatem seu notorietatem celebrationis esse a Pontifice reprehensam ? At, ut rectissime adnotavit Wilmers (*Lehrbuch der Religion*, tom. 4, Münster, 1903, p. 564)[5], quanquam de facto publica ac notoria celebratio in causa erat, tamen ratio a Pontifice allegata omnem quamlibet litationem excludit, etiam minime notoriam, pro defuncto acatholico specialiter seu nominatim habendam[6] : scilicet, bonam fidem, si adsit, esse invisibilem, nec proinde fundamentum litandi posse praebere Ecclesiae, quae de illis non judicat, quorum sibi judicium reservavit Deus ; hoc est, non posse Ecclesiam in istiusmodi rebus aliam sequi regulam praeter dictamen praesumptionis juridicae.

Confirmatur haec mens Pontificis ex allegata auctoritate Augustini, quae apud Augustinum procedebat de sacrificiis « etiam tacitis nominibus[7] » defunctorum celebrandis.

Videtur constare tertio ex eo quod, ad

1. Excipit tamen ipse (loco mox citando) ab ista exclusione casus illos publicae adhaesionis ad Christum, cujusmodi fuit boni latronis ; ad quos reduci potest non irrationabiliter catechumenorum causa, ut supra.

2. Id est, non solum prohibetur istud pro defunctis sine baptismate INFANTIBUS.

3. « Salva FIDE CATHOLICA et ecclesiastica « regula, nulla ratione conceditur, ut pro non « baptizatis cujuslibet aetatis hominibus offeratur sacrificium corporis et sanguinis Christi, « tanquam per hujusmodi pietatem suorum ad « regnum coelorum quo perveniant adjuventur. »

Videtur eodem pacto intellegenda auctoritas Gregorii III (*Ep. ad Bonifatium archiepiscopum*, ex Jaffé, *Mon. Mogunt.*, p. 93, ap. Aemilium Friedberg, *Corpus Juris Canonici.* Editio Lipsiensis Secunda, 1879, tom. 1, col. 728), quae inserta est *Decreto* (2, causa 13, q. 2, c. 21), « pro mortuis vere christianis » duntaxat, « pro mortuis catholicis », non autem pro aliis, permittens sacra. Vix autem operae pretium est adferre in eumdem sensum caput *Si quis episcopus* (Causa 11, q. 3, cap. 91), cum nullius Papae aut Doctoris sit, sed excerptum ex *Canonibus Poenitentialibus* perperam Hieronymo adscriptis (P.L. 30, 441).

4. Additur haec monitio : « Erit quoque tui « muneris ut Nostram hanc epistolam caute « deponas in tabulario tuo episcopali, atque « ibidem asservandam cures in memoriam POSTERITATIS » (*op. cit.*, p. 200).

5. « Dass hier von *publicae supplicationes* « die Rede ist, bedingt keinen wesentlichen Unterschied ; der vom Papste angeführte Grund « bleibt stets wesentlich derselbe ; alle *supplicationes*, alle *suffragia*, auch die weniger feierlichen, sind nur für die in der Gemeinschaft « der Kirche Gestorbenen eingeführt worden. »

6. Praeterquam quod, ut supra dictum est, semper est publica de jure, quantumvis sit secreta de facto, applicatio specialis pro hoc nominatim defuncto, etiam tacito nomine.

7. « Non sunt praetermittendae supplica-

Praesidem Monachorum Schyrensium scribens die 9° julii 1842, protestatur Pontifex se non posse permittere, ut istiusmodi celebratio annua pro acatholico defuncto fiat etiam sub colorato titulo celebrationis pro defunctis universis alicujus regiae familiae, quorum longe major pars erant catholici[1]. Et hoc quidem, ne « ullo modo « fraus fiat prohibitioni illi, quae IN CATHO- « LICA IPSA DOCTRINA INNITITUR, de sacro « funere[2] pro defunctis acatholicis non cele- « brando[3]. » Ubi etiam hoc notandum est, quod expresse a Pontifice excluduntur omnes acatholici, nulla distinctione facta inter haereticos et reliquos infideles, nec proinde advocata lege positiva Ecclesiae circa excommunicatos, sed omnino doctrina ipsa catholica.

Nec proinde mirum est, quod, proposita quaestione : « An liceat missam offerre pro « illis qui in manifesta haeresi moriuntur, « ...etiam in casu, quo hujusmodi appli- « catio missae tantum sacerdoti et illi qui « dat eleemosynam nota esset », Sacra Congregatio *S. Officii* respondit die 7 aprilis 1875 : « *Negative.* »

Haec dicta sint pro parte negante.

Pro parte autem affirmante, rationis intrinsecae cujusdam momentum habet, quod intentio mandantis missam est quid mere internum, adeo ut ne sacerdoti celebranti quidem opus sit ut pandatur : cum possit is celebrare *ad intentionem dantis*, ut aiunt, sibi ignotam. Num vero convincat ista ratio, non ausim decernere : cum, etiamsi interna sit intentio, tamen opere publico sacrificii promoveatur, ut dictum est supra.

Sed utcumque sit illud, certe gravis Doctorum hujus aetatis auctoritas habet : posse litari privatim pro acatholico defuncto, si cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae obierit. Ita Lehmkuhl (*Theolog. Mor.*[5], n. 176), quem sequuntur Génicot, Noldin, Wernz, Lépicier, etc. At quoad conditionem appositam, facit difficultatem, quod pro foro juridico Ecclesiae nulla valent signa bonae fidei nisi animus aliqualiter manifestatus accedendi aut revertendi ad Ecclesiam[4] : unde quis catechumenis aut resipiscentibus accenseri possit[5]. Sed rursus,

« tiones pro spiritibus mortuorum : quas faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum « sub generali commemoratione suscepit Eccle- « sia ; ut quibus ad ista desunt parentes aut « filii aut quicumque cognati vel amici, ab una « eis exhibeantur pia matre communi. » Augustin., *loc. cit.*

1. « Nos igitur sanctissimis insistentes Eccle- « siae regulis, respondemus intentionem illam « OFFERENDI DIVINUM SACRIFICIUM seu alias « preces pro defunctis e catholica regia familia « universis, haudquaquam satis esse ad cohones- « tandam publici funeris causam, quod pro « acatholica persona nominatim postulatum « est et in ejus obitus aut annua die celebratur. « ...Nec enim permittere possumus ut ullo « modo fraus fiat » etc. ut supra (*op. cit.*, p. 222).

2. Audiens funus, noli cogitare exsequias, sed utique missas *de Requiem*, puta annuas, ut constat ex contextu.

3. Huc referenda est responsio *Sacrae Congregationis Rituum* ad hanc quaestionem : « An « liceat in die anniversaria obitus principissae « ad protestantium sectam pertinentis celebrare « missam in levamen defunctorum regiae fami- « liae ? » Die 23 maii 1859 prodiit responsum : « Non licere. Et detur exemplum epistolae « in forma Brevis die 9 julii 1842 s. m. Gre- « gorii XVI. »

4. Quod si forte admiserint praefati doctores, jam nulli dissidio erit inter nos et ipsos locus ; cum et nos ultro consentiamus, pro defunctis, qui talem animum manifestaverint, posse litari etiam specialiter.

5. Hoc sensu puto esse intellegendum Responsum (aliter parum intellegibile) *Sacrae Congregationis de Propaganda Fide*, datum 12 sept. 1645. Quaestio erat : « Si in illo regno [Sinensi] « licebit Christianis orare et SACRIFICIUM FACERE « Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in « sua infidelitate ab hac vita discedunt. » Responsum fuit : « Si vere in infidelitate discedunt, « OMNINO non licere. » Parum enim verisimile est sensum fuisse : illicitum fore sacrificium, si vere fuerit in illis decedentibus infidelitas realis, seu carentia fidei salvificae ; licitum fore, si apparens tantum fuerit infidelitas, fides autem adfuerit realiter. Nam talis conditio, cum, ex terminis, foret de re invisibili, parum juvaret oratores. Satisfacit autem responsum, si conditio intellegitur de voluntate aliqua aliqualiter manifestata accedendi ad Ecclesiam ; quae si desit, nullatenus inter fideles possunt recenseri publice ; si autem adsit, jam catechumenis accenseri possunt, etiamsi forte, morte praeoccupati, nequiverint praesidibus Ecclesiae nomen dare, catechumenorum ordini formaliter inscribendum : qua ex parte adhuc inter infideles numerabantur.

utut sit illud, manet tamen auctoritas illa Doctorum gravium satis reformidanda.

Venit jam vero, maxime ambigendum, nonne ipse *Codex Juris Canonici* illis authentice suffragetur et adstipuletur. « Integrum est Missam applicare pro qui- « busvis tum vivis, tum etiam defunctis « purgatorio igne admissa expiantibus » (Can. 809). Et revera, si illo Canone effectum est, ut suprema magisterii ecclesiastici auctoritate sanciretur, vel indirecte, doctrina praefatorum modernorum, floreat haec et vigeat, pereunte opposita : cujus proinde argumenta deprehenduntur infirma et vana.

At priusquam censeatur res ita confecta ac resoluta, considerandum est diligenter, qui sit proprius sensus et ambitus Canonis. Revera dicitne Canon, posse offerri speciatim pro defunctis acatholicis ? Dicit posse offerri pro quibusvis[1] defunctis exsistentibus in purgatorio : sed hoc jam audivimus ex universa fere Schola : nec tamen, ut dictum est, potuit inde concludi, mentem Scholae fuisse eo ipso, ut litari posset specialiter pro acatholicis defunctis. Cur amplius potuerit aut debuerit concludi ex Canone ?

Et quidem, *a priori*, non multum verisimile est, voluisse Legislatorem per viam Canonis decidere istam quaestionem contra doctrinam, ut videtur, Gregorii XVI et decisionem S. Officii luculentiorem. Et cum affectet Canon stylum sollemnem scholasticorum theologorum, nonne etiam rationabiliter judicabitur se intra fines communis, aut communioris, ipsorum placiti continuisse ? Huc accedit, quod, si Canonis scopus esset edicere jus offerendi determinate pro hoc vel illo defuncto, quaecumque fuerit ipsius habitudo visibilis ad Ecclesiam in terris, jam nulli fini practico conducere viderentur verba *purgatorio igne admissa expiantibus* : quibus conditio quaedam adstrueretur, cujus verificatio nos fugit. Dum e contra sunt utilia et necessaria ista verba, si Canon sit intellegendus, ad mentem Scholasticorum communem, sancire distinctionem tripartitam animarum separatarum, in ordine ad sacrificium Ecclesiae.

Praeterea, inter fontes, ad quos in *Codice* remittimur, nullus punctum controversiae illius tetigit.

Quibus omnibus consideratis, non parum quis haeserit in extendendo aut ampliando sensu istius Canonis[2].

Sic videtur Eminentissimus Gasparri (*Tractatus canonicus de SS. Eucharistia*, n. 480, Parisiis, 1897, tom. 1, p. 341) interpretatus esse Responsum, cui proxime praemittit haec : « [Ex « ipsa rei natura missa applicari nequit] pro « infideli defuncto, quin positiva ac particularia « CONVERSIONIS signa ante mortem dederit. »

Ad uberiorem intellegentiam Responsi, adde : illud *orare*, in quaestione proposita, omnino esse accipiendum de oratione publica, cum ex contextu, orationem cum sacrificio copulante, tum ex Sinensium conditione, apud quos maxime in causa erat cultus publicus defunctorum. Oratio autem privata semper (seclusa revelatione divina) de facto permittitur, quia non sequitur eamdem legem praesumptionis legalis ac opus ex sese publicum sacrificii.

1. Paulo plus ex hac parte jam dicit Canon quam quidam Scholastici, ut puta Vasquezius. Cum enim is negaret posse offerri pro non baptizatis, tenebat illa exclusio et quoad vivos et quoad mortuos pariter. Jam vero, rejecta illa exclusione, ut factum est supra a nobis, et fit in Canone per verba *pro quibusvis... vivis*, perit omne fundamentum restrictionis in animabus purgantibus. Quare cohaeret sibi Canon optime, permittens celebrationem pro *quibusvis* purgantibus. Et consequenter ad principia supra posita de ducatu praesumptionis juridicae, potest statim inferri jus celebrandi specialiter pro catechumenis defunctis.

2. Audivi quidem cum dicerent nonnulli Canonistae, etiamsi censeretur Canon 809 jus illud adseruisse, tamen etiam tunc locum remanere alicui addubitationi : utrum scilicet absolute causam deciderit, pro suo intestino merito, an solum oeconomice, adhibitis principiis reflexis. Etenim potuit, inquiunt, Canon duobus modis procedere valde diversis. Potuit dare decisionem simul et practicam et theoreticam, innixam ipsis meritis seu momentis causae. Potuit, relicta utrique parti theoreticae sua probabilitate, edere instructionem mere practicam, vi cujus, pro praesente statu quaestionis, fas sit celebrare tuta conscientia pro acatholico defuncto nominatim, servatis servandis. Hoc posteriore casu, eodem fere modo procederet *Codex*, quo processit in re matrimoniali per Canonem 1068, § 2 : « Si impedimentum im- « potentiae dubium sit, sive DUBIO JURIS, sive « dubio facti, matrimonium non est impedien- « dum. » Cujus Canonis vi fit, ut in praesente, post ablatum uterum, liceat mulieri nubere, cum tamen dubium remaneat, nonne sit, de

Momentis vero utriusque partis sic libratis, non facile est tandem de celebratione pro acatholicis aliquid decernere firmi. Hinc me inclinant rationes, quibus quomodo occurratur parum video. Illinc me retardat paululum, praeter auctoritatem modernorum, aliqua certe difficultatis umbra ex Jure Canonico, quae nescio an plenissime dispellatur. Igitur, quanquam verior mihi apparet solutio negans, tamen malo me committere sapientiae peritiorum, aut decisioni authenticae, si qua prodierit, sive circa ipsam litationem pro acatholicis defunctis, sive quoad interpretationem Canonis 809.

Interim non est timendum ne, severiorem etiam amplexi doctrinam, minime jam possimus subvenire animabus acatholicorum, qui, quanquam caruerint omni visibili connexione cum Ecclesia, tamen intus habuerint, in bona fide Dei nostri Salvatoris, caritatem erga Patrem coelestem et universam fraternitatem. Etenim ex ipsa nostra doctrina, sicut etiam ex interpretatione quam proposuimus Canonis 809, sequitur, contra Vasquezium, prodesse illis communiter cum animabus baptizatorum, omne sacrificium Ecclesiae, et multo magis sacrificia illa, quae prima intentione ordinantur in levamen animarum purgantium. Igitur, ad quamcumque anima hominis defuncti pertineat classem, etiam illorum qui specietenus in infidelitate vixerint, ne dicam solum in haeresi vel schismate, tamen, si vigente intus gratia Dei, in Christo obierit, proderit ei quodcumque ab Ecclesia procedet commune pro omnibus fidelibus defunctis missae suffragium, etiamsi non possit specialiter pro tali anima litari. Cujus ratio est, quia Ecclesia, communiter litans pro omnibus fidelibus defunctis, neminem a suo suffragio excipit eorum qui sunt Christi ; sed nullo facto judicio, nulla facta discriminatione, pro omnibus membris Christi Christi corpus offert. Sic igitur per universam fraternitatis caritatem succurritur animabus sanctis, etiam baptismali charactere carentibus, nec desiderium ingrediendi Ecclesiam significatione ulla unquam externa protestatis.

Si igitur tibi curae est salus aeterna defuncti cujuspiam propinqui vel amici, nunquam (eheu !) intra Ecclesiae septa nominati, omnibus in Christo defunctis tuam impende curam : si forte et illa anima tibi cara commune inde percipiat suffragii beneficium. Nec facies contra legem divinam, si privatim oraveris Deum, ut largior et potior descendat ad talem animam pars beneficii communiter omnibus per missam erogati. Aliud enim est offerre specialiter pro uno (quod est suffragium sacrificii ecclesiastici per publicum Ecclesiae legatum dirigere tuo nutu in unius speciale commodum), aliud, dum offers indiscriminate pro omnibus, petere a Deo suppliciter, privato tuo nomine, nec per publicum opus sacrificii, ut quod prodest communiter omnibus, specialiter prosit uni[1]. Etiamsi enim illud tibi respectu solorum fidelium liceat, tamen hoc alterum certissime tibi licet respectu cujusvis adulti

jure naturae, tale matrimonium invalidum, proindeque et illicitum.

Sed, ut verum dicam, ista solutio videtur mihi parum probabilis. Et ratio est in promptu, ex ipsa paritate aut potius disparitate inter Canonem 809 et Canonem 1068. In hoc enim expresse dicit Legislator, STANTE DUBIO esse oeconomice procedendum tali modo. Quare, si dubium juris (etiam omne) unquam tollatur per decisiones authenticas, non erit reformandus Canon, sed poterit relinqui ut est. Etenim verum et sanum manebit etiam tum principium in Canone enuntiatum. E contra, admissa interpretatione praedicta, reformandus aliquando foret Canon 809, si decisione authentica Ecclesiae solveretur ita dubium juris, ut pars negans vinceret. Igitur nulla est paritas inter causam unius Canonis et causam alterius, per respectum ad usum viae oeconomicae.

Alia explicatio, eaque fortasse non absurda, haec fuerit : quod Canon 809 permittat offerri etiam specialiter ac nominatim pro omnibus quotquot JURIDICE PRAESUMUNTUR in purgatorium ignem recepti : cujus clausulae amplitudine, praeter fideles baptizatos, ipsi etiam catechumeni continentur. Unde sequetur, Canone 809 proprie tangi ac dirimi ipsissimam quaestionem, quae superius in Particula I disputabatur.

1. Tua oratio impetrat ex opere operantis, ut ex opere operato missae juvetur iste amplius.

hominis defuncti ; nullius enim salutem desperare jubemur, aut vetamur per orationem promovere : donec constiterit nobis, aliquem se per impoenitentiam finalem extra partem salvandorum constituisse ; quod regulariter de nullo homine constat[1].

Particula III. De excommunicatis resipiscentibus, post mortem absolutis.

Quae sunt modo disputata de defuncto acatholico, proportionaliter applicanda sunt homini catholico, si qui forte obierit excommunicatus (vitandus). Multis quidem Decretorum locis prohibitum erat, quominus pro isto missa specialiter offerretur (Cap. *A nobis* et *Sacris*, *Decret.*, lib. 5, tit. 39, c. 28 et 38, etc.). Qua in causa, eadem ratio potest confici ac supra. Est quippe talis homo, propter suam in Ecclesiam contumaciam, ejectus per excommunicationem extra corpus Ecclesiae : *Sit tibi sicut ethnicus.* Mortuus autem in illo statu, PRAESUMITUR extra fines salutis exsistere. Attamen si ejusmodi « evidentia « signa» poenitentiae praecesserint, quibus constet eum se subjecisse Ecclesiae clavibus, nec nisi morte praeventus caruerit absolutione, jam nihil obstat, quin etiam post mortem ab Ecclesia absolvatur, per cujus sententiam erat ligatus ; atque proinde juridice jam non pro reprobo, sed pro electo habeatur : in cujus levamen fas sit missam celebrare (Cap. *A nobis*, ex praelaudato Innocentio III, *Regest.*, l. 2, c. 61. P.L. 214, 599-601), etiam publice.

1. Nescio annon hoc etiam sensu intellegi queat quod scribit Cardinalis Gasparri (*op. cit.*, n. 489, p. 349) : « Quid vero, si, oblato sti« pendio, missa petatur pro mortuo in infideli« tate aut in haeresi, aut in excommunicatione, « aut in manifesto peccato ? Respondeat sacer« dos, se posse applicare Missam pro omnibus « fidelibus defunctis cum intentione subveniendi « etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum « sit coram Deo. » Hanc praxim commendat ut tutiorem clarissimus Lépicier eo ipso loco, quo permittit oblationem specialiorem (*De sacrosancto sacrificio eucharistiae*, Parisiis, 1916, q. 4, a. 5, n. 7, p. 211).

Elucidatio XXXIII.

Fructum fert missa sacerdotis ab Ecclesia praecisi aut exauctorati, non tamen sine Ecclesiae opera.

CAPUT VI.

DE MISSA SACERDOTIS AB ECCLESIA PRAECISI AUT EXAUCTORATI.

Hucusque diximus de missa a sacerdote cum Ecclesia conjuncto celebrata. Jam quaestio exsurgit, ex sese non ita facilis, sed ex veterum doctorum dissensu multo intricatior, quid valeat, quidve prosit, missa, quam sacerdos celebraverit, non dico mere improbus aut indignus, sed sive separatus ab Ecclesia, puta per excommunicationem publicam, vel haeresim notoriam, aut schisma perfectum, sive intra Ecclesiae septa manens quidem ipse, sed privatus suo officio ac gradu[1].

§ 1. — Quaestionis ratio, momenta, ac fines.

Et primo quidem, potest dubitari, qui ·it talis missae valor seu acceptabilitas[2] atque efficacia. Etenim, ut diximus, inde conciliatur omni sacerdotum sacrificationi acceptabilitas indefectibilis, quod primas in offerendo tenet Ecclesia, cujus nomine offert sacerdos, tanquam corporis ecclesiastici organum proprium. Jamvero Ecclesia quomodo per illum offerre censebitur, quem resecuit ? Ipse autem sacerdos praecisus quantumvis forte delicti prioris aut expers aut poenitens, ipsa jam oblatione sacrificii contumaci peccator esse convincitur. Ubi ergo, ut verbis Scoti supracitatis utamur, ubi, quaeso, est « offerens acceptus », ubi bona « voluntas offerens ? » Unde igitur, ex parte activae oblationis, exsurgere poterit sacrificii acceptabilitas ?

Dixerisne acceptabilitatem esse penes

1. Supponuntur hoc loco duo puncta doctrinae, quae supra ex mente veterum Patrum et Doctorum disputata sunt : *primo*, non intercedere Christum singulis nostris sacrificationibus per ullam actionem oblativam ex ipsius parte novam ; sed novitatem omnem oblationis reperiri penes offerentes terricolas ; *secundo*, inter terricolas offerentes, primas obtinere, ex institutione divina, Ecclesiam universam, cui datum sit sacrificium eucharisticum (*Trid.*, Sess. 22, c. 1 ; D. 938), ab ipsa offerendum per sacerdotes *(ibid.)*, tanquam Societatis ecclesiasticae ministros publicos (c. 6, D., 944) ; nec proinde potestatem ullam esse concessam sacerdotibus a Christo nisi deferendi sacrificium Ecclesiae : quae cum sit conjugata Christo, sola habet potestatem corporis Christi, unde muneret Deum, ex bonis suis exhibito sacrificio. Quam sententiam rursus confirmabunt Patres et Doctores in hac disputatione allegandi : cum ii qui adserunt, tum illi qui denegant sacerdotibus praecisis aut exauctoratis potestatem sacrificam; quandoquidem utrinque conjunctio talium sacerdotum ac sacrificiorum cum Ecclesia attenditur pariter tanquam ratio aut evacuandi aut defendendi sacrificium, prout ipsa aut deficere aut perseverare putatur.

2. Cum disputatur de acceptabilitate sacrificii, non de pretio hostiae sermo fit (quod, ubicumque nostra hostia adest, infinitum est) ; sed quaeritur, quid valeat apud Deum oblatio nostra hostiae. Etenim sacrificium (active sumptum) non est ipsa hostia, quae offertur ; sed oblatio, quae peragitur, hostiae. Quapropter, in valore sacrificii pensando, magis quodammodo attenditur (sicut contingit etiam inter homines) affectus donantis quam doni valor, ut animadvertere catholici : S. Thomas, 3, S. 79, 5, c. ; Scotus, *Quodlib.* 20 ; Bellarminus, *De missa*, l. 2, c. 4, etc.

Christum principaliter offerentem ? Utique est Christus principalis offerens ; at, ut diximus, non eo sensu, quod, dum operatur per sacerdotem consecrationem novam, novum ipsemet eliciat actum offerendi ; sed per hoc quod unico suo actu oblativo, olim elicito, in cujus virtute offerimus, offerat virtualiter omne sacrificium a corpore suo, quod sumus, profectum. Si qua igitur oblatio a corpore non ponatur proficisci, in hanc nullatenus censenda est profundere suam virtutem oblatio nostri capitis. Non igitur acceptabilitatem habebit ex parte Christi offerentis, sacrificium quodcumque ex Ecclesia non procedit[1].

Quinimo, non solum acceptabilitas sacrificii, sed etiam, secundo, consecrationis validitas in sacerdote praeciso videtur deficere. Nam, ut superius diximus, non offert quisquam nisi ex parte Ecclesiae, nec quisquam consecrat valide, nisi vere offerens. Quod si sacerdos praecisus non possit ex parte Ecclesiae offerre, sequetur eum nec valide posse consecrare.

En intrinsecas rationes dubitandi duas de validitate et valore missae a sacerdotibus praecisis celebratae. Unde apparet, quaestionem esse revera de ministro sufficiente celebrationis eucharisticae.

Scopus autem disquisitionis est potissimum, ut appareat, cujusmodi connexio habeatur inter sacrificium et Ecclesiam.

Rationibus dubitandi intrinsecis accedunt extrinsecae ex locutionibus non paucis Patrum et Doctorum veterum. Visi sunt enim illi certe, si prima facie res inspiciatur, negasse aut validitatem aut certe valorem sacrificii a sacerdote praeciso celebrati. Nunquam quidem inter doctores catholicos mota est quaestio[2] utrum per solam ministri pravitatem atque indignitatem adimeretur potestas consecrandi, inficereturve[3] sacrificium, necne. Sed quaestio agitabatur tantum, quid valeret sacrificium illorum qui sive per haeresim aut apostasiam, sive per schisma, sive per excommunicationem, forent ab Ecclesiastica communione segregati, aut certe per jus ecclesiasticum censerentur suo officio exauctorati.

Qui enim sunt exauctorati, quoniam

1. Non in hoc negotio omnimoda videtur esse paritas inter sacramenta prout talia (puta baptismum) et sacrificium. Potest quidem baptismus conferri fructuose ab homine nullatenus Ecclesiae conjuncto ; nec revera per baptizantem censetur Ecclesia operari, sed Christus. Sed in sacrificio aliter res habet. Cujus discriminis ratio haec est, quia in sacramento, ut tali, non homines operantur erga Deum, sed Deus (per ministrum) in homines, conferens sanctificationem quamdam ; sancta igitur erit semper actio, et (positis ponendis) efficax, utpote actio Dei. In sacrificio autem, prout tali, non Deus agit circa homines, sed homines faciunt aliquid respectu Dei : offerunt enim Deo aliquid. Quae actio ut accepta sit Deo, oportet ut procedat ex hominibus Deo acceptis : eo vel magis, quod, ut dictum est, non exercetur jam ulla actio oblativa a Christo, sed a nobis solis mortalibus. Oportet igitur ut ex parte nostra aliquis inveniatur oblator acceptus. Nec huic disparitati officit, quod nostrum sacrificium sit etiam sacramentum. Nam in eucharistia ratio sacramenti praesupponit (logice) rationem sacrificii, et non e converso. Non enim corpus et sanguis Christi est sacramentum, nisi in quantum est hostia sacrificii participanda convivaliter. Praeterea transsubstantiatio causatur per ritum consecrativum, in quo constat formaliter nostra actio sacrificalis. Oportet igitur ut stet per se ratio sacrificii, priusquam accedat ratio sacramenti.

2. Ne apud Cyprianum quidem illud legitur : circa quem nimis stricta interpretatione vereor ne sit usus L. Saltet in suo opere erudito, *Les réordinations*, 1907, p. 28-33, atque post ipsum, R^mus^ P. Batiffol in suo opere, ceterum egregio, *L'Eglise naissante et le catholicisme*, 1909, p. 453-454. Basilides enim et Martialis, sicut et Fortunatianus, reputabantur a Cypriano in apostasiam publicam esse lapsi, quae professio quaedam haereseos est, immo in suo genere maxima, vim proinde habens rescindendi ab ecclesiastica communione. Praeterea exauctorati censebantur per jus positivum Ecclesiae (*Epist. Synod. ad cler. et pleb. Hisp.*, n. 6, P.L. 3, 1028-1031). Comprehendebantur igitur isti in categoriis infra recensendis sacerdotum aut exauctoratorum aut praecisorum, nec mere improborum. Hic recolenda, quae dicta sunt supra (Elucid. XXVII) de eodem argumento ; nec omittenda, quae venient infra (in hac Elucid. passim).

3. Hoc intellegatur dictum de *validitate* sacrificii. *Valorem* autem sacrificii (etiam valide oblati) posse infici, in quibusdam circumstantiis, ex mala conscientia ministri, unus aut alter inter catholicos putavit, ut v. g. Matthaeus Galenus supralaudatus (Elucid. XXVII).

non habentur jam ut publice deputati aut commissi ab Ecclesia ad offerendum suo ipsius nomine sacrificium, jam inquirendi locus est, offerantne ex parte ipsius. Quare in eadem conditione, atque sacerdotes praecisi, sunt a multis, respectu sacrificii offerendi, computati, immo a quibusdam in pejore (vide infra juristas et Gulielmum Parisiensem).

Quaestio praesens affinis quidem est, sed non identica, alteri quaestioni de validitate ordinationum extra Ecclesiam administratarum ; quam tractavit L. Saltet in suo praeclaro opere *Les réordinations* (Paris, 1907): ubi tamen, propter materiarum congruentiam internam historicamque connexionem, necessario auctor non paucos interseruit hujus praesentis disputationis locos[1].

Et primo quidem, si comparentur inter se potestas collativa in episcopo extra Ecclesiam ordinante, et potestas consecrativa in sacerdote extra Ecclesiam celebrante, potest in una causa adduci pro invaliditate argumentum, quod in altera ne speciem quidem veri prae se ferat. Quare historice, quidam negaverunt efficaciam conferendi ordines, ubi minime negabant efficaciam consecrandi eucharistiam (vide infra S. Petrum Damianum post A. D. 1060) ; alii e converso adimebant confectionem corporis Christi illis quibus incolumem defendebant potestatem ordinandi (vide infra Gerhohum et auctorem *Summae Sententiarum*).

Secundo autem, si conferantur inter se sacerdos ab Ecclesia praecisus et sacerdos extra Ecclesiam ordinatus, patet toto coelo diversas esse quaestiones de potestate sacrifica utriusque. In haeretice enim aut schismatice ordinato, proprie disceptatur aut disceptatum est de veritate ordinis suscepti : quae si supponatur (ut reordinatoribus placebat) deficere, sane nequit talis homo consecrare eucharistiam valide, neque extra Ecclesiam, sed neque intra Ecclesiam, si forte catholicus aut sit aut fiat (nisi tamen fingatur accedere reconciliatis sanatio quaedam in radice, ut placuit Hugoni Ambianensi : vide infra). Nostra autem quaestio omnino supponit validitatem ordinis inconcussam : dum de vero sacerdote (etiam legitime intra Ecclesiam catholicam ordinato) quaeritur quid, si extra catholicam Ecclesiam celebret, tandem efficiat.

Adde : multos Patres aut Doctores egisse de ordinatione illegitima, qui non egerint de illegitima celebratione ; et vice versa.

In hac quaestione praeluxere oculis Patrum saepe haec aut similia Veteris Testamenti oracula : *Victimae* [i. e. *sacrificia*] *impiorum abominabiles Domino* (*Prov.*, 15⁸). *Hostiae impiorum abominabiles* (*Prov.*, 21²⁷). *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit oblationes iniquorum* (*Eccli.*, 34²³). *Sacrificia eorum quasi panis lugentium ; omnes qui comedunt eum, contaminabuntur* (*Os.*, 9⁴). *Omnia quae obtulerunt ibi, contaminata erunt* (*Agg.*, 2¹⁵).

Priusquam autem principia generalia solutionis dentur, lustrandi sunt loci praecipui Patrum et Doctorum, opportunis adhibitis explicationibus, sive criticis, sive historicis.

§ 2. — Solutiones catholicorum Doctorum.

1. *De Cypriano*

Cyprianus[2] a communione Fortunatiani sacerdotis in apostasiam lapsi conatur omnibus viribus secernere populum, « quando nec oblatio sanctificari illic « possit, ubi Sanctus Spiritus non sit »

1. Tangit plus minus auctor nostram quaestionem in suis commentariis de scriptoribus, quos in paragrapho secunda huius capitis recensebimus sub numeris sequentibus : 1, 4, 6, 9, 15-21, 28, 29, 31, 32, 37, 38.

2. Temporibus Cypriani, agens de sacrificiis a Novatiano presbytero (post suam episcopatus invasionem extra Ecclesiam sane versante) celebratis, eo modo loquitur Cornelius Papa, unde minime appareat de validitate operis dubius (*Ep. Cornelii ad Fabium Antiochensem*, ap. Euseb., *H. E.*, 6, 43. P.G. 20, 625-628. Cf. Saltet, *op. cit.*, p. 11).

(*Ep.* 64, c. 4. P.L. 4, 392). Schismaticus, inquit, « constituere audet aliud altare,... « dominicae HOSTIAE VERITATEM per « FALSA SACRIFICIA profanare » (*De unitate Ecclesiae*, c. 17. P.L. 4, 513).

Ad communionem laicam vult redigi, postquam conversi fuerint, illos qui « contra altare unum atque divinum SA- « CRIFICIA foris FALSA ac sacrilega offerre « conati sint » (*Ep.* 72, c. 2. P.L. 3, 1048-1049)[1]. Chore, Dathan et Abiron, rebelles, « poenas statim pro illicitis conatibus « pependerunt, nec potuerunt rata esse « et proficere sacrificia irreligiose et illicite « contra jus divinae dispositionis oblata. « Et tamen illi schisma non fecerant ! » Ergo a fortiori schismaticorum novatianorum sacrificia neque rata neque proficua erunt : « Quomodo perficere quae agunt « aut impetrare aliquid illicitis conatibus « a Deo possunt, qui contra Deum, quod « eis non licet, moliuntur ? » (*Ep.* 76, c. 8. P.L. 3, 1144-1145 ; conferatur *Testimoniorum liber* 3, c. 111. P.L. 4, 778)[2].

Ambigere forsitan quis queat, utrum de fructu solo, an de fructu et validitate sacrificii loquatur Cyprianus. Qui de fructu solo haec intellegenda voluerit, dicet vocem illam *oblatio sanctificari non possit* posse accipi de ACTIVA oblatione, impia, irreligiosa, sacrilega, profana, nec necessario excludi sanctitatem rei OBLATAE. Rursus arguet. *hostiae veritatem* non negari, immo potius asseri, quamtumvis profanatam per *falsa sacrificia*, id est per oblationem Deo non acceptam, nec proinde *ratam*. *Verum* enim sacrificium illud est, quo vere nostrum donum Deus accipit ; quod sane non accipit ut nostrum, si hostiae quantumvis secundum se acceptae oblationem nostram habet exosam.

Scrupulum tamen ingerit, quod in *Epistola* 70 *ad Januarium* etc. (c. 2. P.L. 3, 1040-1041) dicitur : « Eucharistia est, unde « baptizati unguntur oleum in altari sanc- « tificatum[3]. Sanctificare autem non po- « tuit olei creaturam, qui nec altare habuit « nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritua-

1. Pariter Novatianus, dum « altare collo- « cat et sacrificia offerre contra fas nititur », « extra Ecclesiam vindicat sibi veritatis ima- « ginem » (*Ep.* 73, *ad Jubaianum*, c. 2. P.L. 3, 1111). Cf. Ignat., *Smyrn.* 8. F.P. 1, 282.

2. Parum capio quod habet R[mus] P. Batiffol (*op. cit.*, p. 454) : « Cyprien confond la « licéité et le pouvoir d'ordre : un évêque, si « pécheur qu'il puisse être, ne perd pas le pou- « voir de consacrer validement l'eucharistie et « d'offrir validement le sacrifice ; l'Église ne peut « lui retirer que le droit d'exercer ce pouvoir, « et telle est LA DOCTRINE PROFESSÉE A ROME, « AINSI QU'EN FAIT FOI UNE DÉCISION DU PAPE « Calliste (*Philosophumena*, 9, 12). » Inter Callistum et Hippolytum, in loco allato, quaestio non mihi videtur esse, quid possit episcopus amotus ab officio suo, sed quinam episcopi debeant dejici ab episcopatu. Negabat scilicet Callistus debere OMNES PECCATORES DEJICI AB EPISCOPATU. Praecluderet utique haec sententia Callisti sententiam Cypriani, si Cyprianus sentiret, episcopi, quomodolibet peccatoris, eo solum, quod est aut fuit peccati reus, sacrificia esse « falsa », vana, aut si quid ejusmodi (tunc enim utique omnis episcopus peccato implicatus deberet ab episcopatu dejici). Sed hoc dicit Cyprianus tantum de episcopo aut per haeresim praeciso, aut certe per jus ecclesiasticum exauctorato (unde minime sequitur, peccatores omnes esse dejiciendos, sed solum, si qui sint dejecti, illos sacrificia sancta et vera offerre non posse). Vide supra. Rursus Batiffol in *Eucharistie*, 5, p. 246, sic definit sententiam Cypriani : « Le « pouvoir de sanctifier l'oblation est un pouvoir, « que le ministre indigne a perdu par son indi- « gnité. » Istud mihi videtur facta nobis nota prorsus exorbitare.

3. *Oleum in altari sanctificatum.* Sic omnes codices, praeter unum secundarium, exhibentem OLEO IN ALTARI SANCTIFICATO. Si lectio OLEUM careat omni sensu, nequit accipi. Sed, si possit assignari sensus rationabilis, jam erit ipsa praeferenda propter duo : primo, propter externam auctoritatem codicum ; secundo propter suam difficultatem intrinsecam : cum non sint in apographis suis scribae proni ad augendas difficultates textus, sed potius diluendas. Jam vero videtur posse assignari sensus rationabilis ; immo idem prorsus, quem exhibet lectio facilior.

Ad cujus evidentiam sciendum est Cyprianum fuisse assuetum veteri latinae versioni librorum sacrorum. Vetus autem latina solet literaliter reddere versionem LXX Interpretum. Porro in LXX nunquam habetur ἀλείφεσθαι ἐλαίῳ, sed quater ἀλείφεσθαι ἔλαιον (*II Reg.*, 14^2, *IV Reg.*, 4^2 ; *Mich.*, 6^{15} ; *Dan.*, 10^3). Ergo probabiliter vetus latina illis locis habebat, non *ungi oleo*, sed *ungi oleum*. Interim probabilis tantum est illatio, quia talis lectionis latinae veteris circa istos quatuor locos nulla testimonia nobis suppeditant, neque apud Oesterley (*The old latin texts of the prophets*, in J. T. S., jan. 1904, p. 252), neque apud Sabatier (*Latinae versiones antiquae*). Aliunde nec adsunt testi-

« lis apud haereticos potest esse, quando « constet oleum sanctificari et EUCHARIS« TIAM FIERI APUD ILLOS OMNINO NON « POSSE. » His verbis videtur cruda quaedam negatio consecrationis eucharisticae involvi ; nisi tamen rursus intellegatur eucharistia fieri non posse IN ORDINE AD SANCTIFICANDUM : qualiter necesse est ut fiat, ad hoc ut sanctificationis vehiculum exsistat oleum, veluti eucharistiae influxu consecratum. Ad idem porro redierit, si dixeris, non posse eucharistiam fieri secundum omnia sua elementa, deficiente scilicet illo quod est *res tantum*, quae est incorporatio ad Christum in Ecclesia per Spiritum Sanctum.

Quae explicationes (omissa interim alia, quam suppeditabit infra Gulielmus Parisiensis), quamvis non convincentes videantur[1], tamen fortasse sufficiunt, ne quis fidenter nimis asseveret : esse certo a Cypriano negatam ipsam consecrationis validitatem. Quanquam, etiamsi istud asseveretur, immo et necessaria ratione probetur, nullam admirationem res habebit in homine, qui certo negavit validitatem baptismi ab haereticis collati[2].

2. *De S. Optato Milevitano*

S. Optatus Milevitanus incohaerentiam notat schismaticorum, qui, cum non sint in universa Ecclesia, offerre tamen se perhibeant pro universa. Aut scilicet sint intra catholicam, et offerant pro ipsa; aut si sint extra, audiant Deum redarguentem : « Quid offers pro tota,

monia contraria ; quanquam apud Sabatier exhibentur et *Mich.*, 6^{15} et *Dan.*, 10^{3}, cum oblativo *oleo*, non cum accusativo *oleum*, sed priore loco, ex recensione hieronymiana ; posteriore loco, ex libro Tertulliani, *De jejunio adversus Psychicos*, qui in nullo codice nobis asservatus est, sed exstat tantummodo in editis. Nihil igitur contra illationis valorem potest ex istiusmodi testibus adduci.

Jam vero, praeter ἀλείφεσθαι ἔλαιον, etiam a LXX Interpretibus adhibetur locutio χρίειν ἔλαιον : 1° in *Deuteronomio* 28^{40}, 2° in *Psalmo* 44^{8}. Versionem latinam prioris loci nullam inveni. Posterioris autem loci indicata est a cl. H. Jeannotte P. S. S. (*Gregorianum*, 2, 116) lectio probabiliter praehieronymiana cum codicis Sangermanensis (quam exhibet Sabatier) tum codicum nonnullorum *Tractatuum super Psalmos* S. Hilarii (quam secutus est editor, Zingerle, 1891, p. 432) : *Unxit te... oleum.* Qua lectione omnino confirmatur probabilitas illationis superius factae circa omnes alios locos.

Quod si autem Cyprianus tali locutioni assuefactus sit per Scripturas, jam utique potuit et ipse scribere : *unguntur oleum.*

1. Violentior non est ista expositio, quam expositio verborum Cornelii ipsi Saltet (*op. cit.*, p. 10, 11), nescio an merito, probata, secundum quam nulla invaliditatis assertio deprehenditur certa in modo quo a pontifice describitur ordinatio, non quidem presbyteralis, sed episcopalis Novatiani : cui non solum dicuntur manus esse impositae « QUASI in episcopum » (*Ep. Cornelii ad Cyprianum*, c. 1. P.L. 3, 719), sed etiam per vim coactos esse tres episcopos « temulentos et crapula oppressos, ut ADUM« BRATA quadam et INANI manuum impositione « (εἰκονικῇ τινι καὶ ματαίᾳ χειρεπιθεσίᾳ) episco« patum ei traderent » (*Ep. Cornelii ad Fabianum*, ap. Euseb., *H. E.* 6, 43. P.G. 20,620). Non videtur inconsulto notasse in ordinatoribus Cornelius ebrietatem aut violentiae perpessionem, quae sunt circumstantiae actum humanum impedientes, atque proinde ordinationem irritantes (etiam nullo habito respectu ad schisma).

2. Non oportet tamen praepropere nimis ex errore circa validitatem baptismi arguere in Cypriano errorem circa validitatem consecrationis eucharisticae.

Primo enim, generaliter loquendo, quantumvis ex uno errore sequatur alter, tamen non est theologo unum admittenti errorem etiam eo ipso alter imputandus. Contingit enim saepe, ut ideo quis circa unum punctum erret, quia non videat eo importari aliud, quod si importari videret, neque illud teneret. Quanquam, fateor, in praesente causa, nulla circa eucharistiam conclusione, quantumvis damnosa, foret verisimiliter Cyprianus a suo errore circa baptismum dimotus.

Secundo, in specie potuit circa baptismum moveri Cyprianus ratione, quae non ei videretur militare contra validitatem consecrationis. Scilicet ideo potissimum rejecit haereticorum baptisma, quia baptisma incorporat Ecclesiae ; incorporare autem Ecclesiae non ei videbatur posse ille qui non esset in Ecclesia (*Ep.* 74 *ad Pompeium*, c. 6-8. P.L. 3, 1132-1134; cf. Firmilian., *Ep. ad Cyprianum*, c. 17. P.L. 3, 1169). Utrum idem inconveniens in consecratione eucharistiae per haereticos facta illi obversatum sit, necne : non facile est pro certo habere compertum. Quamquam secundum se, fateor, hujuscemodi inconveniens, si in baptismo exsisteret, majus etiam foret in consecratione eucharistiae asseverandum. Baptismus enim etsi incorporat Ecclesiae, tamen non necessario inde sequitur secundum fidem catholicam, ut ex Ecclesia debeat procedere. Sacrificium autem non solum fit pro universa Ecclesia, sed etiam constat necessario offerendum esse *ab* universa Ecclesia.

« qui non es in tota »? En integrum locum : « Jam et mendacium vestrum « hoc loco juste damnari potest, quo « quotidie a vobis sacrificia condiuntur. « Nam quis dubitet vos illud legiti- « mum in sacramentorum mysterio prae- « terire non posse? OFFERRE VOS DEO « DICITIS PRO ECCLESIA, QUAE UNA EST : « hoc ipsum mendacii pars est, unam « te vocare, de qua feceris duas ; et of- « ferre Deo vos dicitis pro una Ecclesia, « quae sit in toto terrarum orbe diffusa. « Quid si unicuique vestrum dicat Deus : « quid offers pro tota, qui non es in « tota »? (*De Schismate Donatistarum*, l. 2, c. 12. P.L. 11, 965).

Attamen nondum inde certe constat, fuerintne Optato irrita sacrificia schismaticorum. Irrita ei sunt, si ita est intellegendus ac si dicat : *Non potest, qui offert, offerre nisi pro tota.* ATQUI *schismaticus, cum non sit in tota, non potest offerre pro tota.* ERGO *schismaticus non potest offerre.* Verum potest intellegi aliter, salva scilicet majore, sed mutata minore : ATQUI. *Non potest, nisi sibi contrarius, offerre pro tota, qui non est in tota.* ERGO. *Schismaticus, cum non sit in tota, non potest offerre, nisi sibi contrarius. Esse autem contrarium sibi, est esse mendacem. Ergo mendax convincitur.* Cum autem nihil prohibeat, quin homo sit mendax et sibi contrarius, inde minime praejudicatur, quin possit offerre schismaticus valide : quantumvis absone et incohaerenter[1].

Utra autem interpretatio sit melior, non potest fortasse certo declarari. Attamen probabilior videtur altera.

Nam *primo*, Optatus ipse contra eos, qui catholicam Ecclesiam pro illicita secta habebant, arguit, veluti *ad hominem*, non oportuisse tamen tanquam polluta profanari ab ipsis altaria et vasa sacra catholicorum, siquidem etiamsi essent polluti catholici, tamen majorem haberet vim ad sanctificandum invocatio Dei, quam ad polluendum contactus illorum. Quod principium, quamvis non ad sacramentum Eucharistiae expresse ab Optato applicetur, tamen enuntiatur in generalissima forma his verbis : « Dicitis lectum esse : « *Quod tetigerit pollutus, pollutum est...* « Esto, si solus sit tactus, et non interve- « niat invocatio nominis Dei... Nam, si sit « invocatio Dei, ipsa invocatio sanctificat « et quod pollutum esse videbatur... Ergo « jam liquido apparet, ex invocatione « nominis Dei posse aliquid sanctificari, « etiamsi peccator invocet Deum ; non « enim tantam vim potest habere tactus, « quantam habet divini nominis invoca- « tio » (*Ibid.*, l. 6, c. 3, col. 1071-1072).

Secundo, saepe magna ostendit discrimina Optatus inter schismaticos et haereticos respectu sacramentorum : sub quo nomine, quanquam non semper constat intellegatne ea quae nos proprie dicimus sacramenta Ecclesiae, annon potius generaliter res sacras et fidei mysteria (*op. cit.*, l. 1, n. 10-12, col. 899-908), tamen baptismum certe a quovis homine, etiam schismatico, susceptum in recta fide et invocatione Trinitatis (*op. cit.*, l. 5, c. 1-8, col. 1047-1061), videtur habere pro valido[2].

Sed inde non tollitur, immo crescit difficultas circa haereticos, quos a valida susceptione baptismi nonne videtur probe, per oppositionem, excludere Optatus (*loc. cit.*)? Attamen, cum fidem exigat, non ministrantis baptismum (seu, ut ipse habet « operantis », l. 5, c. 4, vel « operarii », c. 7), sed suscipientis tantum, inde potest aliqualiter conjici, non necessariam ab illo fidem haberi ministri quoad validitatem consecrationis eucharisticae[3].

1. Illa incohaerentia schismaticorum valide sacrificantium explicabitur magis infra, in paragrapho tertia huius capitis.

2. Quoad baptismum scribebat Albaspinaeus : « Quantum conjicio, Optatus non « existimabat haereticos posse baptizare » (P.L. 2, 899). Cautius vero Dupinius : « Videtur « tamen pro persuaso habere, eorum, qui apud « haereticos baptizantur, lavacrum non esse ra- « tum, non quod fidem in ministro requirat, « sed quia fidem in suscipiente necessariam « supponit » (P.L. 11, 765).

3. Urgebis fortasse, etiam cum baptismo denegatam esse haereticis confirmationem et eucharistiam, dum haec scribuntur : « Christus... indi- « cat (ut supra diximus) in Canticis Canticorum

3. *De S. Hieronymo*

Hieronymus[1] primum acceptabilitatem excludit sacrificiorum ab haereticis oblatorum, inter quae, quanquam metaphorica quaedam seu improprie dicta recensentur, tamen vix dubitari potest quin primum obtineat locum sacrificium eucharisticum.

Sic primo in *Amos*, 5[22] : *Quod si obtuleritis mihi holocautomata et munera vestra, non suscipiam* ; *et vota pinguium vestrorum non respiciam* : « Quae omnia, « inquit, et DE HAERETICIS dicere possu« mus... Horum Deus odit sacrificia et « a se projicit, et quotiescumque sub « nomine Domini fuerint congregati, de « testatur foetorem eorum, et claudit « nares suas... Et si obtulerint holo« causta aut videantur jejunare, dare « eleemosymas, pudicitiam polliceri, quae « holocausta sunt vera, non ea suscipit « Dominus, nec dignatur aspicere pinguis« simas hostias eorum. Non enim sacri« ficiorum magnitudinem sed offerentium « merita causasque dijudicat... Nostra « autem munera, id est Ecclesiae, quae « offerimus de primitivis nostris, respicit « Deus, sicut respexit quondam sacrificia « Abel » (P.L. 25, 1033-1034).

Rursus, in *Aggaeum*, 1[15] (P.L. 25, 1049) : « Respondit Aggaeus, qui scit differentias « solemnitatum, et ob id festi sortitus est « nomen : Sic populus iste et sic gens ista, « Judaeorum videlicet, atque gentilium, « et HAERETICORUM OMNIUM in conspectu « meo, dicit Dominus. OMNE... QUOD « MIHI OBTULERINT, vel vota pro salute, « vel pacifica, vel pro peccato, vel pro « delicto, vel in holocaustum, sive eleemo« synas, sive jejunia, sive victus continen« tiam, et corporis castitatem, CONTAMI« NATA ERUNT IN CONSPECTU MEO. Quam« vis enim sancta videantur specie sui « quae offerantur a talibus, tamen quia « tacta sunt ab eo qui pollutus in anima « est, omnia polluentur. »

Pariter in *Osee*, 9[34] (P.L. 25, 892) : « Non placent ei nec illa quae offerunt « [haeretici], nec ipsi qui offerunt. »

Deinde etiam videtur non parum Hieronymus ipsam validitatem sacrificiorum removere, dum non solum negat suscipi quicquam de istis a Deo, sed insuper dicit esse simulata sacrificia : « Unum autem « esse altare in Ecclesia, et unam fidem, « et unum baptisma apostolus docet « (*Ephes.*, 4) ; quod haeretici deserentes « multa sibi altaria fabricati sunt, non ad « placandum Deum, sed in delictorum « multitudinem... Quidquid fecerint, SA« CRIFICIORUM ORDINEM RITUMQUE SIMU« LANTES, sive dederint eleemosynam, « sive pudicitiam repromittant, sive hu« militatem simulent, fictisque blanditiis « simplices quosque decipiant, NIHIL DE « HUJUSCEMODI SACRIFICIIS DOMINUS SUS« CIPIET » (P.L. 25, 888-889). Audiens simulatum ordinem ritumque sacrificiorum, quis non reminiscatur epistulae Fir-

« unam esse columbam suam, eamdem sponsam « electam, eamdem hortum conclusum et fon« tem signatum : ut haeretici omnes neque CLA« VES habeant, quas solus Petrus accepit ; nec « annulum, quo legitur fons esse SIGNATUS ; nec « aliquem illorum esse, ad quem hortus ille per« tineat, in quo Deus ARBUSCULAS plantet » (l. 1, c. 10, col. 900-903 ; cf. c. 12, col. 907). Jam saepe apud veteres illos in clavibus recensebatur baptismus, per quem fit remissio peccatorum ; signaculum autem confirmationi congruit ; arbusculae vero in memoriam revocant lignum vitae, cujus fructu homo in vitam immortalem alendus fuit, qui nunc alitur eucharistia, vero fructu veri ligni in vitam aeternam. Quare non improbabiliter hic trilogia sacramentorum ecclesiasticorum habetur, quae erat apud veteres sollemnis. Quod si obtineat, nonne abjudicatur ab Optato haereticis valida eucharistiae consecratio ? Si enim fructuosa tantum aut oblatio aut receptio abjudicaretur, nullum esset discrimen, quale hoc ipso loco notat Optatus, inter haereticos (utpote carentes dotibus illis Ecclesiae) et schismaticos (non carentes) : nemo enim schismaticis (ut talibus) fructuosa potest defendere istiusmodi sacramenta. Respondeo, haec, quanquam non inverisimilia, tamen tenuiore adhuc niti conjectura, praesertim quantum pertinet ad eucharistiam (« arbusculas » ?).

1. Interim nullam difficultatem facit nobis Innocentius I, de quo hoc unum ambigi potest, utrum necne validitatem admiserit ordinum collatorum a Bonoso, quondam episcopo catholico, sed in haeresim lapso, aut ab asseclis ejus (*Ep.* 17, c. 3, n. 7, et c. 5, n. 12. P.L. 20, 530-531 et 534-535). Porro responsio affirmativa est longe probabilior.

miliani ad Cyprianum, c. 10 (P.L. 3, 1165) de muliere illa, quae « et invocatione « non contemptibili sanctificare se panem « et eucharistiam facere SIMULARET, et « sacrificium Domino [non] sine sacra- « mento solitae praedicationis[1] offerret ? » Qua simulatione certe invalidum sacrificium denotabatur. Non proinde mirum, si mediaevales viri, ut Gratianus (infra), Hieronymum contra validitatem sacrificiorum ab haereticis oblatorum advocaverint.

Quid autem quod alibi (*Homilia de Exodo, in vigilia Paschæ. Anecdota Maredsolana*, vol. 3, pars 2, p. 406) diserte negat, ab haereticis manducari vere Agnum aut vere immolari ? « Nec putemus « agnum istum anniculum ubicumque « posse comedi. Praecipitur nobis, ut « in una illum comedamus domo, id est, « ne extra Ecclesiam immolari agnum « putemus. Ex quo manifestum est, quod « Judaei et haeretici et omnia con- « venticula dogmatum perversorum, quia « agnum in Ecclesia non comedunt, non « eos agni carnes comedere, sed draconis, « qui datus est juxta psalmum in escam « populis Aethiopum... In immolatione « agni tunc vere agnus occiditur, cum in « una mactatur domo[2]. »

Attamen videtur non ita interpretandus S. Doctor. Nam in *Dialogo contra Luciferianos*, c. 6 (P.L. 23, 160) validitatem vix non aperte tuetur. Cum enim sacerdotes aliquandiu haeresi arianae implicatos nollent Luciferiani recipi ab Ecclesia in gradu sacerdotali, sed in statu laicali tantum, sic contra hos disputat Hieronymus : « Oro te, aut sacrificandi « ei licentiam tribuas, cujus baptisma « probas ; aut reprobes ejus baptisma, « quem non exsistimas sacerdotem. Ne- « que enim fieri potest ut qui in bap- « tismate sanctus est, sit ad altare pecca- « tor. » Non me fugit quidem hunc esse scopum Hieronymi tantum, ut vindicet sacerdotibus, semel ad unitatem ecclesiasticam reversis, auctoritatem sacrificandi in Ecclesia catholica : quo non importatur statim validitas sacrificiorum in haeresi celebratorum. At principium unde argumentatur Hieronymus hanc simul atque illam necessario infert. Nam, nisi haereticus in sua secta valide consecraret, fieri posset, ut, qui est in administrando baptismate sanctus, hoc est, cooperantem habet Spiritum Sanctum, is esset ad altare peccator, hoc est, careret Spiritu sanctificationis cooperante. Quod cum fieri neget Hieronymus, eo ipso affirmat, arianum, valide baptizantem, etiam (supposita utique ordinatione valida) valide consecrare.

Quare, omnibus perpensis, simulatio sacrificii de qua supra, tutius intellegetur ad modum quo superius, occasione Cypriani, falsum concessimus esse sacrificium, cum deferenti, mandantibus, circumstantibus nil proficit, sed valet ad ruinam[3], ut magis explicabitur infra (in 3a paragrapho hujus capitis). Pariter-

1. *Praedicatio* hic nominat canonem (sicut contingit etiam in *Libro Pontificali*, ed. Duchesne, t. 1, p. 126-127).

2. Illinc forsan transierit ad multos scriptores posteriores, praesertim mediaevales, istud effatum de Agno extra unam domum, quae est Ecclesia, non nobis prostante. Attamen non desunt apud antiquiores Patres indicia ejusdem sensus. Ita Athanasius (*Ep. heortast.*, 5, 4. P.G. 26, 1382) : « Superamus... sectarum « denique alumnos, quia Christi tunicam non « discindimus, sed una in domo, in Ecclesia « nempe catholica, Pascha Domini illius come- « dimus » (vide etiam *Ep. heortast.*, 19, 8. P.G. 26, 1429 ; et conferas utramque cum Cyrilli Alexandrini (?) tractatu *Adversus Anthropomorphitas*, c. 12. P.G. 76, 1097). Immo magis perspicue jam apud Syriacum illum veterem scriptorem, Aphraatem, habebatur : eucharistiam esse unam in domo una, sicut unus in una domo manducandus esset agnus paschalis (*Demonstrationes*, 12, 9. P.S., pars 1, tom. 1, p. 526). Praecesserat quidem Origenes, sed modo satis vago, in *Exod.*, 12[43-46]. P.G. 12, 286-287.

3. De dictis Patrum generaliter disserens Algerus, acute hanc explicationem proposuit : « Notandum vero, quod irrita, vel etiam « damnanda, sacramenta, vel NON VERA dicun- « tur, non quantum ad se, CUM VERA SINT et « sancta, etiam ab haeretico celebrata ; sed « ideo, quia, cum illicite dantibus perfidis sint « ad judicium, illicite autem ab eis accipien- « tibus non conferant Spiritum Sanctum, irrita « et non vera dicuntur : quia QUOD PROMIT- « TUNT ET FACERE DEBENT, NON FACIUNT. Et « ideo damnanda, ut ea dari et recipi ab haere- « ticis non approbetur, sed interdicatur. Non

que exclusio immolationis verae veraeque manducationis propitiationem solummodo et fructum ab haereticis removerit.

4. *De S. Augustino*

Certe haec est doctrina Augustini.

Commentans super illud *Ps.* 115[17–19] : *Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem,* haec quidem enarrat : « Qui meminit non solum servum se esse Dei, sed « et filium ancillae Dei, videt UBI REDDAT « VOTA SUA, conformatus Christo, per « calicem salutaris : *in atriis*, inquit, « *domus Domini*. Quae domus Dei est, « haec ancilla Dei est : et quae domus Dei, « nisi omnis populus ejus ? Ideo sequitur : « *in conspectu omnis populi ejus*. Et aper« tius jam nominat ipsam matrem. Quid est « enim aliud populus ejus, nisi quod se« quitur, *in medio tui, Jerusalem* ? TUNC « EST ENIM QUOD REDDITUR GRATUM, SI « DE PACE ATQUE IN PACE REDDATUR. Qui « autem filii hujus ancillae non sunt, bel« lum potius quam pacem amaverunt » (*Enarr. in Ps.* 115, n. 9. P.L. 36, 1494). Quamvis hoc loco Augustinus non tam visibile sacrificium attendat quam invisibile, quo nos dedicamus Deo ad martyrium usque (cf. n. 5, col. 1493), tamen ex amplitudine sui sermonis non videtur excludere invisibilis sacrificii sacramentum visibile, quod apud nos eucharistiae sacrificium est. Quod proinde non redditur Deo gratum, nisi in pace Ecclesiae catholicae.

At acceptabilitatem dum removet Augustinus, non est censendus removere validitatem, quam ipse videlicet constanter adserit[1].

Primo enim, generalissime adserit, apud Donatistas omnia vigere sacramenta, quotquot ab ipsis dantur eo modo, quo dabantur priusquam secederent. « Ex ca« tholica enim Ecclesia sunt OMNIA DO« MINICA SACRAMENTA, quae sic habetis « et datis, quemadmodum habebantur et « dabantur, etiam priusquam inde exire« tis. Non tamen ideo non habetis, quia « ibi non estis, unde sunt quae habetis... « NOBISCUM AUTEM ESTIS in baptismo, in « symbolo, IN CETERIS DOMINICIS SACRA« MENTIS » (*Ep.* 93, n. 46. P.L. 33, 343). « Non itaque ideo non sunt sacramenta « Christi et Ecclesiae, quia eis illicite « utuntur, non haeretici solum, sed etiam « omnes iniqui et impii. Sed tamen « illi corrigendi aut puniendi ; illa vero « agnoscenda et veneranda sunt » (*Contra Donatistas*, l. 3, c. 10, n. 13. P.L. 43, 144).

Cujus ratio est quia neque intra neque extra Ecclesiam maculari possunt ab hominibus sacramenta Christi (*Contra Donatistas*, l. 4, c. 12, n. 18. P.L. 43, 166) : « Nec « foris, sicut nec intus, quisquam qui ex « parte diaboli est, potest vel in se vel in « quoquam maculare sacramentum quod « Christi est. » Quin immo « Deus adest « sacramentis et verbis suis, per quales« libet administrentur, et sacramenta Dei « ubique recta sunt » (l. 5, c. 20, n. 27, col. 190).

Secundo, specialiter asseruntur schismatici habere sacramentum corporis Christi, sine re illa sacramenti, quae est unitas ecclesiastica (*Ep.* 185, n. 50. P.L. 33, 815) : « Non quaerant Spiritum Sanctum, nisi « in Christi corpore, [intellege : in Eccle« sia], cujus habent foris sacramentum [in« tellege : eucharistiam], sed rem ipsam « [intellege : pacem et unitatem ecclesias« ticam] non tenent intus, cujus est illud

« enim quantum ad se polluta sunt, quamvis ab « haereticis pollui dicantur » (*De Misericordia et justitia*, pars 3, c. 54. P.L. 180, 956). Explicatio Algeri reincidit in eam quae supra data est : quamvis habeant in suis sacramentis, non solum id quod est *signum tantum*, sed etiam id quod est *res et signum*, tamen non habent id quod per hoc alterum elementum significatur et spondetur, id est *rem tantum*.

1. Quae sequuntur auctoritates Augustini, jam olim XI saeculo collectae sunt a Bernoldo presbytero in *Tractatu de sacramentis Excommunicatorum*. P.L. 148, 1061 seq., rursusque, in *Tractatu de reordinatione vitanda*, etc. P.L. 148, 1260.

« sacramentum; et ideo sibi judicium « manducant et bibunt » [utique non dijudicantes corpus Domini proprium, quod dum eucharistia contentum recipiunt, non adhaerent corpori Christi ecclesiastico, cujus signum est illud].

Tertio, dicuntur explicite in ipsa dissensione et schismate sacrificare (*Ep.* 43, c. 8, n. 21. P.L. 33, 170). « Baptizant extra « Ecclesiam... sacrificant in dissensione « et schismate. »

Nec mirum : etenim, si valuit sacrificium legale in fornicaria gente Judaeorum, quia non ipsorum institutum erat, sed Dei, quanto magis validum erit apud schismaticos et haereticos sacrificium Novi Testamenti, quod in illius locum est subrogatum ! « Nec tamen talis illius temporis « in populo fornicatio, quam Dominus ar« guendo prodebat, effecit, ut eorum essent « sacramenta, quae non erant eorum, sed « Dei; qui loquens ad fornicariam dicit « illa omnia sua esse : unde ipse Dominus « etiam quos mundavit a lepra, ad eadem « sacramenta misit, ut offerrent pro se sa« crificium sacerdotibus (quia nondum « eis successerat sacrificium, quod ipse « post in Ecclesia voluit celebrari pro illis « omnibus, quia illis omnibus ipse prae« nuntiabatur). Quanto magis nos sacra« menta Novi Testamenti apud quoslibet « haereticos vel schismaticos invenientes, « non debemus ipsis tribuere, nec quasi « non agnita reprobare; sed, quamvis « apud fornicariam mulierem, dona viri « legitimi agnoscere ? » (*Contra Donatistas*, l. 3, c. 19, n. 27. P.L. 43, 154).

Quarto, quae omnia ita tenet valida apud haereticos et schismaticos, ut tamen illis nihil prosint : « Illa quae schis« matici vel haeretici non aliter habent, « nec aliter agunt quam vera Ecclesia, « cum ad nos veniunt, non emendamus, « sed potius approbamus. In quibus enim « non dissentiunt a nobis, in eis non « disjunguntur a nobis. Sed tamen, quia « NIHIL EIS PROSUNT, QUAMDIU SCHIS« MATICI VEL HAERETICI SUNT, propter « alia, in quibus a veritate dissentiunt, « et propter ipsum separationis imma« nissimum scelus... ut ad sanitatem « pacis atque charitatis veniant adhor« tamur : non solum ut aliquid habeant « quod non habebant, sed etiam ut « eis illud prodesse incipiat quod habe« bant » (*Contra Donatistas*, l. 1, c. 13, n. 21. P.L. 43, 121).

Quinimmo non possunt ista illis nisi nocere : « Proprius eorum error auferen« dus est, quem male imbiberunt, non « sacramenta quae similiter acceperunt; « quae AD POENAM SUAM PORTANT ET « HABENT, quanto indignius habent, sed « tamen habent » (*Ep.* 89, n. 7. P.L. 33, 312).

5. *De S. Prospero*

Mentem Augustini dum profitetur se efferre S. Prosper, verbis utitur non parum ultra magistri locutiones progredientibus : in *Libro* scilicet *sententiarum ex operibus S. Augustini delibatarum* (c. 15. P.L. 51, 430). « Considerandum est ubi « offeras : quia VERI SACRIFICII EXTRA « CATHOLICAM ECCLESIAM LOCUS NON « EST[1]. » Carentia acceptabilitatis, quam unam videtur nobis in sacrificiis haereticorum asseruisse Augustinus, sane longe est aliud ac carentia veritatis, quam nunc in medium profert S. Prosper : si veritas videlicet apud Prosperum nominet validitatem. Attamen, etiamsi *verum* idem sonet ac validum, sententia illa, jam non Augustini, sed Prosperi, nihil habet nisi rectae fidei, ut suo loco videbimus, consonum : quatenus hominis, etiam extra Ecclesiam positi, nullum sacrificium validum est, nisi aliqua ex parte intra Ecclesiam catholicam oblatum.

6. *De S. Leone M.*

Nullam difficultatem faciunt verba, quibus praescribit Anatolio Constantinopolitano S. Leo M., ne episcopi ulli ex haeresi

1. Cf. ejusdem Prosperi *Enarr. in Ps.* 115, n. 18, col. 332 : quod compendium est loci paralleli ex Augustino superius recitati; cujus compendii *sententia delibata* videtur dari ut compendiolum.

eutychiana ad catholicam communionem recipiantur, nisi ab ipsis « digno prius « anathemate, quae contra fidem catho« licam sunt recepta, damnentur. Aliter « enim in Ecclesia Dei, quae corpus est « Christi, NEC RATA SUNT SACERDOTIA, « NEC VERA SACRIFICIA, nisi in nostrae pro« prietate naturae verus nos pontifex « reconciliet, verus immaculati Agni san« guis emundet. Qui licet in Patris sit « dextera constitutus, in eadem tamen « carne, quam sumpsit ex Virgine, sacra« mentum propitiationis exsequitur » (*Ep.* 80, c. 2. P.L. 54, 914). Fatuitatem scilicet ostendit S. Leo eorum qui sacrificium corporis et sanguinis Christi in Ecclesia, quae est corpus Christi, offerre se profiteantur, non interea confitentes veram humanitatem Christi : sine qua nullum est corpus Christi (neque proprium, neque proinde mysticum, siquidem hoc est illius incrementum), neque rursus ullum corporis Christi sacrificium, aut sacerdotium Ecclesiae, nec propitiatio ulla. Quo nihil dici potest verius aut evidentius.

Magis fortasse haeserit quis in illis quae scribit idem Leo Papa ad Leonem Augustum, post caedem S. Proterii prolapsa Ecclesia Alexandrina in manus Timothei Aeluri et asseclarum ejus monophysitarum : « Manifestum quippe est, per crudelissi« mam insanissimamque saevitiam omne « illic coelestium sacramentorum lumen « extinctum : INTERCEPTA EST SACRIFICII « OBLATIO, defecit chrismatis sanctificatio, « et PARRICIDALIBUS MANIBUS IMPIORUM « OMNIA SE SUBTRAXERE MYSTERIA » (*Ep.* 156. P.L. 54, 1131). Attamen his verbis S. Leo non videtur nisi unum intendere : scilicet ut per imperatorem quamprimum consulatur Ecclesiae Alexandrinae, in qua, propter intrusi episcopi et cleri contaminationem, nulla suppetit jam fidelibus populis gratia (« lumen ») seu beneficium sacramentorum, nulla propitiatio sacrificiorum. Quod verum sane est, quidquid de validitate rituum per haereticos attentatorum sentiatur[1].

7. *De Fausto Rejensi*

Simili modo videtur mihi posse intellegi non absurde, quod habetur in quinto inter sermones Fausto Rejensi adscriptos (c. 2. P.L. 58, 878) : « Hic est ille agnus, « quem in una domo comedere ex lege « praecipimur, succinctis lumbis nostris. « Comedere autem caput cum pedibus « quid est in una domo ? Id est, in Eccle« siae unitate carnes jubemur assumere. « Ariani ergo et diversae haereticorum « perversitates non in una illum come« dunt domo ; et IDEO, SICUT in diluvio « NON SALVATUS EST, nisi qui intra arcam « Noe fuit inventus, ITA DIVERSAE FIDEI « HOMINES, SI EXTRA DOMUM ECCLESIAE « SUNT, NON HABENT AGNUM, QUI CHRIS« TUS EST. Quod vero hujus Agni caput « cum pedibus comedere nos debere « Scriptura commemorat, hoc est, ut « Deum et hominem pari confessione ve« neremur ». Non scilicet habent illi Agnum munere sibi Agni fungentem, id est salvantem.

8. *De S. Fulgentio*

Durior fortasse locutio sancti Fulgentii Ruspensis secum quaerentis, cur in sacrificiis nostris deposcatur adventus Spiritus Sancti : quia, inquit, per Spiritum Sanctum conglutinatur Ecclesia Christo ut capiti corpus, atque nos aedificamur in templum sanctum Dei in Christo ; unde sic pergit ratiocinando : « Hunc Spiritum « discedendo amittunt, si qui aut perfidia

1. Immo huic epistulae Leonis M. innitebatur, saeculo XI, S. Anselmus Lucensis, in epistula ad Wibertum Antipapam, ad criminationem redarguendam schismaticorum, qui conquererentur sua sacramenta a catholicis despici : « Detestamur, non sacramenta Ecclesiae, « sicut tu mentiris, sed schismaticos et sacri« legos, quorum parricidalibus manibus sese « sacramenta divina subtraxerunt ; et cum « catholica matre nostra Ecclesia persequar « inimicos eius, nec convertar donec deficiant. « Sanctum quippe suum, quod foris habetis, « quod malo vestro accepistis, quia bono odore « peristis, veneratur Ecclesia, sed vos persequi« tur, ut Sara ancillam, quae tamen de semine « Abrahae concepit et peperit » (*Contra Guibertum Antipapam*, P.L. 149, 450). Sic in unum conflat ille effata Leonis et Augustini.

« depravati aut superbia inflati, ab uni« tate corporis Ecclesiae segregantur... « Unde manifestum est, apud omnes hae« reticos Spiritus Sancti gratiam non esse, « nec eorum sacrificia, QUAMDIU HAERE« TICI SUNT, posse Deo placere, NEQUE SPI« RITALIS GRATIAE SANCTIFICATIONEM SA« CRIFICIIS EORUM TRIBUI, qui offerunt ab « ecclesiastici corporis unitate disjuncti : « solius enim Ecclesiae Deus delectatur « sacrificiis, quae sacrificia facit unitas « spiritualis » (*Ad Monimum*, l. 2, c. 11. P.L. 65, 191). Attamen ex ipsis rationibus praemissis, unde nunc conclusionem trahit S. Fulgentius, non obscurum est, hunc demum Spiritum sanctificationis apud schismaticos aut haereticos desiderari, quo sanctificatur sacrificium in ordine ad *rem* supradictam eucharistiae aut significandam sincere aut efficaciter inducendam ; scilicet aedificationem corporis ecclesiastici et templi coelestis.

9. *De Pelagio I*

Non caret sane admiratione, quod audet Pelagius Papa I dicere in epistula sua *ad Victorem et Pancratium* : « Non est Christi corpus, quod schisma« ticus conficit. » Attamen et ipse, cum ex contextu sive proximo sive remoto, tum ex parallela epistula ad Joannem patricium, id videtur sensisse demum, quo nihil laederetur validitas consecrationis eucharisticae a schismaticis peractae. En locum. : « A schismaticorum sacri« ficiis, potius autem sacrilegiis, abstinere « debetis... Efficitur, ut, quia in unitate « unum non sunt, ut, quia in parte esse « voluerunt, ut, quia Spiritum non ha« bent, corporis Christi[1] SACRIFICIUM HA« BERE NON POSSINT.., Aut illos Ecclesiam « esse creditis, et cum duae Ecclesiae « esse non possint, nos, quod absit, schis« maticos judicabitis ; aut si veram in « apostolicis sedibus esse constat Eccle« siam, et illos ab unitate divisos cognos« cite, et communionis quaestionem esse « sublatam, quam veram nisi in unitate « constat esse non posse. Noli ergo, quasi « nulla schismaticorum atque Ecclesiae « differentia sit, velle indifferenter utro« rumque sacrificiis sociari. NON EST « CHRISTI CORPUS, QUOD SCHISMATICUS « CONFICIT, SI VERITATE DUCE DIRIGIMUR. « Nec enim divisum esse Christum, po« terit quisquam sine Apostoli reproba« tione confingere. Unam, ut saepe dic« tum est, quae Christi corpus est, « constat esse Ecclesiam, quae in duo vel « in plura dividi non potest. Simul enim « cum ab ea quisque recesserit, esse de« sistit Ecclesia. Unum Hierusalem tem« plum est : idolis necesse est ut immolet, « qui semetipsum diviserit » (P.L. 69, 412-413). Per integram epistulam, sicut Pelagius per modum unius respicit Christum et Ecclesiam, ita et per modum unius accipit et corpus Christi proprium, eucharistia contentum, et corpus Christi ecclesiasticum, per eucharistiam non solum significatum, sed et aedificandum. Quo posito, negans corpus esse Christi id quod conficit schismaticus, caute addit : « si « veritate duce dirigimur » : illa scilicet veritate, qua recte in genere sacramenti aestimatur corpus Christi, dum creditur esse signum et causa incorporationis nostrae ad Christum in Ecclesia. Cujusmodi significatio et efficacia nequit nisi mendaciter a schismaticis praetendi, sive consecrantibus sive sumentibus ; nec proinde habent eo modo, quo respicitur a Pelagio, corpus Christi ; unde nec sacrificium corporis Christi, quo, offerentes Christum, seipsos norint corporis membra immolare[2].

Corroborat, ut diximus, hanc interpretationem, epistula *ad Joannem patricium*,

1. Alia lectio habet : « corpus Christi sacrifi« cium habere non possint. »

2. Id olim praeclare exposuit magnus ille noster, nec satis admirandus, Algerus (*De sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 3, c. 12. P.L. 180, 487) : « Quod autem dicitur, non « est corpus Christi quod schismaticus conficit, « quia apud hujusmodi eucharistia confici non « potest, non ita intelligendum est, quasi cor« pus Christi essentialiter verum in sacramento « non conficiat, sed quia, cum in altari ECCLE« SIA CONCORPORALIS ET CONSACRAMENTALIS SIT « CHRISTO, universum corpus Christi, caput « scilicet cum membris, non conficit, qui, cum

ubi clarius legitur : « Noli catholicam « semper mentem aliqua schismaticorum « communione polluere. Unum Christi « corpus, unam constat esse Ecclesiam. « Divisum ab unitate altare VERITATEM « CHRISTI CORPORIS NON POTEST CONGRE- « GARE » (P.L. 69, 412). Vides, quomodo veritas corporis Christi attendatur penes elementum illud, quod « congregabile » est, ex multitudine membrorum Ecclesiae coalescens, et cohaerens corpori dominico sicut signo significatum, et sicut interno principio vitali animal vivum. In quo animali vivo non sunt schismatici, et pro tanto carent principio vitali, corpore Christi : quod illis deest secundum suam vim sacramentalem, quae congregativa est, quae unitiva est : ipsi autem amaverunt divisionem[1]. Habeant igitur praesentiam realem corporis Christi

« extra Ecclesiam sit, seipsum Christo et Eccle- « siae in utriusque sacramento non unit. Cum « enim altaris sacrificium, signando ipsius « Christi et Ecclesiae unitatem, universi cor- « poris sit sacramentum, non conficitur ibi « Christus, ubi non conficitur universus ». Deinde allegat Algerus ipsos duos locos Augustini, quos infra statim subdemus.

1. Occasione Pelagii scribit Saltet (*op cit.*, p. 82) : « Le mot *congregare* est parfait, et ex- « prime au mieux la pensée de saint Augustin. « Il en est tout autrement du mot *conficere*. « D'abord, on ne le trouve pas dans saint Au- « gustin ; il exprime la doctrine eucharistique de « saint Ambroise. » Ista oppositio inter Ambrosium et Augustinum (quam plus aequo exaggeraverunt Protestantes, utputa Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*[4], t. 3, p. 158, ne catholicos commemoremus), si de doctrina ipsa intellegatur, hoc demum veri habet, non quod magis realistica sit doctrina Ambrosii quam doctrina Augustini, sed quod doctrina Augustini plura puncta elucidat quam doctrina Ambrosii : pro quanto apud Augustinum exhibentur ambo elementa sacramenti : corpus Christi individuum ac proprium, quod pependit in cruce (cf. supra, Elucid. XIX et XX), et corpus Christi integratum ex omnibus suis membris adscititiis, qui sumus nos. Alterum autem elementum non ita apud Ambrosium inclarescit.

Quod si vero oppositio ad terminologiam restringatur, ne sic quidem est nimis premenda.

Etenim *primo*, si ipse tenor verbalis locutionum inspiciatur, sicut *conficere corpus Christi* nunquam occurrit apud Ambrosium, sic neque apud Augustinum unquam occurrit *congregare corpus Christi*.

Sed *secundo*, occurrit apud utrumque aliquid cum locutione *conficere corpus Christi* fere idem. Etenim habet utique Ambrosius (*De mysteriis*, c. 9, n. 53. P.L. 16, 407) : « Hoc quod con- « ficimus, corpus ex Virgine est. » Ubi duo asseruntur : 1° aliquid a nobis confici ; 2° illud esse ipsum corpus Christi : unde utique sequitur (quanquam non directe asseritur), confici corpus Christi. Sed et apud Augustinum dicitur confici aliquid, et istud quod confectum a nobis est, esse corpus Christi : conficitur enim sacramentum vel eucharistia, et eucharistia sive sacramentum ponitur esse ipsum corpus Christi. Lege hos duos locos parallelos : « Tra- « ditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei « PRIMAM EUCHARISTIAM CONFECTAM MANIBUS « SUIS, et ore suo commendatam, sicut ceteris « apostolis traderet » (*Enarr. in Psalm.* 10, n. 6. P.L. 36, 135). « [Numquid manent in Christo] « de quibus dicit Apostolus, quod judicium sibi « manducent et bibant ; cum IPSAM CARNEM « MANDUCENT, et IPSUM SANGUINEM BIBANT ? « Numquid et Judas magistri venditor et tra- « ditor impius, quamvis PRIMUM IPSUM MANIBUS « EJUS CONFECTUM SACRAMENTUM carnis et « sanguinis ejus cum ceteris discipulis, sicut « apertius Lucas evangelista declarat, MAN- « DUCARET ET BIBERET, mansit in Christo aut « Christus in eo ? Tam multi denique, qui vel « corde ficto CARNEM ILLAM MANDUCANT, et « SANGUINEM BIBUNT, vel, cum manducaverint « et biberint, apostatae fiunt, numquid manent « in Christo aut Christus in eis ? » (*Sermo* 71, c. 11, n. 17. P.L. 38, 453). Ubi 1° quaedam manducatio ipsius carnis et potatio ipsius sanguinis praedicatur, minime confundenda cum incorporatione spirituali ad Christum, cum haec excludatur ; 2° caro ipsa a fictis manducata et sanguis potatus identificatur in processu argumentativo cum sacramento (vel eucharistia) confecto manibus Christi et porrecto olim Judae ad manducandum et bibendum. Quo implicite admoneris, id quod conficitur, esse corpus Christi. Magis autem aperte et explicite asseritur ab Augustino eucharistiam illam esse ipsum Christum : nimirum in tertio ex sermonibus a Michaele Denis edito, *Ad infantes* : « Eu- « charistiam esse Filium nesciebatis » (*Sermo* 3, n. 3. P.L. 46, 828). Sed praeterea dicit Augustinus panem FIERI corpus Christi : « Iste « panis et hoc vinum, accedente verbo, fit « corpus et sanguis Verbi » (*Sermo denisian.* 6, n. 1, col. 835). Conferatur *Sermo* 234, 2 (P.L. 38, 1116) : « Panis... accipiens benedictionem « Christi fit corpus Christi. » Immo, quod multo magis sonat idem ac conficere corpus Christi, dicit absolute, ipsum corpus ipsumque sanguinem *fieri*. « Inde jam quae aguntur in precibus « sanctis, quas audituri estis, ut, accedente « verbo, FIAT CORPUS ET SANGUIS CHRISTI » (*Ibid.*, n. 3, col. 836). Non ausim tamen equidem allegare in eumdem sensum librum 3 *De Trinitate*, c. 10, n. 21 (PL.. 42, 881), ubi verba « unde « vel quomodo conficiatur » omnino mihi videntur ex contextu accipienda de confectione visibilis sacramenti ex tritico, non de confectione corporis Christi ex pane (in contrarium

in eucharistia : non tamen habebunt Christi corpus fungens sibi munere sacramenti secundum veritatem.

In illum sensum locutus erat Augustinus in sermone sexto inter editos a Michaele Denis (n. 2, P.L. 46, 835) : « Haeretici, quando hoc accipiunt, testi« monium contra se accipiunt, quia illi « quaerunt divisionem, cum panis iste « indicet unitatem. » Consonatque inter editos a Benedictinis *Sermo* 272 (P.L. 38, 1248) : « Qui accipit mysterium uni« tatis, et non tenet vinculum pacis, « non mysterium accipit pro se, sed « testimonium contra se. »

Quae ceterum non Augustini tantum, aut Cypriani, sed et Hilarii atque Chrysostomi (vide infra, Elucid. XXXVII), Ignatii (vide supra, Elucid. XVIII) atque ipsius Pauli (*I Cor.*, 10[17]) est doctrina notissima[1].

10. *De S. Gregorio Magno*

Gregorius M. non solum sacrificii ullius acceptabilitatem removet, nisi intra Ecclesiam oblati : « SOLA quippe est, PER « QUAM sacrificium Dominus libenter acci« piat » ; sed etiam, quod majus est, negat extra catholicam Ecclesiam posse ullatenus sacrificium fieri : « In una catholica « Ecclesia vera hostia Redemptoris immo« latur » (*Moral.* 35, 8. P.L. 76, 756). In quo, ut supra de Prospero adnotavimus, nihil, dummodo rite intellegatur, nisi

vide Portalié, D. T. C., art. *Augustin*, col. 2421).

Tertio, apud quosdam coaetaneos fere Augustini atque etiam Ambrosii, occurrit ipsissima locutio, quae apud neutrum formaliter reperitur, *conficere corpus Christi*.

Etenim Augustini coaetaneus ille Africanus auctor *Libri de promissionibus et praedictionibus Dei* (1, 39, 56. P.L. 51, 765), probabiliter S. Quodvultdeus (cf. P. Schepens, *Un traité à restituer à S. Quodvultdeus*, R. S. C., mai-sept. 1919, p. 234), ipse omnino inducebat « carnem Christi in passione CONFECTAM » (noli intellegere detritam aut destructam, sed utique constitutam in sacramento). Ceterum quantum is in suo eucharistico sermone ab Augustino dependeat, colliges, inter alia multa, ex comparatione inter Augustini *Enarrationem in Ps.* 33, serm. 1, n. 10, atque serm. 2, n. 2 (P.L. 36, 306 atque 308), et Africani nostri opus citatum, 2, 25, 54 (P.L. 51, 798) : « Portatus est quippe et « Jesus Dominus in manibus suis, dum, suum « corpus in sanctificato pane gestans manibus « suis, dixit *Hoc est corpus meum.* »

Sed maxime Hieronymus, quatuordecim annos jam ante Ambrosium, scripserat ad Heliodorum de sacerdotibus : « CHRISTI CORPUS sacro « ore CONFICIUNT » (*Ep.* 14, n. 8. P.L. 22, 352 ; cf. *Ep.* 146, 1, col. 1193 : « ... ad quorum preces « Christi corpus sanguisque conficitur »). Optandum est igitur, ut desinant viri literati « am« brosianum » jactitare stylum : qui non est ambrosianus, sed catholicus. Addi praeterea exemplum graecum poterat ex fragmento sermonis non improbabiliter Athanasio adscripti *Ad baptizandos* (P.G. 26, 1325).

Quarto vero, nescio annon stylus « augustinianus » apud Ambrosium praecesserit, qui scripsit : « Sputo illi [quod humanum est genus] sub« stantiam boni corporis donans [Christus] dig« natus est omnes gentes in unum corpus Eccle« siae congregare » (*Enarr. in Ps.* 1, n. 50. P.L. 14, 948). Ubi donata humano generi substantia boni corporis non incongrue intellegetur eucharistia, humanum genus in unum corpus Ecclesiae congregans. Quanquam, fateor : 1° locus est vexatus ; et 2° etiam ut jacet, potest aliter et melius accipi, ut, dum dicitur donata sputo substantia boni corporis, sensus sit : Christum dedisse illi sputo seu pulveri, ut subsisteret atque consisteret per modum corporis, congregatis scilicet omnibus gentibus in unum corpus Ecclesiae. Attamen neque haec ipsa interpretatio, si admittatur, videtur expers eucharisticae allusionis.

1. Haec dicta sint de HABITUDINE SACRAMENTALI CORPORIS DOMINICI AD CORPUS ECCLESIASTICUM, quidquid sentiendum sit de symbolismo ab Africanis, aliisque ante et post eos, petito ex granis acinisve in unum quid redactis. De quo dicetur infra in tertio libro. Interim constat, cur non possimus assentiri clarissimo Saltet scribenti : « LA PRÉOCCUPATION DU CORPS MYS« TIQUE DU CHRIST DANS LA THÉOLOGIE DE « L'EUCHARISTIE, et du symbolisme du pain et « du vin, a été suggérée à saint Augustin par « saint Cyprien et la tradition africaine. Cette « préoccupation s'accordait très bien avec la « théologie de saint Cyprien, d'après laquelle « *Hors de l'Église point de sacrements*, elle DÉ« CONCERTE un peu dans la théologie sacramen« telle de saint Augustin, pour qui les sacrements « peuvent exister en dehors de l'Église. A cet « endroit, saint Augustin dépend du passé » (*op. cit.*, p. 83). Utique et Augustino et nobis catholicis certo constat, sacramenta posse reperiri extra Ecclesiam, non tamen extra connexionem omnem cum Ecclesia. Nec ab haereticorum eucharistia exsulat symbolismus sacramentalis respectu unitatis ecclesiasticae. Ceterum sacramentalis ille symbolismus (non dico granorum aut acinorum, sed corporis Christi ad Ecclesiam) est pars catholici dogmatis, ut constabit infra (Elucid. XXXVII).

verissimum tradit : non enim inde sequitur haereticos non posse offerre sacrificium, sed hoc non posse, nisi aliqualiter intra Ecclesiam agentes ; adeo ut, si omnino extra Ecclesiam catholicam agere velint, nihil efficiant.

11. *De S. Cyrillo Alexandrino*

Post ea quae de Patribus Latinis jam sunt exposita, non habet quod elucidetur iste locus S. Cyrilli Alexandrini : « Esse etiam unam Ecclesiam, unumque « Christi ministerium, neque legitimum « esse sacrificium, imo vero REJICI ET « MINIME PLACERE DEO, NISI IN ECCLESIA « FIAT, perspicue Lex ostendit, edicens « ne extra sanctum tabernaculum sacra « fiant » (*De adoratione in spiritu et veritate*, l. 13. P.G. 68, 880). Idem scilicet enuntiatur dogma quod supra : nimirum, si totaliter sit separatum sacrificium ab Ecclesiae commercio omni, eo ipso esse invalidum.

12. *De S. Theodoro Studita*

Modo quodam peculiari videtur interpretandum illud quod habet de eucharistia iconomachorum S. Theodorus Studita : 1° panem [eucharisticum] haereticorum esse haereticum ; 2° non esse corpus Christi. Concessa enim venia sacrificandi pro iis qui ab haeresi ante mortem resipuerint, illis qui in haeresi obierint omne tale sufffragium detrectat his verbis : « Si « in morte, cum antea humano terrore « communicasset haeresi, substitit confi- « tens... atque ita orthodoxae commu- « nionis particeps factus est, in eaque « defunctus, consentaneum est, ut in or- « thodoxorum commemorationibus locum « habeat,... sin autem nihil horum factum « est, sed qui haeresi communicabat, non « ante particeps fuit corporis et sanguinis Domini (HAERETICUS ENIM EST « ILLE PANIS, NEC CORPUS EST CHRISTI « αἱρετικὸς γὰρ ὁ ἄρτος ἐκεῖνος, καὶ οὐ σῶμα « Χριστοῦ), non audendum est dicere, ut pro « illo synaxis fiat... Non in parte ortho- « doxorum collocabitur qui orthodoxiae « ne in ultima quidem hora communica- « verit. Ubi enim fuerit deprehensus, ibi « judicabitur ; et quale viaticum sumpse- « rit ad aeternam vitam, et huic connume- « rabitur » (*Epistularum*, l. 2, 197. P.G. 99, 1596-1597). Cum haereticum dicit panem, intellegit cujus manducatione haeresi communicetur[1]. Cum negat esse corpus Christi, negat accipi posse TANQUAM HOSTIAM SACRIFICII SALUTARIS IN VITAM AETERNAM. Pabulum immo mortis noscitur esse haeresi communicantibus ; et quale est pabulum, talis erit accipientium conditio et sors perpetua.

Quae interpretatio fulcitur alia ipsius epistula, scripta ad quemdam perductum per vim in communionem haereticorum. « O calamitatem ! Quaenam est ista « involuntaria abductio ? Quaenam coacta « illa participatio, intentans carnis pericu- « lum ei qui nolit HETERODOXUM PANEM « participare ? VOLUNTARIUM SACRIFICIUM « (o christianissima cogitatio !) CORPUS ET « SANGUIS Domini nostri Jesu Christi... « Quoniam igitur voluntarium sacrificium, « etiam est voluntarie datum volentibus, « at non nolentibus... Ait Petrus in sua « epistula : *voluntarie pascere oportet, non* « *coacte*. Cognoscant proinde, qui nolentes « vi trahunt ad suam communionem, se « gentium more hoc facere, NON CORPUS « CHRISTI, QUOD SPONTE OBLATUM EST, « porrigentes, sed contra, quod speciem « prae se ferat (pro specie involuntaria) « ejus quod sacrificatur in libationibus « INVITE (κατ' αὐτῶν) daemonem honori- « ficantibus » (*Epistularum*, l. 12, 136. P.G. 99, 1436). Ubi satis aperte indicatur, quo sensu panis heterodoxus non sit corpus Christi ; quatenus scilicet, contra suam naturam, voluntarietate veluti exuatur *primo* immolatio illius, dum fit per haereticos (daemonem sacrificio, non Deum honorantes) ; et *secundo* ac potissimum

1. Vide infra, Elucid. XXXVII exemplum priscius doctrinae similis apud S. Joannem Damascenum, *De fide orth.*, 4, 14 (P.G. 94, 1153).

participatio, dum per vim fidelibus ab haereticis datur in perniciem.

13. *De Floro Lugdunensi*

Eadem aetate, in Occidente, Florus Lugdunensis, in suo opusculo *De expositione missae* (c. 53-54. P.L. 119, 49), super illud, *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, tibique reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero,* ita refert verba Prosperi (superius laudata), ut tamen nihil inde concludat, nisi quae sequuntur : « Unde multum consequen« ter adjungitur in mysterio : *Communi« cantes et memoriam venerantes in pri« mis* etc., usque *et omnium sanctorum « tuorum.* Quos dicit communicantes et « memoriam venerantes beatae Genitricis « Dei et apostolorum et martyrum, et « omnium sanctorum, nisi et seipsum sa« cerdos, qui offert, et omnes circum« stantes, qui simul offerunt unum sa« crificium laudis ? QUOD UT DEO POSSIT « ESSE ACCEPTUM ET BENEPLACITUM, NON « ALIBI HOC OFFERUNT ET SACERDOTES « ET ECCLESIA CUM SACERDOTIBUS, NISI « IN COMMUNIONE ET SOCIETATE SANC« TORUM, in quibus voluit idem omni« potens Deus Ecclesiae suae constare « fundamentum (*Eph.*, 2^{19})[1]. »

14. *De S. Paschasio Radberto*

Nulla nobis hac de re occurit apud S. Paschasium Radbertum peremptoria definitio. Qui, quamvis in *Libro de corpore et sanguine Domini*, c. 12 (P.L. 120, 1310-1315) validissime tueatur consecrari corpus Christi etiam per sceleratos, « licet « oderint, adulteri sint et homicidae, et « ex parte diaboli plura admiserint[2] », tamen, quasi restrictione aliqua usus, praemisit : « Vere credere et indubitan« ter scire debemus, INTRA CATHOLICAM « ECCLESIAM, ubi CATHOLICA FIDE hoc « mysterium celebratur, nihil a bono ma« jus nihilque a malo minus percipi sacer« dote ; nihilque aliud quam caro Christi « et sanguis, DUM CATHOLICE CONSECRA« TUR » (col. 1310). Subjunxitque deinde : « Nihil majus aut minus est a quolibet « ministro, etsi adhuc in tenebris sit, « dum et sacramentum praestatur ex of« ficio, et gratia EX PARTICIPATIONE ET « UNITATE COLUMBAE ; in qua fluit fons « vitae et manet remissio peccatorum, « cujus sacerdos Christus et pontifex in « aeternum expiat, et offert seipsum pro « nobis quotidie ante conspectum divinae « majestatis » (col. 1315).

Crediderim equidem restrictionem Paschasii spectare solummodo ad fructum, qui nullus est sperandus ex sumptione eucharistiae per haereticos schismaticosve sacerdotes consecratae ac ministratae.

Hactenus occurrerunt nobis loci Patrum et Doctorum difficiles quidem, at non tamen impatientes omnis solutionis, plus minus verosimilis. Jam vero me-

1. Praesul autem Lugdunensis Ecclesiae, S. Agobardus, nonnisi tenuia suae sententiae praebet indicia. Firmissime quidem sacrificia indignorum sacerdotum populo christiano decernit esse utilia (*De privilegio et jure sacerdotii*, c. 3, 5 et 15. P.L. 104, col. 128, 132-134, 142). At nonne fortasse haereseos et schismatis casum excipit, dum scribit : « Numquam invenies, ut « oblata pro aliis reprobata sint, etiamsi is « qui obtulit indignus fuerit, si tamen fide de « domo fuit [nec proinde haereticus], aut in « domo obtulit [nec schismaticus], in qua agnus « vescendus est. Sed magis eorum corda pensan« tur, qui per sacerdotes, qualescumque illi « sint, offerunt, sicut multis ostendi potest » (c. 3, col. 104). Suadetur interea ultimis verbis, eorum demum excludi profectum, qui scienter haereticis vel schismaticis sua sacrificia commendent deferenda. Quo sane nil verius. Nescio annon eadem expositio congruat verbis Flori supralaudatis.

2. « Tales licet oderint, adulteri sint et ho« micidae, et ex parte diaboli plura admiserint, « DUM FALCE EVANGELICA NECDUM PRAECISI « SACRIFICANT, non cogitandum qui et quales « sint, sed quid dent, vel quid accipiat is qui « cum fide communicatur, neque quis habeat « virtutem consecrandi, sed quid habeat » (col. 1313). Non dirimitur absolute quaestio per illud incisum « dum falce... » etc. ; nam etiam nos hodie, qui validitatem tuemur, tamen illud incisum adhibere possumus, immo debemus, ubi sermo est, quid sit cogitandum in ordine ad praxim circa sacrificium sacerdotis praecisi. Circa tale enim sacrificium debemus cogitare atque attendere, sitne licitum nobis ex ipso (quantumvis valido) depasci, annon potius schismaticum et haereticum.

diaevalium quorumdam effata benigniori cuivis interpretationi refragari invenientur patenter.

15. *De Widone Aretino* († 1050)

Certe Wido Aretinus monachus [1] patentissime negavit posse confici corpus Christi, nedum a Simoniacis (quorum censebatur irrita ordinatio) sed nec etiam ab haereticis sacerdotibus, cum scripsit : « Numquid maledictus sua benedictione « panem in Christi carnem poterit ver- « tere, maxime cum quidquid benedixerit, « Dominus se maledicturum asserit ?... Si « haeretici sacerdotes voces exhortatio- « num non possunt fari, quomodo valeant « vinum in Christi cruorem vertere ? » (apud Bernoldum, *Epist. ad Adalbertum.* P.L. 148, 1159).

16. *De S. Petro Damiano* († 1072)

1. In opere *Libri Gomorrhiani*, capite 20, cui titulum inscripsit *Quod de manibus immundorum nolit Deus accipere sacrificium*, S. Petrus Damianus, impudicos sacerdotes increpans, haec habet : « Omnipotens Deus de manibus vestris « sacrificium dedignatur accipere. » « Ip- « sum, inquam, audite concionantem, into- « nantem, vestra sacrificia respuentem, « vestris obsequiis publice reclamantem. » Citatisque plurimis Veteris Testamenti testimoniis, tandem concludit : « Diu dis- « putando ad hoc usque pervenimus, ut « et ipsum Dominum immundorum sa- « crificia reprobantem, et contestatorie « prohibentem liquido monstraremus » (P.L. 145, 181-182). Quibus verbis commotus potuerit forsan quis suspicari, esse a sancto Petro Damiano exsufflata sacrificia immundorum.

Attamen nihil liquidius constat, quam defensio apud S. Petrum Damianum frequentissima sacramentorum etiam a sacerdotibus indignissimis ministratorum. Auctoritatibus fretus et Augustini et S. Paschasii Radberti, vult ut « sive per « fures, sive per adulteros, sive etiam per

1. Si tamen ipse haec verba scripsit. Porro adhuc sub judice lis est. Apud Bernoldum quidem unum citantur haec verba (*Ep. ad Adalber.*, A. D. 1076. P.L. 148, 1159). Quo autem loco citantur, dantur ut pars Epistulae Paschalis Papae ad Mediolanensem Ecclesiam. Aliquos autem post annos in *Tractatu de Sacramentis excommunicatorum ad Bernhardum* (P.L. 148, 1066) idem Bernoldus profecto scribebat : « Illud scriptum musici Widonis, quod sub « nomine Paschalis Papae honorastis, non in « tantum attendere debemus » etc. Cui testimonio Bernoldi accedit alterum ejusdem, ut videtur, expressius, adnotatum literis Bernhardi, quod refertur a F. Thaner (M. G., *Libelli de lite*, t. 1, p. 2) : « Hanc epistolam ad Mediola- « nensem Ecclesiam non Paschalis fecit, sed « quidam Wido, qui et musicam composuit ; sic « enim viri religiosissimi asserunt, qui hoc ex « discipulis ejusdem diligentissime explorave- « runt. » Jamvero sub nomine etiam vel Paschalis vel Paschasii Papae, citatur eadem epistula, DEMPTIS TAMEN VERBIS, QUAE SUPRA EX BERNOLDO RETULIMUS, cum apud cardinalem Deusdedit (*Libellus contra invasores et simoniacos*, P.L. 149, 470 ; cf. *Libelli de lite*, t. 2, p. 318-319) et Ivonem Carnotensem (*Decretum*, pars 2, c. 84. P.L. 161, 179-181) atque alios paucos, tum apud Gerhohum, non solum in *Tractatu adversus Simoniacos*, c. 27 (P.L. 194, col. 1363-1364 ; cf. *Libelli de lite*, t. 3, p. 729), sed etiam in *Commentario in Ps.* 25, 4 (P.L. 193, 1160). Praeterea eadem verba desiderantur in omnibus manuscriptis, sive quae habuit prae manibus Baluze (P.L. 151, 637), sive quae plura numero secutus est F. Thaner (*Libelli de lite*, t. 1, p. 4, coll. p. 627). Interim D. Mansi (quod Fridericum Thaner fugisse videtur) juxta unum codicem (qui nescio annon sit idem cum quinto inter enumeratos a Friderico Thaner, *Libelli de lite*, t. 1, p. 4) ipse sine Bernoldino nostro fragmento eamdem epistulam ediderat, visus sibi illam veluti primus cudere, ignorato (quod mirum est) Baluzio (vide P.L. 102, 1091-1094). His positis, ubi auctor investigatur, duae sunt scripti partes distinguendae : primo, fragmentum Bernoldinum (= B) ; et secundo (omissis quidem paucis variantibus aut additionibus), reliqua pars epistulae (= A). Circa igitur nostrum Widonem Aretinum quatuor hypotheses fingi possunt :

1° Wido Aretinus neque A neque B conscripsit.

2° Conscripsit et A et B.

3° Conscripsit A, sed non B.

4° Conscripsit B, sed non A.

Mansi porro epistulam, qualem recensuit (= A) indubitanter adscribebat Paschali I, sicut olim fecerunt Correctores Romani in Gratiani *Decretum* (Causa 1, q. 3, c. 7), animadvertentes hanc epistulam integram fere exsistere in codice manuscripto Decretorum Pontificiorum post Decreta Hadriani II. In *Libellis de lite*, t. 3, p. 729, dicitur « Goetz (*Deutsche Zeitschrift* « *für Kirchenrecht*, V, 1, p. 30-59) conatus de-

« homicidas haec sacramenta [baptismus « et eucharistia] fiant, nil prorsus ab his « quae sancti dedicant sacerdotes, mys« teriis differant » (*Liber qui dicitur gratissimus*, c. 9. P.L. 145, 109 ; cf. c. 21, col. 132 et passim). Vides igitur quam sit diffidendum aliquando grandibus illis damnatorii sermonis eloquiis ; in quibus non semper premenda est littera, sed sensus ad communis doctrinae normam flectendus, habita ratione scopi ab auctore intenti in morum correctione et exterminatione vitiorum. Sed etiamsi indignorum non evacuet sacrificia, tamen nondum per hoc solvitur quaestio nostra de sacrificiis extra Ecclesiam celebratis.

II. Nec solvi potest quaestio per doctrinam sancti Petri Damiani circa sacerdotes simoniace ordinatos.

Et *primo* quidem, non potest solvi affirmative, quasi in favorem validitatis, per hoc quod simoniace ordinatis ipse vindicat auctoritatem peragendi sacrificii (*Liber qui dicitur gratissimus*, c. 6. P.L. 145, 106). Nam non ipse, sicut plurimi sui coaetanei, simoniacos habet pro vere et proprie haereticis : « Simoniacus namque, licet perverso commercio efficiatur « haereticus, est tamen FIDE CATHOLI« cus; ejusque damnatio magis ex a« bitione descendere, quam videatur « perfidiam pertinere » (*Ibid.*, c. col. 104). « Aliud est in fide pecca « aliud est a fide recedere » (*Ibid.*, c. col. 133 ; cf. c. 30, col. 145). Sed rev illos habet tantum pro immani scel foedatis.

Secundo autem, non solvitur quaes in sensum negativum, contra validitate per hoc quod, consequenter ad celebrat sub Nicolao II Concilium Romanum D. 1059), quo edicebatur, ut, si quae POSTERUM fierent ordinationes simoniac et « consecrator, et consecratus... uterq « depositus », « propria dignitate » pri retur[1] (cf. *Ibid.*, c. 39 superadditum), j S. Petrus Damianus videtur fuisse in sententia, ut nihil posset confici valide illis qui EX TUNC simoniace ordinar tur : « Jam non modo simoniacos rep bamus, « sed et per eos exhibita sac « menta contemnimus » (*De sacramen per improbos administratis*, c. 1, P.L. 1 524). Nihil, inquam, illinc sequitur. E nim tales ex illo tempore ordina simoniace videtur ipse non habuisse p valide ordinatis[2]. Qua sane supposi omnia necesse erat ut corruerent eor

« monstrare illam esse non Widoni Aretino, sed « revera Paschali I Papae tribuendam » [Utrum sermo sit de utraque parte, A et B, an de una tantum, nescio]. Ista quaestio de authenticitate peritiorum judicio relinquenda est. Interim hoc unum ab iis libenter quaeremus : nonne fortasse epistula A fuerit Paschalina, fragmentum vero B fuerit a Widone intertextum, qui etiam pauca alia immutaverit (puta appellatione « ex« cellentiae » substituta pro appellatione « fra« ternitatis »), dum ex pontificia epistula ad archiepiscopum coloniensem facit suam ad archiepiscopum mediolanensem.

1. Jaffé, *Regesta*², 4431 ; cf. Leclercq, *Hist. des Conc.*, t. 4, 2, p. 1192. Eadem sunt edicta postmodum sub Alexandro II in conc. roman. A. D. 1063, can. 3 ; Jaffé, *Regesta*, 4501.

2. Potestatem igitur quamdam INHIBITIONIS circa collationem ordinis sacerdotalis videtur sanctus Petrus Damianus (et quidam post eum doctores) Ecclesiae deputasse. Immerito quidem, cum nullum in illa re competat Ecclesiae jus nisi prohibitionis. Sed adversus istum errorem tamen non oportet nimium stomachari, quasi eo everteretur omne de efficacia ex opere operato sacramentorum ecclesiasticum dogma. Nam talis potestas inhibitionis competit revera Ecclesiae circa administrationem sacrame confirmationis a presbyteris faciendam, commemorem impedimenta dirimentia ma monii aut approbationem requisitam ad val excipiendas confessiones, etiam ubi neque o neque jurisdictio deest, ut in regularibus (cundum jus utique non hodiernum, sed tan hesternum Ecclesiae). Sed quid de potest fortasse olim deputata ad libitum presbyte quibusdam (quales fuerint abbates nonn cistercienses) conferendi ordines omnes in sacerdotium ? Dixeris utique Bullam *Expo tuae devotionis* non esse indubiae genuinita Esto. Sed quid dices jam de Bulla Bonifatii *Sacrae Religionis* edita ex archivio Vaticano Egerton Beck in *English Historical Rev* (Jan. 1911, p. 125 sq.), certissimeque a thentica (cf. *ibid.*, p. 124 et 126), qua Abb (minime, ut videtur, supra presbyterat evecto, p. 124) « Monasterii Apostolorum Pe « et Pauli ac Sancte Osithe Virginis et Marty « in Essexia Ordinis Sancti Augustini Lon « dien. diocesis », conceditur, « ut idem Abb « et successores sui imperpetuum Abbates ej « dem Monasterii pro tempore existentes om « bus et singulis Canonicis praesentibus et futu « ejusdem Monasterii omnes minores necn

sacramenta, quin tamen attingatur quaestio a nobis proposita.

III. Neque rursus, aut vix, quaestio potest dirimi ex iis quae tenet S. Petrus Damianus de ordinatione collata extra fidem sanctae Trinitatis. Hanc quidem habet pro irrita (*Lib. qui dic. grat.*, c. 6 et 22-23. P.L. 145, 106, et 133-135)[1]; nec proinde sacrificia eorum potest defendere quorum negat sacerdotium. Sed utrum sacerdos intra Ecclesiam ordinatus, si haereticus fieret circa Trinitatem, eo ipso etiam fieret incapax valide consecrandi, necne, S. Petrus Damianus parum determinat. Evacuat quidem ita sacerdotium arianorum, ut « solum » baptisma permittat (verbis usus S. Innocentii I) illis esse ratum. Sed utrum *solum* intellegat (in primis haereseos arianae auctoribus) per exclusionem omnium sacramentorum, annon potius per exclusionem eorum dumtaxat quibus conferri censetur Spiritus Sanctus (sacramentorum scilicet confirmationis et ordinationis), non apprime constat. Interea videtur alterum probabilius, attenta nimirum ratione, quam ex Innocentio I profert : « Quoniam, « cum a catholica fide eorum aucto« res discederent, perfectionem Spiritus, « quam acceperant, amiserunt, nec dare « ejus plenitudinem possunt, quae ma« xime in ordinationibus operatur » (c. 22 col. 134). Auctoribus igitur ipsius arianae haereseos non apparet S. Petrus Damianus abjudicasse certo sacrificiorum validitatem.

IV. Id tandem unum potest asseri certo : sacerdotum omnium fidem Trinitatis veram profitentium sacrificia omnia esse sancto Petro Damiano, ad validitatem quod attinet, probata[2].

17. *De S. Gregorio VII aliisque circa ipsum*

Iniquissimam querelam moverunt adversus Gregorium VII coaetanei quidam, antipapae Wiberti schismati implicati : quasi negata esset a Papa validitas sacramentorum, non solum a schismaticis, sed etiam ab ipsis mere indignis sacerdotibus ministratorum.

Inter quos eminuit Wido Ferrariensis, in libro 2 *De schismate Hildebrandi. Pro illo et contra illum*, qui est dialogus inter quemdam proponentem (= P.) et quemdam respondentem (=R.) : « R. Contra Patres novi testamenti do« cuit, cum schismaticorum et INDIGNO« RUM ministrorum sacramenta non esse « recipienda sed exsufflanda mandavit, « cum excommunicatorum quoque con« secrationes sive in oleo, sive in EU-

« subdiaconatus, DIACONATUS et PRESBYTERA« TUS ordines statutis a jure temporibus con« ferre libere et licite valeant » (1 febr. 1400) ? Dicesne Bonifacium IX fuisse illegitimum Papam, utpote successorem Papae dubii, Urbani VI, aut certe excessisse illum limites divinitus sibi concreditae potestatis ? Esto. At interim potestne dubitari quin A. D. 1400 nota fuerit Curiae Romanae (etiamsi minus Bonifatio IX, viro non apprime docto) doctrina communis ac sollemnis Ecclesiae circa *opus operatum* sacramentorum ? Potuerunt igitur et impetratores Bullae et auctores concipere potestatem presbyteratus tanquam extensibilem intra certos fines ad arbitrium Ecclesiae, quin viderentur sibi opus operatum ullatenus impetere.

1. Origo historica istius falsae persuasionis fuit duplex : una remotior, altera propinquior. Propinquior origo fuit perversa interpretatio epistulae Innocentii I ad Alexandrum episcopum Antiochenum (*Ep.* 24, c. 3, n. 4. P.L. 20, 550), qua indigni pronuntiabantur sacerdotali honore quicumque essent ab Arianis ordinati. In qua tamen epistula nihil de validitate ordinationis agebatur. Origo vero remotior fuit canon Nicaeni Concilii 19 ; quo Paulianistarum baptisma evacuabatur, adeo ut conversi ex illorum secta juberentur rebaptizari. Cujus ratio erat (cf. Hefele-Leclercq, *Hist. des Conciles*, t. I, p. 615), quia nomina Patris et Filii et Spiritus Sancti ita in baptismo proferebant, ut, nullam cum crederent esse Trinitatem, significatio vocabulorum publice immutata exsisteret : unde etiam mutata erat significatio formulae, cui proinde nulla jam vis formae inerat. Postea opportune Algerus illam sancti Petri Damiani sententiam correxit, dum, rejectis quidem Paulianistarum sacramentis (*De misericordia et justitia*, pars 3, c. 8. P.L. 180, 936), ordinationes tamen arianorum ratas habuit. « Simoniacos simoniacus ordinat, « sicut arianus arianos, donatista donatistas » (*Ibid.*, c. 32, col. 946).

2. De ipsa, quae in hoc capite a nobis agitur, quaestione, nil potui invenire certi apud Petri Damiani coaetaneum et collegam, Humbertum cardinalem.

« CHARISTIA, vel in ordinationibus eorum, « quibus manus imponitur, nullam vim « habere, nec consecrationes dici debere « perhibuit » (*Libelli de lite*, t. 1, p. 558), atque post pauca : « P. Sentio plane ve- « rum esse quod astruis, quod ministro- « rum INDIGNORUM sacramenta prodesse « possint, et quod in accipientibus salutis « operentur effectum, ac per hoc illum « non habere sensum catholicum, qui tam « evidens non approbat documentum « (*Ibid.*, p. 559).

Primo quidem de *indignorum*, secundo autem de *schismaticorum* sacerdotum ministrationibus est exploranda sententia Gregorii VII.

I. *De sacramentis indignorum*

Re quidem vera, in primo concilio romano anni 1074 legem tulit Gregorius, qua, post damnatam simoniam, haec statuebantur : « Sed nec illi qui in « crimine fornicationis jacent, missas « celebrare aut secundum inferiores or- « dines ministrare altari debeant. Sta- « tuimus etiam, ut, si ipsi contemptores « fuerint nostrarum, imo Sanctorum « Patrum contitutionum, populus nullo « modo eorum officia recipiat : ut qui « pro amore Dei et officii dignitate non « corriguntur, verecundia saeculi et objur- « gatione populi resipiscant » (*Ep. extra registr. vagantes*, 3. P.L. 148, 646). Immo his acribus verbis apparet fuisse confectum decretum : « Si qui sunt presbyteri « vel diaconi, vel subdiaconi, qui in crimine « fornicationis jaceant, interdicimus eis « ex Dei parte omnipotentis et sancti « Petri auctoritate Ecclesiae introitum, « usque dum poeniteant et emendent. Si « qui vero in peccato suo perseverare « maluerint, nullus vestrum eorum audire « praesumat officium : quia benedictio « eorum vertitur in maledictionem et ora- « tio in peccatum, Domino testante per « prophetam : *Maledicam*, inquit, *bene- « dictionibus vestris*. Qui vero huic salu- « berrimo praecepto obedire noluerint, « idololatriae peccatum incurrunt, Sa- « muele teste, et beato Gregorio instru- « ente : *Peccatum ariolandi est non « obedire, et scelus idololatriae nolle ac- « quiescere*. Peccatum igitur paganitatis « incurrit, quisquis, dum christianum se « asserit, sedi apostolicae obedire contem- « nit » (ap. Gerhohum Reichersbergensem, *in Ps.* 10, 3. P.L. 193, 794).

Ubi duo sunt distinguenda : *primo*, quod prohibeat Papa fideles quin intersint missis fornicantium ; *secundo* quod hujus prohibitionis transgressores reos arguat idololatriae.

Ad primum notasse sufficiat, similem prohibitionem jampridem edictam esse a Nicolao II, A. D. 1059, in Concilio Romano, can. 3 : « Ut nullus missam au- « diat presbyteri, quem scit concubinam « indubitanter habere, aut subintroduc- « tam mulierem » (Nicolaus II, *Ep.* 8 et 9. P.L. 143, 1315-1317 ; cf. Jaffé, *Regesta*, 4399) ; rursusque ab Alexandro II, A. D. 1063, in Concilio Romano, can. 3 (Alexander II, *Ep.* 12. P.L. 146, 1289 ; cf. Jaffé, *Regesta*, 4501). Unde immerito, ut notat Dom H. Leclerq (*Hist. des Conc.*, t. 5, 1, p. 91), blaterat Sigebertus Gemblacensis (*Chronica*, 1074. P.L. 160, 217), illud esse factum « novo exemplo ».

Nec talis decreti causa ea fuit, quam insinuat[1] schismaticus vir : quia sacramenta ista essent Gregorio VII irrita ; sed, ut fert ipse decreti tenor, ut pudor impoenitentibus incuteretur; quo tandem in poenitentiam adigerentur : « verecun- « dia saeculi et objurgatione populi re- « sipiscant[2]. »

Ad *secundum* autem punctum quod spectat, profecto idololatriae peccatum, in missas conjugatorum sacerdotum audien-

1. Insinuat dico, nam non audet ipse, neque hic, neque in sua *Apologia contra eos qui calumniantur missas conjugatorum sacerdotum*, *Libelli de lite*, t. 2, p. 437-448), propriis verbis illam nostro pontifici inurere notam.

2. Nec proinde Gregorio crimini verti debet, si « laici corpus Domini a presbyteris conjugatis « consecratum saepe pedibus conculcaverunt et « sanguinem Domini voluntarie effuderunt » (Sigeb. Gembl., col. 218).

tibus, non reponebatur a Gregorio VII in adoratione aliqua panis et vini veluti consequente invalidam consecrationem sacramenti ; sed, ut ipse expresse notabat, in detrectatione obedientiae, quae aequiparatur in Scriptura idololatriae : et hoc quidem eo fine, ut laici, nedum se pios reputarent frequentando tales missas ab Apostolico prohibitas, cognoscerent se impios.

Sicque est mens Gregorii exposita cum a vindicibus coactaneis decreti (qualis fuit Bernoldus, in suo *Apologetico super decreta quae... Gregorius... VII in romana synodo promulgavit*, c. 19. P.L. 148, 1134-1135), tum authentice ab Urbano II, in *Ep.* 273, *ad Lucium* (P.L. 151, 532).

Advertendum interea, post Gregorii VII tempora incontinentes sacerdotes esse excommunicatos, primum quidem a Paschali II, A. D. 1107, in Concilio Trecensi, c. 4 (cf. Leclerq-Hefele, *Hist. des Conc.*, t. 5, 1, p. 501), iterum autem a Calixto II, A. D 1119, in Concilio Remensi, c. 5 (cf. *Ibid.*, p. 590). Unde factum est ut deinceps, pro grassante tunc temporis opinione de sacramentis excommunicatorum, nonnulli habuerint istos sacerdotes concubinarios tanquam incapaces consecrandi, NON QUIDEM QUIA INDIGNOS, sed quia excommunicatos[1].

Huc adde, quibusdam etiam scriptoribus illius aetatis, etiam ante latam a Paschali I et Calixto II excommunicationem in concubinarios sacerdotes, placuisse, ut hi inter haereticos, ipso suo vitio clericalis fornicationis, deputarentur. Immo haeresi, post simoniacam, omnium primae illos adscripserunt, scilicet Nicolaitarum. Sic, tempore Gregorii VII, Manegoldus, vir Alsata, in suo *Libro ad Gebehardum*, c. 76 (*Libelli de lite*, t. 1. p. 429), cujus doctrinam postea faciebat suam sodalis ip-

1. Ad hanc scilicet normam est interpretandus auctor *Libelli de offendiculo*, dubie admodum Honorio Augustodunensi adscripti. Scribit quidem sat dure in c. 36 : « Qui PUBLICE « IN FORNICATIONE vitam ducunt, sacrificium « Deo offerre non poterunt, NEC CORPUS CHRISTI CONFICIUNT, qui [*forte* : quia] extra Ecclesiam sunt. Locus autem sacrificii tantum in « catholica Ecclesia est. Ipsos autem in Ecclesia « non habere consortium, cognosce expulsionis « excludium [*sic*] : *Omnis fornicator et immundus « non habet partem in regno Christi et Dei.* Sed « ipsi fornicatores et immundi sunt, et ideo partem in regno Dei quod est Ecclesia non habent. « Ideo extra Ecclesiam manent » (*Libelli de lite*, t. 3, p. 50). Quibus verbis videbatur quidem indignos, prout hujusmodi, decernere incapaces consecrandi, quasi ex jure divino ; sicut rursus in capite 41 : « Nec veritas in missis eorum agitur, « nec virtus sacramenti per eos conficitur... Simulacra missarum agere praesumunt... Si quis « illorum pollutum panem pro sacramento accipiat, ita est, quasi panem ore canis sordidatum sumat » (p. 51-52).

At interim ea posuerat, quibus sua sententia patefieret. Statim enim post c. 36, sic pergebat : « Devitandi sunt vero a christianis, QUIA EXCOMMUNICATI SUNT... Quod ligaverint [apostoli], ligatum est, quod solverint, solutum « erit. APOSTOLICUS AUTEM OMNES UXORATOS « PRESBYTEROS EXCOMMUNICAVIT. Sed ipsi uxorati sunt. Igitur excommunicati sunt » (c. 37, p. 50-51). Statim autem ante c. 41 scripserat : « Presbyteri contra jus fasque uxorati, « QUIA probati sunt extra Ecclesiam positi et « excommunicati, missam ab eis audire, vel « alia sacramenta percipere, non solum nihil « prodest, sed multum obest » (c. 40, p. 51).

Unde concludas, quid velit, dum distinguit occultum a publico concubinario quoad validitatem sacramenti. « Dices autem : sacramentum non est in merito offerentis, sed in gratia « benedictionem conferentis, praesertim cum « et Judas cum Apostolis praedicasse legatur et « baptizasse. Audi : sacerdos occulte peccans « ab Ecclesia toleratur, et causa ejus, ut dictum « est, cordium inspectori reservatur, et omnia « sacramenta ab eo exhibita ut ab optimo erunt « rata, praesertim cum ab optimo non meliorentur, nec a pessimo pejorentur. Qui vero « contra Dei et Ecclesiae instituta publice in « immunditia sordescit, insuper et suam pudicitiam defendit, hic ut ethnicus habendus « erit et omnia respuenda et PROCONCULCANDA, quae fecit » (c. 42, p. 52-53). Scilicet pro excommunicatis non habet ille nisi *publice* fornicarios (ita c. 36 supralaudato). Quare nec nisi talibus putat ademptam potestatem conficiendi sacramentum.

Quemadmodum concubinarios, ita etiam, immo multo magis, simoniacos sacerdotes sentit ab Ecclesia esse extorres atque haereticos (c. 44, p. 63) ; quare et vehementioribus verbis in eorum eucharistiam invehitur, dicens : « Quod sumunt, vel dant, non est sacramentum, sed est idolothytum » (c. 46, p. 54). Hujus vero scriptoris ita parum congruit aut stylus aut doctrina cum operibus Honorii Augustodunensis (de quibus infra dicetur), ut mirum sit, quomodo ex duobus tam dissimilibus viris unus potuerit a quibusdam conflari.

sius, Gerhohus Reichersbergensis, in suo *Libro Epistolari* : « Fornicantes, et « insuper interdicta officia usurpantes, cle« rici Nicolaiti sunt et haeretici » (P.L. 194, 1415 ; cf. 1400-1401)[1]. Unde inferebat, illorum sacramenta esse merito exsufflata (col. 1399).

II. *De sacramentis schismaticorum*

Haec de sacramentis indignorum dicta sint. Jam ad sacramenta schismaticorum nos convertamus. Circa quae nil reperitur a Gregorio VII pronuntiatum. At ex indirecto fonte potest colligi, illum nihil pronuntiasse neque pro validitate neque contra. Etenim fautores ejus sincerissimi publice in diversas partes circa istiusmodi sacramentorum validitatem abierunt : pro illa stante Anselmo Lucensi, contra vero cardinali Deusdedit.

18. *De S. Anselmo Lucensi*

Inculcat quidem ille valide, nonnisi intra Ecclesiam posse Deo deferri sacrificium acceptabile. Sic enim, usurpans verba Gregorii Magni, Wibertum antipapam alloquitur : « Veni, inquit, ad dolentem « et pro se gementem matrem Ecclesiam, « ut ipsa pro te offerat sacrificium accep« tum Domino. SOLA ENIM EST, PER QUAM « SACRIFICIUM LIBENTER DOMINUS ACCI« PIT ; ... extra quam quicumque agnum « comederit profanus est : de cujus car« nibus lex efferri foras prohibet » (*Contra Guibertum antipapam*. P.L. 149, 456).

At superius, significaverat se prorsus validitatem nihilominus sacramentorum ab haereticis confectorum agnoscere : « Detestamur, non sacramenta Ecclesiae, « sicut tu mentiris, sed schismaticos et « sacrilegos... Sanctum quippe suum, quod « foris habetis, quod malo vestro acce« pistis, quia bono odore peristis, vene« ratur Ecclesia » (*Ibid.*, col. 450). Quae genuina est Augustini sententia. Quare loco superius laudato immediate haec verba connectebat : « In multis quidem ESTIS « SECUM [id est : cum Ecclesia]; sed in « hoc nolite gaudere. Illud potius timete, « quod in eodem psalmo sequitur : *Con« taminaverunt testamentum ejus.* Sicut « non profuit Pilato et Herodi vinctus « et flagellatus Christus, sic ad impieta« tem et perditionem vestram magis « officiunt sacramenta ejus » (col. 456). Vides, quam libere illis concedat praesentiam realem Christi in sacramento ad ruinam.

19. *De Cardinali Deusdedit* († 1099)

E contra, cardinalis Deusdedit[2], defensor et ipse acerrimus Gregorii VII et Urbani II contra antipapam Wibertum (Clementem III), strenue asserit, eucharistiam haereticorum et schismaticorum irritam esse. « Hi qui ab HAERETICIS et « SCHISMATICIS baptizantur, in eorum « baptismate nequaquam Spiritum Sanc« tum accipiunt,... sed, cum ad catholicae « Ecclesiae redierint unitatem, per manus « impositionem ejusdem Spiritus Sancti « accipiunt plenitudinem. Ex quo aperte « intelligitur, quod in EORUM [haeretico« rum scilicet et schismaticorum] SACRI« FICIO NON ACCIPITUR CORPUS CHRISTI, « sicut nec in baptismate Spiritus Sanc« tus » *Libellus contra invasores et simoniacos*, 2ª ed., *Libelli de lite*, p. 323).

Post congestas auctoritates Patrum, conatur sibi facere Augustinum consen-

1. Saepissime praeterea in suis operibus passim idem inculcat Gerhohus; appellans etiam coaetaneos suos, Brunonem Segniensem et Rupertum Tuitiensem (col. 1395 et 1397-1398). Vide etiam, eadem fere aetate, anonymi scriptoris *Epistolam de vitanda missa uxoratorum sacerdotum*, c. 1 et sq. (*Libelli de lite*, t. 3, p. 2 sq.). Jam obiter ante Manegoldum illum, ipse Nicolaus II Nicolaitarum haeresim conjugatis sacerdotibus attitulaverat, scribens ad episcopos Galliae : « De « Nicolaitarum haeresi, id est de conjugatis « presbyteris, diaconibus et omnibus in clero « constitutis » (*Ep.* 7, A. D. 1059. P.L. 143, 1314). Sed non apparet eum stricte hic accepisse haeresim, sicut postea fecerunt plurimi.

2. *Libellus contra invasores et simoniacos*, perperam computatus inter opera S. Anselmi Lucensis, tanquam hujus liber 2 *Contra Guibertum antipapam* : vide P.L. 149, 470 sq. Ceterum nonnisi prima editio, brevior, istius *Libelli* in Patrologia Latina exstat. Alteram longiorem, scriptam post A. D. 1089, reperies in M. G., *Libelli de lite*, t. 2 : vide p. 318 sq.

tientem, nonnullis enumeratis sancti Doctoris effatis, « per quae aperte liqueat, « quod sicut in haereticorum vel schisma- « ticorum baptismate non accipitur Spiri- « tus Sanctus, ita nec in sacrificio Chris- « tus (*Ibid.*, p. 324, cf. 325). Hi autem sunt loci, quibus Augustinus discrimen signat inter sacramentum et virtutem sacramenti. Ex quo discrimine infert Deusdedit, potuisse aliquid sancti agnosci ab Augustino in baptismate et chrismate haereticorum, utpote quae sint sacramenta « manentia », id est non secundum se iteranda; non autem in sacramento eucharistiae, quod, quia sacrificium est, est secundum se « transitorium », id est cottidie iterandum (p. 325). Quae utique praeter exspectationem omnem hic inducitur partitio !

20. *De Urbano II* († 1099)

Interim vero Urbanus Papa II (ineunte A. D. 1089) de ipsissimo hoc puncto oppositam tuebatur partem : « Eorum « qui in Ecclesia ordinati sunt, sed ab « Ecclesia per schismata discesserunt, « sacrificium secundum Patrum auctori- « tatem non exsufflamus » (Loewenfeld, *Epistolae pontificum romanorum ineditae*, Lipsiae, 1885, Ep. 127, p. 62)[1].

21. *De Bernoldo Constantiensi* († 1100)

Eodem tempore Bernoldus Constantiensis presbyter, postquam in epistula sua *ad Adalbertum*, deceptus quidem epistula Widonis Aretini, opinatus erat : non solum simoniace ordinatos, vel alias inordinate promotos (quos ipse pro non ordinatis habere videbatur, P.L. 148, 1157-1163), sed etiam publice excommunicatos quoslibet, non posse conficere valide corpus Christi (col. 1163), deinde, re melius perspecta, in *Tractatu de sacramentis excommunicatorum* (P.L. 148, 1061 sq.) atque in *Tractatu de reordinatione vitanda* etc. (P.L. 148, 1260 sq.), oppositum defendit dogma ; adeo ut concluderet : « Nullus autem damnatus vel excommu-

1. Ex his judicaveris, quid insit veri, quid falsi, criminationibus Wiberti (Clementis III) antipapae adversus eos qui in partibus stabant Urbani II : « DICUNT attamen, SACRAMENTUM « CORPORIS ET SANGUINIS Domini nostri Jesu « Christi, consecrationis chrismatis, immo quae- « cumque ad episcopale et sacerdotale officium « pertinent, ab his qui sectae eorum non commu- « nicant celebrata, NULLA PRORSUS ESSE SACRA- « MENTA, et nihil aliud suscipientibus nisi dam- « nationem conferre. Nam panem illum, qui de « coelo descendit, in quo tota salus et vita nostra « consistit, impio blasphemantes ore, pollui « potius quam consecrari astruunt » (*Synodica ad clerum universum*, A. D. 1089 P.L. 148, 834). Non certe haec valent contra Urbanum II, sed solum contra quosdam ejus asseclas.

Ceterum nullam nisi verissimam promit ipse doctrinam antipapa hujus suae declarationis tenore : « Declaratur non solum apud nos, Dei « gratia catholicos, verum etiam apud schisma- « ticos et haereticos, haec omnia esse rata » (*ibid.* col. 835).

Recta similiter doctrina fuit viri tunc schismati adhaerentis, Waleramni Naumburgensis, vel alterius quicumque est auctor libri *De unitate Ecclesiae conservanda* : « *Sunt autem « sacramenta baptismus, chrisma et corpus et san- « guis* (Isid. *Etym.*, l. 6, 19) ...Horum enim quod- « libet sacramentum, si verbis evangelicis in « nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, aliquis « etiam haereticus consecraverit, illa sanctitas « sacramenti verbis evangelicis consecrata vere « integra manebit, quamvis fides illius, sub eis- « dem verbis aliud opinata, quam catholica veri- « tas docet, non sit integra, sed fabulosis falsita- « tibus inquinata... Proinde Clemens Papa arguit « eos, qui aliter credunt de ipsis sacramentis « Christi et Ecclesiae, asserentes, ea extra Eccle- « siam sacramenta non esse; qui etiam, cum fi- « dem catholicam non habeant, sese catholicos « appellant, caeteros autem, qui multo rectius « quam ipsi credunt, haereticos atque schisma- « ticos esse dijudicant » (*De unit. Eccl. conserv.*, l. 3, c. 2-9 ; *Libelli de lite*, t. 2, 283-284).

Minusque feliciter, fatendum, disputaverat pro defensione legitimi pontificis monachus nobis ignotus, cujus respuit sententiam Waleramnus, enuntiatam istis verbis : « Sciendum vero, quod « Wigbertus arguit catholicos asserere, illa quae « fiunt extra Ecclesiam, sacramenta non esse, « nec aliud quam damnationem cuiquam con- « ferre, astruens tam extra quam intra catho- « licam Ecclesiam haec omnia rata et vera « existere, assumitque in testimonium asser- « tionis suae Augustini sententiam in quodam « tractatu in Evangelium Joannis contra re- « baptizatores editam. *Ita ergo*, inquit Augus- « tinus, *nec foris, sicut nec intus, quisquam qui « ex parte diaboli est, potest, vel in se vel in quo- « quam, maculare sacramentum, quod Christi est.* « Quam et nos, inquiunt, sententiam fideliter « amplectentes, RESPONDEMUS HOC AUGUSTI- « NUM DE SOLO, unde tunc agebatur, BAPTISMI « DIXISSE SACRAMENTO » (apud Waleramnum, *ibid.*, p. 284).

« nicatus sibi de confectione sacramento- « rum applaudat : imo in hoc cumulum « suae damnationis agnoscat, cum tanto « sceleratior, et ob hoc tanto sibi perni- « ciosior existat, quanto sanctius repu- « tat, quod sacrilego ausu usurpare non « veretur. Nempe tolerabilius peccaret, « si de altari corpus suum communi pane « reficeret, quam animam suam damna- « toria communione interficeret. Nam « juxta Apostolum : *qui* [eucharistiam] « *indigne sumit, judicium sibi manducat* « *et bibit* » (col. 1068).

22. *De Algero* († 1130)

Profundius autem Algerus noster, catholici dogmatis integerrimus assertor, non solum omnibus et excommunicatis et haereticis sacerdotibus agnoscit potestatem valide sacrificandi (*De sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 3, c. 9-12, P.L. 180, 841-847; cf. *De misericordia et justitia*, pars 3, c. 54 et 83, col. 956 et 965 sq.), sed etiam, quod plane notatu dignum est, rationem intrinsecam tangit, cum scribit : « Cum igitur ex catholica Ecclesia « sint omnia sacramenta dominica, nullo « excepto, etiam apud haereticos, qui « etiam ex ea parte Ecclesiae connectun- « tur, quia ea rite celebrant, quis dubitet, « SACRAMENTUM SACRIFICII DIVINI, UBI- « CUMQUE FIAT, INTRA ECCLESIAM ESSE, « cum sit de Ecclesia » (c. 9, col. 842) ? En quippe solutionem omnium difficultatum initio hujus capitis positarum, ut infra amplius disputabitur.

23. *De Honorio Augustodunensi* († 1135)

Interea Honorius Augustodunensis scribebat in *Gemma animae*, l. 1, c. 169 (P.L. 172, 596) : « In Ecclesia « catholica legitime sacrificatur, et extra « hanc nullum sacrificium a Deo accep- « tatur. » Immo superius scripserat : « In UNITATE TANTUM ECCLESIAE hoc sa- « cramentum conficitur (c. 10, col. 547). Quibus verbis forsan, benigniore interpretatione usus, censueris illum idem enuntiasse quod modo ab Algero pronuntiabatur : ubicumque scilicet hoc sacramentum fiat, fieri intra Ecclesiam. At praecludit omnem istiusmodi intellectum, id quod ipse in suo opere quod inscriptum est *Eucharisticon*, scribit : « Non minus per flagitiosissimi, in Ecclesia « dumtaxat catholica constituti, quam « per sanctissimi ministerium hoc corpus « conficitur... Extra Ecclesiam autem, « scilicet AB HAERETICIS, a Judaeis, a « gentilibus, NEC HOC SACRAMENTUM PER- « FICITUR, nec munus oblatum accipitur. « Simoniaci tamen, qui quidem inter « haereticos censentur, sed tamen fide in- « tegerrima catholicis admiscentur, per « fidem Trinitatis Christi corpus confi- « ciunt » (*Eucharisticon*, c. 6, P.L. 172, 1253). Ubi noster Honorius, retrogressus, ni fallor, ultra limites a sancto Petro Damiano positos, implicite abjudicat virtutem consecrandi illis haereticis, qui fide Trinitatis careant.

Excludens autem a confectione corporis Christi istiusmodi haereticos, non tamen excludit excommunicatos, ut tales, siquidem de excommunicatis agens simoniacis, in *Elucidario* (si tamen ipse est Elucidarii auctor) scribit : « Conficiunt « corpus Domini tales ? Quamvis damna- « tissimi sint, tamen per verba quae reci- « tant, fit corpus Domini » (*Elucidarium*, l. 1, c. 30; cf. n. 29. P.L. 172, 1129-1130).

24. *De Hugone Victorino* († 1141)

Hugo Victorinus, vel fortasse quidam ejus discipulus auctor *Quaestionum et decisionum in epistolas Pauli*, 2, 102 (P.L. 175, 532), severior est, dum scribit : « Licet aliqui sint vita pravi, si intus sint « nomine et sacramento, creduntur quod « vere consecrant : QUI AUTEM EXCOMMU- « NICATI SUNT, ET DE HAERESI MANIFESTE « NOTATI, NON VIDENTUR HOC POSSE. »

25. *De Roberto Pullo* († 1146)

Nihil de haereticis aut schismaticis aut excommunicatis[1] sacerdotibus habet Ro-

1 Quoad tales vix quidquam recte concluseris ex l. 8, c. 6, col. 968, ubi de consecra-

bertus Pullus in *Sententiarum* suarum libris. At suspensis et degradatis inamissibilem defendit sacerdotii potestatem : « Fit tamen ordinatis suspensio ; fit « etiam, cum nimia est culpa, degradatio... Neutra potestate sacramenti privat ; utraque ab officii exercitio alienat : sed ab usu semovet altera minus, « altera diutius... Dum autem sententia « suspensionis aut degradationis manet, « quid, si officium interdictum agatur ? « Utique propter potestatem quae non « aufertur, sicut boni ita quoque et pro- « hibiti videntur sua uti posse, verum « malo suo omniumque qui INTUS ITA « SUNT, UT PROHIBITIONEM CONTEMNANT » (*Sentent.*, l. 7, c. 14. P.L. 186, 927).

26. *De Ruperto Tuitiensi* († 1135)

Non satis aperit suam mentem, dum ait Rupertus : « *In loco*, inquit [Moyses], « *ubi offertur holocaustum*, id est, in catholica Ecclesia, extra quam non est habere « vel accipere Sancti Spiritus incendium, « *immolabitur coram Domino.* Alioquin, « si alias, si in aliquo haereticorum conventiculo immoletur, non est hostia pro « peccato, non est corpus quod traditum « pro nobis, non est sanguis qui fusus est « pro peccatis totius mundi... Immunda « Judaeorum vel haereticorum sunt conventicula, ubi, sicut jam dictum est, « nec debet, nec potest mactari haec hostia sancta » (*In Levitic.*, l. 1, c. 32. P.L. 167, 778). Abjudicatne haereticis ille omnem realitatem corporis ac sanguinis dominici, an utilitatem demum (quatenus ipsis scilicet corpus sanguisve sui sacrificii non sit hostia pro peccato, nec dici possit traditum pro ipsis, fusum pro ipsis salutis pretium, non ausim equidem determinare.

27. *De Radulpho Flaviacensi* († 1157)

Patitur certe benigniorem interpretationem istud Radulphi Flaviacensis : « Sed et Sancta Ecclesia altare nobis « est ; sola nempe esse dignoscitur, in « qua Domino pie sacrificatur. MUNUS « VERO NON RECIPITUR, QUOD EXTRA EAM « OFFERTUR » (*In Levitic.*, l. 1, c. 1, Coloniae, 1636, p. 2).

28. *De Hugone Ambianensi* († 1164)

Omni dubitatione caret sententia Hugonis dicti Ambianensis, primum Radigiensis abbatis, deinde archiepiscopi Rothomagensis ; quam promebat in libro quinto suorum *Dialogorum* : « Non om- « nium est altaris mysteria celebrare... « In his nemo suscipitur, nisi qui more « apostolico ad agenda mysteria conse- « cratur. Ei autem cui Christus per Eccle- « siam consecrandi officium tradit, ipsi « Christus, si quando expedit, per Eccle- « siam officium subtrahit, et ne ministret « interdicit. Aliquando etiam deponit aut « a sorte fidelium excommunicando deji- « cit. Quem itaque Christus per Ecclesiam « DEPONENDO et EXCOMMUNICANDO destituit ab officio, si in sacramentis ministrare praesumit, qui JAM MINISTER NON « EST, NIHIL FACIT » (*Dialog.*, l. 5, c. 11. P.L. 192, 1204). Excommunicatis ergo, atque etiam exauctoratis, putat Hugo noster ademptam a Christo per Ecclesiam efficaciam consecrandi eucharistiam ; ademptam dico tamdiu, quamdiu non est sublata sententia aut excommunicationis aut exauctorationis.

tione agitur tantum facta ab indignis. « Non « ab aliis quam sacerdotibus, neque ab ipsis « contra statutum Ecclesiae accedentibus, altaris sacramenta conficiuntur. Possunt quidem INDIGNI VITA conficere, sed necesse est « ritum ecclesiasticum servare. Indigni namque, licet damno suo, attamen conficiunt, sed « numquam aliter nisi conficiendi disciplinam « aemulentur. Et quidem ita mihi videtur. » Negatur sane tolli indignitate vitae efficacia consecrandi ; at tollaturne aliunde, puta ex vitio haereseos vel schismatis, quo alienatus ab Ecclesiae unitate jam non fuerit intus, sed foris, parum inde collucet. Quare videtur indebite aut certe gratuito extendisse hujus loci vim J. de Ghellink, scribens : « Robert « Pulleyn reconnaît valides les consécrations « faites par tous les prêtres » (D. T. C., art. *Eucharistie au* XII[e] *s. en Occident*, col. 1285). Revera nil pronuntiat isto loco Robertus Pullus, nisi illud demum, quod ab omnibus catholicis Doctoribus semper est uno ore proclamatum sine exceptione ulla.

Cujus assignat rationem, quia aliter deperiret ordo ecclesiasticus : « Quod si « quislibet in sacramentis ministrare pos- « set, si bene consideres, status omnis « Ecclesiae deperiret. Quid namque clavis « Ecclesiae ageret, si in sacramentis unus- « quisque, prout vellet, agere posset ? « Quid ligaret ? Quid solveret ? Sed velit « nolit iniquorum pravitas, Christus im- « perat : clavis ejus, Ecclesiae commissa, « solvit et ligat, ministros sacramentorum « ordinat, deponit, reconciliat » (*Ibid.*).

Cum autem admirationem excitasset non parvam istud effatum, rescripsit Hugo Matthaeo, Albanensi episcopo cardinali, amico suo, cui librum dicaverat, epistulam, qua sententiam suam defenderet, adhibita distinctione inter sacramentum ordinis quod ab excommunicatis et exauctoratis retinetur, et ordinis officium, quo, inquit, privantur (P.L. 192, 1227-1230). « Unde (ipse concludit) miramur, « quosdam dicere de excommunicato seu « deposito sacerdote, quod, quia retinet « semel acceptum ordinationis suae sacra- « mentum, habeat, et dum praesumit, « in consecrando effectum[1] » (col. 1229-1230).

Postea autem, libris sex *Dialogorum* prius editis addito septimo, sententiam suam Hugo communivit argumento jam ex necessaria Spiritus Sancti cooperatione petito : « De sacramentis pro fide catholica « disseramus... Divina sunt ista, non hu- « mana : gratiae beneficia, non naturae « potentia, opus Spiritus Sancti, non me- « ritum hominis. Oportet igitur Ecclesiae « ministrum in his agendis Sanctum habere « Spiritum. In isto namque fiunt omnia, « sed singulari opere sacramenta in isto « sunt rata, sunt efficacia ; sine isto sunt « cassa, sunt inutilia. Videat ergo mi- « nister, ne sit solo nomine minister : sit « minister Christi, ut habeat Spiritum « Christi, quem nisi habuerit, non potest « esse Christi... Qui autem non est « Christi, non habet utique Spiritum « Christi, sine quo nequaquam possunt « sacramenta fieri. Quapropter excommu- « nicati, schismatici, depositi, contra Ec- « clesiam catholicam erecti, seu palmi- « tes a vite praecisi, quomodo possunt « agere in sacramentis ? Scio alia alios « dixisse, alia scripsisse. Quomodo bene- « dicit, cui Christus maledicit ? Quomodo « consecrat, quem Christus exsecrat ? » (*Dialog.*, l. 7, c. 13, col. 1244). Nec tamen differt hoc argumentum, si rem penitius inspicias, a superiore : nam non agitur hic de Spiritus inhabitatione per gratiam, sed de Spiritus communicatione in ordine ad effectus sacramentales : quam censetur Christus impertiri solis sacerdotibus intra Ecclesiam constitutis et ab Ecclesia auctorizatis, ut supra.

29. *De Gerhoho Reichersbergensi* († 1169)

In sacramentis distinguit Gerhohus Reichersbergensis cum multis mediaevalibus post Augustinum (*Serm.* 71, c. 19, n. 32. P.L. 38, 463) et Leonem M. (*Ep.* 159, c. 7. P.L. 54, 1139), duo elementa : unum quod nomen habeat *formae*, alterum, quod nomen habeat *virtutis* (*Liber epistolaris ad Innocentium II.* P.L. 194, 1394. *Tractatus adversus simoniacos*, c. 19. P.L. 194, 1353). Formam etiam vocat *ipsum sacramentum*[2] ; virtutem autem, *rem sacramenti* (*Liber epistolaris*, col. 1404).

Rursus eodem sensu distinguit *effectum passive dictum*, « quo nomine notamus « non eum effectum quem efficiunt, sed « quo efficiuntur sacramenta, ut sint sa- « cramenta, id est rerum sacrarum si- « gna » (*Tract. adversus simoniacos*, c. 23. P.L. 194, 1358), et *effectum active dic-*

1. Interim sarta tecta servat illa duo : 1° Semel ordinatum, si post officii privationem ad officium restituatur, non debere reordinari (col. 1229). Immo censet, per dispensationem Ecclesiae, ordinationem factam ab eo qui careat officio, postea haberi ratam (*Dial., loc. cit.*, col. 1204), attenta forte nescio qua sanatione in radice. 2° Citra excommunicationem aut exauctorationem, nulla indignitate ministri laedi ordinis exercitium (*Ep.*, col. 1228).

2. Consentanee rursus ad Augustinum, *In Johan.*, tr. 26, n. 11. P.L. 35, 1611.

tum, « quem efficiunt sacramenta » (*Ibid.*, c. 21, col. 1354).

Quo posito, duo genera distinguit sacramentorum : unum quod exercetur « CIRCA « CREATURAM RATIONALEM... ut sacra« mentum ordinationis et baptismi » ; alterum quod exercetur « CIRCA RES INA« NIMATAS... ut illa sacra signa, quae, ver« bis divinis accedentibus ad elementa, « fiunt in consecratione chrismatis... vel « etiam panis et vini » (*Tract. adv. simoniac.*, c. 31, col. 1367 ; cf. *Lib. epist.*, col. 1405).

Primi generis quidem sacramenta, ministrata ab haeretico illis qui ea « mente « catholica » (id est « bona fide », sine admixtione haereseos) suscipiant, decernit esse valida et fructuosa, seu, ut ipse ait, rata quoad formam et virtutem, quoad sacramentum et rem sacramenti, quoad effectum et passivum et activum (*Lib. epistol.*, col. 1403-1405 ; *Tract. adv. simoniac.*, c. 21, col. 1355-1356).

Ministrata autem ab haeretico[1] haereticis, rata quidem esse concedit quoad formam, seu sacramentum, seu effectum passivum, sed negat esse rata quoad virtutem, vel rem, vel effectum activum, nisi accedente reconciliatione cum Ecclesia (*Lib. epist.*, col. 1403-1405 ; *Tract. adv. simoniac.*, c. 23, col. 1357-1358).

His de primo genere sacramentorum constitutis, similiter concedit in sacramentis alterius generis, quae scilicet exercentur circa res inanimatas, ratum esse quoad formam, quoad sacramentum, quoad effectum passivum, id quod faciunt haeretici[2]; sed observat, non posse reperiri unde accedat ratihabitio secundum virtutem, vel rem, vel effectum activum (*Lib. epist.*, col. 1406 ; *Tract. adv. simoniac.*, c. 23, col. 1357-1358). Etenim talis ratihabitio in superioribus sacramentis accedebat sive ex mente catholica suscipientis, sive ex reconciliatione cum Ecclesia. Talis autem fons ratihabitionis fingi nullus potest, ubi sacramentum exercetur circa res inanimatas, quae neque mentis catholicae neque reconciliationis vel poenitentiae sunt capaces (« in quibus nec est « nec esse potest mens catholica » : *Lib. epist.*, col. 1405 ; « illae creaturae poeni« tentiam agere non poterunt » : *Tract. adv. simoniac.*, c. 31, col. 1367). Ergo nequit eucharistia haereticorum, esse rata quoad virtutem, aut rem, aut effectum activum (*ibid.*).

Jam vero quid in eucharistia pertineat ad formam vel effectum passivum, quid pertineat ad virtutem vel effectum activum, satis mirabiliter dividit Gerhohus. Conversionem enim panis et vini in corpus et sanguinem Christi collocat non in passivo effectu (« quo efficiuntur sacra« menta, ut sint sacramenta »), sed in activo (« quem efficiunt sacramenta » : *Tract. adv. simoniac.*, c. 23-24, col. 1358-1360). Passivo autem effectui (ut supra definito) assignat tantum vim inditam pani et vino significandi immediate[3]

1. Haereticum intellegit Gerhohus non occultum, sed manifestum et damnatum (*Lib. epist.*, col. 1402 ; *Tract. adv. simoniac.*, c. 26, c. 1362).

2. Doctrinam Gerhohi circa hoc punctum non videtur plane assecutus L. Saltet (*op. cit.*, p. 278) : quare quae sequuntur *(ibid.)* de eucharistia, nec plane perspexit.

3. Immediate, dico, id est non mediante corpore Christi, cui in eucharistia contento denegat Gerhohus omnem rationem sacramenti quamlibet, etiam respectu incorporationis nostrae (*Tract. adv. simoniac.*, c. 29, col. 1366-1367). Sed per se et directe demum panis et calix sensibilis censentur apud Gerhohum significare nostram incorporationem ad Christum in Ecclesia, propter pluralitatem elementorum in unum redactorum. Qua de doctrina dicetur infra, in nostro libro tertio (Elucid. XLIII coll. Elucid. XL). Parallelo autem modo, admittit etiam elemento sensibili significari directe, aeque ac unitatem ecclesiasticam, etiam ipsum corpus Christi proprium ; quare sacramentum ab haeretico confectum, sicut vocatur a Gerhoho sacramentum unitatis ecclesiasticae, ita etiam sacramentum corporis Christi : immo « specietenus (inquit) et sacramento« tenus dici potest corpus Christi » (*Liber contra duas haereses*, c. 6. P.L. 194, 1183 ; cf. 1154). In theologia igitur Gerhohi datur quoddam verum sacramentum eucharistiae, vacuum quidem corpore ac sanguine Christi, attamen praeditum sua propria ac sacramentali significatione respectu et unitatis ecclesiasticae compaginandae et corporis sanguinisque Christi in cibum traditi. Porro tale sacramentum adjudicat sacerdotibus haereticis.

unitatem ecclesiasticam *(ibid.)* simul ac corpus sanguinemque Christi (ceterum absentis).

Unde fluit conclusio : Haeretici[1] in sua eucharistia, quantumvis in genere sacramenti vera, tamen carent corpore et sanguine Christi[2] (*Lib. epist.*, 1406-1407 ; *Tract. adv. simoniac.*, *loc. cit.* ; cf. *Liber de gloria et honore Filii hominis*, c. 14, n. 4, col. 1123).

Carentes autem corpore et sanguine Christi, quod unum nobis est sacrificium, simpliciter et absolute carent sacrificio (*Lib epist.*, *loc. cit.* et *Tract. adv. simoniac.*, c. 29, col, 1366 : « nullum eos convin- « cunt [Patres] habere sacrificium verum, « quanquam habeant sacramentum ve- « rum et integrum, sacrificando secun- « dum ritum ecclesiasticum »).

Quae doctrina adeo nostro Gerhoho visa est obtinere et necessitatis robur et firmamentum auctoritatis, ut ipsius negationem tanquam haereticam traduceret. Sic enim in *Prooemio* sui *Libri contra duas haereses* : « In praesenti « opusculo sermo mihi est permaxime « contra duas haereses partim antiquas, « partim novas. » Una cum Nestorio detrahit Christo ex Virgine nato. « Al- « tera non aufert Christo, sed nimis tri- « buit antichristo, dum sacerdotes, officio « divino[3] seu communione christiana « synodaliter privatos, asserit in officiis « praesumptis, Ecclesia contradicente, « conficere posse corpus Christi » (col. 1162-1163)[4].

30. *Auctor « Epistolae de sacramentis Haereticorum »*

Ad hanc aetatem plus minus pertinet incerti auctoris *Epistola de sacramentis haereticorum*, in qua propter triplicem defectum, et efficaciae sacerdotalis, et unitatis ecclesiasticae, et vitalis Spiritus Christi, dicuntur haeretici atque schismatici conficere non posse Christi corpus.

Primo quidem de efficacia sacerdotali : « Separati ergo quid habent, vel quid « agunt ? Numquid habent sacerdotium ? « Sacramentum sacerdotii intus [i. e. in « Ecclesia] accepti habent, sed foris [i. e. « extra Ecclesiam] potestatem et virtutem « amiserunt... Quia sacerdotii virtutem « amiserunt, luce clarius est, quam con- « sequenter nec corpus nec sanguinem « Christi conficiant » (*Libelli de lite*, p. 15).

Pergit deinde de unitate ecclesiastica : « Sacramentum unitatis nonnisi in unitate « sive ab unitate conficitur. Ut enim ait « apostolus, *unus panis, unum corpus multi* « *sumus*. Quid ad hoc dicis, Osee ? *Come-* « *dent*, inquit, *et non saturabuntur*. Utique, « quia non est essentialiter caro et san- « guis Christi quod a talibus, et foris, « conficitur » *(Ibid.)*[5].

Tandem de Spiritu Christi haec habet : « Membra Christi non sunt, et Spiritu « Christi carent, et foras missi, aridi « sunt, et fructum non faciunt, quia « sine Christo sunt, qui dixit : *Sine me*

1. Quod dicit de haereticis, negat prorsus de malis sacerdotibus ab Ecclesia toleratis. Vide quomodo repellat calumniam sibi illatam ab adversariis circa ministrationes indignorum (*Lib. epist.*, col. 1406-1407). Unde habebis, quo sensu intellegendus sit detestari sacrificia fornicantium (col. 1415, 1416, 1419).

2. Quanquam vero carent reali praesentia Christi, tamen rei sunt corporis et sanguinis Domini. Immo « graviore eos reatu constat « adstringi » prae sumentibus indigne veram Domini carnem atque sanguinem (*Tract. adv. simoniac.*, c. 27, col. 1363-1364). Vide quam dissonet a Bernoldo citato supra.

3. Unde apparet, exauctoratos in eadem cum excommunicatis conditione ab ipso haberi quantum ad celebrationem eucharisticam. Nec mirum, siquidem, c. 3 istius opusculi (col. 1172-1175), allegat epistulam Hugonis Ambianensis ad Matthaeum Albanensem, de qua supra.

4. Quanquam in *Commentario in Ps.* 25, 4, habet : « Utrum vero conficiatur Christi corpus « in eorum missis necne, superfluum est inves- « tigare, cum sine dubio illud constet, quod « ipsae tales missae sub excommunicatione « sunt interdictae. » P.L. 193, 1160 ; cf. *in Ps.* 10. P.L. 193, 789-792.

5. « De unitate vero Ecclesiae, quae cotti- « diana vota veri corporis et sanguinis Christi « offert Deo, dicit Psalmista : *Edent pauperes* « *et saturabuntur* » etc. *(ibid.)*.

ihil potestis facere... Manus haeretico-
um et schismaticorum arida est, ut
ihil conficiat » (p. 16).

/ide quam arcte illae rationes inter se
aereant : cum contineantur (1) incor-
atione nostra ad Christum per Spiri-
ı Sanctum, (2) in Ecclesia, (3) cujus
us est potestas sacerdotalis respectu
poris et sanguinis Christi.

31. *De Gratiano* († 1158)

llo fere tempore juristarum studia
ere coeperunt, eminente inter alios
ıtiano. In cujus *Decreto*, ad haereti-
quod attinet sacerdotes, contraria
er se dicta conflictantur. Sic enim in
ısa 1, *quaest.* 1, c. 75, super illud
ronymi : « Aut sacrificandi licentiam
tribuas, cujus baptisma probas, aut
eprobes ejus baptisma, quem non
utas esse sacerdotem », haec adnotat
: « Sed hoc de peccatore tantum
ıtholico, non de haeretico intelligen-
um est... Alioquin si de haereticis
ictum intelligeretur, ipse sibi contra-
us esset, cum dicat ad c. 5 *Amos* :
ıcrificia eorum odit Dominus » (P.L.
, 513). Qua restrictione usus, videtur
e ab haeretico sacerdote removere
iditatem consecrationis eucharisticae.
ıttamen paullo infra, ejusdem quaes-
ıis c. 97, verbis ipsius Algeri supra-
datis (*De miseric. et justit.* p. 3, c. 54.
. 180, 956), omnino sacerdoti haeretico
aciam illam concedit, explicato in
m sensum ipso Hieronymo (col. 527-
).

nterim vero de exauctoratis sacer-
ibus mentem suam clare aperuit,
bens : « Suspenso enim vel deposito
ıcerdote, nulla ei relinquitur potestas
ıcrificandi » (col. 525). Quod igitur
cedit haereticis, negat exauctoratis.

'ost ipsum alii in alias juristae senten-
[1] abiere, donec perveniretur ad sanc-
ı Raymundum de Pennafort,
peremptorie in sua *Summa* (l. 1,
tit. 5, § 6, ed. Veronensis, 1744, p. 38)
haec scripsit : « Regulariter teneas, quod
« episcopi et sacerdotes, sive sint EX-
« COMMUNICATI, sive HAERETICI, sive DE-
« POSITI, vera conferunt sacramenta, dum
« tamen in forma Ecclesiae » (cf. tit. 6,
n. 3, p. 46). Rursusque : « Quantum ad
« veritatem sacramentorum, non refert
« a quo [sacerdote] conficiantur, dum-
« modo in forma Ecclesiae conficiantur
« et conferantur. Peccant tamen, qui
« indigne conficiunt vel celebrant ; pec-
« cant etiam, qui accipiunt ab haereticis
« vel schismaticis aliquod sacramentum,
« praeter baptismum in articulo mortis,
« cum catholicus non invenitur a quo
« accipiatur » (l. 3, tit. 24, n. 5, p. 306).

32. *De Petro Lombardo*
aliisque Sententiarum compilatoribus

Interim theologi non minus confusi sunt mente quam juristae.

Sic Petrus Lombardus sibi est, aeque ac Gratianus, contrarius. In quarto libro suarum *Sententiarum*, distinctione 13, n. 1 (P.L. 192, 868), sequitur sententiam negantium validitatem. « Illi vero qui « excommunicati sunt vel de haeresi ma- « nifesta notati, non videntur hoc sacra- « mentum posse conficere, licet sacerdotes « sint, quia nemo dixit in ipsa consecra- « tione [intellege in ipsa consecrationis « precatione seu canone] *Offero*, sed *Offe-* « *rimus*[2], quasi ex persona Ecclesiae. » Propter defectum igitur connexionis cum Ecclesia, tales non sacrificant, utpote per quos non offerat Ecclesia : ex cujus parte nisi offeras sacrificium, sacrificium non offertur ; nec proinde sacramentum conficitur.

Sed jam in distinctione 25 ejusdem libri propendet non parum in sententiam Algeri, cujus verba fere prosequitur (*Sentent.*, l. 4, dist. 25, n. 3, col. 907), immo, in sequente paragrapho, statuto primum simoniacos esse haereticos (« De simonia- « cis vero non est ambigendum quin sint

. Quarum nonnullas exhibet L. Saltet
. *cit.)* ex fontibus etiam ineditis.

2. Agitur de precatione *Unde et memores... offerimus* etc.

« haeretici »), deinde tamen, auctoritatem ipsis asserit sicut conferendi ordines, ita eucharistiam consecrandi. Addit interea : nisi sint degradati (« tamen ante « sententiam degradationis et ordinant et consecrant », col. 907) ; unde colligitur tandem, exauctorationem, potius quam haeresim, valuisse apud Lombardum ad inhibendam potestatem sacrificalem.

Firmius et clarius auctor *Summae Sententiarum* olim Hugoni Victorino adscriptae (tract. 6, c. 9. P.L. 176, 146) : « Aliis « videtur quod nec excommunicati, nec « manifeste haeretici conficiunt. Nullus « enim in ipsa consecratione dicit : *offero*, « sed : *offerimus*, ex persona totius Eccle- « siae. Cum autem ALIA sacramenta extra « Ecclesiam possint fieri, haec nunquam « extra, et istis videtur magis assentien- « dum. »

Pariter magister Bandinus : « Con- « ficitur autem hoc sacramentum a quo- « libet sacerdote secundum ritum et « intentionem conficiendi, utique si in « unitate Ecclesiae consistit. EXCOMMUNI- « CATI ERGO, VEL HAERESI MANIFESTA « NOTATI, non conficiunt hoc sacramen- « tum » (*Sententiarum* l. 4, dist. 13. P.L. 192, 1097).

Idem tenuit Petrus Pictaviensis : « Cum cetera sacramenta extra unitatem « Ecclesiae celebrari possint, illi qui ex- « communicati sunt, non possunt hoc « sacramentum conficere quia non dicunt « *offero*, sed *offerimus*, quasi ex persona « Ecclesiae » (*Sententiarum* l. 5, c. 13. P.L. 211, 1257).

33. *De Auctore* « *Tractatus de Schismaticis* »

Late et fuse auctor anonymus *Tractatus de Schismaticis* (*Libelli de lite*, t. 3), conscripti exeunte anno 1165 vel paulo post[1], contra et fautores Paschalis III antipapae et eos qui inter illum et legitimum pontificem Alexandrum III, « neutri » manere volebant, utrisque abjudicat, utpote schismaticis et haereticis, virtutem conficiendi hoc sacramentum (*op. cit.*, t. 3, p. 112-113 et 123) : eo quod Christus panem et vinum « in verum corpus suum « et sanguinem tantummodo apud catho- « licos transmutat » (p. 126). Nec tamen illi, merum panem et vinum tractantes, non sunt dicendi rei corporis et sanguinis Domini. Immo nec ipsi dijudicant corpus Domini : siquidem « non minus « est sacrilegum dicere corpus Christi, « quod non est corpus Christi, quam « negare esse corpus Christi, quod verum « est corpus Christi » (p. 128). Ingeniose certe confectum argumentum.

34. *De Petro Cellensi* († 1180)

Petrus Cellensis in septimo suo sermone *in coena Domini* (*Sermo* 40. P.L. 202, 769) decem doctrinae capita vult praedicari super tecta de sacramento eucharistiae : quorum decimum hoc est : « Decimo, de peccatore sacerdote aut hae- « retico, utrum conficiant corpus Christi. « Quantumcumque peccator sit sacerdos, « dum intus est, nomine sacramenta con- « ficit, sed non vita[2], quia non in merito « consecrantis, sed in verbo efficitur Crea- « toris, et nihil a bono majus, nihil a malo « minus percipitur. HAERETICUS, QUIA « EXTRA ECCLESIAM EST, NON CONFICIT. »

35. *De Innocentio III* († 1216)

Nescio annon idem senserit Innocentius III scribens : « Licet autem unus « tantum offerat sacrificium, pluraliter « tamen dicit *offerimus*, quia sacerdos non « tantum in sua, sed IN TOTIUS ECCLESIAE « PERSONA SACRIFICAT. QUAPROPTER in « sacramento corporis Christi nihil a bono « majus, nihil a malo minus perficitur « sacerdote, DUMMODO SACERDOS CUM « CAETERIS IN ARCA CONSISTAT, et for- « mam observet traditam a columba »

1. Vide J. Dietrich et H. Boehmer *Libelli de lite*, t. 3, p. 110.

2. Puto legendum esse : « dum intus est no- « mine, sed non vita, sacramenta conficit, quia « non in merito » etc.

(*De sacro altaris mysterio*, l. 3, c. 5. P.L. 217, 844)[1].

36. *De Gulielmo Altissiodorensi*

Veram autem doctrinam dat Gulielmus Altissiodorensis (*In quatuor libros Sententiarum*, fol. 284) : « Quaeritur « utrum haeretici ordinent aut non, et vere « conficiant... Si haeretici servent for« mam Ecclesiae, sive sint praecisi, sive « non, vera sacramenta dant. »

37. *De Gulielmo Parisiensi*

Gulielmus vero Parisiensis in Tractatu suo *De Sacramento ordinis*, c. 6. (t. 1, p. 539), distinctione facta inter sacerdotem degradatum, cui putat penitus esse ademptum characterem sacerdotalem, et sacerdotem minime exauctoratum seu degradatum, transeuntem vero ad falsam sectam, ubi factus exsors unitatis ecclesiasticae attentat nihilominus celebrare, de hoc altero ita scribit : « Apostatae vero « et haeretici, publice et manifeste ab « Ecclesia recedentes, et ad Synagogam « Satanae, hoc est ad quamcumque sec« tam perfidiae transeuntes, nec sacer« dotes Ecclesiae catholicae, sed potius « Synagogae Satanae se gerentes, et exse« crandas ejus petitiones, et sacrilego « ministerio suo, ut supra diximus, et ore « gestantes, NIHIL AGUNT EX PARTE EC« CLESIAE CATHOLICAE, cujus neque nun« tios neque ministros se gerunt, sed nec « ex parte perfidae factionis, ex cujus « parte loquuntur, cujus vocem Deus « omnino non audit, sed tanquam corvi« nam, tanquam sibilum serpentum ex« horret et exsecratur. »

Sicque patet, secundum Gulielmum, duobus ex capitibus posse deficere in aliquo homine sacerdotale officium : primo quidem, ex revocatione procurationis, ut in exauctoratis[2] ; secundo autem, ex defectu ratihabitionis ecclesiasticae, ut in haereticis. « Manifestum est, quod duo« bus concurrentibus perficitur sacerdotale « officium, vel ministerium, videlicet rati« bitione Ecclesiae, et procuratoris officii « limitata executione ; et similiter duabus « de causis irritatur et evacuatur, hoc est « a parte Ecclesiae, et a parte ministe« riorum » *(ibid.)*, scilicet abolitorum.

38. *De principibus Scholae Veteris*

Sed jam magna nostrae scholae parisiensis lumina coruscare coepere ; quorum principes, B. Albertus Magnus (4, D. 13, 11, art. 30)[3], S. Bonaventura (4, D. 13, art. 1, q. 1), S. Thomas (3 S. 82, 7 et 8), uno ore[4] pronuntiavere, omnem quemlibet sacerdotem valide conficere corpus Christi, si conficere intendens servet formam Ecclesiae. Nec dubitavere, quin, consecrans valide, vere sacrificaret omnis talis sacerdos.

39. *De Scoto*

At Scotus postea, concessa et haereticis et degradatis valida consecratione (« quod omnis sacerdos potens proferre « verba cum intentione possit conficere », 4. D. 13, 2), attamen, quia « sacerdos non « offert in persona propria, sed in persona « Ecclesiae, cujus est minister : hic autem « est praecisus ab ea » *(ibid.)*, ideo ab illis removit omnem sacrificationem seu hostiae oblationem[5] ; addita hac ratione :

1. Cf. c. 9, col. 848 : « Extra unitatem Eccle« siae non est locus offerendi sacrificium unitatis. »

2. « Si revocatum EX TOTO sit procuratoris « officium, manifestum est, quod ea, quae in « jure consistunt tantum si per ipsum procurata « fuerint, ipso jure nulla sunt » *(ibid.)*. Non aequiparat Gulielmus exauctoratis, seu depositis, seu degradatis, sacerdotes suspensos aut etiam excommunicatos ; quorum, ut talium, negat irritari ministerium, sed prohiberi tantum *(ibid.)*.

3. « Haec solutio est communis » *(loc. cit.)*.

4. Conferatur Alexander Alensis (*Summa Theologica*, p. 4, q. 10, n. 5, a. 1, § 6).

5. Immerito Hiquaeus, in *Quaestione* sua quarta super hunc textum Doctoris, contendit oblationem hic accipi pro oblatione mere caerimoniali, nec ullatenus sacrificali, qua suppositione stultificaretur quaestio Doctoris. Recte Renz (*Geschichte des Messopfer-Begriffs*, 1901, t. 1, p. 791) : « Diese Unterscheidung in wesent« liche und ceremonielle Oblation macht Hi« quäus, aber nicht Scotus. » Re quidem vera dependet in sua solutione et argumentatione

« Oblatio non pertinet ad rationem consecrationis » *(ibid.)*; quod, si de distinctione formali rationum dictum sit, est verum; sin autem de separabilitate, ut placuit Scoto, falsum est. Nostra enim oblatio, ut dictum est, consecratione ipsa perficitur; manetque una ab altera indivulsa : siquidem in immolatione symbolica consistit oblatio ipsa vere immolatae olim hostiae.

Ceterum hanc solutionem Scoti nemo fere retinuit, sed omnes[1] in ea sententia mansere, quae fuerat Petri Damiani, vel alterius cujuspiam, scribentis : « Eucharistiae sacramentum semper idem est sacrificium » (*Expositio canonis missae*, 16. P.L. 145, 890) : « adeo ut quicumque possit consecrare, possit et sacrificare.

Utrumque autem et sacramentum et sacrificium attribuendum esse omnibus sacerdotibus, etiam maxime ab Ecclesia reprobatis, consentientium Doctorum ita crevit auctoritas et numerus, ut scriberet Thomas ab Argentina († 1357) : « Teneo praedictam conclusionem eo, « quod satis communiter a doctoribus « teneatur » (4 D. 13, a. 2, Venetiis, 1564, f. 111). Paulo post vero Nicolaus de Ausmo, in libro qui dicitur *Supplementum* (incun. f. 135 a) : « Etiamsi fuerit « haereticus, excommunicatus aut degra- « datus, si celebrat, conficit quivis ad « suam perditionem... : theologi commu- « niter. »

Deinde, facta unanimitate, paulatim veteris discordiae memoria deleta est adeo, ut viri etiam eruditi non dubitarent scribere, utputa Hartzheim (*Concilia Germaniae*, t. 3, Col. Agrip., 1760, p. 234) : « Si quis presbyter in haeresim « aut schisma lapsus fuisset, utut excom- « municatus, eucharistiam valide potuisse « conficere, nemo unquam negavit. »

Immo vero constat bifariam fuisse a veteribus solutam quaestionem de sacrificiis sacerdotum sive praecisorum, sive exauctoratorum : aliis evacuantibus fructum solum, aliis evacuantibus etiam validitatem sacrificii.

Qui negaverunt validitatem, in praecisis attenderunt potissimum ipsum DEFECTUM CONNEXIONIS CUM ECCLESIA, in qua una per Spiritum Sanctum sacerdotium exercetur Christi : siquidem Christus aliquid unum est cum Ecclesia, et omnis actio sacerdotalis oblatiove sacrificalis, sicut est Christi, ita est Ecclesiae.

In exauctoratis autem (quanquam et veris adhuc sacerdotibus et in communione Ecclesiae versantibus) auctoritatem sacrificii ecclesiasticam desiderari putaverunt, quasi jam NOLENTE Ecclesia per depositos vel degradatos quidquam sacerdotale agere.

Utrinque igitur deficere videbatur *terminus a quo* omnis validi sacrificii : Ecclesia scilicet.

Jam vero qui tuebantur validitatem, nihilominus connexionem cum Ecclesia necessariam adstruebant, ut Augustinus maxime et Algerus, addentes interea, de Ecclesia esse sacrificia ab illis, qui extra Ecclesiam sunt, celebrata ; immo ipsius Ecclesiae esse sacrificia illa ; quin et intra Ecclesiam proinde, quoad potestatem sacrificam, manere aliquo modo haereticos : et haec est vera solutio, quae nunc est evolvenda.

§ 3. — Solutio quaestionis theologica.

I. Sicut baptizatus vir non potest ita totaliter ejici extra Ecclesiam, ut sit OMNINO *sicut ethnicus et publicanus* ; sed, si legitimum matrimonium inierit, sacramentale erit istud ; et si eucharistiam rece-

Scotus a Petro Lombardo aliisque veteribus magistris, quos supra enumeravimus. Ceterum non diffitebor, videri Scotum habuisse pro proprie sacrificali illam oblationem verbalem, quam nos pro mere caerimoniaria habemus. In quo ei concordarunt nonnulli theologi posteriores citandi infra (Elucid. XXXIV).

1. Utrum revera sacrificet eo quod consecret, non omnes sane consentiunt ; nam, ut notat Suarez (disp. 76, sect. 3, n. 7), « doctores omnes, « qui ponunt rationem sacrificii in sumptione, « vel in aliqua alia actione, quae post conse- « crationem fiat, necessario concedent posse « reipsa separari confectionem sacramenti a

ɔerit, sacramentalis erit communio (quae n ethnico ne cogitari quidem potest) : sic, mmo multo magis, sacerdos, quantum-ris ab Ecclesia praecisus, tamen SERVAT CONNEXIONEM ILLAM MINISTERIALEM, QUA CONSTITUTUS SEMEL A DEO PROCURATOR ECCLESIAE RESPECTU SACRIFICII OFFE-RENDI, MANET ECCLESIAE PROCURATOR IN PERPETUUM[1] : per eum agente Ecclesia quidquid ipse secundum divinitus sibi lemandatae procurationis potestatem at-entaverit, etiam contra fas, agere. Orga-ıum est corporis, et organum manet ; et tiamsi corpus interdixerit organo, aut organum valedixerit corpori, organum ta-nen manet : et quidquid, ut organum, ıgere voluerit, agit ex parte Ecclesiae.

Dices : Sed quomodo per eum agit Ecclesia, per quem non vult agere (ut et legradato intimatur, et multo magis in praeciso intellegitur) ?

Respondeo : non ita renuit Ecclesia, ut omnino non velit. Non vult quidem vo-untate signi ; at voluntatem absolutam ıon habet nihil agendi per tales : siqui-lem Ecclesia non potest quidquam abso-ute velle contra ordinem a Deo positum : ndefectibiliter enim est sancta et Deo idelis Ecclesia. Deus autem conjunxit mbo in ordine ad sacrificium : nequit gitur Ecclesia sancta connexionem velle bsolute rescindere ; sed quantumvis pro-ıibens, quantumvis abhorrens, manet amen obligata sacerdoti et veluti con-ugata. Quod enim Deus conjunxit, ıomo non separet. Quare, quotiescumque voluerit sacerdos, vere offeret ex parte Ecclesiae, nolentis quidem secundum quid, volentis tamen simpliciter per eum offerre.

Igitur, si quaestio sit, quid possit sacerdos ejectus aut dejectus, respondemus cum omnibus hujus aetatis catholicis eum posse valide sacrificare. Addimus interea, ex mente veterum, hoc ideo contingere, quia non deficiat ex parte Ecclesiae *terminus a quo* sacrificalis oblationis.

Sed si quaestio sit, quid de facto agat haereticus, responsio non necessario est eadem. Quanquam enim nunquam deerit suo legato Ecclesia, poterit tamen ipse legatus ita Ecclesiae deesse, ut nolit pro ipsa agere ; sed aut pro se solo, aut (quod verosimilius est) pro secta aliqua perfida dumtaxat velit, praedominante affectu, simpliciter et absolute, ministrum se gerere.

Immo haereticus aut schismaticus omnis FORMALIS ET PERTINAX, debebit, SI SIBI CONSTET, ita erga Ecclesiam affici, ut excludat ejus in sacrificando commercium. Nemo enim ministrum se gerit Ecclesiae verae, nisi implicite saltem velit pro ea, POTIUS QUAM pro sua secta perfida et schismatica, gerere sacerdotium. Hoc enim importat celebris illa voluntas praevalens faciendi id quod est a Christo institutum ut fieret[2]. Haereticus autem aut schismaticus nemo est formalis et pertinax, nisi qui ABSOLUTE anteponit aut opinionem suam veritati fidei, aut voluntatem suam caritati unitatis. Nequit igitur pro Ecclesia agere, nisi, saltem pro momento, implicite sit sibi contrarius, dum praevalet in ipso affectus agendi pro ea, cui affectu habitualiter praevalente alteram anteponit. Quare in illo qui abreptus omnino est odio unitatis, odio scilicet Ecclesiae quae

sacrificio » (cf. supra, Elucid. XXIV, et infra, Elucid. XXXIV). Sed tamen separabilitas ista, ıpud illos, non infert in haereticis magis quam n catholicis ullam separationis necessitatem nter consecrationem et sacrificationem.

1. Ideo est irrevocabilis procuratio, vel inamissibilis deputatio, quia quamvis per ordinaionem hominum (id est praelatorum Ecclesiae) nducta (sive immediate, ut in legitime ordinatis, ive mediate, ut in ordinatis extra unitatem), amen DEO SIGILLANTE fit : cujus sigillum et CHARACTEREM, semel impressum, non est in potestate hominum delere. Quare aeterna est schedula, qua quis in Ecclesiae procuratorem vel legatum, id est sacerdotem, consignatur.

2. Vel secundum aliam locutionem, id quod facit Ecclesia : h. e. id quod, secundum fidem Ecclesiae, est ab agente intendendum. Porro secundum fidem Ecclesiae, ut superius exposuimus, nemo offert sacrificium valide, nisi in quantum intendens offerre ex parte Ecclesiae.

reapse vera est; catholica est, apostolica est, odio dico romanae communionis, non erit mirum, si, sibi constans, affectu etiam praevalente nolit quicquam agere ut minister talis Ecclesiae, sed absolute et solum ut suae sectae officialis[1]. Quo casu nihil aget, nihil in eucharistica celebratione conficiet; quia nequaquam offeret ex parte Ecclesiae: non nolentis, sed nolens[2].

Quod si autem ut minister Ecclesiae catholicae, apostolicae, romanae, agere, quantumvis repugnans secundum quid, tamen voluerit simpliciter, voluntate saltem implicita : tunc aget quidem et conficiet ; sed tunc non offertur sacrificium a separato ut separato, immo offertur ab eo qui est extra (secundum legalem suum statum personalem et habitualem intentionem) sed tanquam exsistente intra (et secundum rationem sui officii vel ministerii vel deputationis inamissibilis, et secundum actualem intentionis suae directionem, seu potius correctionem).

Quare valet axioma veterum : « Veri « sacrificii extra catholicam Ecclesiam « locus non est » : quatenus sacrificium, si est verum, fit ab aliquo, non qua ex parte est *extra*, sed qua ex parte est et manet *intra* : adeo ut semper *intra* sit sacrificium.

Et pro tanto omne sacrificium verum est revera sacrificium Ecclesiae.

Quod inter recentiores theologos insinuavit Suarez, scribens : « Quod si hae- « reticus, vel alius ab Ecclesia exclusus, « illud offerat, quamvis extra Ecclesiam « offerat, SACRIFICIUM TAMEN ECCLESIAE « OFFERT : quod eatenus efficere potest, « quatenus characterem retinet, ratione « cujus aliquo modo ad Ecclesiam per- « tinet » (*De Eucharistia*, disp. 77, s. 2, n. 7)[3]. Per characterem enim deputatus est quis ad hoc ut sit Ecclesiae legatus in

1. Id reapse contigisse aliquando, non est inverosimile ; immo suadent quaedam facta. Praeter alia enim facinora Donatistarum adversus sacramenta catholicorum, toto libro sexto *De schismate Donatistarum*, ab Optato Milevitano relata, recole projectam canibus eucharistiam (*ibid.*, l. 2, c. 19. P.L. 11, 972 ; coll. Augustin., *Ep.*, 139, 1. P.L. 33, 535). Addesis illud testimonium Innocentii III de quibusdam Graeculis superioris, ni fallor, aetatis : « Postquam enim Graecorum Ecclesia cum qui- « busdam complicibus et fautoribus suis ab « obedientia Sedis Apostolicae se subtraxit, in « tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, « quod inter alia, quae in derogationem eorum « impie committebant, si quando sacerdotes « Latini super eorum celebrassent altaria, non « prius ipsi volebant sacrificare in illis, quam ea « tanquam per hoc inquinata lavissent » (in Concilio Later. IV, D. 10, 435). Certe Michaelis Cerularii sacellarius, Nicephorus, eucharistiam Latinorum conculcarat, sed potius prae azymi odio quam nominis romani (P.G. 120, 744, et P.L. 143, 1214-1215).

2. Secundum hanc normam interpretabatur Gulielmus Parisiensis duriores illas locutiones Patrum de sacrificiis haereticorum, veluti Deo exsecrandis : quasi supposuerint Patres haereticum agere ut haereticum, id est excludentem ministerium Ecclesiae catholicae, affectantem autem exclusive ministerium suae sectae perversae. Quod utique si fiat, revera celebrans non CONFORMATUR menti et intentioni Ecclesiae catholicae : quapropter potest dici FORMAM deserere Ecclesiae, et sequi alienam (vid. *De Sacramento ordinis*, c. 4, p. 534-535). Quam expositionem non dicimus improbabilem ; eoque minus, quod Patres vix unquam materialem haeresim sibi ob oculos posuere, sed solummodo formalem ; et praeterea proni satis fuere nonnulli, praesertim Africani, ad negligendam, inditam mentibus nostris, facultatem a nobismetipsis desciscendi atque discordandi per quamdam « illogicitatem practicam », non raram, immo crebram.

3. Parum fortasse quadrant haec verba cum illis quae superius scripserat Suarez : « Ha- « bent sacerdotes ex commissione Ecclesiae ut « NOMINE SUO [i. e. Ecclesiae] orent, interce- « dant et OFFERANT ; et quoad hoc potest Eccle- « sia privare sacerdotem praecisum ne suo « NOMINE sacrificet ; nam, cum hoc habeat ex « commissione Ecclesiae, ab eadem potest eo « munere privari » (disp. 77, s. 2, n. 6 ; cf. commentarium in 3 S., 82, 7). Attamen advertenda est cautela quam postea in hoc puncto explicando adhibet Eximius Doctor, dum dicit Ecclesiam « nec consentire cum illo, nec velle, QUANTUM « IN IPSA EST, per eum offerre ». Quibus restrictionis verbis potest innui voluntas non absoluta seu efficax, sed significata tantum et secundum quid dicta. Nihilominus vereor, ne aliqualiter haeserit in hac re decernenda. Nam ex una parte putabat ipse ita in missa secerni rationes ecclesiasticae oblationis et dominicae, ut secundum se haec sufficeret, seclusa illa, ad rationandam sacrificationem nostram ministerialem (non advertens esse oblationem dominicam et ecclesiasticam unum quid organicum). Unde praesto erit ipsi quoad praecisos solutio : offerunt, quin

iis quae mittenda sunt ad Deum dona et sacrificia. Et pro tanto sufficit ei habere characterem, ut legatus maneat, agatque legatum, quandocumque voluerit, habita tamen intentione praevalente agendi pro Ecclesia.

Quamvis igitur ipse sit infidelis, qui litat, tamen est fidelis illa, cujus causam agit et defert munus atque hostiam ; adeo ut semper fides vera, fides catholica, principiet atque originet sacrificationem omnem, proindeque et consecrationem eucharisticam : si minus proxime, ex parte ministri, saltem remote, ex parte Societatis Ecclesiasticae, cujus est minister. Et hoc sensu retineri potest, quod scripsit Gulielmus a Sancto Theodorico (*De corpore et sanguine Domini*, c. 6. P.L. 180, 355) : « In sacramentis « corpus Domini facit [intellege : conficit, « vel consecrat] SANCTAE ECCLESIAE FI- « DES, cujus [Ecclesiae] generaliter est « ipsum sacrificium, cujuscumque sit me- « riti, per quem fit. »

II. Quo principio solvitur quaestio de validitate, eodem solvitur et quaestio de fructu sacrificii.

Quae quaestio aliter ab aliis est decisa.

Primo enim pauci putavere atque etiam nunc, ni fallor, putant, esse omnino sine fructu ullo quolibet sacrificium, quantumvis validum, sacerdotis praecisi.

Plerique tamen non sine distinctione excludunt fructum, sed consentanee ad indicationes sancti Thomae[1] et sancti Bonaventurae[2] negant fructum relative tantum ad eos qui *specialiter* intercedunt tanquam offerentes vel cooperantes. Sic Suarez (disp. 77, s. 2, n. 7) ab « offe- « rentibus et cooperantibus » distinguit alios, quibus possit esse fructuosum istiusmodi sacrificium.

Unde autem relate ad alios, puta ad universam Ecclesiam, repetendus sit fructus, jam non una est omnium sententia.

Quibus enim placet, posse, eliciente scilicet Christo novam in singulis missis oblationem, taxari et mensurari fructum sacrificii sine respectu ad interventum Ecclesiae offerentis, ii etiam volent, Ecclesia nequaquam offerente, posse nihilominus fructum sacrificii aliquem assignari.

Quia autem saepius est exclusa a nobis ista opinio, restat ut dicatur, offerente Ecclesia per praecisos et exauctoratos (ut monstratum est supra), non deesse illorum sacrificiis commendandis devotionem Ecclesiae universalem[3]. Immo ex hac

per eos offerat Ecclesia. Aliunde tamen premebat eum et Doctorum auctoritas, sacrificium omne eucharisticum colligantium Ecclesiae universae, et doctrina vera de charactere sacerdotali, quo quis non membrum tantum efficitur, sed in ministrum et organum provehitur societatis ecclesiasticae. Quare diversas videtur, veluti tentative, non tam suo nomine asserens quam proponens nomine aliorum, solutiones edidisse (« sensus illius secundae opinionis esse potest » ; « alia vero expositio esse potest») : unam divellentem sacrificium, ab Ecclesia, alteram connectentem. Cf. *De censuris*, disp. 11, s. 2, n. 11 : ubi dicendus foret adhaerere solutioni priori (« censeo verius »); nisi quod potius de precibus missae ibi agatur quam de substantia oblationis sacrificalis.

Inter eos sane pauciores numero, qui hanc quaestionem tractaverunt, locum tenet insignem Hiquaeus in *Quaestione* sua sexta super *Commentarium* Scoti in 4 D. 13, 2 (p. 831-834) ; cujus potissimum est attendenda conclusio 2ª : « Haereticus sacerdos etiam IN PER- « SONA ECCLESIAE et Christi OFFERT sacrifi- « cium, SI SERVET INTENTIONEM UNIVERSALEM, « QUAMVIS HABEAT IPSE PARTICULAREM EX « ERRORE... Quia quamdiu manet character « sacerdotalis, potest habere suum actum com- « petentem, et manet potestas concessa a Chris- « to et Ecclesia in talem actum : ergo potest « exercendo actum gerere personam Christi et « Ecclesiae offerentis sacrificium : ...potestate « ab ipsis concessa, secundum quam deputatur « minister in ordine ad talem actum. » Conferatur conclusio 5ª.

1. 3 S. 82, 7 : « Illi qui sunt ab Ecclesia « separati per haeresim aut schisma vel excom- « municationem... peccant facientes [consecra- « tionem], et ideo fructum sacrificii non perci- « piunt. »

2. 4 D. 13, a. 1, q. 1 : « Praecisus et haereticus « [conficit] ad damnationem SUAM ET OMNIUM « ASSISTENTIUM. »

3. Hanc doctrinam late pertractat Gabriel Biel, *Sacro canonis missae tum mystica, tum literalis expositio* (apud Johannem Clein, s. a., s. l., lectio 27, fol. 38-41), promiscue et indignis et haereticis applicans hoc principium : quamvis desit ex parte sacerdotis, unde sit ejus oblatio accepta Deo, « QUIA TAMEN OBLATIO « HAEC et oratio NON EST SUA PRINCIPALITER,

parte non pejora erunt quam sacrificia indignorum. At pejora erunt aliunde : nam sacrificiis malorum sacerdotum, catholicorum tamen, ita praeter oblationem communem totius Ecclesiae accedit oblatio specialior quorumdam, puta stipem dantium aut adstantium, ut inde augeatur fructus. Quae ratio incrementi in sacrificiis reproborum illorum deest, cum sit et reproba omnis fidelium cooperatio, sive stipem dantium, sive adstantium.

Sed haec accipiantur regulariter loquendo; nam bona fides excusabit fideles inscios, praesertim ubi aderit titulus coloratus. Immo ipse sacerdos, quamvis habendus sit in foro externo haereticus aut schismaticus, poterit, vigente intus bona fide, nullius culpae esse reus, nec innodationis ullius sibi conscius : adeo ut nihil desit commendando ipsius sacrificio etiam specialius et specialissime apud Deum. Faxit Deus ut apud fratres nostros orientales non raro id contingat ! Nec, si contingat, timendum erit, ne accrescat inde schismati praesidium : cum omne sacrificium, utpote ab Ecclesia, quae una est, profectum, quo efficacius erit apud Deum, eo magis suffragetur unitati, et schismati adversetur.

Quia autem omnis communio eucharistica est professio communionis ecclesiasticae cum eucharistiam conficiente, tradente, sumente, ideo est regulariter illicita et damnosa, UTPOTE SCHISMATICA ATQUE HAERETICA, communio corporis Christi, quamvis valide consecrati, accepta a sacerdote haeretico vel schismatico ; sicut se excommunicat ab Ecclesia, qui accipit a sacerdote nominatim excommunicato. Quare recte scribebat Durandus Meldensis (4 D. 13, q. 1, n. 12) : « Tam consecrantes quam ab eis sumentes, non « habent illud ad salutem, sed ad perni« ciem. »

At, si sacramentum, valide a sacerdote praeciso consecratum, deinde catholice reservetur, sumetur etiam catholice, et catholice distribuetur : qua communione non jam cum haeresi aut schismate communicas, sed cum vera, cujus est hoc sacramentum, Ecclesia[1].

« SED ECCLESIAE SPONSAE CHRISTI, INTER QUAM « ET CHRISTUM NUNCIUS EST, ejus orationem « portans in ore, quam porrigit exaudiendam « Patri misericordiarum, sequitur quod sua per« sonalis malitia non reddit orationem illam « Deo exsecrabilem et inexaudibilem » (fol. 38).

1. « Hostia, a talibus sacerdotibus conse« crata, est adoranda, et, si reservetur, licite « potest sumi a sacerdote legitimo » (S. Thom., 3 S. 82, 9, 1m). Cf. S. Theodorum Studitam citatum supra, et S. Joannem Damascenum c tandum infra (Elucid. XXXVII).

Elucidatio XXXIV.

Perficitur sacrificium consecratione sola. Respectu autem consecrationis faciendae nulla gaudet efficacia aut necessitate epiclesis; quanquam sapienter est instituta et locum habet aptum.

CAPUT VII.

DE EFFECTIONE SACRIFICII MISSAE.

Postquam determinatum est de exsistentia sacrificii missae, et ejusdem intestina ratione, atque tandem valore, veniendum ad ejus effectionem considerandam : qua in re quaeritur, quaenam actio ex nostra parte requiratur ad hoc ut sacrificium habeatur.

Ubi *primo* occurrit examinandum : utrum consecratione absolvatur sacrificium, an aliquid aliud praeter consecrationem requiratur.

Et, quatenus negative, veniet *secundo* determinandum : cujusmodi actione perficiatur consecratio.

§ 1. De consecrationis sufficientia.

Sacrificium ipsa demum consecratione absolvi, non tam hic assumitur probandum, quam supponitur ex antecedentibus omnino certum. Superius enim rationem attigimus, cur communio nequeat ad rationem constituendam sacrificii pertrahi, quia scilicet condividuntur omnino inter se hostiae oblatio et participatio. Utique consummatur sacrificium communione, quatenus jam intrinsece constitutum ante communionem, per communionem ad suum finem perducitur, qui est sanctificatio fidelium (cf. Elucid. I et XXIV).

Praeter communionem autem, quidam voluere ipsam fractionem sacramenti ingredi rationem actionis sacrificalis, et quidem essentialiter, quippe qua sola significaretur tormentum passionis dominicae. Ita Canus : « Cum symbolis rerum, Christo instituente, debeamus mortem ipsius « agere, si verum et perfectum nostrum « sacrificium est, ejusque victimae absolutum exemplar, quam Christus in cruce « praebuit ; nullum autem sit rerum « symbolum antequam species FRANGANTUR, misceantur, consumantur : certissimum accipere argumentum possumus : « ante fractionem nondum esse expletum sacrificium » (*De locis theologicis*, l. 12, c. 12, Col. Agripp. 1585. fol. 426 a).

Sed isti positioni obstant non pauca.

Primo quidem, omnes moderni assentiunt Suarezio (disp. 75, sect. 3) defendenti, etiamsi omittatur casu aliquo ista fractio, tamen integrum stare sacrificium.

Secundo, videtur fractio de facto defuisse, aut certe vix ullius momenti locum aliquando apud veteres obtinuisse. Nam de ea nil legitur in liturgia *Constitutionum Apostolicarum*, aut in liturgia *Testamenti Domini Nostri Jesu Christi*[1]. In aliis pervetustis liturgiis, ut *Serapionis*, *sancti Jacobi*, *sancti Marci*, invenitur quidem, sed nulla adnotata interim significatione dominicae mortis. Immo apud Serapionem[2], clare satis in annexa oratione indi-

1. In byzantina liturgia IX saeculi nulla fit fractio infra actionem. Fractio autem panis ante actionem sane nequit pro parte intrinseca sacrificii haberi.

2. « Dignare nos et hac communione [donare], « Deus veritatis, et fac ut corpora nostra capiant « castitatem et animae intellegentiam et cognitionem ; et sapientes nos redde, Deus misericordiarum, perceptione corporis et sanguinis » etc. (F. D. 2, 176-178).

catur scopus proprius fractionis esse, ut divisum sacramentum, multorum communioni fiat aptum.

In liturgia graeca *Sancti Jacobi* fit quaedam fractio ritualis (κλάσις) praevia ad illam comminutionem seu partitionem (μελισμός) : sed ideo tantum, ut pars consecrati panis calici immergatur (B. 62, cf. 581) : ubi resurrectionis potius quam mortis cum omnibus fere liturgiarum expositoribus agnoveris symbolum.

Deinceps accrevere quidem fractioni in quibusdam liturgiis, sane paucioribus, varii symbolismi, praesertim passionem respicientes, ut in liturgia syriaca *Sancti Jacobi* (B. 97-99 ; cf. Max. Saxon. *Missa syriaca antiochena*, p. 37-38) ; aliquando etiam fragmentis in modum crucis dispositis (hodierna liturgia *Sancti Chrysostomi*, B. 393 ; *Liturgia mozarabica*, P.L. 85, 557-558) ; vel (in prothesi) dissecto pane in modum crucis per lanceam (hodierna liturgia *Sancti Chrysostomi*, B. 357-358).

Sed isti symbolismi sunt adventitii : conficti scilicet labentibus saeculis ad augendam devotionem et liturgiam illustrandam. In Scriptura autem aut in veterum Patrum documentis, omni carent attestatione aut fulcimento.

Ad Scripturam enim quod attinet, primo rejicitur communiter a criticis illud κλώμενον[1], quod in textu recepto *Epistolae primae ad Corinthios* (11^{24} : τοῦτό μού ἐστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον) legitur, pro quo habet Vulgata *quod pro vobis tradetur*. Secundo, nedum innuat in fractione panis significationem passionis, vix non excludit Scriptura, cum advertit, sicut in agno paschali, ita in Christo passo, nullum fuisse membrorum fractioni locum.

Quod spectat vero ad Patres, Chrysostomus, qui pro symbolismo aliquando appellatur, revera duplici ex capite videtur symbolismo contrarius : *primo*, ex eo quod ipse notat nullam in passione fractionem correspondisse fractioni eucharistiae ; *secundo*, ex eo quod fractionem hanc ordinat aperte ad distributionem. Super illud enim Pauli, *Panis quem frangimus*, sic perorat : « Cur autem « addidit *quem frangimus* ? Hoc enim « in eucharistia videre est ; in cruce « vero non item, immo *contrarium*. Ait « enim : *os non comminuetur*. Sed QUOD « NON PASSUS EST IN CRUCE, hoc patitur « in oblatione propter te, et sustinet se « confringi, UT OMNES IMPLEAT (*In I Cor.*, hom. 24, n. 2. P.G. 61, 200)[2].

Nec Augustinus alium finem indicat nisi distributionis : « *Precationes*, inquit, « accipiamus dictas, quas facimus in ce« lebratione sacramentorum, antequam « illud quod est in Domini mensa incipiat « benedici ; *orationes*, cum benedicitur et « sanctificatur, et AD DISTRIBUENDUM « comminuitur » (*Ep.* 149, 16. P.L. 33, 636).

Pariter Gregorius M. : « Ejus quippe « ibi corpus sumitur, ejus CARO in populi « salutem PARTITUR ; ejus sanguis, non « jam in manus infidelium, sed in ora « fidelium funditur. » (*Dial.* 4, 58. P.L. 77, 425).

Beda quidem in fractione a Domino peracta praesignatam videt passionis voluntarietatem : « Frangit autem ipse pa« nem quem discipulis porrigit, ut os« tendat corporis sui fractionem non « absque sua sponte ac procuratione ven« turam » (*In Marc.*, 14^{22}. P.L. 92, 272 ; cf. *In Lucam* 22^{19}, col. 596).

Semel etiam S. Paschasius Radbertus in nostra sacramenti fractione commemoratam vult passionem : « Figuram « videtur esse [mysterium], dum frangi-

1. Quanquam omnes fere liturgiae, in narratione coenae, inducunt Dominum hac voce utentem. Vide inter alias Liturgiam graecam *S. Jacobi*, Liturgiam graecam *S. Marci*, *Anaphoram Serapionis*, Liturgiam *Constitutionum Apostolorum*, *Canonum ecclesiasticorum... reliquias Veronenses*, *Constitutiones Ecclesiae Aethiopicae*, cum reliquis antiquioribus Aethiopum liturgiis, Liturgiam Mozarabicam juxta *Missale Mixtum*, Liturgiam Gallicanam juxta *Slowe-Missale*, etc., etc.

2. Recte utique Goetz interpretatur illum sermonem Chrysostomi, « der jedoch eine « Deutung des Brotbrechens auf den Tod am « Kreuz, eher ausschliesst als bezeugt » (*Die heutige Abendmahlsfrage*, 1907, p. 176).

ur »; figuram autem intellegit commemorativam : « recordationem sacrae passionis » (*Lib. de corp. et sang. Domini*, 4, 1. P.L. 120, 1278). Attamen pluribus locis fieri illud dicit proprie ob partitionem, seu ad escam : « Frangit : quia, nisi ille frangeret, parvuli omnes jejuni remanerent » (*ibid.*, 15, 2, . 1323) « Corpus frangitur ad escam populis, et partitur fidelibus » (*ibid.* 3, col. 1328).

Ex expositoribus vero missarum latinis, i ab illo tempore pullularunt, plerique t praetermiserunt fractionem, aut nullam ejus explicationem dederunt[1]. Alii, Innocentius III (*De sanc. alt. myst.*, 2. P.L. 217, 907), et S. Petrus Damianus (?) volunt fractionem fieri ad tar discipulorum, in Emmaus Dominum in fractione panis agnoscentium *xpos. in canon. missae.* P.L. 145, 891). Interim (A. D. 1054) Humbertus rdinalis, dum contra Michaelem Caelarium contendit, Trinitatem ita in samento eucharistiae cooperari, ut non mmemoretur, sic dividit partes euchatici ritus, ut consecratio sit opus initatis, fractio vero et sumptio sit commemoratio mortis Christi : « Tota beata « Trinitas in consecratione eucharistiae « cooperatur, sed sola mors Christi in « fractione ejus et in usu annuntiatur » (*Adversus Graecorum calumnias*, c. 31. P.L. 143, 950). En primum, ni fallor, exemplum apud Latinos clarum et distinctum connexionis inter nostram sacramenti fractionem et passionem Domini commemoratam.

Paulo post (inter an. 1063 et 1070) Humberti laudator atque defensor, Lanfrancus, connexionem eamdem vividiore celebrioreque sermone praedicavit in libro suo adversus Berengarium de corpore et sanguine Domini : « Sacramenta enim, in« quit, illarum rerum, quarum sacramenta « sunt, semper similitudinem gerunt, sicut « in sacramento, de quo haec quaestio « ventilatur, DUM FRANGITUR HOSTIA, « dum sanguis de calice in ora fidelium « funditur, QUID ALIUD QUAM DOMINICI « CORPORIS IN CRUCE IMMOLATIO ejusque « sanguinis de latere effusio DESIGNA« TUR ? » (*Lib. de corpore et sanguine Domini*, c. 13, P.L. 150, 423)[2].

Qui post tempus Lanfranci venerunt expositores missae, eorum jam nonnulli significationem passionis fractioni annexuere[3].

1. Walafridus Strabus (*De ecclesiast. exord. et increm.*, c. 22. P.L. 114, 950); Rabanus Maurus (*De clericorum institutione*, c. 33. P.L. 107, 324); Amalarius (*De ecclesiasticis officiis*, l. 3, c. 31. P.L. 105, 1152); Florus Lugdunensis (*De expositione Missae*, 89. P.L. 119, 71); Remigius Antissiodorensis (*De celebratione missae.* P.L. 101, 70); Joannes Rotomagensis (*De officiis ecclesiasticis.* P.L. 147, 36); Odo Cameracensis (*Expositio in canonem missae.* P.L. 160, 70); Robertus Paululus (*De officiis ecclesiasticis*, l. 2, c. 39. P.L. 177, 436); Joannes Beleth (*Rationale*, c. 48. P.L. 202, 54-55); Auctor *Micrologi*, c. 17. P.L. 151, 988; Richardus eddinghusanus (*Libellus de canone mystici libaminis.* P.L. 177, 468). Aliique plurimi, ibus omnibus praecesserat Isidorus (*De ecclesiasticis officiis*, 1, 15. P.L. 83, 752). Inter- tamen post Amalarium (*op. cit.*, c. 35, l. 1154) multum disseruere mediaevales de triformi corpore Domini », per trinam fracti nis particulam designato. Quae commentatio, stquam graviter a Floro (*Opusc. adv. Amal.*, 1, 4 et 2, 5. P.L. 119, 74 et 81) est notata, inde a Decretistis (Ivone Carn., *Panorm.* 140, et Gratiano, *De consecr.*, dist. 2, c. 22). est Sergio Papae attitulata ! Unde non mirum est, si apud principes etiam scholae, ut puta Albertum Magnum (*De sacrificio missae*, tract. 3, c. 21) et sanctum Thomam(3 S. 83, 5, 8^{m}), lamentabiliter obrepsit.

2. Cesset Goetz (*op. cit.*, p. 175-176) haec verba quaerere in *Libro sententiarum Prosperi*, ubi se conqueritur ea nondum reperisse. Jamdudum Corrector Romanus super *Decreti* Partem 3^{am}, Dist. 2, c. 37, animadverterat, non Prosperi esse sermonem, sed Lanfranci (P.L. 187, 1747). Praeter hunc locum, et verba Chrysostomi atque Augustini supralaudata, etiam indicavit Goetz *(ibid.)* sententiam Dionysii Bar-Salibi infra citandam.

3. Ivo Carnotensis (*De convenientia veteris et novi sacrificii.* P.L. 162, 559); Honorius Augustodunensis (*Gemma animae*, l. 1, c. 63. P.L. 172, 563); Ps. Algerus (*De sacrificio missae.* P.L. 180, 856); Auctor ignotus *Libri de expositione missae* Hildeberto adscripti. P.L. 171, 1165; Sicardus Cremonensis (*Mitrale*, l. 3, c. 6. P.L. 213, 129 et 138); Durandus Mimatensis *(Rationale*, l. 4, c. 51, n. 4). Interim Balduinus Cantuariensis (*De sacramento altaris.* P.L. 204, 657), vir practicus, primo utilitatem partitionis indicat (« Frac-

Apud Graecos vero, quanquam coaetaneus Gregorii Magni, sanctus Eutychius C. P. jam haec scripserat : « Frac- « tio venerandi panis necem significat » (*De Paschale et sacrosancta Eucharistia*, n. 3. P.G. 86*bis*, 2396), tamen expositores liturgiae byzantinae, cum in fractione panis, quae infra actionem fit, tum in exsectione quae per lanceam in prothesi prius facta est, incarnationis[1] figuram potius quam passionis[2] praedicavere[3] !

Expositor Syrus Missae, Dionysius Bar Salibi (XII s.) utique passionem in fractione designatam indubitanter perhibet[4].

Quis non videat, in tanta silva interpretationum, earumque sero excogitatarum, nil posse reperiri certi aut solidi ; nil dogmatici, sed tantum phantastici ? Quod si Doctores scholastici, ut v. g. Albertus Magnus (4 D. 13, E. 15), sanctus Thomas (3 S. 77, 7 ; 83, 5, 7^{m} ; *in I Cor.*, 11, lect. 5), Biel (*Sacr. can. miss. expos.*, lect. 80), Suarez (*Disp.* 84, sect. I, n. 6)[5] etc., passionem in fractione representatam dixerunt, hoc non tradiderunt nisi ut commentum pium inter alia[6] ; sed sacramentale quicquam minime adstruxerunt.

Revera fractio non est inducta propter se, aut ad aliquid per seipsam significandum. Acta est a Christo ad dispertiendum : et hic est finis ejus intrinsecus. Deinde acta est ab Ecclesia : primo propter eumdem finem ; secundo, etiam deficiente hoc fine, propter imitationem Christi[7] ; tertio, in ordine ad mixtionem specierum faciendam : qua, concinentibus satis liturgiis et liturgistis, resurrectio designaretur symbolice post semel de-

« tio convenit distributioni. Fregit, ut multis « daret ») ; deinde multas superstruit explicationes mysticas, inter quas suum habet passionis designatio locum. Liturgistis adde paucos Theologos, ut Gulielmum a Sancto Theodorico (*De sacramento altaris*, c. 9, P.L. 180, 356) ; Algerum (*De sacramento*, l. 1, c. 18. P.L. 180, 792) ; vel exegetas, ut Anselmum Laudunensem (*In Matth.* 26. P.L. 162, 1470) ; vel concionatores, ut Jacobum de Vitriaco (*Sermones*, Sermo III in coena Domini, Antv. 1575, p. 335), etc.

1. De comparatione inter exsectionem et incarnationem adeantur Theodorus Andidensis (*Brevis commentatio*, n. 9. P.G. 140, 429) ; Symeon Thessalonicensis (*De sacra liturgia*, c. 92. P.G. 155, 273-276). De comparatione inter fractionem et incarnationem legatur Theodorus (*op. cit.*, n. 38, col. 465). Neque, dum exponit liturgiam syriacam, Ps. Dionysius (*De Eccl. Hier.*, 3, 12. P.G. 3, 444) aliam fractionis indicat significationem praeter incarnationem.

2. De comparatione inter exsectionem et passionem notetur Nicolaus Cabasilas (*Liturgiae expositio*, c. 8. P.G. 150, 384-385).

3. Ceterum apud Bessarionem (*De sacram. eucharist.* P.G. 161, 512) non indicatur fractio nisi ut « ad distributionem necessaria ».

4. « Cum sumpsit sacerdos hostiam in mani- « bus, ut diximus, dum frangit eam in duas par- « tes, ostendit quod vere Verbum passum est « in carne, et quod sacrificatum est, et frac- « tum est in cruce » (*Expositio liturgiae*, c. 16. C. S. C. O., 93, 89). Superiusque de fractione dominica in novissima coena, post assignatam (si genuina tamen est lectio) utilitatem practicam partitionis, pergit auctor : « Fran- « gendo nobis declarat passionem et crucifixio- « nem et occisionem suam et confixionem per « lanceam et mortem suam. Iterum frangendo « mystice significat se ipsum mactasse et divi- « sisse, et a se defluere propitiationem » (*ibid.*, p. 73).

5. Sentit vero Vasquez, non ob alium finem Christum fregisse panem, nisi ut, divisus inter plures manducaturos, « significaret effectum « peculiarem sacramenti,... nempe unionem, eo « quod ex eodem pane manducaturi, sicut etiam « ex eodem calice bibituri essent » (disp. 196, c. 3, n. 19 et 26).

6. Vide alterum tertiumque locum ex S. Thoma citatum, ubi tria consignificari dicuntur. Vide etiam Alb. M., *in Matth.*, 26^{26}, ubi primum dicitur significata fractio irae divinae, et deinde retro ad quamdam Moysis figuram implendam remittimur !

7. Hoc sensu Humbertus cardinalis, volens fieri cottidie missam integram, nec solum, ut apud Graecos, reservati sacramenti celebrationem mutilam : « Non enim benedixit tantum « [Dominus] et servavit frangendum in crasti- « num, nec fregit tantum et reposuit, sed fractum « statim distribuit. Unde... quodlibet horum, « si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine dis- « tributione, aut fractio sine benedictione et « distributione, perfectam Christi memoriam « non repraesentant, sicut distributio nulla sine « benedictione et fractione » (*Responsio sive contradictio in libellum Nicetae*, c. 23. P.L. 143, 994). Maxime fit ad imitationem Christi in Coptarum Liturgia, juxta anaphoram *Sancti Marci* vel *Cyrilli*, ubi in ipsa narratione coenae, dum dicitur Christus fregisse, frangitur panis (B. 177). Vide etiam in Aethiopica liturgia anaphoram *Apostolorum* (B. 232).

signatam sacramentaliter passionem in separata specierum consecratione[1].

Fractionem autem inter et passionem comparatio, excepto S. Eutychio C. P., fetus quidam tardioris aetatis est : cujus indicatio primum fugax aut incerta apud Bedam et Paschasium, deinde apud Humbertum et Lanfrancum firmior, genuit apud posteriores et theologos et liturgistas opinionem, primo rariorem, deinde crebriorem, sed nunquam non arbitrariam : per fractionem commemorari passionem. Revera passio, satis per ipsam consecrationem commemorata, non commemoratur sacramentaliter per fractionem, quae nedum sit pars intrinseca sacrificii, ne pertinet quidem ad ejus expressionem caerimoniariam, sed ad ritum communionis.

Quod si autem celebratio liturgica olim nomen habuit *fractio panis* (*Act.*, 2[42]), non sane magis inde sequitur, constitui sacrificium fractione, quam ex nomine *coenae dominicae* (*I Cor.*, 11[20]), constitui coenatione. Sed sicut sacrificium nostrum denominatur coena ex fine coenationis, ad quam ordinatur oblatio hostiae ; sic ipsa coena denominatur fractio ex apparatu cibi, qui per fractionem fit.

Corruit ergo ex toto fundamentum opinionis Cani, certe singularis[2], cui ceterum contradixerat S. Thomas, aiens sacrificium ante fractionem esse peractum (3 S. 83, 4) ; et quidem adeo, ut fractionis omissio non faciat « imperfectionem sacri« ficii » (3 S. 83, 6, 6[m]). Sed haec fere nos pudet disputasse, nisi quod intimius ritum quemdam ecclesiasticum occasio se obtulerit rimandi, secernendique vera a falsis, aut certe veritatis gradus varios distinguendi[3].

§ 2. De effectione consecrationis.

Supposito autem, sacrificium perfici sola consecratione, consecrationem autem non peragi nisi orali quadam actione, ad id unum redit proposita de effectione sacrificii quaestio : qualis tenor orationis sit ad inducendam consecrationem absolute necessarius.

Quocirca, inter alia, haec possunt quaeri.

Primo. Consecratio fiatne per petitionem aliquam sui : hoc est, eone consecres, quod postules transmutationem. Quae est quaestio de epicleseos efficacia aut necessitate. Et, quatenus *negative*, quaeritur *secundo*, quanam consertione verborum fiat consecratio. Et ante omnia quidem, quae sint verba formalia. Forma autem determinata, quaeritur rursus utrum necne, praeter verba formalia, alia requi-

1. Sed nec ipsa mixtio inducta est primitus ad significandum. Ortum habuit ex consuetudine sacramentum ex praecedente missa reservandi, aut etiam ab episcopo transmissum recipiendi in signum communionis : quod calici immergebatur (fortasse propter duritiam ac siccitatem). Cujusmodi consuetudo cum obsolevit, successit in ejus locum ritus noster hodiernus deputans calici particulam panis intra eamdem missam consecrati. Cf. Corblet, *Histoire du Sacrement de l'Eucharistie*, 1886, t. 2, p. 11.

2. Singularior sane, immo vesana atque (per respectum ad hodiernam dogmatis claritatem) haeretica fuit sententia Abbaudi abbatis (*De fractione Corporis Christi*, P.L. 166, 1341-1348) et Gualteri a S. Victore (*Contra quatuor Labyrinthos Franciae*, l. 3, c. 11. P.L. 199, 1153-1154), quorum uterque putavit, atque acerrime defendit, corpus Christi in sua substantia frangi per fractionem sacramenti. At neuter inde conclusit immolationem Christi esse in fractione reponendam. Quin et Abbaudus (col. 1346) sollicite admonet confracti et disrupti Christi « par« ticulas » omnes esse vivas. Excusatum me habeat lector, quod delirantium mentium figmenta non (quod satius forte fuit) praetermiserim.

3. Puto non desiderari a prudente lectore examinationem sententiae Henrici Henriquez (*Summa Theologiae Moralis*, l. 9, c. 9, n. 3 et 9, coll. c. 8, n. 6) : qua inter tria essentialia nostri sacrificii elementa computatur cum consecratione et communione verbalis oblatio : « Unde « et memores... OFFERIMUS » etc. Quanquam Henrico consenserunt Azor (*Institutionum Moralium*, lib. 10, c. 19, Lugd. 1602, col. 1117), Bonacina (*Tract. de sacramentis*, disp. 4, q. 2, punct. 2, n. 5 et 6) et Bassaeus (*Flores theologiae practicae*, s. v. *Missa*, 2, 5), praeter alios, quos ipsi allegant. Praeformata olim a Petro Lombardo et Scoto, ut superius (Elucid. XXXIII) vidimus, innovata est nuper ista sententia haud felicius a viro ceteroquin spectando, J. Grivet, *La messe de la terre et la messe du ciel* (Paris, 1917).

rantur, narrativa. Et, quatenus affirmative, quaeri tandem potest, utrum praeter verba formalia et narrativa requirantur, annon, verba interpellativa.

Sectio I. De Epiclesi.

Articulus I. — Excluditur epicleseos efficacia aut necessitas.

Circa primam quaestionem, quae est de epiclesi[1], prostat primo indisputabile factum : quod in multis liturgiis, post prolata super panem et vinum verba dominica *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, fit postulatio transsubstantiationis. Is enim est sensus apertus formularum orientalium[2] vel gallicanarum[3] atque mozarabicarum[4] plurimarum, ut vidimus esse etiam sensum orationis romanae *Supplices te rogamus*.

Nihilominus constat postulationem illam nihil conferre ad consecrationem faciendam : neque per modum causae, neque per modum conditionis.

Per modum causae influeret, si ipsa demum efficeret consecrationem, ut placet Graecis schismaticis recentioribus[5], post Nicolaum Cabasilam (*Liturg. Expos.*, 27-29. P.L. 150, 425-433) et Symeonem Thessalonicensem (*Exp. de divino templo*, c. 88, P.G. 155, 733-740)[6]. Quibus accesserunt ex Latinis Catharinus[7] et Cheffontaines[8].

Cui obstant tria.

1º Fides Ecclesiae : jam peractam esse antea consecrationem. Vide errorem Armenis exprobratum sub Benedicto XII

1. Documenta pleraque hujus quaestionis sunt collecta a Salaville, *Epiclèse eucharistique* (D. T. C., t. 5, col. 194-300).

2. Quod in paucis liturgiis, puta *Testam. D. N. J. C.*, p. 43, in *Constitutionibus Eccles. Aethiop.* (Ludolf, *Ad suam Hist. Aeth... comment.*, p. 324; cf. B. 190) vel *Eccles. Aegypt.* (F. D. 2, 100) atque in *Didascaliae Apostolorum fragmentis veronensibus latinis* (Hauler, *Canonum qui dicuntur Apost. et Aegypt. reliquiae*, p. 106-107), non ita est explicita petitio transmutationis : non inde eliditur explicita et distincta postulatio, quae in aliis liturgiis, sane vetustissimis, fit; puta in *Const. Apostol.* (F. D. 1, 510), *Liturg. gr. S. Jac.* (B. 53-54), et *S. Marci* (B. 134), *Anaphora Serapionis* (F. D. 2, 174-176); deinde in *Liturg. S. Basil. et S. Chrysost.* (B. 329-330), in *Oratione Eucharistica D. et Salvatoris nostri J. C.* (L. B., 2, 573), in *Canone Universali Aethiopum* (R. 1, 517; cf. B. 233), etc., etc. Inter Patres autem Graecos usui liturgico attestantes, animadvertendi potissimum sunt Cyril. Hieros. (*Catech.* 23, n. 7. P.G. 33, 1113-1116) et Chrysost. (*De coemeterio et cruce*, 3. P.G. 49, 397-398), expresse aientes postulari transmutationem ipsam.

3. Vide orationem *post-secreta* in missa monensi 3 et 5 (P.L. 138, 869 et 871); orationem *post-secreta* in missa gothica Assumptionis, atque S. Leudegarii (Mabillon, *De liturgia Gallicana*, l. 3. P.L. 72, 246 et 304-305).

4. Lege innumeras orationes *post-pridie* in hunc sensum ; v. g. in dom. 3 post Epiphan., in dom. 5. Quadrag., in sabbato sancto, in die resurrect. dom., fer. 2 post Pascha., etc. (P.L. 85, 250 ; 376 ; 474 ; 485 ; 491-492).

5. De quibus videsis Salaville (259-265).

6. Secundum hos duos operatur transmutationem, ut causa principalis, prolatio dominica sermonis demonstrativi : *Hoc est corpus meum* ; ut causa autem instrumentalis, nostra efflagitatio transmutationis. « Credimus ipsum esse quod « operatur mysterium, Domini scilicet verbum, « sed sic, per sacerdotem, per intercessionem « ejus et orationem... Semel a Domino dictus, « eo ipso quod ab illo dictus est, sicut creatorius « sermo, semper operatur » (Cabasilas, col. 429 et 433). Pariter Symeon, col. 737. Comparatio est utrinque inter sermonem quo creata sunt omnia et vegetantur, et intimationem dominicam nunc vegetantem non verba demonstrativa a nobis prolata in persona Domini, sed verba nostra deprecatoria.

7. [Catharini] *Tractatus de consecrationis forma* denuo editus a Cheffontaines, Parisiis 1586, fol. B 1 : « Nobis, qui ante oravimus, prolatis verbis « suis confestim adest [Christus]. Graecis vero, « qui post recitata verba orant, ipsa oratione « peracta adesse dignatur. » Cf. *Quaestio quibusnam verbis Christus confecit divinum eucharistiae sacramentum*, Romae 1551, p. 182-188.

8. Christophorus de Capite Fontium, archiepisc. Caesariensis, nuper totius ordinis Minorum generalis Minister, *Varii tractatus et disputationes* (fol. 33-51), consecrationem vult per imprecationem transsubstantiationis a nobis effici. Quam doctrinam retro traducit in Christum coenantem : « Quia autem benedictio « qua panem benedixit... sacerdotalis erat, ... « ejus benedictio oratio fuit qua pani beatam « in suam carnem mutationem imprecabatur » (fol. 33 b). Fusius deinde rem evolvit in suo opere *De veteri ritu celebrandi missam* (Parisiis 1586). Cf. etiam *De la vertu des paroles par lesquelles se fait la consécration du Saint Sacrement de l'autel.* Paris, 1586. « Je soutiens que la consécration se « fait par les prières du prêtre et les paroles de « Dieu récitées ès dites prières. »

(Mansi, 25, 1242); decretum S. C. de Propaganda Fide a Benedicto XIII adprobatum, die 8 jul. 1729; epistulam Pii VII ad Patriarcham Antiochenum (*Acta et Decreta S. Concil. Rec. Collectio Lacensis*, t. 2, p. 440 et 551); epistulam Pii X de negotio Max. Saxoniae, 26 dec. 1910.

2° Doctrina veterum Patrum[1], cum occidentalium[2], tum etiam orientalium[3] saltem ante Joannem Damascenum[4] : causari consecrationem in missa per verba Christi a sacerdote prolata.

3° Praeceptum Christi : *Hoc facite in meam commemorationem*, scilicet idem quod ipse feci. Porro Christus, omnibus

1. Extra numerum quidem Patrum orthodoxorum, potest citari exemplum unum sat antiquum (v. s.) sensus certo contrarii apud Narsai, *An exposition of the mysteries* (tr. R. H. Connolly, T. a. S., 8, 1, p. 20-23. Cf. Edm. Bishop, *Appendix*, n. 6, *ibid.*, p. 126-127).

2. Justinus (*Apol.*, 1, 65. P.L. 6, 428): « orationis verbum a Christo traditum », per quod « eucharistiatur alimonia », maxime in verbis dominicis videtur reponi ibidem allegatis : *Hoc est corpus meum.* Ambrosius, *Enarrationes in duodecim psalmos davidicos* (in psalm. 38, 25. P.L. 14, 1051) : « Ipse offerre manifestatur « in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium « quod offertur ». Rursus *De Myster.* 9, 52 : « Verba ipsa Domini Salvatoris operantur » (P.L. 16, 406). Tandem *De Benedictionibus Patriarcharum*, 9. 38 (P.L. 14, 686) : « Dat nobis [Christus] eum [panem] quem ipse quotidie sacerdos « consecrat suis verbis. » Auctor cognati tractatus *de Sacramentis* 4, 14 : « Consecratio autem « quibus verbis est, cujus sermonibus ? Domini « Jesu... Ubi venitur ut conficiatur venerabile « sacramentum, jam non suis sermonibus utitur « sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo « sermo Christi hoc conficit sacramentum. » (P.L. 16, 440). Cf. *ibid.*, 5, 4 : « Dixi vobis quod ante « verba Christi, quod offertur panis dicatur ; « UBI CHRISTI VERBA DEPROMPTA FUERINT, « jam non panis dicitur, sed corpus appellatur » (col. 452). Integrum caput vide exscriptum in Sermone 84 appendicis ad sermones Augustini (P.L. 39, 1907, sq.). Non est igitur istius sermonis tenor adscribendus alicui sectatori Augustini (ut putat Salaville, 242) potius quam Ambrosii. Augustinus, *Serm.* 227 : « Panis ille « quem videtis in altari, sanctificatus per verbum « Dei, corpus est Christi « (P.L. 39, 1100). Isidorus (?), *Epist.* 7, *ad Redemptum Archidiaconum*, c. 2 : « De substantia sacramenti sunt « verba Dei, a sacerdote in sacro prolata ministerio, scilicet *Hoc est corpus meum*, panisque « frumenti et vinum » (P. L. 83, 905). S. Agobardus, *Contra libros quatuor Amalarii*, c. 13 (P.L. 104, 347). Deincepsque alii omnes.

3. Gregor. Nyss., *Or. catechet.*, c. 37 : « Hic « panis sanctificatur per verbum Dei et orationem, non eo quidem quod per nutritionem et « potationem proficiat in corpus Verbi, sed « statim in corpus Verbi transmutatus, secundum quod dictum est a Verbo : *Hoc est corpus « meum* » (P.G. 45, 97). Chrysostomus, in utraque editione suae homiliae de *Proditione Judae*, n. 6 : « Stat sacerdos, verba illa proferens : virtus autem et gratia Dei est [quae « omnia efficit]. *Hoc est corpus meum*, inquit. « Hoc verbum transformat ea quae proposita « sunt. » (P. G. 49, 380 et 389). Hesychius, in *Levit.*, 9[6], *Facite, et apparebit vobis gloria ejus* : « *Facite* videlicet mysticus, de quo praeceperat « Dominus : *Hoc facite in meam commemorationem*... SERMONE subsistit hujus dispensatio « mysterii, maxime DOMINICO VERBO ea quae « apparent in aliud aliquid majus et intellegibile TRANSFERENTE » (P.G. 93, 891). Non est negandum, hos ipsos aliosque Graecos plurimos, sed et Latinos non paucos consecrationem dixisse factam per invocationem aliquam Dei, puta Verbi vel plerumque Spiritus Sancti; sed, nedum pugnent inter se isti duo unius rei adspectus, videbis infra nullam fieri consecratoriam recitationem coenae, quin contineat implicitam precationem transmutationis.

4. S. Joannes Damascenus, ex una parte, conformiter ad doctores supra citatos, docet haec duo : 1° in coena Christum ipsa rei intimatione transmutationem effecisse (*De fide orthod.*, 4, 13. P.G. 94, 1140. Cf. Petrum Mansur [?] *De corpore et sanguine Christi*, 2. P.G. 95, 408, B.); 2° illius intimationis dominicae virtute sacramentum etiam nunc confici (*loc. cit.*). Ex altera autem parte, tenet non esse a Basilio datum nomen ἀντίτυπα oblationi, nisi ante consecrationem (in quo secuti sunt eum Patres Concilii Nicaeni II, Mansi, 13, 261-265; Nicephorus C. P. *Antirrh.* 2 *adv. Const. Copr.*, 2. P.G. 100, 336) : cum tamen in *Liturgia Basilii* nomen istud, post commemoratam coenam, detur sacramento in principio epicleseos. Unde de duobus unum : aut erravit Joannes Damascenus, putans aliter consecrari a nobis, quam est consecratum a Christo, quamvis dicat Christus : *Hoc facite*, scilicet quod feci. Et ita sentit Salaville (247-250). Aut intellegendus est Damascenus, ac si dicat : non vocantur antitypa, nisi ubi nondum CONSIDERANTUR UT consecrata. Porro, quamvis consecratus sit panis et calix antea, tamen manifeste non habetur ut consecratus, dum rogamus Deum ut consecrationem efficiat. Et ista interpretatio magis mihi arridet : 1° quia sufficit ad propositum Damasceni : 2° quia melius conciliat dicta Damasceni inter se et cum dictis aliorum Patrum, praesertim Chrysostomi. Quod autem saepe dicit, consecrationem fieri per invocationem et descensum Spiritus Sancti, in hoc non differt a scriptoribus praelaudatis.

fatentibus, non per epiclesim ullam consecravit, sed potestative[1]. Ergo nec nos debemus consecrare per epiclesim, sed imitando Christum : dum in persona Christi efficimus quod Christus fecit. Et haec quidem paritas et similitudo, a Christo ipso asserta, inter modum suum conficiendi et nostrum, videtur fuisse petra angularis totius traditionis.

Qui enim considerabant Christum consecrasse per intimationem ejus quod fiebat, illi secure exhinc concludebant : ergo nos intimando consecrationis effectum inducimus. Sic, exempli gratia, nitide argumentabatur auctor *Summae Sententiarum* : « Forma hujus sacramenti est COMMEMO- « RATIO illorum verborum, quae in coena « Christus dixit, quando discipulis corpus « et sanguinem dedit, dicens : *Accipite*, « *hoc est corpus meum*. Et SICUT tunc « *quod inferius est, benedicitur a superiore*. Si- « quidem Christus ipse, cum non sit inferior « Patri et Spiritui Sancto, sua potentia, quicquid « vellet, efficiebat. »

1. 1° Asseruere Patres et theologi fere unanimiter Christum consecrasse per verba demonstrativa. : *Hoc est corpus meum*. Videantur inter veteres : Auctor anonymus *Tractatus de Solemnitatibus*, c. 5 (*Spicil. Solesm.* 1, 11 ; cf. XI-XII) : « ...Ne cum pascha cum discipulis manducas- « set, nisi postea sacrificium commutasset, « dicens *Hoc est corpus meum*, sic etiam pos- « tea observari debere crederetur » (Integrum textum recitavimus supra in Elucidatione IV.) Non autem commutavit ritum sacrificiorum illis verbis Christus nisi instituens et celebrans novum sacrificium. Verbis igitur istis sacrificavit, proindeque et consecravit. S. Ephraem : « Panem vocavit corpus suum vivum, et seip- « so atque Spiritu replevit eum... Quod vo- « cavi corpus meum, hoc revera est... [Ca- « licem] sacrificavit, profitens suum sangui- « nem esse, qui effundendus erat » (*Serm. in hebdom. sanct.* 4, 4-6, ed. Lamy, 1, 416 et 422) Auctor *Homiliae de corpore et sanguine Christi*, c. 2 (P.L. 30, 272) : « Visibiles creaturas in sub- « stantiam corporis et sanguinis sui verbo suo, « secreta potestate convertit, ita dicens : *Accipite* « *et comedite, hoc est corpus meum*. Et, sanctifi- « catione repetita, *Accipite*, inquit, *et bibite, hic* « *est sanguis meus.* » Joannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, 4, 13 (P.G. 94, 1140) : « Nonne « potest panem efficere corpus suum, et vinum « atque aquam sanguinem suum ? Dixit in « principio : *Producat terra herbam virentem*, et « ad hanc diem, accedente imbre, profert suos « fetus, excitata et fecundata a divino mandato. « Dixit Deus : *Hoc est corpus meum*, et *Hic est* « *sanguis meus*, et *Hoc facite in meam commemo-* « *rationem* : et omnipotente ejus praecepto, usque « dum veniat, hoc fit. Sic enim dixit : *usque dum* « *veniat* ; et accedit imber huic novae segeti per « invocationem : virtus Sancti Spiritus obum- « brans. » Petrus Mansur (?), *De immaculato corpore*, 2 (P.G. 95, 408) : « Dixit : *Hoc est cor-* « *pus meum* ; et loco naturalis oeconomiae, panis « et vinum cum aqua per verbum ipsius evasere « corpus et sanguis ejus. » Samonas Gazensis, *Discept. cum Achmed Saraceno* (P.G. 120, 825) : « Cum igitur ipse natura esset Deus, illico « tunc panem illum sua potentia divina et gra- « tia sanctificavit : *Hoc est corpus meum*, dicens, « habens Patrem et Spiritum Sanctum in seme- « tipso, sicque panem in corpus proprium con- « vertit : nec alio quopiam, se praestantiore, « opus habuit, qui sanctificaret panem. Nam,

2° Pauci Latini mediaevales, opinati quidem Christum non per verba, sed ante verba, consecrasse, tamen id intellegunt factum non impetrantis affectu, sed nutu imperantis. Primus, quantum memini, illorum fuit Odo Cameracensis, scribens : « Patet quod benedic- « tione fuerit factus sanguis. Ad benedictio- « nem enim praemissam subdidit : *Hic est calix* « *sanguinis mei* » (*Expos. in canonem missae*, P.L. 160, 1063). Paulo ante similia praemiserat de pane (col. 1061-1062). Subsecutus est Stephanus Augustodunensis, *Tract. de sacramento altaris*, c. 14 (P.L. 172, 1293) : « Cum « benedixit, corpus suum fecit... Potest esse « quod, benedictione facta, tradens corpus suum « discipulis praedicta verba protulit. » Deinde Balduinus Cantuariensis, *Lib. de sacramento altaris* (P.L. 204, 655) : Difficile est pro- « bare, quod Christus his verbis mutationem « fecit, sed indubitanter credendum est, Chris- « tum haec verba dixisse, et panem et vinum, « aut cum haec verba diceret, vel ante, quando « voluit, et sicut voluit, substantialiter mutasse. » Nec nisi post hos Innocentius III, *De sacr. altaris mysterio*, 4, 6 (P.L. 217, 859) : « Sane dici « potest quod Christus virtute divina confecit, « et postea formam expressit, sub qua posteri « benedicerent. Ipse namque per se virtute pro- « pria benedixit. Nos autem ex illa virtute quam « indidit verbis. » Tenebant nimirum illi doctores, nos per verba dominica consecrare. Aliter postea Catharinus et Cheffontaines, sicut neque Christum, ita nec nos per solam vim verborum consecrare voluerunt ; immo sicut nos per epiclesim, ita etiam Christum impetrasse consecrationem, autumabat Cheffontaines ausu singulari, ut dictum est supra.

Vix operae pretium est hic memorare opinionem Johannis Watterich (*Der Konsekrationsmoment im heiligen Abendmahl und seine Geschichte*, 1896, p. 3, 8, 20-21, etc.), consecrationem non solummodo dominicam, sed et nostram, deputantis benedictioni per gestum manuum significatæ. Non enim, cum haec edidit Watterich, inter catholicos theologos numerabatur, sed, ut erat schismaticus, ita in praesente negotio prorsus haereticus.

« panem illum et calicem in verum cor-« pus et in verum sanguinem verbo suo « commutavit, ITA indubitanter credimus, « verba illa a sacerdote eo ordine et ea « intentione dicta panem et vinum in « verum corpus Christi et in verum san-« guinem commutare » (*Summa Sententiarum*, tr. 6, c. 4. P.L. 176, 140-141).

Si qui autem putabant, Christum, ante prolata verba, consecrasse per tacitam quamdam benedictionem, illis censebatur occurri satis argumentando retro ex nostra consecratione ad consecrationem dominicam. Adeo paritas ritus principii instar assumebatur. Quod jam nobis ipse Innocentius III attestatur, dum suae opinioni aliorum sententiam praemittit his verbis : « CUM ad prolationem verbo-« rum istorum : *Hoc est corpus meum, hoc* « (sic) *est sanguis meus*, sacerdos conficiat, « CREDIBILE JUDICATUR [scilicet ab adver-« sariis meis] quod et Christus eadem « verba dicendo confecit » *(loc. cit.)*. Albertus autem Magnus determina-« tive prorsus : Dicunt quidam quod « quadam occulta benedictione panem in « corpus suum transsubstantiavit ; et illi « dicunt quod benedicendo confecit ; et « postea, dicendo *Hoc est corpus meum*, « usum sacramenti instituit. Et hoc non « est probabile, QUIA sic aliter Ecclesia « celebraret sacramentum, quam Christus « formam [*intellege* : exemplum] dederit » (*Enarrationes in evangelium Marci* 14[22]).

Intellegeretur rursus epiclesis se habere per modum causae, non efficientis, sed impetrantis (id est moralis), si OPERATIVA VIRTUS, reservata quidem prolationi nostrae dominicorum verborum, tamen tunc demum actum suum exsereret, cum concurreret DEPRECATORIA VIRTUS epicleseos : ut maxime sensit Dom Touttée (*De doctrina Cyrilli*, dissert. 3, c. 12, n. 97. P.G. 33, 283). « Duas res praestandas in « sacramento habet Ecclesia, ut et Christi « verba recitet, quae, ut olim in coena « ipsius ore, sic nunc quoque ab ipso mi-« nistrorum, ejus personam sustinentium, « ore recitata, mirabilem eucharistiae « conversionem operentur ; et votum « suum exprimat, ut Christus secundum « promissionem suam suo sacramento ne « desit. Haec cum simul praestare non « possit, tempore dividere cogitur. Sed « una est actio sacrificii duabus illis re-« bus composita : quaenam earum vel « praecedat vel sequatur, ne maxime « intersit facit actionis hujus unitas. Ap-« tius tamen videtur ut causa impetrans, « quae in precibus sita est, efficientem « causam, quam in verbis Christi repo-« nimus, praecedat et attrahat ». Ceterum haec sententia practice coincidit cum ea quae proxime sequitur, secundum quam conditionis partes implet epiclesis.

Intellegeretur autem epiclesis se habere per modum conditionis tribus potissimum modis.

Primo quidem modo, si epiclesis quam in praesente facio, esset conditio, qua posita, forma, antea jam prolata, fieret demum efficax, ut senserunt Renaudot (*op. cit.* passim) et Le Brun (*op. cit.*, vol. 3, p. 223 sq. praesertim p. 263 et 267). Cui sententiae obstat, ut supra, consecrationis anteactae dogma catholicum.

Intellegeretur epiclesis se habere per modum conditionis *secundo*, si epiclesis, quam modo sum facturus, esset, sive in re, sive in proposito[1], conditio consecrationis, quam nunc, proferens formam, facio.

Sed obstant duo. 1° Obstat quod non est

1. Alterutro horum modorum, potius fortasse posteriore, videtur intellegendus Combefisius, in nota quadam sua ad marginem homiliae Damasceni *in Sabbatum sanctum*, c. 35 (P.G. 96, 637-638) ; cujus emendatiorem textum subjicimus : « ... Non fieri scilicet eam transmu-« tationem, SINE ORDINE AD invocationem, quae « vel antecedat (uti Latinis), vel consequatur (uti « Graecis) verba Domini, in quibus tamen sit « ipsa vis, id ipsum semper nobis operantibus, « quod semel Christo dicta. » Quae verba laudat et facit sua Le Quien (in nota 79 ad librum 4 *de Fide Orth.*, cap. 13. P.G. 94, 1142) : deindeque ipse (mirabile dictu) cardinalis Pitra summopere approbat (*Spicileg. Solesm.*, t. 1, p. 441) : « Nemo hunc ritum [epicleseos] videtur lucu-« lentius exposuisse quam Combefisius. »

conditio in re illud, quod si omittatur, tamen res prius facta non transibit in infectam. Transire autem in infectam consecratio semel facta non potest, quicquid circa epiclesim contigerit. 2° Nec est conditio in proposito illud, sine cujus intentione, non solum stat materia, sed et forma est completa in sua significatione formae, et intentio habetur absoluta applicandi formam ad materiam. Atqui haec duo sine proposito recitandae epicleseos obtinent : nam primo, nisi forma esset omnibus numeris absoluta, ut forma, ante prolatam epiclesim, non ante epiclesim operaretur : quod tamen ab ipsis adversariis supponitur fieri ; secundo, aliud est intendere recitationem epicleseos, aliud intendere applicationem integrae formae ad debitam materiam : nec defectus unius intentionis alteram evacuat.

Intellegeretur se habere per modum conditionis *tertio*, quatenus usus epicleseos, generaliter in Ecclesia receptus, determinare censeretur publice sensum formae : unde diceretur consecratio conditionari per epiclesim, non sumptam determinate in individuo (quasi haec mea consecratio penderet ab hac mea epiclesi), sed sumptam in universali indeterminate, dum pendet mea consecratio ab usu communiter in Ecclesia exsistente faciendi aliquam epiclesim. In quo illud foret commodi, quod, mea epiclesi quantumvis deficiente (sive in re, sive in proposito), tamen non deficeret mea consecratio.

Sed obstat, quod, etiam sublata universaliter epiclesi, sufficiens haberetur in Ecclesia determinatio publica formae. Supposito enim verbo imperativo, *Hoc facite in meam commemorationem* (scilicet ejus quod ipse feci), sufficit ad intellegentiam ejus quod a nobis agitur, ut verba indicativa, *Hoc est corpus meum*, eo stylo proferantur, quo nequeant accipi de nostro corpore, quasi dicta in nostra persona, sed omnino ut dicta in persona Christi de ipsius corpore. Unde sequetur statim, idem apud nos significari et effici, quod est significatum et effectum in coena.

Articulus II. — Defenditur epicleseos congruitas.

Statutis autem illis duabus conclusionibus, exsurgit quaestio : cui fini deserviat epiclesis. Ex una parte, consecratio facta est ; ex altera parte, adhuc petitur. Si facta est, nonne infidelitatis est summae eam deposcere ? Nonne saltem est irrationabilis precatio ? Aut igitur repugnat, aut certe otiatur epiclesis[1].

Immo nec repugnat, nec otiatur.

Non repugnat, quia, ut communiter sensere doctores, id quod fit in indivisibili durationis, debet in solemnizatione sua distendi per temporum spatia, et veluti per varias caerimoniarum tractus diffluere atque expandi : ut fides atque affectus eorum, quorum interest, salubriter unius rei utilitatibus atque proprietatibus variis coaptetur[2]. Unde fit, ut soleat ab Ecclesia post collatum sacramentum, puta ordinis vel extremae unctionis, enuntiari multifarii effectus sacramentalis productio, perinde ac si nunc demum haberetur ; sive id agatur per verba indicativa, ut respectu celebrandae missae et administrandae poenitentiae, in ordinationibus presbyterorum ; sive per verba deprecatoria, ut quan-

1. Sic sentit Rauschen, *L'Eucharistie et la Pénitence*, trad. fr., Paris 1910, p. 124 : « Il « faut reconnaître, ou bien que l'épiclèse est « appelée à disparaître, ou bien que la consé- « cration n'est achevée qu'après. Toutefois on « n'est pas tenu de l'attribuer à l'épiclèse... Ceux « qui ont composé l'épiclèse, ont-ils agi comme si « la consécration n'était pas faite après le récit « de la Cène ? J'en doute. Si mon opinion est « conforme à la vérité, il sera difficile de con- « server l'épiclèse dans sa teneur actuelle » (Radicaliora etiam habet editio germanica, *Eucharistie und Buss-Sakrament*, Frib. Brisg. 1908, p. 100). Non satis caute videntur haec dicta. Certo enim constat viro catholico : et consecrationem esse factam ante epiclesim, et ritum epicleseos, per tot saecula frequentatum atque ab Ecclesia approbatum sancitumque, non esse inconvenientem.

2. Hanc solutionem omnibus numeris absolutam jam proposuerat *Glossa* ordinaria *Decreti* (*De Consecr.* 2, 72. Romae 1584, tom. 2, 1813-1814) super verba orationis *Jube haec perferri* : « Videtur quod haec oratio sit superflua, quia

do post unam sufficientem unctionem supplentur reliquae. Quod autem non repugnat illic, cur hic, in celebratione eucharistica, repugnaverit ?

Quod autem non repugnat, idem nec otiatur, si eo declaratur *convenienter* sensus ejus quod ssacramentaliter est actum. Porro convenienter declaratur consecratio per sermonem, qui habeatur post consecrationem, in forma precationis, ad advocandum, sive Deum omnipotentem, sive Trinitatem, sive Verbum atque comitatum angelicum, sive Spiritum Sanctum. Ad cujus evidentiam agetur *primo* de loco epicleseos ; *secundo* de invocati Numinis persona.

Membrum I. Congruitas quoad locum.

In nostro sacrificio una actione perficiuntur haec tria : commemoratio, oblatio, consecratio ; in *commemoratione* scilicet sacrificii dominici, *offertur* a nobis dominici ipsius sacrificii hostia, per *consecrationem* panis in corpus et vini in sanguinem.

Haec tria simul fiunt in narratione coenae habita super panem et calicem, sed non pariter omnia in narratione elucent. Elucet quidem explicite per se commemoratio : narrare enim est commemorare ; sed non elucent ita explicite oblatio et consecratio. Supersunt igitur elucidanda ista duo, nisi forte eorum elucidatio praecesserit narrationi, quae una demum est omnium effectrix.

Sed non desunt rationes, cur apte praecesserit narratio.

Dato enim post coenam praecepto dominico *Hoc facite*, etc., sponte apostoli, dum id faciunt quod Christus fecerat, imitati sunt non solum substantialia facti, sed etiam, quantum fieri potuit, accidentalia, id est veluti liturgiam Christi ipsius. Quia igitur Christus statim (*I Cor.*, 11[24]) post gratias Deo Patri actas (unde initium sumitur actionis), protulerat super panem et vinum verba sacramentalia, apostoli, eodem ordine quo Christus, latreutica et eucharistica totius rei indole per laudes et gratiarum actiones signata, aggressi sunt statim sacramentalium verborum prolationem : eo vel magis, quod narratio ipsius coenae (in qua sacrificium redemptionis est oblatum) locum sibi in gratiarum actione vindicabat et novissimum et praecipuum ; siquidem coena passioni copulata erat ultimum maximumque beneficium de quo gratiae agerentur. Rei autem narratae cum esset ultima pars mandatum dominicum *Hoc facite in meam commemorationem*, apte succedebat enumeratio mysteriorum, quorum importabatur commemoratio (anamnesis).

Restabat autem, ut duo alia elementa, oblatio et consecratio, implicata quidem commemorationi coenae, sed nondum distincta, veluti in lucem educerentur.

Quonam autem ordine, id est utrum utro prius, jam est videndum. Quocirca duo sunt consideranda.

Primo. Omnis oblatio sacrificalis eo tendit, ut a Deo suscipiatur. Quare ordo naturalis postulat, ut, si rationes formales rei distinguantur, primo enuntietur oblatio, ut a nobis profecta, et secundo acceptatio exoretur, seu *invocetur Deus votis*, ut habet pluribus locis Vergilius, non invocationem per vota, sed in vota intellegens.

Secundo. Nostrum sacrificium, quod est sacramentale, id est specietenus versans circa panem et vinum, realiter autem circa corpus et sanguinem Christi, eo suscipitur a Deo, quod apparens hostia transit in veram illam aeterni sacrificii hostiam consummate et immobiliter Deo in gloria acceptam[1]. Per trans-

« haec dicitur post verba, quorum virtute conficitur corpus Christi : et ita de eo quod jam factum est, superflua est oratio. Respondeo : Scriptura non attendit hujusmodi angustias temporis ; sed sacerdos, cum non possit multa simul proferre, ITA LOQUITUR AC SI TEMPUS STARET, ET ESSENT ADHUC FACIENDA, QUAE IN PRINCIPIO SERMONIS NONDUM ERANT FACTA. Et verba non ad tempus suae prolationis (sed per conceptionem vel contemplationem loquentis) sunt referenda. »

1. Quare oratione illa, quae apud nos Latinos irrepsit ante consecrationem, petitur ut nostra oblatio eo fiat rata et accepta, quod transeat in corpus et sanguinem Christi : adeo transsubstantiatio acceptatio est nostri sacrificii. Quod ap-

substantiationem igitur fit acceptatio[1].

Genus quoddam acceptationis est transsubstantiatio; eodem pacto, quo sacrificium nostrum est quoddam speciale intra commune genus sacrificii. Sicut igitur, communiter loquendo, acceptatio, ita specialiter apud nos christianos transsubstantiatio est logice post enuntiatam oblationem exoranda.

Duobus autem modis, ex dictis, potest fieri petitio acceptationis : sive communiter sive specialiter. Communiter fit, si solummodo invocetur Deus super nostrum sacrificium. Specialiter fit, si invocetur ut transsubstantiationis operator. Utrocumque autem modo fiat, idem semper deposcitur : siquidem non nobis prostat nisi unum genus acceptationis in specie una. Sive igitur vagis verbis (ut in *Testamento Domini Nostri Jesu Christi*, et in *Constitutionibus Ecclesiae* vel *Aethiopicae* vel *Aegyptiacae*, et in anaphora *Fragmentorum Veronensium Latinorum*) liturgiae deposcant adventum divinum, sive expressius corrogent transsubstantiationem (ut in supra citatis veteribus missis multis, sive orientalibus, sive occidentalibus), idem semper exorant unumque : acceptationem hostiae in transsubstantiatione constantem, sicut et in transsubstantiatione constat et oblatio nostri sacrificii et sacrificii dominici commemoratio[2].

Sic igitur, semel posito principio caeri-

prime intellegebat Stephanus Augustodunensis (*Tractatus de sacramento altaris*, c. 13. P.L. 172, 1291-1292) scribens : « Ut oblatio [panis et vini] habeat efficaciam et virtutem conferendi quod petimus, ROGAMUS EAM IN MELIUS PROMOVERI ET IN AETERNITATE ASCRIBI, ET RATAM, ID EST FIRMAM ET IMMOBILEM FIERI. Oramus, ut cibus hominum fiat cibus angelorum, scilicet ut oblatio panis et vini transsubstantietur in corpus et sanguinem Jesu Christi, qui est oblatio benedicta, hoc est omnium gratiarum benedictione plena, de cujus plenitudine nos omnes accepimus... FILIUS DEI DICITUR OBLATIO ascripta, Scripturis sanctorum patrum designata, et nulla oblivione delenda, et ideo RATA, ID EST ET FIRMA ET IMMOBILIS, scilicet FIRMATA STATU IMMORTALITATIS ET INCORRUPTIONIS, IN AETERNUM PERMANENS, et ad dandam salutem et remissionem peccatorum sufficiens... »

1. Huc conferas ea quae supra notata sunt in Elucidatione I de inchoativa acceptatione, in Elucidatione V de *Hebr.*, 9[14], et in Elucidatione XXII de desponsa Domino acceptatione reali hostiae. Quod autem per transsubstantiationem comparetur nobis divinitus doni nostri acceptabilitas, importari videtur epiclesi illa mozarabica mox recitanda, ubi dicitur : « Te, Deus omnipotens, rogamus et petimus, ut oblata in conspectu tuo nostrae servitutis libamina IPSE TIBI ACCEPTABILIA FACIAS. » (P.L. 85, 590).

2. Cum autem transsubstantiatio peteretur, necessario erat loquendum PERINDE AC SI dona nondum transsubstantiata essent : quare non nuncupabantur tunc corpus aut sanguis Christi, sed *antitypa* solum corporis et sanguinis, ut in Liturgia *Sancti Basilii* : « Cum proposuerimus antitypa sancti corporis et sanguinis Christi tui, te rogamus et deposcimus... ut veniat Spiritus tuus... super proposita dona, et benedicat ea ac sanctificet, demonstretque [= efficiat] panem hunc corpus pretiosum Domini » etc. (B. 329-330). Voci illi *antitypa* aequivalet vox *figura*, quam inserit precationi consimili (praeambulae tamen ad narrationem coenae) auctor libri *De sacramentis* (l. 5, c. 5, n. 21. P.L. 16, 443) : « Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem : quod *figura* est corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie » etc. Cujus formulae sensus probabilior (quamvis aliter sentiat Batiffol, *Eucharistie*[5], p. 361) est : ratam, rationabilem, acceptabilem, fac nobis hanc oblationem, scilicet id quod est figura corporis et sanguinis D. N. J. C., h. e. panem et vinum. Quae constructio ac interpretatio omnino fulcitur comparatione cum cognata oratione mozarabica, non praeambula jam recitationi verborum dominicorum, sed *post-pridie* : « ...Quorum oblationem benedictam, ratam, rationabilemque facere digneris ; que est imago et *similitudo* corporis et sanguinis Jhesu Christi Filii tui ac redemtoris nostri » (Dom Marius Férotin, *Liber ordinum*, Parisiis 1904, col. 322). Sicut figura, ita igitur *similitudo* aequivalet antitypo, ut expresse ferebant *Canonum... reliquiae*, 75, 6-9 (ed. Hauler, 1900, p. 112) : « Offeratur oblatio a diaconibus episcopo et gratias agat panem quidem in exemplum, quod dicit Graecus antitypum, corporis Christi ; calicem vino mixtum propter antitypum, quod dicit Graecus similitudinem, sanguinis, quod effusum est pro omnibus qui crediderunt in eum. » Aequivalebit igitur et maxime apud Graecos antitypo ὁμοίωμα : qua voce utitur Serapion Thmuitanus in sua *Anaphora* (F. D. 2, 174) : super panem quidem (τὸ ὁμοίωμα τοῦ σώματος) immediate ante prolationem verborum dominicorum *Hoc est corpus meum* (« Tibi obtulimus hunc panem, similitudinem corporis Unigeniti. Hic panis sancti corporis est similitudo, quoniam Dominus

moniariae expansionis, perventum est ad rationabiliter postulandam consecrationem, postquam praecesserit enuntiatio oblationis, cui ipsi praecesserit commemoratio coenae[1]. Quae tria sacrificii nostri elementa ordinate effloruerunt ex ipsa gratiarum actione, cujus thema suppeditabat et speciale et terminale coena dominica[2].

Ex his tribus porro constabat antiquitus integra celebratio liturgica, cui statim, ut diximus, conjungebatur oratio dominica :

« Jesus Christus, in qua nocte tradebatur » etc.) ; super calicem autem et ante et post prolata verba *Hoc est novum testamentum quod est sanguis meus* (« Obtulimus etiam calicem, « similitudinem sanguinis, quoniam Dominus « Jesus Christus accepit calicem, et dixit : *Ac-« cipite, bibite,* etc. Propterea obtulimus etiam « nos calicem, similitudinem sanguinis defe-« rentes. »), sed tamen ANTE EPICLESIM. POST epiclesim vero (vel orationem *postpridie,* aut si quid ejusmodi), quanquam aliquando vocatur eucharistia imago vitae aeternae, sicut et effigies passionis, tamen nunquam memini eam esse vocatam imaginem (vel similitudinem, etc.) corporis aut sanguinis Christi, IN LITURGIIS (nulla est enim aut fuit unquam, ut dicemus infra in Elucid. XLIII, Ecclesiae liturgia, precatio quam exhibet *Constitutionum Apostolicarum* liber 7, cap. 24, sed interpolatio quaedam et perversio precis in *Didache* fundendae super communem panem et vinum).

Attamen EXTRA LITURGIAS liberius nomen antitypi, vel aliud simile, datum est eucharistiae consecratae, et ut consecratae : idque sensu multiplici, necnon valde orthodoxo.

Primo quidem dicitur in eucharistia corpus Christi antitypum relate ad typos Veteris Testamenti, ut in homilia cujusdam fortasse Epiphanii junioris *De resurrectione.* P.G. 43, 468 ; secundo, relate ad species, quibus demonstratur, ut apud Cyrillum Hierosolymitanum, *Cat.* 5, 20. P.G. 33, 1124 ; tertio, relate ad consortium divinitatis nunc eucharistiam sumentibus impertitum, ac consummandum in coelis per visionem beatificam : ut apud Damascenum (*De fide orthodoxa,* 4, 13. P.G. 94, 1153. Cf. Origen., *In Matth.,* t. 11. P.G. 13, 952). Modo plus minus indefinito praeterea usurpari solita est a Graecis locutio τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος, eodem scilicet pacto et sensu, quo dicimus sacramenta corporis et sanguinis, ad designandum ipsum complexum sacramentalem corporis et specierum seu symbolorum. Ita v. g. Eustathius Antiochenus, in *Prov.* 9[5]. P.G. 18, 685 ; Gregorius Nazianzenus, *Or.* 8, 18. P.G. 35, 809 ; *Constitutiones Apostolicae,* 5, 14, 7. F. D. 1, 273, etc. etc.

Praeterea, a Latinis dictum est corpus Christi eucharisticum figura vel signum corporis Christi, vel ut in propria specie passi in terris (Lanfrancus, *Lib. de corp. et sang. Dom.,* 14. P.L. 150, 424 ; Algerus, *De sacram. corp. et sang. dom.,* 1, 18. P.L. 180, 792), vel ut conspicabilis in coelis (Guitmundus Aversanus, *De corp. et sang. Dom. verit.,* 2. P.L. 149, 1460).

Tandem ab omnibus nobis dicitur esse sacramentum seu signum corporis mystici.

Attendens autem semel in complexu eucharistico S. Paschasius, non corpus aut sanguinem, sed ipsas demum species, dixit : « Si-« militudinem quoque carnis ejus sumamus, et « similitudinem pretiosi sanguinis potemus » (*De corpore et sanguine Domini,* 13. P.L. 120, 1315). Tollit vero omne ambiguum apud praesentiae realis defensorem tutissimum proxime continuus sermo : « ita ut veritas non desit « in sacramento [*intellege* : in signo], et ridi-« culum nullum fiat paganis, quod cruorem « occisi hominis, bibamus... » etc. Praeierat auctor Libri *De Sacramentis* 4, 4, 20. P. L. 16, 443 : « Sicut enim mortis similitudinem « [in baptismo] sumpsisti, ita etiam similitu-« dinem pretiosi sanguinis bibis ; ut nullus hor-« ror cruoris sit, et pretium tamen operetur re-« demptionis. » Simili sensu mihi videtur intellegendum illud *Didascaliae* 6, 22, 2 (F. D. 1, 376) : « Eam quae secundum similitudinem regalis « corporis Christi est, acceptam eucharistiam « offerte » ; vel secundum lectionem *Fragmentorum veronensium* (ed. Hauler, 1900, p. 85) : « Eam « quae secundum similitudinem regalis corporis « Christi est, regalem eucharistiam offerte. » Cujusmodi locis, sane non paucis, nomine eucharistiae accipitur id quod in pane nostro eucharistico est sacramentum (seu signum) visibile (= *sacramentum tantum*). Qui modus loquendi omnino legitimus est.

1. Vides igitur quid sit veri, quid falsi in illa *Expositione canonis missae* olim sancto Petro Damiano tributa : « Hoc capitulum *qui « pridie quam pateretur* in fine canonis subjici « debuisset, quoniam in eo consecratio consum-« matur; sed quoniam impedisset ordinem his-« toriae, quasi quadam necessitate compulsus, « capitulum illud quasi cor canonis ita in me-« dio collocavit, ut quae sequuntur intellegan-« tur praecedere : secundum illam figuram, « quae saepe fit, ut quae ratione succedunt « intellectu praecedant » (P.L. 145, 885). Verum est, intellegenda esse verba sequentia consecrationem, ac si praecederent ; falsum est, esse ordinem praeposterum.

2. Facile agnoscitur illud schema in *Constitutionibus Apostolorum,* in Liturgia graeca *Sancti Jacobi,* in *Testamento Domini Nostri Jesu Christi,* in *Constitutionibus Ecclesiae Aethiopicae* atque *Aegypticae.* Secundum schema paullo aliter elaboratum jam procedit *Anaphora Serapionis,* enuntians oblationem ante commemorationem, cui igitur sola succedit invocatio.

nec nisi serius irrepsere *ante actionem* praelibatae anamneses, proscomidae, et epicleses; quemadmodum factum est in parte illa missae romanae recentiore, quae se extendit a dimissione catechumenorum usque ad initium praefationis.

Intestinis illis rationibus accedit, pro commendanda structura nostrae liturgiae, et aliqualiter fortasse explicanda historice, exemplum ipsius Christi.

Christus enim in coenaculo, post factam coenam, exoravit verbis sui sacrificii acceptationem, dum sic affatur Patrem : *Pater venit hora*, CLARIFICA *Filium tuum* (*Joan.*, 17[1]), siquidem constat fuisse clarificationem Filii ipsam Patris acceptationem (externam). Qua in eadem oratione sacerdotali Christus expresse memorat sanctificationem, quae ipsi in ratione hostiae Deo sacrae accedit, per quam sanctificemur (*Joan.*, 17[19]). Vide paritatem cum epiclesi, qua petitur sanctificatio donorum per transsubstantiationem, in ordine ad sanctificationem nostram per communionem[1].

Sequitur ex dictis, cur sermo de consecratione fieri debuerit in forma precatoria, nec indicativa : siquidem consecratio, seu transsubstantiatio, respiciebatur ut acceptatio divina, non congrue exprimeretur eo modo, qui congruit illis quae a nobis procedunt. Procedit utique a nobis oblatio vel commemoratio, ut talis; a Deo vero procedit acceptatio, secundum quod hujusmodi. Sicut igitur ea, quae nostra sunt recte exprimuntur sermone indicativo, sic illis quae sunt Dei aptamus rite sermonem precatorium.

MEMBRUM II. CONGRUITAS QUOAD INVOCATI NUMINIS PERSONAM.

Congruit ut invocetur vel Deus indistincte (cf. Iren., *Adv. Haer.*, 4, 18, 5. P.G. 7, 1028), vel Trinitas, si quidem opus commune totius Trinitatis est consecratio. Et revera Trinitas invocatur in liturgia *Testamenti Domini Nostri Jesu Christi*, (p. 43, cf. p. 188, ubi melior traditur ab ipso editore interpunctio)[2].

Congrue etiam Pater rogatur, ut mittat aliam personam, id est aut Filium aut Spiritum Sanctum, aut utrumque[3]. Primo

1. Parallelismum illum inter epiclesim et sacerdotalem Domini precem fortasse ob oculos habuit auctor (nescio quis) sermonis interpolati *Historiae Ecclesiasticae et Mysticae Contemplationi* (P.G. 98, 437). Is enim in transmutatione per epiclesim exorata videt simul et quasi continuatam generationem, quae a Paulo (*Act.*, 13[33]) in suscitati Jesu clarificatione notatur, et impletam respectu nostrae hierurgiae sanctificationem, quam sacrificio suo vindicabat Christus. « Obsecrat [sacerdos Deum] ut conficiatur mysterium Filii ejus, et fiat sive « transmutetur ipse panis et vinum in corpus « et sanguinem Christi et Dei, et impleatur « illud : *Ego hodie genui te.* Unde et Sanctus « Spiritus, beneplacito Patris et voluntate Filii « invisibiliter praesens, submonstrat divinam « virtutem, et manu sacerdotis obsignat, et « transmutat, et conficit proposita dona in « corpus et sanguinem Domini nostri Jesu « Christi, qui dixit : *Pro iis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati.* »

2. De invocatione Trinitatis etiam sermonem habet Cyril. Hierosol., *Cateches.* 19, 7. P.G. 33, 1072 : « Ante sanctam adorandae Trinitatis « invocationem nudus panis et vinum erat; in- « vocatione autem peracta, panis fit corpus « Christi et vinum sanguis Christi. » At quam isthic nominat invocationem Trinitatis, alibi nuncupat invocationem Spiritus Sancti : « Panis « eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus « non est communis panis, sed corpus Christi. » (*Cateches.* 21, 3. P.G. 33, 1089-1092). Solutio antinomiae videtur suppeditari ex *Cateches.* 23, 7. P.G. 33, 1113-1116, ubi distinguuntur partes singularum personarum Trinitatis, ita ut unus Pater quidem oretur, missio autem Spiritus Sancti unius petatur, ad inducendum demum corpus Christi : « Deum benignum exoramus, « ut emittat sanctum Spiritum super oblata ; « ut faciat panem quidem corpus Christi, vi- « num vero sanguinem Christi. » Quae descriptio coincidit cum *Liturgia graeca Sancti Jacobi*, B. 53-54. Cf. hac de re Tyrer, *The eucharistic epiclesis*, Londini, 1917, p. 39-41.

Utrum eodem sensu quo Cyrillus, an modo Liturgiae *Testamenti* consentaneo, sit intellegendus Origenes (*In 1 Cor.*, 7[5], ed. C. Jenkins, J. T. C., 1908, jul., vol. 9, p. 502), non facile est decernere. Cujus haec sunt verba : Ἵνα μὲν ἄρτους προθέσεως [ἐν τῷ νόμῳ] λάβῃ τις, καθαρὸς εἶναί ὀφείλει ἀπὸ γυναικός· ἵνα δὲ τοὺς μείζονας τῆς προθέσεως λάβῃ ἄρτους, ἐφ'ὧν ἐπικέκληται τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, οὐ πολλῷ πλέον ὀφείλει τις εἶναι καθαρώτερος, ἵνα ἀληθῶς εἰς σωτηρίαν λάβῃ τοὺς ἄρτους, καὶ μὴ εἰς κρίμα;

3. Aliquando etiam rogatus est Deus Pater, ut descenderet ipsius majestas : « Descendat, « Domine [Deus et Pater Domini nostri Jesu « Christi], plenitudo majestatis, divinitatis,... « et gloriae tuae, super hunc panem et super

igitur dicamus de missione Filii ; deinde de missione Spiritus Sancti.

Congrue scilicet petitur missio Filii, siquidem Filius ipse consecravit potestate sua primus. Et ita fit in *Anaphora Serapionis* (cui suffragari videtur Athanasius, si ipse est auctor *Sermonis ad baptizandos.* P.G. 26, 1325), et in missa praesanctificatorum ritus Jacobitici, edita in J. T. S., t. 4, p. 75, et in plurimis mozarabicis orationibus *post-pridie* (v. g. P.L. 85, 117), et, sicut diximus, in omnibus epiclesibus quibus petitur ut proposita dona deferantur per sanctum Angelum Dei in sublime Dei Altare.

Sublime altare Dei esse Christum, alibi (Elucid. XIII, XVII, XXI) est demonstratum. Esse Christum ipsum etiam Dei *Angelum sanctum*, inde nobis persuadetur, quod hic nomine Angeli, seu Missi, non potest intellegi mera creatura, sed increatum quoddam numen ; neque rursus persona Spiritus Sancti ; ergo persona Filii.

Non sufficere meram creaturam, inde patet, quod, ut vidimus supra (Elucid. XXI), sub nomine perlationis deposcitur transsubstantiatio ; auctor igitur perlationis est operator transsubstantationis. Transsubstantiatio autem nullius angelici spiritus est opus, sed sacerdotis, cum ministerialis, tum principalis, atque totius Trinitatis. Aut Christus igitur aut Spiritus Sanctus a Patre mitti petitur (ita L. A. Hoppe, *Die Epiklesis der griechischen und orientalischen Liturgieen*, 1864, 171-172).

Jam vero minus videtur satisfacere Spiritus Sanctus. Nam primo, Spiritus Sanctus neque in Scripturis neque, quantum memini, in Liturgiis missarum[1], unquam nominatus est Angelus ; secundo, a nullo expositore, quem norim, unquam denotatus est hic Spiritus Sanctus. Quod igitur Hoppe (*op. cit.*, p. 172-191) interpretatur Spiritum Sanctum, id facit exigua aut nulla fretus literaria auctoritate. Ducitur autem argumento satis inefficaci : nimirum quod Christus ideo hic nequeat designari nomine angeli, quia designetur nomine altaris. Sed non magis repugnat Christum obversari simul ut altare et sacerdotem, quam sacerdotem et hostiam, vel hostiam et altare ; quare sexcenties audivimus Patres tria illa munera uno flatu vocis in Christum congerentes[2]. Porro angeli nomen, ut diximus, Christo competet tanquam sacerdoti. Ergo repugnantia nulla involvitur.

Ex opposito vero, Christus in Scripturis (*Mal.*, 3[1]) nuncupatur *Angelus Testamenti*, idque in sua relatione ad Templi cultum. Quare congruerit satis nomen angeli illi qui sacerdotali sua virtute hic operatur ut *sanctorum* liturgus *et tabernaculi veri*, *quod fixit Dominus et non homo*, i. e. ut antistes veri supernique altaris, et sacrificii et templi. Deinde in LXX *Is.* 9[5] (cujus textum sequebantur primi christiani) nuncupatur rursus Christus « Angelus magni consilii ». Quare et in antiquissima omnium nobis asservatarum Liturgiarum incipit Canon his verbis : « Gratias tibi referimus, Deus, per « dilectum puerum tuum Jesum Christum, « quem in ultimis temporibus misisti no« bis salvatorem et redemptorem et AN« GELUM VOLUNTATIS TUAE » (*Fragmenta « Veronensia Latina*, etc., ed. Hauler, p. 106 ; et conferas liturgias cognatas). Praeterea Patres libere Christum donarunt nomine angeli[3].

« hunc calicem ; et fiat nobis legitima eucharis« tia in transformatione corporis et sanguinis « Domini. » (Collectio missae monensis 4. P.L. 138, 871). Similia videsis in *Libro ordinum* (ed. Férotin, col. 265). Aliunde in Liturgiis Coptarum *S. Basilii* (graece) et *S. Gregorii* (graece et coptice) nullatenus memoratur Pater, sed solus Filius rogatur ut mittat Spiritum Sanctum (R. 1, p. 16, 31 et 105).

1. Extra missam, in benedictione fontis, unum exemplum allegat Hoppe (p. 177) ex *Missali Gothico* : « Desuper infunde Spiritum « tuum Sanctum Paraclitum, angelum veri« tatis » (P.L. 72, 274 ; ed. Bannister, p. 76).

2. Altera ratione etiam permovebatur non minus inefficaci. Putabat enim nunquam advocatum esse epiclesibus nisi Spiritum Sanctum. Cum autem epiclesis quaedam illi indubie obversaretur, concludebat Missum coelestem hunc non esse alium a Spiritu Sancto.

3. Justin., *Dial.*, c. 55-60 et 76. P.L. 6, 596-613 et 653. Hilar., 4 *Trin.*, c. 23-33. P.L. 10, 113-121, etc.

Tandem veteres missarum expositores hunc intellectum tradidere: quorum testimonia celebriora videsis collecta ab ipso Hoppe (p. 170), praeter alia, quae supra (Elucid. XXI) retulimus pauca ex multis. Attamen iste Angelus sacrificii non est Christus solus, sed veluti princeps angelorum sanctorum, qui coelesti nostri sacerdotis liturgiae, hostiae et altari ministrant, cum honoris causa, tum in nostri praesidii tutamen. Quocirca juvat ostendere quomodo et qua ratione illi angelo increato, Verbo Dei, consocientur in talibus epiclesibus ministeria sanctorum angelorum.

Jam erat Verbo divino conglutinatus miro modo exercitus angelicus, in enumeratione quadam trium divinarum personarum, a Justino, rationem reddente ethnicis non tam fidei quam cultus christiani. « Confitemur nos respectu com- « mentitiorum deorum esse atheos ; non « autem erga verissimum et justitiae et « temperantiae Patrem, virtutumque re- « liquarum, omnis expertem mali, Deum ; « sed illum [Deum Patrem], et Filium, « qui ab ipso venit, nosque ista docuit, « et CETERORUM (τῶν ἄλλων), qui cum se- « quuntur suntque ei assimilati, BONORUM « ANGELORUM EXERCITUM, et Spiritum « propheticum colimus (σεβόμεθα) et ado- « ramus (προσκυνοῦμεν), ratione et veritate « venerantes (τιμῶντες) » (*Apol.* 1, 6. P.G. 6, 336).

Christo autem, in suo veluti descensu ad nos et ascensu in coelum liturgico, debetur comitatus angelicus propter duo.

1° Quia pro Verbo in Theophaniis Veteris Testamenti saepe angeli stetere ; aderuntque in theophania ultimi diei, cum venerit Christus de coelis in gloria... cum angelis suis (*Mt.*, 16[27], cf. *Mc.*, 8[38]), immo *in majestate sua... et sanctorum angelorum* (*Luc.*, 9[26]). Dignum igitur est, ut non exsulent a THEOPHANIA NOVI TESTAMENTI, non quidem sensibili, sed spirituali, QUAE IN OSTENSIONE CLARIFICATI CHRISTI SACRAMENTALI JUGITER DECURRIT, *mysterium fidei*.

Et primo quidem, Theophaniam in sacramento haberi, sonant verba Epicleseos qualia leguntur in Liturgia *Constitutionum Apostolicarum* : Καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου Πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, ...ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου κ,τ.λ. (*Const. Apost.*, l. 8, c. 12. F.D. 1, 510). Quo loco transmutatio certissime deposcitur ; sed nominatur ostensio (« ut ostendat », ἀποφήνῃ) quippe quia significatio sacramentalis respectu corporis ac sanguinis Christi habet ex transsubstantiatione ut sit demonstrativa, id est ut veraciter demonstret Christum tanquam praesentem. Haec demonstratio (ἀνάδειξις) est quam adscribit pani et vino Basilius (*De Spiritu Sancto*, c. 66. P.G. 32, 188) : τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας. Et consonat Vetus Liturgia *Sancti Basilii* : Σὲ παρακαλοῦμεν... ἐλθεῖν τὸ Πνεῦμά σου... ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (B. 329-330). Non quod sermo sit de ostensione veluti consequente ad praesuppositam aliquam praesentiam latentem, quasi primo induceretur consecratio, et deinde ejus manifestatio quaedam ; sed utique de ostensione, quae obtineat in transsubstantiatione[1]. Per transmutationem enim Christus ostenditur oculis fidei praesens, ut sapienter annotarat ad locum citatum Basilii Dom Maranus (P.G. 32, 187-188). Cui omnino suffragatur Theodorus Andidensis in sua *Brevi Commentatione*, c. 27 (P.G. 140, 453), dum indiscriminate pro eadem actione usurpat ambas voces μεταποίησις et ἀνάδειξις ; et similiter auctor

1. Sicut apud Graecos audit ἀποφάνεια aut ἀνάδειξις illa constitutio corporis Christi sub speciebus, quibus demonstratur, ita apud Cyprianum (*Ep.* 63, 2. P.L. 4, 375) « vinum » proponitur, « quo Christi sanguis ostenditur ». Revera propriam formalemque inesse speciebus relationem praesentiae ad corpus Christi ut ad aliquid per ipsas DEMONSTRABILE, ostenditur infra (Elucid. L).

sermonis cujusdam *Historiae ecclesiasticae et mysticae contemplationi* interpolati, uno eodemque sensu de Spiritu Sancto dicens haec duo : ὑποδεικνύει τὴν θείαν ἐνέργειαν, et μεταβάλλει καὶ τελειοῖ τὰ ὑποκείμενα δῶρα (P.G. 98, 437). Et re quidem vera, in explicatione epicleseos theophaniam habuit prae oculis, qui haec (*ibid.*, P.G. 98, 437) scripsit : « Quod inclinatus sacerdos divinam mystagogiam faciat, id declarat « eum colloqui invisibiliter cum solo Deo. « Unde et divinam lucis apparitionem « (θείαν φωτοφάνειαν) cernit, et ad splendo- « rem gloriae vultus Filii Dei gaudio « impletur, et se subtrahit prae timore « et verecundia, quemadmodum Moyses, « cum Deum vidit in monte in ignis « specie, perterrefactus recessit, et occul- « tavit faciem suam : reverebatur enim « intellegere ex gloria faciem Dei. »

Hoc autem posito, sequitur congrue angelos Verbo in Epiclesi adnumerari. Ministri enim theophaniarum, ut dixi, fuerunt angeli. Theophaniae autem illae fuerunt typi venturae theophaniae, quam in lege gratiae habemus sub velis sacramenti, realiter nobis exhibentis Christum claritate sua sacerdotali et sacrificali potitum, donec consummetur in regno, ubi in carne ipsa assumpta nobis obversabitur conspicienda *facie ad faciem* gloria Verbi Dei, in *majestate sua... et sanctorum angelorum*. Locus igitur angelorum est congruus in adimpletione typi per eos dispositi olim, nec sine iis quondam consummandi.

2° Convenit rursus mentio angelorum, quia, et typice in *Genesi*, et literaliter in evangelio, ascensus et descensus quidam angelorum commemoratur super Christum. Jacob enim vidit scalam, per quam ascendebant angeli ad coelum, et descendebant de coelo ad lapidem, quem surgens erexit in titulum, fundens oleum desuper, ad consecrandum primum altare, typum primum veri altaris, qui Christus est (*Gen.*, 28^{11-18}). Et Christus ipse dixit Nathanaeli et Philippo : *Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis* (*Jo.*, 1^{51}).

En, credo, discursum angelicum, de quo, in oratione *post-pridie* mozarabicae missae pro « quinto dominico Paschae », id est quarta post pascham dominica, fit sermo : « Confitemur, Domine, confitemur et cre- « dimus, pro nostro scelere te corpora- « liter mortis subiisse supplicium, et, pro « omnium salute prostrato mortis interitu « [forte : imperio], triumphantibus angelis, « ad coelestem Patris, ex qua veneras, « mansionem reversum. Pro quo te, Deus « omnipotens, rogamus et petimus, ut « oblata in conspectu tuo nostrae servitu- « tis libamina ipse tibi acceptabilia fa- « cias ; et accepta, DISCURRENTE[1] SANCTO « ANGELO TUO, nobis sanctificata distri- « buas » (P.L. 85, 590).

En rursus « archangelicam Dei litur- « giam », de qua Liturgia graeca *Sancti Marci*, olim (Elucid. XXI) citata, in sua anticipata petitione perlationis donorum in altare Dei ; totque, in tam notis epiclesibus ejusdemmodi, angelorum ministeria. En tandem rationem, cur Patres[2] (ne memorem doctores mediaevales) signaverint angelorum frequentiam in hora invocationis. Ascendunt quippe et descendunt super altare coeleste, factum altare nostrum. Ascendunt et descendunt super dona nostra in coelesti altari collocata et rursus ad nos transmissa.

Haec dicta sint de missione Filii cum angelis suis. Dicendum nunc de missione Spiritus Sancti.

Congrue petitur (ut plerumque fit) missio Spiritus Sancti[3]. Spiritui enim Sancto est appropriata in Scriptura formatio corporis

1. Cf. S. Antoninus, *Summa*, Pars 3, tit. 31, cap. 5, § 1 : « Discurrit angelus medius inter di- « lectam et dilectum... efferens vota, afferens « dona, et praecipue in mysterio Missae. »

2. Ambros. (*Exp. ev. sec. Luc.*, l. 1, c. 28. P.L. 15, 1545) ; Ps. Ambros. (*De Sacram.*, l. 4, c. 26, n. 27. P.L. 16, 445) ; Greg. Rom. (*Dial.*, l. 4, c. 58. P.L. 77, 428) ; Chrysost., (*De Sacerdotio*, 6, 4. P.G. 47-48, 681).

3. Erravit olim J. T. Franz (*Die Eucharistische Wandlung und die Epiklese der griechischen und orientalischen Liturgieen*, 2, 202, Herbip. 1880), putans epiclesibus orientalibus semper esse exoratum adventum Spiritus Sancti. At

Christi in utero virgineo : *Spiritus Sanctus superveniet* (ἐπελεύσεται)[1] *in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.*, 1[35]). Consentaneum est igitur, ut invocetur Spiritus Sanctus ad conficiendum corpus Christi eucharisticum[2].

Huc refer formam epicleseos, quam exhibet *Oratio eucharistica Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi* (ap. Le Brun, 2, 573) : « Supplicamus tibi ut mittas « Spiritum Sanctum et virtutem super « hunc panem et super hunc calicem [ut] « efficiat corpus et sanguinem Domini « et Salvatoris nostri Jesu Christi[3]. »

Praeterea Spiritui Sancto favet aliqualiter locutio sancti Pauli (*Rom.*, 15[15–16]) : *ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto.* Quanquam loquitur ibi, credo, Apostolus de sacrificio interno fidelium potiusquam de externo, tamen non sine allusione ad externum : ex quo videntur translatae illae locutiones. Ceterum sacrificium visibile fit in ordine ad invisibile ; et sanctificatio hostiae fit in ordine ad sanctificandos eos quotquot hostiam participaverint. Omnis autem fidelium sanctificatio communiter in Scripturis attribuitur Spiritui Sancto. Pronum igitur erat ut Spiritui Sancto attribueretur sanctificatio sacrificii, ex qua promanat nostra sanctificatio.

Rursus Spiritui Sancto, Ecclesiae in die Pentecostes illapso[4], congruit eruditio fidei et manifestatio veritatis : quare congruit ut transsubstantiando objiciat oculis fidei praesentiam non significatam tan-

nostris temporibus, ex adverso erravit non minus Edmundus Bishop, existimans epicleses ad Spiritum Sanctum fuisse in usu nullas ante 4m saeculum (« not earlier than the fourth « century, and as concerns a wider diffusion, the « second half of that century. » *The moment of consecration*, T. a. S., 8, 1, p. 138-147). Contra hoc stat : 1° Epiclesis, quam exhibent *Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum Reliquiae*, ed. Hauler, 1900, p. 107, vel *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae*, F. D. 2, 100, quae nunc noscitur esse refundenda in Hippolytum. 2° Ex parte saltem, locus ex Origene (*In I Cor.*, 7[5]) adductus supra. 3° Indicatio data a Cypriano (*Ep.* 64, 4. P.L. 4, 392) : « ...quando nec oblatio sanctificari illic possit, « ubi Spiritus Sanctus non sit, nec cuiquam « Dominus per ejus orationes et preces prosit, « qui Dominum ipse violavit. » Recte J. W. Tyrer (*The eucharistic epiclesis*, Londini, 1917, p. 47) : [Cyprian] « would hardly have spoken « as he does, if he had been altogether unac- « quainted with the invocation of the Holy « Ghost in the Eucharistic service. » 4° Verba *Didascaliae Apostolorum* : « Gratiarum actio « [= εὐχαριστία] per sanctum Spiritum sancti- « ficatur » (*Didascaliae Apostolorum Fragmenta Veronensia Latina*, ed. Hauler 1900, p. 80) ; et istud : « Quid est majus : panis, aut Sanctus « Spiritus, qui sanctificat panem ? » (*ibid.*, p. 81) ; complexive cum hoc loco : « Regalem « eucharistiam offerte,... panem mundum prae- « ponentes, qui... per invocationem sancti- « ficatur » (*ibid.*, p. 85). Unde rursus valde probabiliter Tyrer (*op. cit.*, p. 48) : « We « may safely conclude that the Invocation he « [viz. the author of the *Didascalia*] was acqua- « inted with, was an Invocation of the Holy « Ghost. » Haud dubium igitur est, quin tertio saeculo frequentatae sint epicleses ad Spiritum Sanctum.

1. Cui voci omnino correspondet illa ἐπιφοίτησις Spiritus Sancti super dona, de qua omnes Patres graeci ; eo vel magis quod substantivum nomen ἐπέλευσις apud Graecos parum erat in usu.

2. Quam rationem indicat S. Joan. Damasc., *De fide orth.* 4, 13. P.G. 94, 1141, atque inter Latinos Paschasius Radbertus, *Lib. de corp. et sang. Dom.* 4. P.L. 120, 1227-1278 : « ...ut sicut de Virgine per Spiritum vera caro « sine coitu creatur, ita per eumdem ex substan- « tia panis et vini mystice idem Christi corpus et « sanguis consecretur. » Quae super verba Paschasii, perperam Augustino adscripta, sanctus Thomas sic commentatur : « Appropriatur « [transsubstantiatio] Filio sicut operanti, quia « ipse est sacerdos et hostia ; Spiritui autem « Sancto sicut quo operatur : quia ipse est « virtus de illo exiens ad sanandum » (4 D. 10, expos. text.).

3. Hanc epiclesim imitatur altera illa *Canonis universalis Aethiopum* : « Deprecamur te « ut mittas Spiritum Sanctum et virtutem « super hunc panem et super hunc calicem. « Faciatque utrumque corpus et sanguinem « Domini » etc. (R. 1, 517).

4. Hoc habet veri, quanquam mixtum falsis, traditio Graecorum apud Nicolaum Cabasilam (*Liturgiae Expositio*, c. 28. P.G. 150, 428) : « Hoc est opus illius descensus (τοῦτο τὸ « ἔργον ἐκείνης τῆς καθόδου); non enim semel « descendit, deinde nos reliquit, sed est et erit « semper nobiscum » ; et apud Symeonem Thessalonicensem, *Exp. de div. Templo*, c. 88. P.G. 155, 733-736, ubi consecrandi opus tribuitur virtuti emananti ex Spiritu Sancto, super apostolos in linguis igneis requiescente. Sine admixtione autem ulla erroris habetur eadem traditio apud Paschasium Radbertum (*Lib. de corp. et sang. Dom.*, c. 21, n. 2, col. 1335) citatum supra (Elucid. XXVI).

tum sacramento, sed et realiter contentam, Christi : adeo ut veritas obtingat signo. Quod et signanter agere deposcitur, ut superius est dictum, in Liturgia *Constionum Apostolicarum*[1] (F. D. 1, 510) et in Vetere Liturgia *Sancti Basilii.*

1. In *Constitutionibus Apostolorum* sic decurrit textus : καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, ὅπως ἀποφήνῃ κ. τ. λ. Quod non credo esse vertendum, sicut habet Funk *(loc. cit.)* : « Supra hoc sacrificium mittas sanctum tuum « Spiritum, testem passionem Domini Jesu, ut « exhibeat » etc. vel, ut legitur apud Salaville *(op. cit.)* : « ...d'envoyer sur ce sacrifice ton Saint-« Esprit, le témoin des souffrances du Seigneur « Jésus, pour qu'il fasse », etc. Quae, fateor, translatio est apud omnes auctores communis. Sed, salva doctorum virorum reverentia, puto equidem esse vertendum, eodem ordine quo habet textus graecus : « mittas sanctum tuum Spiritum super hanc hostiam, testem [i. e. annun-« tiatricem] passionum Domini Jesu, ut [ipse « sanctus Spiritus] exhibeat, » etc., vel Gallice : « ...d'envoyer ton Saint-Esprit sur cette hostie, « qui atteste les souffrances du Seigneur Jésus, « afin qu'il démontre (= qu'il fasse) », etc. Ratio est, quia 1° strictius sic adhaeretur ordini et structurae sententiae. 2° Non desunt (vide Steph. *Thesaurus G. L.*, ed. Didot. s. v : μάρτυρ) exempla usurpatae vocis μάρτυς de rebus inanimatis, etiam generis neutralis (Plat. *Leg.* 836, C. μάρτυρα παράγομεν τὴν τῶν θηρίων φύσιν. Erisastratus, ap. Galen., vol. 3, pag. 371 : πολλὰ τῶν ἐπιγινομένων παθῶν μάρτυρες) ; praeterquam quod hic intellegitur personificata hostia. 3° Quia nusquam in tota literatura christiana mihi occurit exemplum Spiritus Sancti appellati testis passionum Christi. 4° Quia congruit propositae hostiae ista appellatio, in quantum est similitudo, pignus, symbolum, memoriale, καταγγελία, passionis et mortis dominicae ; 5° quia parallela est, quoad sensum, locutio in *Anaphora Serapionis*, ubi panis propositus dicitur ὁμοίωμα (similitudo) corporis Christi, atque ὁμοίωμα mortis Christi ; et ὁμοίωμα istud construitur eodem stylo atque μάρτυρα, id est : cum articulo definito, quanquam est in appositione ad nomen (ἄρτον) affectum adjectivo demonstrativo : τὸν ἄρτον τοῦτον, τὸ ὁμοίωμα. Unde patet, non merito requiri eam, quam quis forte putaverit ad reddendum nostrum sensum necessariam, constructionem classicam : τὴν θυσίαν ταύτην, τὴν οὖσαν μάρτυρα, vel ἥ ἐστιν μάρτυς. En locum Serapionis. Σοὶ προσηνέγκαμεν τὸν ἄρτον τοῦτον, τὸ ὁμοίωμα τοῦ σώματος τοῦ Μονογενοῦς... Ἡμεῖς τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου ποιοῦντες, τὸν ἄρτον προσηνέγκαμεν, καὶ παρακαλοῦμεν διὰ τῆς θυσίας ταύτης · καταλλάγηθι πᾶσιν ἡμῖν... Προσηνέγκαμεν δὲ καὶ τὸ ποτήριον, τὸ ὁμοίωμα τοῦ αἵματος. (F. D. 2, 174). 6° His omnibus rationibus accedit alia, reor, validissima. Compilator *Apostolicarum Constitutionum* agnoscitur esse idem atque interpolator Epistularum Ignatii (vide summariam, eamque nitidissimam, demonstrationem apud Brightman, *op. cit.*, p. XXIV-XXVIII). Porro illi loco *Epistolae ad Romanos*, 2, 2, ubi DE SE loquitur Ignatius tanquam IMMOLANDO IN ALTARI, interpolavit noster falsarius, tanquam appositionem ad Ignatium (jam spectatum ut hostiam) ipsa illa verba (deprompta quoad sensum ex *I Petr.*, 5[1], ubi de seipso loquitur S. Petrus), τῶν ἑαυτοῦ (= θεοῦ) παθημάτων μάρτυρα. Ergo in tantum videtur illi S. Ignatius futurus esse testis passionum Christi, in quantum veluti hostia immolabitur in altari. Quis non videt, haec cum illi placuerint, debuisse etiam eum, aut saltem potuisse nostram hostiam designare ut testem passionum Domini Jesu (secundum ipsissimam Petri locutionem). En locum interpolatae *Epistolae ad Romanos*, 2, 2. (F. P. 2, 206) : « Plus mihi « praestatis, si me offeratis (σπονδισθῆναι) Deo, « cum jam altare (θυσιαστήριον) paratum est : « ut in dilectione, chorus effecti, cantetis Deo « Patri in Christo Jesu, quoniam episcopum « Syriae Deus dignum habuit, qui, arcessitus « ex Oriente in Occidentem, reperiretur testis « passionum suarum. » [De verbo ad verbum : « episcopum Syriae dignatus Deus (arcessens « ex Oriente in Occidentem) reperiri testem « suarum passionum »]. Ut conscensurus altare, ut immolandus, est passionum dominicarum testis, quasi adunatus sacrificio dominico. Testimonium autem Spiritus Sancti, sicut in sacris Scripturis, ita etiam apud nostrum Ps. Ignatium adstruitur quidem, cum in *Const. Apostol.* 7, 22, 1 et 8, 46, 3 (F. D. 1, 406 et 558) tum in apocrypha *Epistola ad Philippenses* 8, 3 (F. P. 2, 114), sed nunquam in ordine ad passionem aut mortem Christi.

Jam, interpretatione nostra supposita, oratur Spiritus Sanctus, ut hostiam, quae est testis passionum Jesu, demonstret esse fidum testem (plenum scilicet pignus, et non vacuum), dum eam consistere faciet in corpore et sanguine ipsius immolati Christi. Sicut in *Anaphora Serapionis* invocatur « Deus VERITATIS », ut panis, qui est ὁμοίωμα, fiat ipsum corpus cujus est ὁμίοωμα, et similiter de calice. Oratur ergo Spiritus Sanctus, ut sacramentum fiat non inane, et pro tanto falsum, sicut larva quaedam hostiae crucis, sed ratum et verum, tanquam ipsius Christi passi realitas praesens, perviaque intellectui fidei : ne desit signo et testi sua veritas (cf. R. S. R., oct.-déc. 1916, p. 474-476).

Fortasse non indignum notatu est, quod et nos in *Missali Romano*, utimur locutione aliqualiter simili, aut certe affini, in *Postcommunione* Feriae IV Majoris Hebdomadae. « Lar-« gire sensibus nostris, omnipotens Deus, ut « PER TEMPORALEM FILII TUI MORTEM, QUAM « MYSTERIA VENERANDA TESTANTUR, vitam te « nobis dedisse perpetuam confidamus. »

Sed non parum etiam, credo, invexit[1], aut certe vulgavit invocationem Spiritus Sancti, lectio διὰ πνεύματος ἁγίου, quae pro genuino textu *Epistolae ad Hebraeos* (9^{14}) διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ, jam quarto certe saeculo irrepserat, ut testatur Chrysostomus (in h. l. P.G. 63, 120), accedentibus codicibus nonnullis : (juxta Nestle) ℵ tertiae manus, D primae manus, et P ; Vulgata autem invariabiliter exhibente *per Spiritum Sanctum*.

Congrue tandem petitur missio utriusque simul, et Filii et Spiritus Sancti, ut video factum in *Vetere missali gallicano*, in oratione *post-secreta* missae Sancti Germani[2] et missae de Adventu (ap. Mabillon, *De liturgia gallicana*, lib. 3, P.L. 72, 342 et 345). Quod enim congruit singulis, nec exclusive, congruit etiam ambobus complexive[3].

CONCLUSIO.

Petitio acceptationis includitur implicite in omni oblatione. Oblationem autem nostrae hostiae jam ab initio totius tractatus ostendimus involvi, non sane enuntiativam, sed pragmaticam, ipso ritu coenae : quem narrantes sacerdotes in persona Christi iteramus. Ergo nostrae narrationi coenae implicatur petitio quaedam pragmatica acceptationis seu transsubstantiationis. Et ideo sancti Patres potuerunt dicere, et dixerunt unanimiter, per precationem nos sacrificare. Et quia petitio illa, sicut oblatio qua involvitur, fit nomine Ecclesiae, conjugatae Christo, ideo potuerunt dicere, et dixerunt, nonnisi per precem ecclesiasticam, per precem verae Ecclesiae, aut advocari Spiritum Sanctum, aut consecrari corpus Christi. Et quia omnis petitio Ecclesiae fit per Christum et cum Christo et in Christo, potissimumque petitio illa maxima qua conjungimur Summo nostro Sacerdoti impetranti olim aeternam suae hostiae acceptationem : ideo dictum est a sanctis doctoribus, per ipsius Christi precem confici sacramenta nostra, « CUM AD INVOCATIONEM SUMMI SACER-« DOTIS, non humana virtute, sed sancti « Spiritus perficiantur ineffabiliter majes-« tate » (S. Agobardus, *De privilegio et jure sacerdotii*, c. 15. P.L. 104, 142-143)[4]. Huc mirifice veniunt verba praeclara orationis *post-pridie* in missa mozarabica diei paschae : « Precamur nunc, Domine

1. Utrum lectio invexerit invocationem Spiritus Sancti, an invocatio Spiritus Sancti invexerit lectionem, non facile est decernere. Potuit altera alteram juvare. Interea notatu dignum est, quod omnes veteres scriptores latini (vetere latina usi) videntur nosse invocationem Spiritus Sancti. Vide Cyprianum, *Ep.* 64, c. 4. P.L. 4, 392 ; Optatum, *De schismate Donatistarum*, l. 6, c. 1. P.L. 11, 1065. Scriptores autem graecis codicibus usi, antiquius fortasse invocationem Dei aut Trinitatis meminerunt (Irenaeus, Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, excepto tamen Hippolyto ; at vide *Test. D. N. J. C.*) ; deinde Verbi (Serapion et Athanasius) ; et tandem Spiritus Sancti (passim, et jam antea apud Hippolytum, Ἀποστολικὴ Παράδοσις). Minime quippe constat, fuisse antiquiorem *Sacramentario Serapionis* graecam illam anaphoram, quam ex Crum-Papyris P. de Puniet edidit apud Dom. Cabrol (art. *Canon Romain*, in D. A. C., 2, 1882-1893) ; in qua ceterum, cum sit mutila, dubium adhuc remanet, nonne praeter invocationem ad Spiritum Sanctum, quae antecedit narrationi coenae, altera etiam successerit, ad aliam personam Trinitatis directa. De connexione inter *Hebr.*, 9^{14}, et coenam eucharisticam, vide supra (Elucid. V).

2. « Descendat, precamur, omnipotens Deus, « super haec quae tibi offerimus, Verbum tuum « sanctum ; descendat inaestimabilis gloriae « tuae Spiritus ; descendat antiquae indulgen-« tiae tuae donum ; ut fiat oblatio nostra hostia « spiritalis in odorem suavitatis accepta. »

In *A Homily of Mâr Jacob of Serûgh on the reception of the holy mysteries* (R. H. Connolly, *Downside Review*, nov. 1908, p. 282) descripta reperitur quaedam invocatio ad Patrem, ut mittat Filium, qua fit ut descendat Spiritus! « Together with the priest, the whole people « beseeches the Father that He will send His « Son, that He may come down and dwell « upon the oblation. And the Holy Spirit, His « Power, lights down in the bread and wine, « and sanctifies (or consecrates) it, yea makes « it the Body and the Blood. »

3. Etiam alterius binarii nonnunquam exoratur descensus, scilicet Patris et Spiritus Sancti. Vide *Librum Ordinum* (ed. Férotin, col. 265).

4. Vide, consentanee ad ea quae supra dicta sunt de conciliatione inter narrativum tenorem formae sacramentalis et implicitam indolem

« sancte Pater aeterne, omnipotens Deus, « ut QUEMADMODUM Dominus noster Jesus « Christus Filius tuus illa ineffabilium « gratiarum actione semetipsum tibi pro « nobis OFFERENS [en dominicam obla- « tionem], mortem nostram suscepturus, « AUDITUS est [en divinam acceptatio- « nem]; ITA nunc et nos, qui ipsum et « vitam ejus quaerimus, exsequendo « ministerialiter quae instituit, AUDIA- « MUR : ut hic tibi panis cum hoc calice « OBLATUS IN FILII TUI CORPUS ET SAN- « GUINEM, TE BENEDICENTE, DITESCAT, « ac LARGO ORIS TUI PERFUSUS SPIRITU, « indulgentiam nobis omnium peccato- « rum largiatur et gratiam » (P.L. 85, 485). Exauditio nostra, seu nostrae oblationis acceptatio, in quo consistat, indicatur : nimirum in transsubstantiatione, qua sanctificatus panis fiat sanctificans.

Inde habes quod respondeas, si quis tibi objiciat haec duo.

Primo. Mirum tamen est, quod in omnibus liturgiis fiat transsubstantiationis petitio post factam revera transsubstantiationem. Nonne hinc suadetur, quicquid velint theologi, in epiclesi demum effici (aut effectam esse saltem olim)[1] transsubstantiationem ? *Respondebis* : aeque universaliter fit ORALIS oblatio hostiae nostrae, post factam PRAGMATICE oblationem sacrificalem in consecratione. Non magis mirum est, quod post factam PRAGMATICE invocationem Dei in consecratione, fiat deinde ORALIS nostra et caerimoniaria invocatio seu epiclesis, declarativa illius.

Secundo. Mirum adhuc restat cur Patres tam multi dixerint plus minus expresse, consecrationem fieri per invocationem Dei super dona in ordine ad transsubstantiationem obtinendam. *Respondebis* : Verum dixerunt Patres quantum ad invocationem, quae pragmatice agitur. Postulatio enim transsubstantiationis implicite continetur in nostro sermone consecratorio, etiam nulla postulatione enuntiata. Continetur scilicet in nostro sermone : quatenus is rationem habet actionis oblativae, oblativa autem actio est ex sese quaedam pragmatica petitio acceptationis, acceptatio autem nostri sacrificii in transsubstantiatione sita est.

precatoriam, quomodo apud ipsum Agobardum consecratio fiat nihilominus per ipsam nostram recitationem dominicorum verborum in coena prolatorum (*Contra libros quatuor Amalarii*, c. 13. P.L. 104, 347).

1. Vereor ne istud, relate ad pristina tempora, insinuetur, et quidem erronee satis, a Rauschen : « L'Église occidentale donna « peu à peu une importance plus grande au « récit de la Cène... [En Orient] on vénéra « toujours davantage l'Épiclèse ; la plupart « des écrivains ne considéraient la consécra- « tion comme achevée qu'à la fin de l'Épi- « clèse... Mais il faut admettre que le moment « de la consécration dépend de l'intention du « prêtre. Puisqu'il lui appartient de consacrer « tel ou tel pain qui lui est proposé, il peut, « dès lors, fixer le moment de la consécration. « Mais l'Église a le pouvoir de lui imposer « une direction ; et si elle affirme que la con- « sécration a lieu quand elle prononce les « paroles de l'institution, nous devons sans « hésiter accepter sa manière de voir » (*L'Eucharistie et la pénitence*, trad. fr., Paris, 1910, p. 123-124; cf. ed. germ. supracit., p. 99-100).

Elucidatio XXXV.

Jure meritoque sanctus Thomas in consecratione sanguinis formalia reputavit verba quaedam demonstrationi sanguinis annexa. Aliunde Scotus recte sensit, praeter verba formalia, alia requiri narrativa, sine quibus nec illa sinceram formae rationem apud nos haberent. Praeter verba autem formalia et narrativa, non constat utrum necne alia sint necessario usurpanda interpellativa.

Sectio II. De verbis contextis.

Articulus I. — De verbis formalibus.

Certo apud omnes constat, pertinere essentialiter ad formam consecrationis verba, quibus sub specie panis et vini demonstratur corpus et sanguis : *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei* (vel alia aequivalentia). Sed quaestio ulterior est, demonstrationi corporis et sanguinis accedatne etiam tanquam formae pars, eaque essentialis, determinatio quaedam finis propitiatorii : puta per verba, quibus intimetur fieri *pro nobis*, *in remissionem peccatorum*, id quod in symbolo agitur.

Affirmat post Innocentinm III (recitandum infra in sectione III) S. Thomas[1] (3 S. 78, 3, et indeclinabilius in *I Cor.*, 11, lect. 6) cum suis antiquioribus discipulis omnibus, quos allegant Salmanticenses[2] (*De euchar. sacram.*, disp. 9, dub. 3, § 2, nº 22) et approbant. Negant plerique doctores recentiores, post S. Bonaventuram (4 D. 8, 2, 1, 2)[3].

Rationes negandi praecipuae sunt duae : una ex intestinis rei principiis hausta ; altera ducta ex fontibus dogmatis positivis.

Prior ratio sic procedit. Satis sine istiusmodi determinatione significatur conversio panis in corpus et vini in sanguinem : ergo efficitur ; siquidem in sacramentis verba efficiunt id quod significant.

Altera autem ratio haec est. Neque scripturales narrationes coenae, neque Liturgiae[4] concordant inter se quoad tenorem istorum verborum determinativorum. Ergo sunt extra ambitum formae.

At neutra ratio videtur convincens.

Et primo quidem, ut haec altera breviter expediatur, sufficiat notasse : in

1. Hoc de sententia S. Thomae fert judicium Suarez (Disp. 60, sect. 1, n. 3) : « Haec opinio « est valde probabilis, et magnae auctoritatis, « cui Scotus contradicere non est ausus. » Quanquam nimis stricte intellegit Suarez mentem sancti Doctoris, quasi is voluerit, ipsa verba, quibus utitur Ecclesia Romana, esse necessaria secundum suum grammaticalem tenorem, et non solum secundum aequivalentiam quamdam sensus intellegibilem. Aequivalentiam illam bene animadverterat Scotus (4 D. 8, 2; cf. *Reportata* 4 D. 8, 2).

2. « Idem unanimiter docuerunt omnes an- « tiqui Thomistae usque ad Cajetanum, qui « recalcitravit » *(loc. cit.)*. Videsis ibidem allegatos, praeter veteres illos, etiam non paucos recentiores. Doctoribus autem isthic relatis, possent multi alii addi, sive anteriores Cajetano, ut Joannes de Friburgo, in *Summa Confessorum*, l. 3, tit. 24, q. 55 (ed. 1518, fol. 122a.), sive posteriores, utputa Jacobus de Graffiis O. S. B., *Consilia et responsa*, l. 3, *De celebratione missarum*, consil. 30, n. 30 (Venetiis, 1604, p. 233); Henricus Henriquez S. J., *Summa theologiae moralis*, l. 8, de vero missae sacrificio, c. 17, n. 3; Franciscus Amicus S. J., *De sacramentis*, disp. 24, sect. 1, n. 20 sq. ; F. Macedo O. M., *De Clavibus Petri*, l. 4, pars 1, tract. 2 de sacram. euchar., cap. 6, Romae 1660, p. 282 ; Cardinalis Capisuccus O. P., *Controversiae theologicae selectae*, controv. 3, *de forma consecrationis vini eucharistici*, fusissime (ed. 1677 in-fº, p. 175-224), etc., etc.

3. B. Albertus M. non sibi constat. In 4 D. 8, 7, tenebat, verba determinativa esse « de « essentia formae ». In *Libro* autem *de sacramento eucharistiae* (quem crediderim posteriorem, nec est confundendus cum *sermonibus* dubiis *de sacramento eucharistiae)* adhaeret sententiae oppositae, « sine praejudicio sententiae melio- « ris » tamen. Vide Dist. 6, tr. 2, cap. 3.

4. Omitto quod objicitur ex auctoritate Patrum, quasi Patres, dum dicunt saepe ad verba *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, fieri consecrationem, censendi forent determinare quaenam praecisa series verborum formalium requireretur ; cum revera id unum intendant : ad enuntiationem operis, quod fit, fieri opus, quod enuntiatur (ut bene notant Salmanticenses, *ibid.*, § 6, n. 44). Sicut ipse S. Thomas in ejusdem quaestionis 78 articulo 1, ad 4m, dixerat compendiose, si sacerdos nullo praemisso sermone narrativo, uteretur solis verbis *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei,* fore ut consecraret : cum tamen, articulo 3, ex professo negaturus esset sufficere locutionem *Hic est calix sanguinis mei,* sine sequentibus verbis.

omnibus liturgiis, exceptis Aethiopicis [1] quibusdam corruptissimis (ex quibus nonnullae aliunde noscuntur esse invalidae) aut etiam Syrorum Schismaticorum fetibus infimis, semper quoad sensum reperiri, praeter demonstrationem separatam corporis et sanguinis, indicationem finis propitiatorii ob quem fiat ista separatio symbolica, vel cruenta effusio per ipsam designata. Nec amplius requirit intellegibilis aequivalentia formularum, quam defendimus, ut apparebit in solutione primae rationis et evolutione nostri argumenti intrinseci.

Primum autem adversariorum argumentum retunditur ipsa argumenti nostri efformatione. Cui praesupponendum est, quaestionem non esse in praesente, quid Christus potuisset facere, si vellet; sed quid voluerit. Porro voluit litare. Rursus quaestio non est, utrum demonstratio corporis et sanguinis sub speciebus panis et vini sufficienter per seipsam significaret (ac proinde, accedente institutione dominica, valeret inducere efficaciter) praesentiam realem aliquam, annon; sed quaestio est, utrum necne talis demonstratio significaret praesentiam realem immolatitiam, id est, qua perageretur sacrificium. Et hoc videtur negandum. Nam poterat certissime praesentia realis corporis et sanguinis Christi induci per sermonem practicum sub speciebus panis et vini, quin ullatenus fieret sacrificium; sicut poterat Christus sine sacrificio transmutare in corpus suum ac sanguinem lapides, aquam, aliasque quaslibet substantias corporeas [2]. Sane, sicut Christus poterat mori, quin mors ejus propriam haberet rationem sacrificii (qua etiam carent passiones martyrum), sic poterat talis suae mortis commendare nobis quoddam signum in corpore suo ac sanguine, etiam convivaliter percipiendo, puta ob solum finem caritatis fovendae, nulla interim dicata Deo hostia, aut peracto opere propitiatorio. Jam vero voluit Christus ita conversionem praedictam efficere, ut esset sacrificium; voluit transsubstantiando sacrificare; voluit facere transsubstantiationem sacrifico modo. Voluit igitur facere non transsubstantiationem quamlibet, sed talem ex qua resultaret ipse theothytus. Quod cum vellet, non sufficiebat in genere sacramentalis formae mera demonstratio corporis et sanguinis: siquidem illud non exprimeret, ut dictum est; sed oportuit, ut demonstrationi accederet determinatio, unde appareret esse immolatitium id quod peragebatur. Cui sufficit, si designetur opus ut propitiatorium; si *pro nobis* scilicet intellegatur cruentari corpus, si mors apud Deum valeat *in remissionem peccatorum*, aut si quid ejusmodi [3], quemadmodum olim est explicatum in Elucidatione III. Sed ita istud sufficit, ut omnino requiratur: forma interim nondum exprimente totum quod est exprimendum, nec proinde quicquam efficiente: est enim indivisibilis in re effectus ille et significatum [4].

Quare oportet ut intra formam repe-

1. Videsis apud Dom. Cagin, *Eucharistia*, 1912, 312-313, illas quae numerantur respective 29, 33, 35, 38.

2. Quod non quaelibet transsubstantiatio substantiae corporeae in Christum foret sacrificium, tangitur a Zacharia Pasqualigo, *De sacrificio novae Legis*, q. 49, n. 4, Romae, 1707, tom. I, p. 54.

3. Videtur quoad designationem finis propitiatorii aequivalere istis formulis mentio testamenti seu foederis novi, quae ut in Romana ita in aliis multis reperitur liturgiis. Etenim sanguis foederis, cum ex sese (attento more veterum gentium), tum maxime ex oppositione ad sacrificium *Exodi*, quam infert vox *novi*, intellegitur necessario sacrificalis, quo placatus Deus hominibus devincitur ac foederatur. Tale autem nihil prae se fert, ex sese, vox *Mysterium fidei*. At confert ad alias voces elucidandas, symbolicam actionis vim commonstrans, pandensque iter ad arcana sacramenti.

4. Hoc pellucide S. Thomas (in *I Cor.*, 11, lect. 6): « Circa ista verba, quibus Ecclesia « utitur in consecratione sanguinis, quidam opi- « nantur, quod non omnia sint de NECESSITATE « formae, sed solum quod dicitur: *Hic est calix* « *sanguinis mei*, non autem residuum quod se- « quitur... Sed hoc non videtur convenienter « dici: nam totum illud, quod sequitur, est « quaedam determinatio praedicati: unde AD « EJUSDEM LOCUTIONIS SENTENTIAM SEU SI- « GNIFICATIONEM pertinet. Et quia, ut saepe « dictum est, formae sacramentorum signifi- « cando efficiunt, TOTUM PERTINET AD VIM

riatur istiusmodi determinatio. Et quidem congruentius in calice quam in corpore. Consecratione enim calicis inducitur corporis cruentatio : cui demum inhaeret ratio adnexa sacrificalis[1].

Ut summatim dicamus. Forma eucharistiae debet esse immolatitia[2] ; non enim eucharistia est sacramentum, nisi in quantum est sacrificium. Forma autem non est immolatitia[3], nisi contineat desi-

« EFFECTIVAM FORMAE... In consecratione sanguinis oportuit exprimere Christi passionis « virtutem : quae attenditur primo quidem « respectu nostrae culpae, quam Christi passio « abolet. »

Sententiae sancti Thomae sic suum calculum dabat Henricus Henriquez S. J. (*Summa Theologiae Moralis*, l. 8, *De vero missae sacrificio*, c. 17, n. 3) : « Ex omnibus evangelistis et « Paulo, ex usu Ecclesiae Latinae et Graecae, « et ex fere communi theologorum consensu « constat, praeter illa verba *Hic est calix sanguinis mei*, ex necessitate addenda esse verba, « quae significent expresse effectum passionis « Christi et hujus sacramenti. Qui satis explicari videntur aut voce *novum testamentum* « (ut quod, morte testatoris confirmatum, « concessit nobis jus et haereditatem gloriae), « aut voce *qui pro vobis effundetur.* » Sed dilucidius longe et pressius Amicus S. J. (*De Sacram.*, disp. 24, n. 46) : « Instabis : ergo « saltem non sunt necessaria illa verba *pro* « *vobis* seu *pro multis* : cum satis natura sacrificii exprimatur per verbum *effundetur*. Sed « negatur consequentia. Etenim, nisi exprimatur FINIS, in quem sanguinis effusio dirigitur, RATIO SACRIFICII NON EXPRIMITUR, « CUM POSSIT SANGUIS EFFUNDI, ET NON PER « MODUM SACRIFICII : SI NIMIRUM IN NULLIUS « CULTUM ET EMOLUMENTUM EFFUNDATUR. »

1. Quod si cui videatur determinatio, postquam praecesserit in corpore (sicuti fit in plerisque liturgiis authenticis), deinde non esse in calice necessario iteranda (quanquam, ut diximus, in iisdem liturgiis semper iteratur), is fortasse non adversarium habebit S. Thomam, ut notant Salmanticenses (*ibid.*, § 6, n. 46). Nam poterit determinatio ista, propter unitatem sermonis et actionis, perseverare implicite, quoad vim enuntiativam, usque ad demonstrationem sanguinis (siquidem necessario, ubi corpus dicitur dari pro nobis, subsequens cruentatio fieri etiam intellegetur pro nobis), et sic afficere sanguinem virtualiter. Oportet vero ut determinatio illa afficiat directe sanguinem, aliquo saltem modo, propter rationem in nostro argumento factam. Nec sufficeret determinatio circa corpus, nisi perseveraret in sanguine, illo modo qui dictus est. Nam determinatio piacularis, si afficeret directe corporis consecrationem, jam in ea efficeret quod significaret ; nimirum daret corpori habitum immolatitium, et sic jam corpus intellegeretur theothytum : quod sane non probatur ; nam sacrificium non completur nisi gemina consecratione : siquidem nonnisi per consecrationem geminam repraesentatur mors, in qua consistit sacrificium. Quare dicendum est : determinationem piacularem, etiamsi forte sufficiat enuntiata in corpore, tamen non esse formalem respectu consecrationis corporis, sed tantummodo circa consecrationem sanguinis contextam praecedenti sermoni. Et sic manet verum illud S. Thomae : determinationem virtutis propitiatoriae ingredi formam alterius consecrationis, non autem prioris. Quia autem in canone romano nihil determinatur circa corpus, ideo S. Thomas rectissime docuit, fore nostram consecrationis formam circa sanguinem mancam et inefficacem, nisi accederent verba reliqua.

Quid vero, si sacerdos per formam romanam consecrans corpus, non intenderet proferre super calicem nisi verba *Hic est calix sanguinis mei* ? Is, juxta praesentis disputationis conclusionem, ne corpus quidem consecraret valide. Cujus ratio est, quia nemo valide consecrat corpus nisi intendens saltem consecrare et sanguinem : siquidem nemo consecrat valide, nisi implicite saltem intendens sacrificare. Qui autem excludit intentionem formae determinatioris circa sanguinem, reapse excludit intentionem validae consecrationis, ex dictis supra. Ergo excludit intentionem sacrificandi. Ergo ne corpus quidem valide consecrat.

Corruere consecrationem panis, ubi desit intentio consecrandi calicem, aperte apud Lugonem (*De sacram. euchar.*, disp. 19, sect. 8, n. 103) pronuntiatur esse sententia « non ab- « surda, sed vera. »

2. Sane, sicut olim saepe notavimus, non necessarium est, ut forma enuntiet formaliter oblationem, quasi diceretur : « Offero corpus « Christi » ; sed necessarium tamen est, ut symbolica separatio, quam enuntiat, corporis et sanguinis facta appareat ob Deum repropitiandum, nec in alium finem nescio quem minime sacrificalem. Unde tandem symbolica illa separatio se prodet tanquam sacramentalem immolationem ; et idonea proinde erit ad constituendam oblationem sacerdotalem victimae traditae Deo in mortem.

3. Sane verba exprimunt satis mortem, siquidem inferunt symbolicam separationem corporis et sanguinis. At, ut etiam atque etiam dicamus, non est idem designare mortem ac designare immolationem. Potest enim mors proponi sine ullo ordine ad sacrificium : quo casu praedicta separatio symbolica praenuntiabit quidem mortem hominibus, at non vovebit aut deferet Deo. Tangunt istam rationem Salmanticenses (*ibid.*, § 2, n. 21), cum notant : « Valde distant, quod sanguis Christi « effundatur, et quod effundatur pro remittendis peccatis. Sunt enim ista objective di- « versa, et potuerunt simpliciter separari. »

gnationem finis propitiatorii : qua deficiente, nullum obversatur ἱλαστήριον aut εὐχαριστήριον[1] aut hostia ulla ; nihil praebetur in genere theothyti ; nihil in Deum ordinatur aut destinatur, sed ne destinationis quidem aut ordinationis terminus ullus ob oculos nostros ponitur : ponitur vero, si placandus indigitetur ; et res sistitur Deo, quae per modum muneris seu hostiae demonstratur. Practica enim est significatio ista efficaxque sui significati.

Contra hoc non valet, si dicas : Quicumque sermo designet conversionem, sufficit in genere formae immolatitiae ; nam revera nil praeter transsubstantiationem requiritur ad sacrificium, ut patet per missam, in qua transsubstantiando demum sacrificamus. — Non valet, inquam, istud. Nam facile responderi potest : Transsubstantiando sacrificamus, quia et sacrificando transsubstantiamus. Non ex genere suo habet transsubstantiatio ut sit sacrificium, sed ex speciali modo quo fit. Certissime poterat absque ullo sacrificio converti panis et vinum in corpus ac sanguinem Christi : utputa si conversio fieret per solam omnipotentiam divinam, nullo mediante homine ; aut rursus si fieret opera humana Christi, sed sine verbis, per solam vim imperativam mentis. Cur autem non posset Christus etiam per verba, eaque demonstrativa transsubstantiare, quin illo ipso sacrificaret ? Sane istud non apparet : apparet immo contrarium, ut diximus. Non poterat autem nisi sacrificaliter transsubstantiare, si cruentandum corpus demonstrabat ἱλαστήριον pro peccatis. Tunc enim theothytum se declarabat et efficiebat. Quod fugit protestantes illos modernos, quibus nihil aliud in coena occurrit, nisi praenuntiatio parabolica mortis, aut si quid ejusmodi. Immo quod praenuntiabatur, id Deo offerebatur, in quantum coram Deo inducebatur mortis piacularis symbolum (non vacuum sane, sed plenum carne theothyta).

Nec rursus valet, si dixeris : Etiamsi ritus per se non se proderet sacrificalem, tamen sufficeret monitum aliquod subsequens Christi, notificans nobis intentionem, quam penes se habuisset sacrificandi. Et sic, etiam sine determinatione immolatitia, staret in transsubstantiatione sacrificium. — Responderi enim potest : Istud est hominis parum advertentis, sacrificium esse in genere signi, et quidem signi sensibilis ; cujus est prodere se, ut aliud notificet. Quare si exsistat secundum se inevidens, incompetens est signum. Hoc est, si non clareat externa donatio facta Deo, quo modo interna deditio denotabitur[2] ? Certe non intentio aut ejus subsequens intimatio valet conferre signo aptitudinem et sensum[3] ; sed debet per seipsum « visibile verbum » (Augustin.), compositum scilicet ex rebus

Rursusque (§ 5, n. 40) : « Quia [sacramentum « eucharistiae] ex parte rei oblatae est IPSUMMET SACRIFICIUM CRUCIS,... oportebat « quod in forma essentiali eucharistiae fieret « mentio sive expressio passionis Christi et « EFFECTUUM REDEMPTIONIS et salutis, quos « derivavit ad nos. »

1. Quaeres fortasse, unde, praeter propitiatoriam operis rationem, clarescat (sacramentaliter) eucharistica. Respondeo primo : supposita propitiatoria importari eucharisticam, ut explicatum est olim in Elucidatione I. At secundo infero, adnecti specialius eucharisticam propitiatoriae ex habitu externo panis et vini, sub quo defertur Deo pretium redemptionis. De donis enim Dei et datis, ut in Liturgiis passim habetur, redditur Deo nostra hostia ; proindeque in protestationem gratitudinis erga illum qui beneficio nos affecit. Recole Irenaeum citatum in Elucidatione IX.

2. Non negamus potuisse Christum, si vellet, suum corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini sacrificare, adhibitis verbis mere demonstrativis, si aliunde determinatio finis propitiatorii accederet. Sed, quia in suo sacrificio Christus nihil, praeter ipsum panem et calicem, admisit nisi verba, ideo penes verba est requirere istiusmodi determinationem, quae rebus a Domino tractatis nondum (secundum se sumptis) inest sensibilis.

3. Ut amplius in sectione sequente declarabitur, intentio conficientis sacramentum non mutat ipsa aut perficit sensum per formam et materiam naturaliter inductum. Sed sensum, per se stantem, adhibet efficaciter, aut non efficaciter adhibet, pro lubitu. Hoc solum est intentionis munus : non creare aut modificare sensum, sed (venia sit verbo) utilizare.

materialibus et verbis formalibus, informare mentes adstantium, quantum ad sui notitiam, ut possit exinde deducere in notitiam alterius. Et ideo oportuit, ut sacramentaliter sacrificans Christus, determinationem ritui ipsi inderet : quam de facto indidit non materiae quidem, sed formae sacramentali.

Nota, quaeso, non frivolam esse censendam quaestionem, quae ad intimas usque descendit rationes formales nostri sacrificii, immo et sacrificii Christi ; in qua periculosum censuit Scotus *(loc. cit.)* fore errorem, si qui admitteretur ; ob cujus gravitatem jussit S. Pius V expungi ex *Commentariis* Cajetani assertionem Angelico contrariam ; et *Catechismus Concilii Tridentini* (pars 2, de euchar., c. 21-23, coll. c. 20) monet fore ignorantiam in sacerdotibus turpem : cum interea totam formulam, scilicet demonstrationem cum determinatione, comprehendat intra fines formae sacramentalis.

Articulus II. — De verbis narrativis.

Unum recipitur ab omnibus omnium scholarum theologis : formam, eamque adaequatam, consecrationis consistere in ipsis dominicis verbis : puta : *Hoc est corpus meum*, etc. Alterum libere inter catholicos disputatur : verba dominica eruntne penes nos forma, si sint sibi ipsis relicta, an REQUIRITUR praevius sermo, per quem in ore Domini ponantur[1] : qualiter fit in omnibus liturgiis, dum NARRATUR Christus DIXISSE : *Hoc est corpus meum ?*

Haec quaestio serius invecta est in scholas, nec ante saeculum nonum quicquam legi, quod ad eam formaliter attingeret. Tertio decimo quidem saeculo negavit S. Thomas (3 S. 78, 1, 4m) ullum istiusmodi sermonem requiri ; secutique sunt eum doctores scholastici longe plerique. Quare auctoritate extrinseca summopere pollet illa sententia : cui probabilitatem suam adimere, temerarium valde foret.

At interea defendere ut solide probabilem sententiam oppositam, quae fuit Scoti (4 D. 8, 2, n. 4, et fusius ac firmius in *Reportatis* 4 D. 8, 2, n. 4), non magis debet reputari injuriosum erga sanctum Thomam, quam si sancti Doctoris sententiam circa formam in consecratione calicis essentialem deserueris. Immo praesens quaestio, in theologia sancti Thomae, non ea est unde ulla alia dependeat. Quin et melius, ni fallor, satisfacit principiis sancti Thomae de causalitate sacramentorum sententia Scoti, juxta quam verba formae non producent suum effectum, nisi ita prolata, ut suum effectum rite significent : qualiter infra exponetur.

Scotum autem semper secuti sunt ad hanc usque aetatem doctores sat multi, nec solum scotistae. Praeter alios quosdam, quos, tacitis nominibus, commemorat suo tempore Gerson (*Compendium theologiae. De septem sacramentis, de sacram. euchar.* Opera, Parisiis, 1606, t. 2, col. 82), hi possunt citari : Thomas Waldensis, de quo infra ; Angelus, in sua *Summa angelica* (s. v. *Eucharistia*, c. 1, n. 24. Parrhisiis, 1502, fol. 141 b); Pelbartus de Temesvar (fl. 1490), in *Aureo sacrae Theologiae Rosario* (tom. 3, s. v. *Eucharistia II*, de forma, § 1, Venetiis, 1586, p. 100), Salmeron, S. J., in suis *Commentariis in evangelicam historiam* (t. 9, tr. 13, Colon. Agripp. 1614, p. 85)[2], Joannes de Rada

1. Sane nemo existimat illum determinatum tenorem sermonis narrativi, qui nostro canone continetur, esse necessarium ad validitatem, cum sit diversus in aliis rituum orientalium liturgiis ; sed agitur de substantia narrationis, quae ubique communis est : Christum in sua cena accepisse panem et dixisse, etc. Quare minus efficax videtur ratio a S. Thoma (3 S. 78, 1, 4m) allata contra narrationis necessitatem : « Quia canon missae non est idem apud « omnes, nec secundum omnia tempora. » Quae ratio si quid valeret, valeret eadem contra sententiam ipsius S. Thomae, modo propugnatam, circa essentialem integritatem formae sacramentalis in consecratione sanguinis adhibendae.

2. Salmeron tenet, verba *Hoc est corpus meum* non usurpari nisi « recitative ». In exclusione sensus « significativi » non eum sequimur ; sed sane in assertione sensus recitativi, quam communem fere cum omnibus doctoribus habet. Porro ad veritatem sensus recitativi tuendam,

(† 1608)[1], archiepiscopus Tranensis primum, deinde episcopus Pactensis (*Controversiarum theologicarum inter S. Thomam et Scotum* super quartum Sententiarum librum, Controvers. 5, art. 3, Venetiis 1617, p. 163)[2]; Philippus Faber, « theologus vere doctus » (Hurter, *Nomenclator*), in suis *Disputationibus Theologicis in Quartum Sententiarum* (disp. 33, n. 3-17, Venetiis 1614, p. 134-137) fusissime et sollertissime; Cardinalis Laurentius Brancatus de Lauraea (*In Quartum Librum Sententiarum Mag. Fr. Ioannis Duns Scoti*, tom. 1, Romae, 1653, Disp. 19, art. 1, n. 10-42, p. 492-499), vir inter suos coaetaneos princeps, quatuor pontificibus apprime probatus, qui mortuus est, ait Hurter *(Nomenclator)*, « scriptis perennem memoriam relinquens[3] »; Zacharias Pasqualigo[4], theatinus, in suo opere *De Sacrificio novae Legis* (quaest. 323, n. 4-5, Romae 1707, tom. 1, p. 292), quod pronuntiat Hurter *(Nomenclator)* auctoris classici opus praestantissimum; Antonius Arbiol, « vir egregie doctus » (Hurter, *Nomenclator*), in suis *Selectis disputationibus* (disp. 4, art. 2, Caesaraugustae 1725, disp. 4, art. 2, p. 322-326)[5]; etc.

Quanquam probabiliorem habent alteram, tamen etiam ut probabilem etiam proponunt Scoti sententiam Hiquaeus

objectionem facit et solvit. Objectio est haec : « Si sumuntur per modum recitantis illa verba, « FORMA PER SE PROLATA NON EFFICERET SA- « CRAMENTUM, nec fieret consecratio, quod vide- « tur inconveniens : nam in aliis sacramentis « constat, quod, debitis formis prolatis super « debita materia cum debita intentione, confi- « ciuntur, licet alia omittantur. » Responsio autem haec est : « Respondemus, CONCEDENDO « cum Doctore Subtili, verum esse, quod argu- « mentum infert : nempe QUOD NON CONFICE- « RETUR HOC SACRAMENTUM, licet alia confi- « ciantur. Et ratio differentiae est, quia « aliorum sacramentorum formae determina- « tae sunt, determinatamque actionem signi- « ficant : ut forma illa determinata : *Ego te* « *baptizo* lotionem illam a me fieri in nomine « Trinitatis significat. Haec autem forma *Hoc* « *est corpus meum*, et *Hic est sanguis meus* « indeterminata est, NISI ADJUNGATUR HISTO- « RIA, quae hanc formam fieri indicet ad fa- « ciendum quod Christus jussit in coena fa- « ciendum. »

1. « Aragonensis, usque adeo celeber theo- « logiae professor, ut a Clemente VIII Romam « evocatus sit et adscriptus inter consultores « praecipuos » etc. (Hurter, *Nomenclator*[2]).

2. « Eo ipso quod sacerdos vult hujusmodi « verba in persona Christi proferre, non cen- « sentur ex vi verborum in persona prolata, « quia VOLUNTAS PROFERENTIS VIM SIGNIFI- « CANDI NON TRIBUIT VERBIS, ergo, si ipsa ut « simpliciter dicta et sine praecedentibus, non « significant ex propria vi corpus Christi, ne- « cessario sequitur, praecedentia verba esse « necessario praemittenda, ut verba consecra- « toria in persona Christi dicta intellegantur » *(loc. cit.)*.

3. Nervose probat auctor istud : « Intentio « loquentis non salvat quin verba illa [absolute « prolata] significent corpus loquentis ex vi « verborum » (n. 11, p. 492). Et concludit (n. 12, p. 493) : « Ergo falsum est, verba illa *Hoc est* « *corpus meum*, absolute prolata a sacerdote, « virtute solius intentionis, significare ex natura « sua corpus Christi : ut ergo illud significent, « debent proferri in persona Christi. »

Secundo, optime explicat, quomodo se habeant ad formam verba antecedentia. « Potius « dici debent DISPOSITIONES ad veritatem for- « mae, nunquam tamen forma » (n. 20, p. 494). « Ratio est, quia illa quatuor *Hoc est corpus* « *meum*, sunt illa quae imposita sunt ad si- « gnificandum, corpus Christi, et sunt essen- « tialiter significantia; tamen non habent hanc « significationem nisi ut in persona Christi di- « cuntur : igitur illa quae faciunt ut dicantur « in persona Christi, non sunt pars eorum, « sed dispositio quaedam praevia ut de per- « sona Christi dicta sint. Si ergo concurrunt « praecedentia ad significationem, non con- « currunt ut constituentia significationem, ne- « que rem significantem, sed ut disponentia « ad utramque » (n. 22, p. 495).

4. Qui, dum negat (uti debet) verba praeambula esse essentiale quid ipsius formae, tamen tenet esse necessario praemittenda, et quidem « ex natura ipsius formae ». Cujus haec assignatur ratio : « Licet ista verba non « sint consecrativa, quia non significant con- « versionem materiae in Corpus et Sanguinem « Christi, sunt tamen DETERMINATIVA formae « substantialis consecrationis, ut SENSIBILI MO- « DO proferatur in persona Christi; quia licet « determinetur per intentionem, quia tamen « intentio non est sensibilis, non determina- « tur sensibili modo : ergo, si non repetan- « tur, detrahitur formae aliquid notabile, nem- « pe quod verba consecrativa non sint de- « terminata sensibiliter UT IN PERSONA CHRISTI « PROFERANTUR. »

5. « Sola sacerdotis intentio nequit facere « quod talia verba ex vi verbali significent cor- « pus Christi; ergo necessario debent alia verba « praemitti... Quomodo... sola sacerdotis in- « tentio facere valet, quod particula *meum* « verbaliter et ex vi vocabuli significet *non* « *meum* ? » (p. 323).

(*In Scotum* 4 D. 8, 2, n. 9, Poncius[1], Mastrius (*In* 4 *Sent.*, disp. 3, q. 6, art. 1, n. 137-138) et plurimi alii[2].

Praeterea Ecclesia jubet omnes illam sententiam practice sequi, in suis *Rubricis Generalibus*, *De defectibus in celebratione missarum occurentibus* (c. 3, nn. 5, 6 et 7 ; c. 4, nn. 3 et 4 ; c. 10, nn. 3 et 13), ubi, si qui fuerit in confectione sacramenti deprehensus defectus debitae materiae, vel aliud quidpiam istiusmodi acciderit, jubetur sacerdos semper resumere orationem ab illis verbis : *Qui pridie*, vel *Simili modo* : « A CONSECRATIONE INCIPIAT, « SCILICET AB ILLIS VERBIS : *Qui pridie.* »

Ante ipsum Scotum idem tradiderant, quos jam, tacitis nominibus, memorat sanctus Thomas *(loc. cit.)* dicens : « QUIDAM dixerunt hoc sacramentum perfici « non posse, praedictis verbis prolatis, « et aliis praetermissis. » Quosnam sanctus Thomas ob oculos habuerit, non constat. Sed utique possunt ex veteribus scriptoribus nonnulli citari qui sententiae Scoti patrocinentur.

Florus Lugdunensis (*De Exposit. missae*, n. 60, super verba « *Qui pridie* « *quam pateretur, accepit panem*, etc. usque « ad haec *quotiescumque feceritis, in mei* « *memoriam facietis* ») sic commentatur : « In HIS verbis, SINE QUIBUS nulla lingua, « nulla regio, nulla civitas, id est NULLA « PARS ECCLESIAE CATHOLICAE CONFICERE POTEST, id est consecrare sacramentum corporis et sanguinis Domini, « ipse Dominus tradidit apostolis, unde « universalis Ecclesiae jugem memoriam « sui Redemptoris celebret, et apostoli « generaliter omni Ecclesiae[3] » (P.L. 119, 52). HAEC verba, de quibus loquitur, vix possunt esse alia quam integra series sententiarum, de qua sermo est. Nulla enim particularia verba in medium adduxit, nisi illa quae ex ipsius inscriptione nos transcripsimus. Necdum, vel semel, retulit distincte verba dominica *Hoc est corpus meum.*

Nec est objiciendum, quod statim pergit, dicens : « Christi ergo virtute et « verbis semper consecratur et consecrabitur. Illius sermo est, qui coelestia « sacramenta sanctificat. Ille in suis sacerdotibus quotidie loquitur » *(ibid.)* : ubi sane nostra prolatio verborum dominicorum memoratur, et efficax praedicatur. Nam eatenus verba Christi in ore nostro sunt efficacia, eatenus Christus per nos sacerdotes suum corpus significat dicentes *Hoc est corpus meum*, quatenus Christum induximus loquentem. Quare pergit ulterius Florus : « Unde et « Ecclesia EX TRADITIONE his verbis « consecrans mysterium sacri corporis et « sanguinis Domini, DESIGNANTER DICIT « DOMINUM DIXISSE apostolis : *Accipite et* « *manducate ex hoc omnes : hoc est enim* « *corpus meum* » (col. 53)[4].

Apud Gerhohum Reichersbergensem duo valde notanda de hac re occurrunt.

Fateor quidem, negat, caerimonias, quae pristino ritui missae accrevere, esse essentiales : « Neque enim sanctius hinc est « [sacrificium], quam erat prius, cum AD

1. Apud Mastrium.

2. Hieronymus de Montefortino (*Joannis Duns Scoti Summa Theologica*, 3ae p[ts], tom. 1, q. 78, art. 1, Romae 1787, vol. 4, p. 485) ita in utramque partem rem disputat, ut relinquat ancipitem.

3. Eamdem sententiam profert iisdem verbis Remigius Antissiodorensis in opusculo *De celebratione missae* (P.L. 101, 1260), cujus verba postquam recitavit in sua expositione Canonis Thomas Walden, deinde ipse pergit : « Si ergo sine hac prece, sicut consonanter « jam ait Paschasius, nulla gens aut lingua, « id est nulla pars Ecclesiae potest conficere « sacramentum, qualiter conficiunt Thaboritae, « Pragenses, vel Orphani, si illud evangelium « Joannis, *ante diem festum paschae,* ut fertur, « in suae missae tantum complementum et « consecrationis assumant, ubi DE CONSECRATIONIS HISTORIA nihil profertur ? Non leviter « eos credo delirare tantisper » (*Sacramentalia*, Paris. 1523, tit. 4, c. 38, fol. 92). Non igitur solum interpretatur ut nos Remigium Thomas Walden, sed et consentit Remigio. Quare accensendus est patronis sententiae nostrae, qui post S. Thomam floruerunt.

4. Haec verba leguntur etiam apud S. Agobardum Lugdunensem in opusculo *Contra libros quatuor Amalarii*, c. 13, P.L. 104, 347. Utrum ex praesule ad diaconum, an ex diacono ad praesulem migrarint, nescio.

« SOLA VERBA DOMINI solamque oratio- « nem dominicam CONSECRABATUR » (*Tract. adv. Simon.*, c. 17. P.L. 194, 1352)[1]. Sed noli, quaeso, praepropere inde concludere hunc esse sensum asserti, ut consecratio olim facta sit per sola verba Domini SIBI IPSIS RELICTA. Nam dubitandum tibi est, nonne his verbis reddiderit Gerhohus sententiam Gregorii M., secundum quam apostoli « ad solam orationem oblationis » (vide, supra, Elucid. XXXI), consecraverint, id est ad solam anaphoram, complectentem verba et gratiarum actionis et narrationis et oblationis et invocationis, quibus adnecteretur oratio dominica.

Certe illud omnino constat ipsum Gerhohum non esse contentum solis verbis dominicis[2].

Nam *primo*, diserte dicit : « Illa vero « dominica verba desuper contexta per « totum, UBI CHRISTUS INDUCITUR ORE « PROPRIO LOQUENS, et DICENS : *Accipite* « *et manducate ex hoc omnes : hoc est enim* « *corpus meum. Accipite et bibite ex hoc* « *omnes : hic est enim calix sanguinis* « *mei*, etc., usque *hoc facite in meam com-* « *memorationem :* illa inquam verba super « panem et vinum fusa, quibus accedentibus ad panis et vini (aqua misti) ele- « mentum, fit sacramentum, similitudi- « nem repraesentant illius tunicae desuper « contextae, quam neque ipsis Christi « crucifixoribus, licuit scindere. Hoc est « verbum brevians et consummans totam « integritatem, quae est in panis et vini sa- « cramento, si eidem, cui ea [verba] Chris- « tus adhibuit, adhibita fuerint elemento, « RITU VIDELICET ECCLESIASTICO, QUEM « TRADITUM SCIMUS AB IPSO CHRISTO » (c. 18, col. 1352). Vides qua lege sufficiant verba Domini : 1° si in ipsorum recitatione inducatur Christus ea ore suo proferens ; 2° quod idem est, si adhibeantur ritu ecclesiastico : secundum quem sane eduntur ut a Christo prolata in sua coena. *Secundo*, pergit ulterius : « Si... sacrificantes, et « omnia, quae a sanctis Patribus apposita « sunt, recitantes, CHRISTUM IN COENA SUA « LOQUENTEM NON INTRODUCAMUS, non « potest nominari sacramentum, quod « agimus » (c. 18, col. 1353). Quomodo autem introducemus Christum loquentem IN COENA SUA, nisi narrantes coenam dominicam ? Quomodo loquentem introducemus, nisi hoc vel illud ab ipso esse dictum pronuntiemus ?

Non parum congruit eidem doctrinae, quod, in professione fidei Waldensibus praescripta, dicit Innocentius III, tria requiri de necessitate ad confectionem sacramenti : ordinem sacerdotalem, intentionem debitam, « et illa solemnia « verba, quae A SANCTIS PATRIBUS in ca- « none sunt expressa » (D., 424). Qua designatione videtur Pontifex complecti aliquid praeter verba ipsa dominica[3]. Cui interpretationi favet tractatus *De sacro altaris mysterio*, ubi legitur quidem : « Ad « prolationem istorum verborum : *Hoc est* « *corpus meum*, panis mutatur in corpus » (l. 4, c. 17 et 18. P.L. 117,868-869). Sed antea (eod. lib. c. 1 et 5, col. 851-858), aggressurus Innocentius explicationem verborum *Qui pridie*, etc. : « Ad ipsum COR, inquit, divini SACRIFICII penetramus. » Et in decursu explicationis, notans tria occurrere, quae non sint ab evangelistis commemorata : *elevatis oculis in coelum*, *et aeterni*, *mysterium fidei*, dum vult illorum originem refundere in Christum et apo-

1. Similia videsis apud Joannem Belethum (*Rationale divinorum officiorum*, c. 98. P.L. 202, 103).

2. Habebis ex hoc exemplo, qualiter sit apud illos veteres intellegenda locutio, *ad sola verba Domini fit consecratio* : utique « ad sola verba « Domini », rite tamen introducta. Rursus ad eumdem sensum accipies ea quae, loco proxime superiore, c. 16 et 17 (col. 1351-1352), Gerhohus dixerat : non nocere integritati omissionem eorum quaecumque adduntur traditioni a Christo profectae. Quorum exempla ibidem ab ipso dantur precationes illae : *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, et si quid ejusmodi, sed nihil ad substantiam canonis pertinens.

3. Scilicet illa solemnia verba, quae censet ille esse necessaria, videntur includere primo quidem verba quae in persona Domini proferuntur omnia (sunt enim ista sollemniora inter alia), et secundo etiam verba quibus introducuntur illa : ut suadetur quoad utraque, cum ex generalitate locutionis (« illa solemnia « verba quae a sanctis Patribus in canone sunt « posita ») tum ex commentario mox citando.

stolos, scribit : « Quis ergo tantae praesumptionis extitit et audaciae, ut hoc « de corde suo tentaverit interponere ? « Sane FORMAM ISTAM VERBORUM AB IPSO « CHRISTO ACCEPERUNT APOSTOLI, et ab « ipsis apostolis accepit Ecclesia[1]. » Porro *elevatis oculis in coelum*[2] non intra dominicum sermonem reperitur, sed in narrativo praeambulo. Ex institutione Christi igitur credit Innocentius narrationem illam esse faciendam : quo valde suadetur, eam esse necessariam ad confectionem sacramenti ; non quidem ut formam sacramentalem, siquidem forma reponitur in verbis dominicis ; sed ut conditionem sine qua forma non fuerit forma : quippe carens sensu debito.

Utut sint ista, vel quantumcumque tenue inde sententiae Scoti patrocinium adjudicetur, certe ego SENTENTIAE OPPOSITAE EXEMPLUM NULLUM INVENI ANTE SAECULUM TERTIUM DECIMUM[3].

Non caret igitur sua probabilitate, etiam extrinseca, sententia Scoti, sed plurimum pollet rationibus internis : quae nunc sunt perpendendae.

Principii instar constet istud : omnis forma sacramentalis debet significare suum effectum, non solum ex intentione subjectiva ministri proferentis, sed etiam ex tenore ipso objectivo sermonis prolati. Significando enim forma causat ; et significatio est ex sese aliquid objectivi et externi, aestimandum juxta receptas regulas sermonis humani in genere, et speciatim idiomatis adhibiti. Intentio autem in confectione sacramentorum eo demum spectat, ut applicetur forma, utique completa per se in sua ratione formae, ad materiam ex seipsa sufficientem. Nequaquam igitur ad hoc valet intentio ut forma, si qua significatione ex se careat, donetur. Aliis verbis, ubi aliquid deerit significationis, non hoc supplebit intentio.

Non est igitur dicendum : Forma illa ex vi verborum non prae se ferret significationem talem, nisi minister intenderet eam proferre in sensu tali ; sed cum intendat ipse in sensu tali eam proferre, significat taliter. Immo, rursus dico, intentio ministri non corrigit aut dirigit sensum formae, sed facit solum, ut, quem sensum naturaliter habet forma secundum seipsam in datis adjunctis, hunc habeat efficaciter.

Haec principia, ni fallor, debet omnis theologus accipere : quae subjacent decisioni Leonis XIII *De ordinationibus anglicanis*, qua parte Pontifex, ostenso quem sensum obvium habuerint in coetu anglicano verba adulterati *Ordinalis*, pergit : « Eodem porro argumento vel uno illud « etiam corruit, opinantium POSSE in « legitimam Ordinis formam SUFFICERE « precationem *Omnipotens Deus, omnium* « *bonorum largitor*, quae sub initium est « ritualis actionis : etiamsi forte haberi ea « posset tanquam sufficiens in ritu aliquo « catholico, quem Ecclesia probasset. » En formam, quae alibi POTEST SUFFICERE, ubi scilicet habet ex usu verborum recepto sensum catholicum ; non potest

1. Eadem fere legesis in decretali *epistola ad Joannem quondam archiepiscopum Lugdunensem. Regest.*, l. 5, ep. 121. P.L. 114, 1119-1120).

2. Parvi refert in praesente utrum necne rectam habuerit opinionem Innocentius III de origine istius membri vel aliorum duorum. Sufficit ad propositum nostrum, si ostendatur habere narrativum sermonem ut necessarium, tanquam computandum inter sollemnia illa verba a Patribus in canone expressa.

3. In neutram partem advocari potest Paschasius Radbertus (*Lib. de Corp. et Sang. Dom.*, c. 15. P.L. 120, 1322) statuens, non quaenam verba sint necessario peroranda, sed quaenam sint efficacia. Sed utique Scoti thesi favent verba quae jam supra (Elucid. XXXIV) retuli ex *Summa Sententiarum*, tr. 6, c. 4 (P.L. 176, 140-141) : « Forma hujus sacramenti est COMMEMORATIO illorum verborum, quae in coena « Christus dixit », etc. Non dicit : « enuntiatio » illorum verborum, aut « prolatio » ; sed dicit : « commemoratio ». Verba igitur ita a nobis proferuntur, ut commemorentur, id est ut narretur eorum prolatio (dominica) : et pro tanto sunt forma. Confirmatur nostra interpretatio ex iis quae subdit auctor : « Credimus verba illa, a sacerdote EO ORDINE et « ea intentione dicta, panem et vinum in verum corpus Christi et in verum sanguinem « commutare » *(ibid)*. Debent igitur verba *Hoc est corpus meum* dici quodam « ordine » : id est, ni fallor, inseri cuidam narrationi, unde fiat ut commemorentur. Conferatur etiam Auct. Lib. *De Sacramentis* 4, 5, 21. P.L. 16, 462.

autem sufficere illic, in coetu anglicano, ubi alium habent sensum receptum vocabula *presbyter*, vel *episcopus*, aut si quid ejusmodi. Non POTEST, inquam sufficere : quod plus est quam : non sufficit. Non potest, scilicet, quaecumque fuerit intentio privata ministri, corrigens interne sensum vocabulorum popularem, et inserens catholicum.

His positis, quaestio huc redit : numquid, sublatis ceteris verbis, verba *Hoc est corpus meum*, a me prolata, sensum reddant, quem requirit sacramentum ? Quemnam sensum requirit sacramentum ? Ut significetur corpus Christi. Necessarium igitur est, ut possessivum illud *meum* referatur ad Christum possessorem, non ad me, qui nunc loquor ad altare. Jam vero, si verba praedicta sint sibi relicta, nullo scilicet praecedente, secundum regulas omnis sermonis humani sensus objectivus et externus vocis *meum* non erit talis, qualis oportet, sed erit obvius et planus in respectu ad me, qui loquor. Et hoc intentio mea, in re sacramentaria, mutare non potest, ut dictum est. Ut autem illud *meum* connotet Christum, oportet omnino ut sermo ponatur in ore Christi. Quod non fiet, nisi ipse inducatur locutus : *Hoc est corpus meum*. Tunc demum verba habebunt sensum respectu corporis Christi, non mei ; tunc habebunt suam vim et rationem formae.

Haec argumentatio fuit Scoti : « Verba « sacramentalia ex vi verborum debent si- « gnificare illud quod efficitur ex vi sacra- « menti. Sed ex vi consecrationis hujus « efficitur, ibi esse verum corpus Christi : « ergo verba sufficientia ex vi propria « debent significare illud ibi contineri. « Sed haec verba *Hoc est corpus meum*, « prolata sine praecedentibus, hoc non « significant absolute, quia ly *meum* signi- « ficat referri ad personam ipsius loquen- « tis. Quia, licet minister possit intendere « ut loquatur in persona Christi, non ta- « men propter hoc significatum illorum « verborum esset, quod ly *meum* demons- « traret corpus Christi, sed corpus loquen- « tis » (Scotus, *loc. cit.*).

Ad cujus exemplum, sit rex barbarorum, post debellatos hostes, alloquens suos milites : « Dividite mecum, dimidia enim « pars spoliorum vestrorum mea est. Hoc « autem ipsum intimate ceteris commili- « tonibus vestris. » Quid, si iverint milites, et dixerit unusquisque suis commilitonibus : « Dividite mecum, dimidia enim « pars spoliorum vestrorum mea est » ? Nonne irascetur rex, et illusum se reputabit ? Quin, oportet ut dicant illi : « DIXIT REX MILITIBUS SUIS : Dividite me- « cum ; dimidia enim pars spoliorum ves- « trorum mea est. Hoc autem intimate « ceteris commilitonibus vestris[1]. » Et tunc regis jussui erit satisfactum ; quia verba regis intimata fuerint eo sensu, quo erant a rege prolata, dum ponuntur in ore regis.

Item de sacerdotibus. Oportet ut praemittant verbis dominicis mentionem Domini loquentis, quam si omiserint, non faciunt id quod fecerat Christus, quia quanquam adhibent verba materialiter eadem, non tamen eadem formaliter, id est in ratione significandi : siquidem apud ipsos *meum* significat mei ipsius, id est Petri, vel Pauli, vel Jacobi loquentis ; apud Christum autem significabat mei ipsius, id est Christi : quod non significat apud nos, nisi inducatur Christus loquens.

Unde vides, quam perperam quis objecerit : Christus, nulla adhibita narratione coenae, consecravit per sola verba *Hoc est corpus meum*. Ergo nos, etiam omissa omni narratione, tamen consecraverimus per sola eadem verba. Nam dixit : *Hoc facite*, scilicet quod ipse feci. — Respondeo : praecise quia debemus facere idem quod fecit, ideo debemus eadem verba proferre

1. Non sane membrum narrativum *(dixit rex)* habet vim praecepti, cum nihil injungat; sed utique illam habet membrum narratum seu promulgatum *(dividite mecum)*, quod imperativum est. Sed huic membro, ut promulgatio, ita vis obligans respectu individuorum subditorum non accrescit, nisi prolato priore membro. Sic apud nos, ut verbis Thomae Waldensis (*op. cit.*, tit. 4, c. 38, fol. 92) utar « promul- « gatur et semper effectrix Christi sententia ».

IN EADEM RATIONE SIGNIFICANDI. Quod non possumus facere, nisi inducamus Christum loquentem. Non quod verba illa quaecumque induxerint Christum loquentem, habeant ullam rationem formae, siquidem non ipsa significant sub specie panis praesto esse corpus Christi[1]; sed quia sunt conditio, sine qua nec nostra prolatio verborum dominicorum illam necessariam significationem habuerit[2]. Posita autem conditione, habet.

Dices ; sufficit ut verba proferantur in persona Christi. Proferri autem in nomine Christi possunt, nulla narratione praemissa, neque facta mentione Christi. Sicut dum reos absolvimus, in nomine Christi absolvimus, dicentes : *Ego te absolvo*, nec tamen Christus nominatur.

Respondeo, dum dicitur aliquis loqui in persona alterius, dupliciter posse illud intellegi.

Primo modo intellegetur ille aliquid intimare potestate accepta ab altero ; ut si quis praefectus a rege dicat tibi : « Jubeo te hoc vel illud facere. » Jubet enim ille in virtute potestatis regiae sibi demandatae. Et sic quis absolvit in persona Christi, dicens : « Ego te absolvo. » In virtute enim potestatis dominicae illud intimat.

Altero modo quis in persona alterius loquitur, si sermo ab ipso profertur, non tanquam suus, sed tanquam alterius ; puta dum dicit tibi quis : « Hic sermo regis est : jubeo te hoc facere. » Quo casu nulla jussio loquentis intimatur per vocem jubeo », sed sola jussio regis ; quanquam non rex loquitur, sed is qui regem loquentem facit.

Patet toto coelo differre duos illos modos loquendi in persona alicujus[3]; ita ut unus sine altero exsistere possit. Cum enim dicit militi centurio : « jubeo », nullam praetendit jussionem regis, sed suam, quanquam innixam potestati regiae. Is igitur, ministrum cum agat, loquitur in persona regis primo modo, at non altero ; quod etiam nobis contingit dicentibus : « Ego te absolvo. » Cum autem quis narrat vicino suo, Caium dixisse : « Valeo », profert illud « valeo », non in persona sua ipsius, qui forte aegrotat, sed in persona Caii, qui se perhibet sanum. Quanquam enim ipse profert vocem « valeo » ponit tamen eam in ore Caii. Interea non loquitur potestate accepta a Caio, quasi mandasset ei Caius ut aliquid aliis intimaret, sed proprio marte loquitur. Is igitur, historicum cum agat, loquitur in persona Caii, etsi non

1. Pariter, si sub alio respectu rem consideres : verba illa praevia non sunt forma, quia non proferuntur ex persona Christi, sed praecise sunt necessaria ad hoc, ut sequentia verba *Hoc est corpus meum* proferantur ex persona Christi. Una eademque ratio igitur et necessitatem narrationis praeviae importat, et arcet ab ea nomen atque vim sacramentalis formae. Ratio autem eadem ita extra formam amovet epiclesim (quae nequaquam ex persona Christi, sed ex nostra, profertur), ut nec illi devinciat rationem conditionis : siquidem minime confert epiclesis ad hoc, ut verba formae ex persona Christi proferantur.

2. Illa adeo sunt vera, ut ex iis qui tenerent sufficere verba Christi per se sola, quidam in hanc usque conclusionem devenerint : effici transsubstantiationem per locutionem sensu vacuam. Sic Glossator *Decreti*, Joannes Teutonicus († 1245), facta sibimet objectione hac : « Dominus utebatur significative voce « illa, et nos utimur materialiter : ergo non « facimus ea quae ipse fecit ; quod fieri de- « bet » ; respondet candide : « Ad hoc dico, « quod ea vis data est ipsis verbis, quod ad « eorum prolationem fiat transsubstantiatio. « Item IDEO SACERDOS EA NON PROFERT SI- « GNIFICATIVE, QUIA NON POSSET EA VERE « PROFERRE. MENTIRETUR ENIM, SI DICERET : « HOC EST CORPUS MEUM. » Et sic solutam censet noster Glossator quaestionem, quam in principio disputationis sibi ipse posuerat : « *Qualiter per dictionem nihil significantem fiat* « *transsubstantiatio.* » (*Decretum Gratiani cum glossis Dni Johannis Teutonici*, etc. Basileae, 1512, fol. 399). Verba, quae grandioribus litteris distinximus jusserat die 22 Augusti anni 1572 Thomas Manrriq, sacri et apostolici palatii magister, ex omnibus codicibus *Decreti* expungi : donec prodiret editio annotationibus opportunis aucta (*Censura in glossas et additiones juris canonici*, etc., Romae, 1572, p. 17-18).

3. Fortasse clarius distinguerentur illi duo modi, si hoc ferret usus, ut sermo, habitus in persona alterius primo modo, semper diceretur fieri « in nomine » alterius, et sermo, habitus in persona alterius secundo modo, semper diceretur prolatus « ex persona » alterius.

primo modo, tamen altero. Quod etiam nobis contingit referentibus Christum dixisse : « Ego sum via, veritas et vita. »

Possunt etiam duo illi modi coexsistere, cum quis simul agit et historicum et ministrum, ut in exemplo superius allato militum a rege deputatorum ut commilitonibus suis regiam denuntiarent voluntatem. Et narrant illi, et potestate a rege facta deferunt regium imperium ; dupliciter igitur loquebantur in persona regis. Quod si non narrarent autem (aientes : « dixit rex »), sed verba sola regis usurparent (« dividite mecum »), neutro jam modo loquerentur in persona regis, neque per modum historicum, tanquam verba in ore regis ponentes, neque per modum ministerialem, tanquam potestate regis utentes, siquidem contra regiam commissionem atque mandatum procederent, ut dictum est.

In consecratione autem eucharistica duplici isto modo loquimur in persona Christi, et tanquam ponentes verba in ore ejus, et tanquam auctorizati ab ipso quoad intimationem suam deferendam ad nostrum panem et calicem.

Habet igitur nostra locutio ex narratione praemissa sensum historicum, seu narrativum, seu, ut aiunt veteres (v. g. S. Th., 3 S. 78, 5, c.), « recitativum », quo fit ut vox *meum* sit apta ad designandum corpus, non meum, sed Christi.

Habet praeterea ex demandata nobis potestate sensum demonstrativum, vel,ut aiunt veteres (vid. S. Th., *ibid.*) « significativum[1] » respectu hujus nostrae eucharistiae. Nec pugnant inter se[2] sensus historicus et sensus demonstrativus[3] ; immo huic substernitur ille : qui si deficeret, falsificaretur alter, ut dictum est, sed non e converso.

1. Alia est partitio sensus narrativi et sensus demonstrativi, alia sensus speculativi et sensus practici. Speculativus opponitur practico, et in utrumque rursus potest cadere distinctio narrativi et demonstrativi. Sensus speculativus praesupponit veritatem enuntiati, ut quando dico : « Sol lucet ». Practicus autem nullam enuntiati veritatem proponit nisi inductam per ipsius enuntiationem, ut quando rex creat aliquem ministrum regni intimando, dum dicit : « Hic est minister regni. » Nulli deberet esse dubium quin verba Domini in coena hunc sensum habuerint, practicum dico, non speculativum (si per verba Dominus consecravit, ut ab omnibus hodie tenetur). Quod si autem demonstrativus sit apud nos sensus formae, patet eum esse eodem jure atque in coena practicum. Potior igitur controversia est, et fuit semper apud veteres, utrum narrativus sit tantum, vel tantum demonstrativus, annon potius narrativus simul et demonstrativus.

2. Quicquid in oppositum scripserit infausto calamo Vasquez (disp. 200, c. 2, n. 15), excludens sensum recitativum, et solum retinens significativum. Quem apte confutavit Suarez (disp. 58, sect. 4, n. 8) et merito deserit Lugo (disp. 11, sect. 5, n. 115).

3. *Dices* : quomodo fieri potest, ut narrativus et demonstrativus sensus componantur ? Si sermo *hoc est corpus meum* inducitur formaliter tanquam a Christo olim dictus, quomodo potest a nobis, ipso eodem flatu oris, ipsa eadem sonantis aurae emissione, edi tanquam enuntians aliquid circa id quod NOBIS prostat ? Non enim in coena Christus loquebatur de hoc pane quem tenemus, non de hoc calice quem tractamus, sed de illo pane, de illo calice, quem ipse prae manibus habebat. Si igitur per modum citationis, Christi verba usurpantur, in iis pronomen *hoc* non potest habere vim demonstrandi aliquid mihi praesens.

Respondeo : posse sermonem dominicum usurpari per modum citationis, et simul significativum reperiri quantum ad id quod praesens agitur. Cujus ratio est, quia, non sicut falso ab objiciente supponitur, Christus loquebatur de aliquo PANE (vel de aliquo VINO) sibi praesente, cum dicebat *hoc* ; sed pronomen *hoc*, sicut demonstravit S. Thomas (3 S. 78, 5, c.), stabat pro eo quod, terminata locutione, exsisteret sub speciebus. Potest ergo pronomen *hoc*, in una eademque nostra prolatione, significare simul et id quod futurum erat ut exsisteret tunc sub speciebus illis, et id quod nunc, terminata nostra prolatione, exsistet sub speciebus his : utrumque enim est unum, corpus scilicet Christi. Et sic nulla est contradictio inter sensum historicum et sensum demonstrativum nostrae sacramentalis formae.

Ceterum hac de causa posse non absurde pronomen *hoc* demonstrare simul et pro tunc et pro nunc, luce clarius patet ex exemplo Ecclesiae usurpantis adjectivum *hunc* simul et de calice coenae et de calice missae, dum in articulo consecrationis dicit : *Accipiens et* HUNC PRAECLARUM CALICEM *in sanctas ac venerabiles manus suas*. Quemnam calicem accepit Christus ? suum. Quemnam designamus ? nostrum, dum dicimus *hunc*. Nec tamen est contradictio ; nam, cum attendat Ecclesia sacrificii calicem pro statu terminali, in quo erit calix sanguinis, recte designat calicem dominicum eadem voce singulari, qua indicat nos-

Dices secundo : potest sacerdos loqui in persona Christi utroque modo, non solum ut potestate ejus utens, sed etiam ut ponens verba in ore ipsius, quin tamen narrationem ullam praemittat : dummodo constet externe, ex quovis alio fonte, illum proferre verba non quasi ad se ipsum pertinentia, sed quasi de Christo et a Christo dicta. Quod constare poterit nimirum ex circumstantiis quibusdam externis, puta loci atque gestuum et potissimum vestium sacrarum[1].

Respondeo, nullum ad consecrationem eucharisticam conferre genus actionis nisi oralis. Recole, quaeso, sexcentas Patrum voces, monentium, sacrificium nostrum non peragi nisi « prece », nisi « oratione ». Debet igitur sermo consecratorius ex ipso objectivo suo tenore, quem in suo contextu orali habet, esse significativus respectu corporis Christi : nulla alia re advocata, per quam fiat significativus. Noli igitur recurrere ad habitum, gestum, ornatum, altare, et si quid ejusmodi. Nam ista omnia, cum non sint oralia, sunt extra numerum illorum quibus affici possit, quoad validitatem, consecratio.

Praeterea, quid magis inauditum, quam consecrationem dependere a vestibus, lapidibus, aut istiusmodi quibusvis rebus ? Quod potest facere sacerdos cum vestibus, id potest facere non minus valide sine vestibus. Si sacerdos ad altare consecrare posset per solam prolationem verborum *Hoc est corpus meum* nullis aliis continuatam historiae verbis, posset idem facere extra altare (noli oblivisci altare verum nostri sacrificii non esse lapideum, sed vivum, corpus scilicet Christi).

Ceterum, si semel admiseris, requiri aliquid externi praeter prolationem verborum dominicorum, jam dirutum est principium tantopere ab adversariis jactitatum : nil ad validitatem sacramentorum requiri praeter intentionem, materiam, et formae sacramentalis verba ipsissima sola. Jam nobiscum tenetur, aliquid praeter haec tria requiri, si nimirum non sine aliquo adjecto verba formae exsistent formalia, seu sacramentalia, seu significantia. Quod si quis nobiscum tenuerit, miror si non ad nostram deveniet sententiam : illud requisitum additamentum esse in nostro sacrificio narrationem, unde sumunt sensum suum verba formae. Quod tanto magis tibi probabitur, quanto sedulius Patres advertere, nulla actione nisi sermonali perfici nostrum sacrificium. Non igitur appellandus est gestus, non statio ante mensae sacrae tabulam, non inter fideles consessus : quae omnes sunt corporeae actiones, a sermone alienae. Illas aufer : et, quod factum est cum illis, sacrificium idem fiet sine illis[2].

trum. Quod acute adverterunt veteres, ut S. Agobardus Lugdunensis, scribens : « Attendat fidelis quisque, quid est quod dicit « *hunc*. Videlicet quia calix, quem sacerdos « sacrificat, non est alius nisi ipse quem Do- « minus apostolis tradidit. Sicut ergo de san- « guine, sic quoque de corpore sentiendum « est » (*Contra libros quatuor Amalarii*, c. 13. P.L. 104, 347. Eadem fere ad verbum videsis apud Florum, *De Expos. Missae*, 60. P.L. 119, 53, et apud Remigium Altissiodorensem, *De celebratione Missae*, P.L. 101, 1260; cf. Paschasium Radbertum, *Lib. de corp. et sang. Dom.*, c. 15, n. 2. P.L. 120, 1322). Consonant plerique, ut Innocentius III, sic super eumdem locum commentans : «...Nam « et unus et idem [calix] et tunc et nunc, et hic « et alibi, sacrificatur ab omnibus » (*De sacro altaris mysterio*, l. 4, c. 27. P.L. 217, 875).

1. Sic Gregorius de Valentia (In 3 S. 78, 1 et 2 et 3, col. 990-991), omnino nobis consentiens, non sufficere intentionem sacerdotis ad hoc, ut verba formae transferantur ad significandum corpus Christi prae proprio loquentis corpore, defendit nihilominus, determinationem illam sensus posse accedere indifferenter sive ex praemissis verbis narrativis, sive ex circumstantiis exterioribus supra recensitis. Unde, inquit, si desint verba, requiruntur circumstantiae illae, sed et sufficiunt. Antea jam Gerson (*Compend. Theol. De septem sacramentis. De sacram. eucharistiae.* Opera omnia, Paris. 1606, t. 2, col. 85) tenebat, ita verba formae sufficere, ut tamen esset de necessitate sacramenti quidam apparatus externus : « Dicitur, secundum « multos et magnos, quod possit confici solis « illis verbis Domini prolatis a sacerdote, tamen « et cum apparatu conveniente secundum con- « stitutionem apostolorum et Ecclesiae... Ve- « rumtamen gravissime peccaret... qui verba « praecedentia scienter omitteret. »

2. In casu saepe proposito : consecretne valide sacerdos, dum per pistrinam transiens, super expositos panes dicit sacrilegus : *Hoc est corpus*

Articulus III. — De verbis interpellativis.

Ulterius, et quidem novissime, quaeri potest, numquid narratio, continens verba dominica, debeat fieri per modum orationis ad Deum emissae, aut certe tali alicui orationi cohaerere atque continuari, adeo ut ipsius indole afficiatur et veluti rationem sortiatur.

Quaestio toto coelo differt a quaestione de epiclesi; nam non quaerimus, debeatne fieri consecratio aut induci aut compleri per sermonem quo petatur. Id enim in antecedentibus est explosum; sed quaerimus, debeamusne Deum alloquentes narrare coenam, aut certe narrationi coenae praemittere sermonem ad Deum directum, unde ipsa enascatur : puta gratiarum actionem vel si quid ejusmodi; adeo ut tandem narratio coenae intellegatur tanquam ad Deum facta.

Nec coincidit quaestio cum altera illa de loco canonis vel momento temporis, quo fit consecratio : quam non ambigitur esse peractam statim atque prolata sunt verba dominica, nullis deinceps requisitis sermonibus aliis. Sed quaeritur de tenore verborum dominicis verbis praecedentium, utrum necne ejusmodi esse debeant, unde ipsa forma accipiat aliquam speciem orationis.

De facto, in liturgiis solet ipsa narratio coenae proferri ad Deum : sive intertexta sunt ei verba interpellativa, uti in romano canone : *elevatis oculis in coelum ad* TE *Deum Patrem suum omnipotentem*, *item* TIBI *gratias agens* (similia in liturgia graeca *Sancti Jacobi* atque *Sancti Marci*, in liturgia byzantina *Sancti Basilii*, *in Constitutionibus Apostolicis*, atque in fragmentis latinis palimpsesti veronensis, etc.); sive saltem pars est narratio, et logice et grammaticaliter integrans, alicujus sermonis prolixioris ad Deum emissi (ita in *Testamento D. N. J. C.*, *in Constitutionibus Ecclesiae Aethiopicae*, in *Anaphora Serapionis*, in *byzantina liturgia sancti Chrysostomi*, etc.).

Attamen in ritu mozarabico, neutro modo dirigitur narratio ad ullam personam divinam. Sacerdos enim statim ante narrationem alloquitur Christum; in narratione autem non alloquitur Christum, siquidem Christus nominatur in tertia persona; nec ullum alium interea se perhibet alloqui. En locum : « Adesto, « adesto, Jesu bone Pontifex, in medio « nostri : sicut fuisti in medio discipu- « lorum tuorum : et sanctifica hanc obla- « tionem, ut sanctificata sumamus per « manus sancti angeli tui, sancte Do- « mine et redemptor aeterne. Dominus « noster Jesus Christus in qua nocte « tradebatur accepit panem, et gra- « tias agens benedixit ac fregit; deditque « discipulis suis, dicens : *Accipite*, etc.... « Similiter et calicem, postquam coenavit, « dicens : *Hic est* » etc. (P.L. 85, 550-551). Nemo quidem nescit mutilatum esse hoc loco canonem, siquidem sequitur statim oratio dicta *Post-pridie*, nec tamen ullus praecessit sermo *Qui pridie*. Is igitur sublatus est, qui prius exstitit[1], habens vim sicut et apud nos, includendi narrationem sermoni interpellativo. At interim stat ista liturgia mozarabica, et usurpatur, nec dubitat quisquam, quin valide usurpetur. Nequaquam igitur necesse est ut ipsa narratio grammaticaliter ad Deum dirigatur[2].

Sed restat quaestio modo proposita : requiraturne saltem aliqua praeambula Dei interpellatio, puta vox laudis ac gratiarum actionis, parans iter ad narrationem coenae. Hoc enim AD MINUS in Ecclesia universa frequentatur; et operae pre-

meum; praeter causam modo disputatam invaliditatis adest altera : quod NON INTENDENS circa vinum quicquam agere, non intendit sacrificare : siquidem sacrificatio consistit in immolatione symbolica, quae non absolvitur nisi separata consecratione et corporis et sanguinis. Non intendens autem sacrificare, non consecrat, ut notatum est supra.

1. Vide notam Leslei (P.L. 85, 549-550). Cf. D. Mar. Férotin, *Liber ordinum*, Paris. 1904, col. 238.

2. Posset tamen fortasse respondere quis non improbabiliter : membrum istud *Adesto,... redemptor aeterne* non esse, in PRAESENTE tenore canonis mozarabici, nisi quamdam parenthesim. Quod si obtineat, jam narratio coenae connectitur etiam grammaticaliter orationi *Vere Sanctus*, quae ad Deum Patrem dirigitur.

tium est scire, sitne de jure necessarium, quod de facto est universale.

Rationes affirmandi possunt peti sive ex exemplo Christi, sive ex auctoritate Patrum, sive ex ratione theologica.

Primo quidem, ex exemplo Christi. Non nude ipse Christus dixit : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus* ; sed gratiis actis Deo, ut notant circa panem Paulus et Lucas, omnes autem hagiographi circa calicem[1]. Qua autem de causa, nisi quia connecti debebat forma consecrationis cum oratione, unde acciperet vim religiosam, potissimumque eucharisticam? Id urgere videtur Cyrillus Alexandrinus, dum exponit illud *Lucae*, 22^{19} : *Et accepto pane, gratias agens fregit, deditque eis dicens* : *Hoc est corpus meum* : « Gratias « agit, inquit, id est IN ORATIONIS SPE- « CIE (ἐν σχήματι προσευχῆς) DEUM PATREM « ALLOQUITUR, veluti socium ipsum et « coapprobatorem donandae nobis vivifi- « cae eulogiae demonstrans. Quaelibet « enim gratia et quodvis donum per- « fectum ad nos devenit a Patre per « Filium in Sancto Spiritu. Porro HAEC « ACTIO TYPUM NOBIS EXHIBEBAT PRECIS « EJUS QUAM PROFERRE DEBEREMUS (τῆς « ὀφειλούσης προσανατείνεσθαι λιτῆς), quo- « tiescumque mystici vivificique muneris « gratiam oblaturi essemus ; quod reap- « se facere solemus. Nam praemissa gra- « tiarum actione, simulque Deum Patrem « cum Filio et cum Spiritu Sancto lau- « dantes, ad sanctas mensas sic accedi- « mus » (P.G. 72, 908 ; cf. similia *In Matth.*, 26^{27}, col. 452)[2].

Ejusdem actionis gratiarum dominicae vim respectu conficiendi sacramenti ita inculcat, imitatus Cyrillum, Symeon Thessalonicensis[3] : « Ipse Christus « exemplum dedit quomodo PER PRECES « SACRIFICARETUR (τὸ διὰ τῶν εὐχῶν ἱερου- « ργεῖν). Accepit enim panem, et coelum « suspiciens, ut scriptum est, et gratias « agens, fregit, deditque discipulis, dicens : « *Accipite, comedite*, et *Bibite ex eo*, etc. ; « atque ita ipse qui precibus opus non « habet, utpote Deus omnipotens, PER « PRECES ISTA SACRA FECIT (αὐτὰ διὰ τῶν « εὐχῶν ἱερούργησεν), demonstrans quod « una virtus est Trinitatis, et quod ipse « in sacra operatione Patrem et Spiritum « Sanctum cooperatores habet » (*Expositio « de divino templo*, 87, P.G. 155, 737).

Sequitur *secundo* ratio ex auctoritate Patrum. Primaevi enim Patres omnes[4] pronuntiarunt nos PER PRECEM sacrificare.

1. Insulsum foret statuere, vel conjecturaliter, qua arte conseruerit Christus formam consecrationis actioni gratiarum. Sed speciminis gratia potest indicari unus ex sexcentis modis, immo innumeris, quibus illud fieri potuerit non absurde. Puta, si adhibeatur actio gratiarum in suscitatione Lazari usurpata. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter* hos qui circumstant *dixi* ; *ut credant quia tu me misisti*, et sanctificasti panem hunc quem accepturi sunt : *Accipite* enim *et manducate, hoc est corpus meum*, etc. Quod si cui videretur necessarium, ut verba sacramentalia, quanquam ad apostolos certe prolata, tamen ad Deum etiam grammaticaliter dirigerentur, immerito objiceres illud fieri non potuisse. En enim specimen, sane non absurdum, duplicis illius directionis : *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter* hos qui circumstant *dixi* ; *ut credant quia tu me misisti*, et sanctificasti panem hunc quem accepturi sunt ; credentes quia mysterium fidei est quod loquor eis : *accipite et manducate, hoc est* enim *corpus meum*, etc. Sed haec dum scribimus, rogamus ne quis nos putet adscripsisse Christo.

2. Conferatur supra Elucidatio VII.

3. Quanquam perverse inde et praepostere vult necessitatem epicleseos adstruere.

4. Ignatius (*Ad Magnesios* 7^{1-2}. F. P. 1, 236) : Προσευχή et δέησις. Justinus : « ali- « monia eucharistiata per orationis verbum (δι' « εὐχῆς λόγου) ab ipso Jesu traditum » (*Apol.* 1, 65. P.G. 6, 428; cf. *Apol.* 1, 10-13, et *Dial.* 117. P.G. 6, 340-341, et 745). Clemens Alexandrinus (*Strom.* 7, 3. P.G. 9, 444) : δι' εὐχῆς. Origenes (*Contra Celsum* 8, 33. P.G. 11, 1565): « panes cum gratiarum actione et oratione (εὐχῆς) « quae fit propter data... oblatos » ; et (*In Matthaeum*, t. 11, n. 14. P.G. 13, 949) : « cibus « per verbum Dei et orationem (ἐντεύξεως) « consecratus,... secundum orationem (εὐχήν) « quae illi accessit. » Tertullianus : « sacri- « ficiorum orationibus » (*De oratione*, 19. P.L. 1, 1182-1183) ; « Sacrificamus pura prece » (*Ad Scapulam* 2. P.L. 1, 700). Cyprianus : « Pre- « cem alteram illicitis vocibus facere » = illegitima eucharistiae celebratio (*De unitate Ecclesiae*, 17. P.L. 4, 513). « Orationes et preces » = sacrificii celebratio (*Ep.* 64, 4. P.L. 4, 392). Vide supra (Elucid. XVIII) omnes illos locos explicatos. Addatur Firmilianus (*Ep. ad Cyprianum*, c. 10. P.L. 3, 1165) : « ...Invocatione non « contemptibili sanctificare se panem et eucha- « ristiam facere simularet » ; ac tandem *Didas-*

Nec primaevi tantum Patres, sed et posteriores eodem stylo usi sunt constanter[1]. Jam vero, ubi erit prex, si nullus ad Deum dirigatur sermo ? Sin autem cum sermone ad Deum directo concatenata et conserta proferantur verba dominica, tunc utique precis, id est orationis ad Deum, prae se ferent speciem, et proprietatem habebunt : fietque Patribus satis.

Tertio autem, ratio theologica haec confici potest. Narratio nostra liturgica debet differre a narratione mere historica, ad solas audientium mentes informandas ordinata : cui vis sacrificalis nulla inesse potest, cum desit species religiosa. Religiosa enim indoles nostrae actionis sacrificalis debet clarescere externe, siquidem sensibile signum est sacrificium externum internae religionis. Debet igitur tenor ipse nostrae narrationis vel contextus esse religiosus, ut inde accipiat speciem religiosam prolatio verborum dominicorum. Religiosus autem ex suo tenore nullus est sermo, nisi cultum sonans divinum[2].

Quibus omnibus attentis, non adeo mirum est, quod theologi serioris etiam aetatis negaverunt, etiam prolatis verbis dominicis, etiam insertis narrationi coenae, posse ullatenus confici eucharistiam, nisi aut intertexueris aut praemiseris aliquam formam orationis, qua Deum alloquaris.

Sic contra suum haereticum antistitem, Hermannum de Wied, canonici Ecclesiae Coloniensis, in *Antididagmate* (Coloniae, 1549) : « Postulat necessitas, ut indicemus, « vehementem prorsus insaniam esse, « quod nunc quidam arbitrantur se con- « secrare sacramentum corporis et san- « guinis Christi sine catholica prece, quem « canonem appellamus,... sed tantum re- « citatione seu lectione verborum Pauli « *I Corinth.*, 11, *Dominus Jesus in qua* « *nocte tradebatur*, etc. Cum apostolus illic « solum historice narret facta, quae Chris- « tus gessit ; non autem ut formam ali- « quam consecrandi tradat, qua sacer- « dos, Ecclesiae minister, cum invocatione « nominis divini proposita dona bene- « dicat et sanctificet, non utique suis, « sed omnipotentibus D. N. Jesu Christi « verbis... Non est difficile istud in re « simili aliorum sacramentorum formis « evincere. Christus docuit apostolos bap- « tizare, dicens : *Ite et baptizate omnes* « *gentes in nomine Patris, et Filii et Spi-* « *ritus Sancti*. Quis autem tam obtuso « est sensu, ut ausit dicere sacerdotem

catia, 6, 22, 2 (F. D. 1, 376) : « Eucharistiam « offerte,... panem... qui per invocationem sanc- « tificatur. »

1. Eusebius Caesariensis (*De laudibus Constantini*, 16. P.G. 20, 1425) : « Incruenta et « rationalia sacrificia, quae per preces et ineffa- « bilem theologiam (δι' εὐχῶν καὶ ἀπορρήτου « θεολογίας) perficiantur, quis suos sectatores « offerre docuit, nisi solus noster Salvator ? » Serapion Thmuit., *Sacramentarium*, c. 13 (F. D. 2, 172) : Εὐχὴ προσφόρου. Athanasius, si ipse est auctor *Sermonis ab baptizandos* (P.G. 26, 1325) : antequam fiant preces (ἱκεσίαι, εὐχαί, δεήσεις), nil nisi panis et vinum ; ubi factae sunt, corpus est Christi. Gregorius Nyss., *Oratio catechetica*, 37. P.G. 45, 97 : « Hic panis sancti- « ficatur per verbum Dei et orationem (ἐντεύ- « ξεως). » Optatus Milev., *De Schism. Donatist.* 2, 12. P.L. 11, 965 : « oblationis oratio ». Ambrosius, *De fide*, 4, 10, 124. P.L. 16, 641 : « ...quae per sacrae orationis mysterium in « carnem transfigurantur et sanguinem. » Hieronymus : *Epist.* 146, 1. P.L. 22, 1193 : « Ad « quorum preces corpus sanguisque Christi « conficitur. » *In Sophon.* 3. P.L. 25, 1375 : eucharistia fit per « imprecantis verba » = « so- « lemnem orationem ». Augustinus, *Trin.* 3, 4, 10. P.L. 42, 874 : « prece mystica consecra- « tum. » *Epist.* 149, 15. P.L. 33, 636 : « Oratio- « nes, cum benedicitur et sanctificatur. » Cf. *Contra Litteras Petiliani*, 2, 30, 69. P.L. 43, 281. Gregor. M., *Epist.*, l. 9, ep. 12. P.L. 77, « 956-957 : « precem » = « orationem oblatio- « nis ». Apud Paulum Diaconum, *S. Greg. M. vita*, 23. P.L. 75, 53 : « Panem et vinum... « in carnem et sanguinem suum ad catholicam « precem convertit. » Isidorus : *Etymologiae*, 6, 19. P.L. 82, 255 : « Prece mystica conse- « cratur. » *Concil. Roman.* (1079) sub Gregorio VII hanc jurisjurandi formulam a Berengario subscribi jubet : « per mysterium sacrae « orationis et verba nostri Redemptoris » fit conversio (D., 355).

2. Aliud est sermo religiosus, aliud sermo sacer, seu etiam divinus. Religiosus sermo, ut dictum est, nullus est, nisi qui prae se ferat cultum Dei, vel coelicolarum, in quantum sunt consortes divinae gloriae. Sermo autem ad solos homines vel erudiendos vel sanctificandos ordinatus potest esse sacer, immo divinus, si nimirum auctoritate Dei proferatur, ut sermo sacerdotis dicentis : *Ego te absolvo*. Porro non sufficeret sacrificationi talis sermo, cum sacrificatio sit actio procedens ab hominibus ad Deum, et non e converso.

ui recitet aut legat verba evangelii e instituto baptismo, non autem pro-untiet essentialis baptizandi formae erba : *Ego te baptizo in nomine Patris Filii et Spiritus Sancti*, puerum vere rite baptizare? ... Ita plane et hic ecesse est arbitrari, si quis recitet, aut legat tantum historiam institutionis ujus sacramenti, quomodo illa in Pau- conscripta est, non invocet autem, nquam Ecclesiae minister, nomen ei super dona proposita panis et vini, ec item consecrationis verba dirigat l hostiam praesentem, hunc talem equaquam consecrare, nec verum sa-amentum, secundum Ecclesiae catho-cae sensum et traditionem, efficere. liter profecto censuerunt et fecerunt ncti Patres Orientalis et Occidentalis cclesiae. Immo et apostoli : invoca-int enim super hostiam, velut Ecclesiae inistri, nomen Dei, eamque solemni ece consecrarunt » (fol. LXXIII-LXXIV). susque : « Quod vero maxime omnium orrendum est, confingitur et instituitur hoc libro[1] ex proprio sensu nova quae-am missa, in qua nulla fit consecratio im invocatione nominis divini : ita necesse sit totum populum clementis-mo Principi nostro subjectum, ubi ad anc doctrinam suscipiendam fuerit ad-tus, crudelissime et impie privari ero corpore et sanguine Christi. Vide lio 110 facie 2, ubi sacerdoti praeci-tur, ut, hymno *Sanctus* decantato, ne omni invocatione aut prece cano-ca, mox verba Apostoli Pauli, quibus citat institutionem hujus sacramenti, empe : *Dominus Jesus Christus*, etc., « singulari gravitate decantet. Ac confes-« tim, ubi populus responderit *Amen*, « pari modo decantet et *Pater noster*, « atque deinde populum communicet » (fol. LXXIX). Haec illi. Quorum mentem parum assecutus eris, si putes, per invo-cationem divini nominis intellegendam esse epiclesim. Nullam enim cogitabant ipsi epiclesim ; sed speciem aliquam de-mum externam orationis vindicabant ser-moni consecrativo : qua in tuto posita, ipso facto adest invocatio divini nominis, siquidem omni oratione divinum nomen invocatur.

His videntur posse accenseri Combefisius et Le Quien, qua ex parte scri-bunt : « Nec forte a Domino concessum, « eucharistiam conficere, ut quivis etiam « sacerdos temere, NULLO RELIGIOSO CUL-« TU AC ORDINE, dominica verba effutiat, « nec tam rem sacram, quam histrionicam « ac exsecrationem peragat » (P.G. 94, 1142).

Quorum sententiae, ad modum istum intellectae, favet certe inter coaetaneos nostros Salaville, dum scribit : « Rien « n'empêche, semble-t-il, un catholique « d'accepter cette cinquième hypothèse, « qui, plus que celle de saint Thomas, tient « compte des rites et des prières liturgi-« ques. » (D. T. C., art. *Epiclèse*, col. 203)[2].

Dubitari tamen potest, sintne cogentes rationes superius factae. Forsan opposue-rit quis, posse orationis vim et indolem inesse nostrae consecrationi, sicut et con-secrationi Christi, quin ullus sermo adhi-beatur interpellans Deum.

Etenim, si *primo* de coena loquamur, locutio Christi ad discipulos directa : *Hoc*

In libro scilicet Hermanni de Wied, qui ribebatur *Consultatio quomodo reformatio ua... sit instituenda* (1543).

Non puto ad hanc sententiam esse redu-lum Dom F. Cabrol (D.A.C., art. *Amen*, , col. 1558), qui potius videtur de termi-gia quam de re movere quaestionem, dum gro canoni, ex praefatione ad epiclesim racto, vindicat veluti indivisibilem ratio- consecrationis. Alia est enim quaestio, im consecratio, id est transsubstantiatio, iatur dependenter ab integro canone (quod catholico omnino negandum est), an compe- integro canoni liturgicum nomen consecra-is : quae quaestio est liberae classificationis atque nomenclaturae. Idem censeatur dictum de cl. Thurston (*Rev. du Clergé Fr.*, t. 54, p. 536-537), qui nihil nisi sua facit verba Domini Cabrol. Concedendum utrique omnino est, Pa-tres, dum loquuntur de precatione consecrativa, per modum unius accepisse plerumque, ne di-cam semper, et particulam narrativam, quae verba formae continet, et ambas eucharistici sermonis partes, anteriorem scilicet et posterio-rem, quibus conserta efflorescit in unam sollem-nem oblationis orationem et precem canonicam. Sed, rursus dico, hoc ad solam terminologiam historicam pertinet, de qua sola, ut opinor, locuti sunt cl. Thurston et Cabrol.

est corpus meum, Hic est sanguis meus, adnexa propitiationis finalitate, sensum prae se tulit practicum: enuntiativum scilicet operati et operativum enuntiati. Quod autem tali intimatione efficiebatur, habuit vim, ut diximus, pragmaticae oblationis cujusdam piacularis. Erat igitur sermo Christi inferens significatione sua opus oblativum. Pro tanto habuit vim ordinandi aliquid in Deum : hostiam scilicet immolatione devovendam. Fuit igitur sermo resonans cultum divinum vel maxime; sermo, inquam, longe supra omne juramantum aut votum, religiosior. Cui competit nomen orationis, pro quanto orationis nomine designatur omnis sermo proprie colens Deum, seu vox laudis. Pro quanto autem intellegitur pressius quaedam petitio vel prex, convenit et sic nomen orationis sermoni dominico : quo sicut oblatio pragmatica inferebatur, sic et pragmatica petitio acceptationis, impetratioque, ut supra expositum est, et veniae et gratiae. Satis igitur sine interpellatione directa nominis divini demonstrabat se Christus religiose orare. Quod autem maluit addere, ante et post consecratorium sermonem, voces gratiarum actionem vel petitionem expressius sonantes, id factum est elucidationis gratia, propter necessitates, quas olim memoravimus, explicationis liturgicae atque caerimoniariae expansionis.

Quibus de coena positis, jam similiter erit de missa ratiocinandum. Etenim, cum verba Christi proferamus, non solum recitative, sed etiam demonstrative, eumdem apud nos obtinent sensum practicum respectu ejusdem operis oblativi; eumdem igitur prae se ferunt characterem religiosum; eamdem vim habent orationis et precis. Nec fortasse amplius requiritur ad satisfaciendum Patribus[1], qua ex parte concordant circa sacrificationem, sive dominicam sive nostram, in aliqua oratione religiosa reponendam.

Reclamari tamen potest *primo*, in ipsa coena verba Domini demonstrativa habuisse rationem oblationis proindeque et postulationis ex praesupposita demum connexione cum latreutico atque eucharistico sermone, unde illum habitum religiosum sacrificalemque acciperet symbolica separatio corporis et sanguinis; de quo supra (in Elucid. III) disputatum est. Quare paritas cum coena, nedum evacuet in missa necessitatem orationis proprie dictae, haud patitur illam elevari.

Respondebitur : quanquam verba praemissa inculcaverunt et declaraverunt eucharisticam ac latreuticam operis vim, tamen etiam sine illis haec clarebat satis vigilanti animo luce fidei perfuso; idque potissimum ex enuntiatione finis propitiatorii, quo importatur destinatio muneris in Deum placandum, quae est formalissime oblatio : ut explicatum est supra in Sectione 2, et superius jam in Elucidatione III. Opportuna igitur, immo opportunissima fuit Christi Domini εὐλογία et εὐχαριστία, at non constat fuisse simpliciter necessariam. Quae solutio idem valebit de missa ac de coena.

Sed reclamari potest *secundo* : hanc videri esse sententiam Patrum, non quod sacrificium nostrum sit utcumque quaedam prex (cujusmodi est omne sacrificium), sed quod sic fiat sermone, ut sermo ipse prex quaedam sit. Quare non est sermonis character precativus in hoc reponendus, quod sacrificium quoddam fiat; sed utique ex eo quod precativus sit sermo, tandem consistet sacrificium nostrum, quale a Patribus describitur. Oportet ergo ut ratio precatoria jam inhaereat sermoni per prius ad considerationem sacrificii.

At utrum necne Patres ita presse sint locuti, malim ab aliis potius determinetur: cum in re salebrosa et obscura nolim plus adserere, quam distincte video esse adserendum. Sapientiores igitur hac in re pronuntient; quorum judicium gratulanter excipiam.

1. Congruit potissimum ista explicatio verbis Justini (*Apol.*, 1, 66. P.G. 428-429) supra expositis.



Ex triptycho Theodorici Bouts de
Coena Domini.

ELIAS PANE ANGELICO CONFORTATUS IN VIA

Cumque venisset, et sederet subter unum juniperum, petivit animae suae ut moreretur, et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam ; neque enim melior sum quam patres mei. Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi; et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, et comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquae ; comedit ergò, et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi : Surge, comede; grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb (*III Reg.*, cap. 19, vers. 4-8).

Lovanii, in ecclesia Sancti Petri.

LIBER III.

DE SACRAMENTO.

Ex sacrificio eucharistiae transitus fit ad considerandam eucharistiam in quantum est sacramentum.

Ubi tria quaeruntur.

Primo : sitne eucharistia sacramentum, et quale. Quam ad quaestionem respondebitur per duo capita.

Secundo : sitne hujus sacramenti receptio necessaria ad salutem. Quae erit materia tertii capitis.

Tertio : quomodo exsistat in Eucharistia corpus Christi. Quae erit materia capitis quarti.

Elucidatio XXXVI.

Eucharistia est sacramentum communionis ad Christum.

CAPUT I.

SITNE EUCHARISTIA SACRAMENTUM.

Sacramentum intellegitur generaliter « signum rei sacrae in quantum [ista res « sacra] est sanctificans homines » (3 S. 60, 2 et 3). Sanctificationis autem nostrae est causa passio Christi[1]; forma, gratia sanctificans ; finis, gloria coelestis. Erit igitur sacramentum eucharistia, si significet illa tria. Significat autem singula secundum suum quodque modum, dum commemorat passionem, demonstrat gratiam, praenuntiat gloriam.

Significari atque commemorari per eucharistiam passionem Christi, constat satis ex disputatis de sacrificio eucharistiae. In separatis enim speciebus panis et vini substans corpus ac sanguis Christi designationi verborum symbolice unum ab altero dividentium, effigiem prae se fert immolationis, quae in passione obtinuit : et pro tanto consecratus panis et calix est signum dominicae passionis.

Significatio autem respectu gratiae et gloriae attenditur secundum quod per eucharistiam est participandum sacrificium ipsum nostrae salutis.

In participatione enim sacrificii omnis duo sunt attendenda : unum, quod habet rationem signi, alterum, quod habet rationem significati. Signum est hostia manducanda. Significatum autem est duplex : unum pertinens ad vitam futuram, participatio scilicet bonorum divinorum coelestis ; alterum spectans ad praesens tempus, quod rursus duplex est : primo, conjunctio quaedam spiritualis cum Deo, seu sanctificatio in manducantem veluti inducta per hostiam ipsam potitam sanctitate divina ; secundo, conjunctio spiritualis manducantium inter se, cum sint effecti unius cibi divini consortes, ac pro tanto veluti consubstantiales (cf. Elucid. I).

In nostri igitur sacrificii participatione et signum et significatum distinguere oportet, et varia inter se significata.

Signum est : manducanda caro Christi passi et clarificati ; qua de re satis est in superioribus (Elucid. XVII, XX, XXII) tractatum.

Dicendum autem nunc de solo significato. De significato quidem *primo* ad praesentem vitam pertinente, id est, et de nostra coadunatione spirituali cum Deo per Christum, et de nostra coadunatione spirituali inter nos in Christo ; *secundo*, de significato pertinente ad vitam futuram, id est, de resurrectione gloriae in vitam aeternam.

Quibus tribus rebus (unione ad Christum, unione inter nos, gloriosa resurrectione) integratur nostra INCORPORATIO AD CHRISTUM, CAPUT CORPORIS ECCLESIASTICI, IN COELIS CONGREGANDI.

Trium autem istorum effectuum ita signum est cibus eucharisticus, ut sit etiam causa. Est enim signum practicum, id est significando causans significatum : effectum quidem praesentem demonstrans, at demonstrando inferens ; effectum autem

1. De habitudine necessaria sacramentorum ad significandum Mediatorem videsis Bagotium S. J., *Apologeticus fidei*, pars prior : *Institutiones theologicae de vera religione*, l. 2, disp. 4, c. 4, sect. 4, n. 10. Parisiis, 1644, t. 1 p. 164-165.

futurum spondens, et spondendo procurans. Quae nunc sunt probanda per partes.

§ 1. De incorporatione nostra ad Christum.

Sectio I. — Probatur nostra incorporatio.

Unitas quaedam asseritur spiritualis inter accipientem (non indigne tamen, *I Cor.*, 11^{27-29}) corpus vel sanguinem Christi, et ipsum Christum ; adeo ut cum Christo efficiatur ille unum vivens, per vitam unam, in corpore uno, tanquam quoddam membrum ejus.

Talem autem adunationem aut significari aut importari aliqualiter per eucharisticum convivium, vix a quoquam est negatum praeter veteres illos negatores ipsius institutionis eucharisticae ; quanquam lis nobis cum novatoribus sexti decimi saeculi intercessit de modo quo efficeretur : utrum ex affectu sumentium eucharistiam, an ex efficacia sumptae eucharistiae : quae est controversia de opere operato : quam miror si non invenies solutam ex auctoritatibus Scripturae et principiis doctrinae circa factum nostrae adunationis mox expendendis.

Probatur adunatio ad Christum *primo* ex *I Cor.*, 10^{16-21} : Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία ἐστὶν τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν ; κ.τ.λ.

Utique in hoc apostoli sermone, sicut per vocem αἷμα intellegitur proprius sanguis Christi, sic et per vocem σῶμα intellegendum est corpus Christi proprium, nec proinde directe aut primario illa compages membrorum et capitis, inter se per vinculum spiritus cohaerentium, qua « con« corporei et consanguinei » (Cyrill. Hier., *Catech.* 22, 3. P.G. 33, 1100) dicamur Christi. Attamen voce κοινωνία aliquid plus enuntiatur quam ipsa demum manducatio corporis ac sanguinis Christi ; sed asseritur inesse manducantibus quoddam consortium sanctitatis inhaerentis Christo ut hostiae.

Ad cujus evidentiam recolatur : in omni sacrificio hostiam sanctificari per altare numini sacrum. Unde intellegitur numen fons sanctitatis ; altare autem, tanquam vicaria Dei sedes sanctificata et sanctificans hostiam ; hostia, sanctificata et sanctificans manducatorem. Manducatione igitur hostiae acquiritur consortium quoddam sanctificationis ex Deo per altare in hostiam derivatae. Sanctitas autem hostiae non est alia a sanctitate altaris, quae non est alia a sanctitate Dei. Sed qui consors est primae, consors est alterius et tertiae. Nec nisi propter alteram requiritur prima, aut altera nisi propter tertiam ; sicut nec pervenitur ad tertiam nisi transitu facto per alteram, ad quam per primam aperitur via.

Si qua igitur κοινωνία nostra praedicatur respiciens communiter et hostias quae sacrificantur, et altare in quo sacrificantur, et numen cui sacrificantur, quis dubitet, quin agatur de nostro quodam consortio sanctitatis divinae per altare in hostiam trajectae ? Porro Apostolus, sicut nos dicit κοινωνούς dominici corporis et sanguinis, sic et Judaeos qui manducant hostias dicit κοινωνούς altaris, ethnicos autem κοινωνούς daemoniorum, quibus immolant. Ergo κοινωνία ista, de qua Apostolus, nominat et in Christianis et in Judaeis et in ethnicis consortium sanctitatis illius, quae ex numine per altare in hostiam transiit, veluti vehenda ad ipsos per manducationem. Aliter tamen et aliter. Nam ethnici immolant idolis, qui nulli erant dii, sed vere erant daemonia ; et ideo non consecrationem, sed exsecrationem, non sanctitatem, sed immunditiam traxit et traducit idolothytum. Judaei autem immolabant Deo vero, sed hostias figurales ; et ideo figuralem sanctitatem traxere et traduxere in eos hostiarum carnes. Christus vero obtulit suum corpus et sanguinem Deo hostiam veram immolandam in passione et in gloria suscipiendam ; atque ideo sanctificationem vere divinam

emeruit sibi, et suis largitur Christus theothytus ; secundum quod dicebat in coena : *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*

Unde patet, intellegi ab apostolo sanctificationem quamdam veram, non figuralem tantum, manducantium et potantium eucharistiam. Quare recte concludit : *Non potestis calicem Domini*[1] *bibere et calicem daemoniorum*; *non potestis mensae Domini participes esse* (μετέχειν) *et mensae daemoniorum.* Si sumptio vel participatio intellegeretur physica tantum, poterant sane bibere et calicem Dei, quo propinatur sanguis Christi, et calicem daemoniorum, quo libationes idolotatricae propinabantur; poterant participes esse et mensae (seu altaris) Dei, unde sumitur corpus Christi, et mensae (seu altaris) daemoniorum, unde accipitur idolothytum. Sed si ea jam participatio vel sumptio intellegebatur, quae secum ferret κοινωνίαν seu consortium sanctitatis, utique, quicquid agerent, omnino non poterant participes esse utriusque mensae vel utriusque calicis, siquidem non patitur secum divina sanctitas immunditiam diabolicam.

Hanc vim κοινωνίας, quam Paulus asseruit, exponit Chrysostomus per comparationem ad simplicem μετοχήν, qua non fuit contentus Apostolus : « Cur non dixit : « participatio ? Quia voluit amplius quid « intimare, et magnam ostendere cohaesio- « nem ; etenim NON MERA PARTICIPATIONE « AUT SUMPTIONE, SED UNIFICATIONE ha- « betur communicatio. Sicut enim corpus « illud Christo est adunatum, sic nos ei « per hunc panem adunamur » (in h. l. P.G. 61, 200).

Non poterat autem apostolus realitatem sanctitatis in nos per convivium eucharisticum inductae vividius praedicare, aut inculcare validius efficaciam cibi assumpti, quam subjecta oculis nostris transfusione sanctitatis ex Deo per hostiam in nos. Quo nihil magis realisticum concipi potest. Nec mirum proinde, quod etiam protestantes liberales nonnulli, nedum negent, ut olim reformatores, immo exaggerent in Paulina eucharistia indolem sacramenti, conjungentis supernaturaliter fideles cum Deo et inter se ex opere operato. Vide J. Hoffmann, *Das Abendmahl im Urchristentum*, 1903, p. 123-163 ; M. Goguel, *L'Eucharistie des origines à Justin martyr*, 1910, p. 186-188 et 289.

Probatur adunatio ad Christum *secundo* ex *Joanne*, 6^{56-57} : Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Καθὼς ἀπέστειλέν με ὁ ζῶν πατὴρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με κἀκεῖνος ζήσει δι' ἐμέ.

Mansio quaedam nostra in Christo, et Christi in nobis, enuntiatur, veluti duorum penetratio mutua atque in unum commixtio. Sed cujus generis illa ? Utrum consistens demum in corporea praesentia unius intra alterum, an pertingens ad ordinem spiritualem, ut proponatur nobis divinae cujusdam vitae unitas cum Christo.

Porro, dico, non primum.

Nam 1° foret tautologicum illud *ego in ipso.*

2° Inepte diceret Christus : *in me manet ;* secundum corpoream enim praesentiam Christus utique est in nobis, sed non nos in Christo.

3° Ipse Christus amovet corporeae unionis, veluti praecisae a spirituali, considerationem et utilitatem, dum dicit : *Caro non prodest quicquam, Spiritus est qui vivificat* (v. 63).

Quin et qualis unio intendatur, vel unde derivetur, manifestat Christus, cum exemplum ducit ex communitate vitae inter ipsum et Patrem vigente. Communicat vitam Pater Filio suam; communicat iis qui eucharistiam manducant Christus vitam eamdem, quam a Patre habet. Aliter tamen et aliter, pro terminorum conditione: est enim in Filio vita ex Patre se-

1. *Calix Domini* hoc loco intellegitur formaliter non quo continetur Dominus (quanquam supra de sanguine Christi in calice contento agebatur), sed calix qui est Domini, sicut calix libationis idolatricae est daemoniorum : calix scilicet in Dei censum translatus per consecrationem, et propinatus a Deo nobis per communionem.

cundum consubstantialitatem; est in nobis vita Filii secundum participationem, qua nos non ad perfectam similitudinem atque aequalitatem perducit, sed in subordinatum trahit et deficiens sui consortium[1]. En effectum haud obscure praedicatum cibationis eucharisticae nos vegetantis vita Christi, quae divina est.

Huic sermoni, quem promittens eucharistiam Christus habebat, correspondet sermo, quo post coenam institutam tam constanter adseruit (*Jo.*, 14^{20}), tam enixe commendavit (15^{4}), tam sollicite impetravit (17^{21-23}), suam in nobis vicissimque nostram in seipso immanentiam, custodia adhibita servandorum mandatorum ($14^{21, 23, 24}$, $15^{10, 14}$).

Probatur adunatio ad Christum *tertio* ex ratione theologica fundamentum habente in praesente[2] conditione Christi.

Per resurrectionem factus est Christus secundum carnem *in spiritum vivificantem* (*I Cor.*, 15^{45}), id est in rem vivam et vivificam, in principium vitale respectu totius generis humani (sicut primus Adam principium fuit mortis respectu universae suae sobolis). Cum igitur apponit nobis Christus carnem suam intussuscipiendam, quid significat, quid demonstrat, nisi talem esse suae carnis ad nos habitudinem, qualis competit principio vitali respectu subjecti, cui infunditur? Quam vivificationis significationem nisi mendacem aut certe (quod in nova Lege absit figurarum completiva) mere figuralem judicaveris, quomodo dubitabis, quin inducatur ipsa vivificatio significata? Per modum igitur cujusdam animae conjungitur nobis dominica caro animandis.

Probatur adunatio ad Christum *quarto* ex ratione theologica fundamentum habente in ritu eucharistico.

Cum in ratione cibi nimirum praestetur nobis dominicum corpus et sanguis, consentaneum est, ut intellegamur eo cibo vegetari spiritualiter, sicut corporaliter carnibus solemus. Jam vero haec est vis nutritionis, ut ex alimento et comedente unum fiat corpus animale. At profecto non cogitari potest Dominus, auctor vitae, in vilem nostram vitam mutari, sed bene nostra in ipsius transire dignitatem et consortium, secundum quod apud Augustinum legitur: « Nec tu me in te « mutabis, sicut cibum carnis tuae; sed « tu mutaberis in me » (7 *Confess.* 10. P.L. 32, 742).

Sectio II. — Declaratur nostra incorporatio.

Quaeres: Consortium sanctitatis vel vitae dominicae in nobis estne consortium Christi secundum divinam naturam tantum spectati, an etiam secundum humanam?

Respondeo: Non solum cum Christo secundum divinam naturam spectato, sed etiam secundum humanam conjungimur spiritualiter, et conjuncti manemus. Immo per prius, consortium illud spirituale, de quo apostolus, est consortium cum carne immolata Christi; deinde cum Christo, ut est secundum humanam naturam altare; et postremo cum Christo, ut est ipse, secundum divinam naturam, cui sacrificatur[3]. Non igitur, secundum quod terminat nostrum consortium, Christus dividitur; ipsumque nostrum consortium, quanquam triplicem habet considerationem, tamen re unum est et indivisibile. Et ideo tamdiu manemus conjuncti spiritualiter cum Christi humana natura, cum Christi carne, quamdiu conjuncti manemus cum Christi divinitate. Consortium autem illud, qua ex parte nominat aliquid nobis realiter inhaerens, nomen habet gratia sanctificans. Gratia igitur sanctificans nostra re-

1. « Non enim Filius participatione Patris « fit melior, qui est natus aequalis; sicut par« ticipatione Filii per unitatem corporis ejus « et sanguinis (quod illa manducatio potatioque « significat) nos efficimur meliores. » Augustinus, *in Joan.*, tract. 26, n. 19. P.L. 35, 1615.

2. Qualiter potuerit in coena novissima anticipari efficacia praesentis hujus conditionis Domini, jam habes enarratum supra, in Elucidatione XXII.

3. Vide quomodo hunc ordinem teneat Algerus, *De sacram. corp. et sang. Dom.*, l. I, c. 11. P.L. 180, 774 D.

spicit et ad divinam Christi naturam, et ad humanam; non ex aequo tamen, sed ordinate: si quidem, nonnisi influente nobis jugiter[1] carne dominica vitam, conjungimur divinitati; nec nisi per influxum divinitatis caro est vivifica. Quatenus autem sub tali influxu Christi participamus Christi sanctitatem, eatenus etiam apte dici potest et debet Christus nobis secundum humanitatem suam spiritualiter conjunctus atque unitus intime per permanentem contactum virtutis[2].

Quare recte olim Ecclesia super populum eucharistia cibatum orabat his verbis Serapionis Episcopi Thmuitani (*Sacramentarium Serapionis*, 18. F.D. 2, 180): « Philanthrope Deus Veritatis, MANEAT « (συνπαραμεινάτω) cum hoc populo COM- « MUNIO CORPORIS ET SANGUINIS (κοινωνία « τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος). Corpora eo- « rum sint viva corpora [scilicet vivificata « in spiritu per principium vitae deifor- « mis intussusceptum], et animae eorum « sint mundae animae. Da hanc bene- « dictionem in CONSERVATIONEM (τήρησιν) « COMMUNIONIS et in INCOLUMITATEM « (ἀσφάλειαν) FACTAE EUCHARISTIAE. »

Neque hac in re fuit ambigua praedicatio Patrum, praesertim celebriorum.

Audi ex extremis partibus Orientis S. Ephraem (*Necrosima*, can. 13. Opera omnia, tom. 3, syr. et lat., Romae 1743, p. 247). « Peccatorem me esse fateor... « quisquis corporis expers non est, nec « item culpa vacat... Parce corpori... quan- « doquidem corpus tuum corpori nostro « immiscuisti... CORPUS TUUM, VITAE « ORIGO NOSTRAE, IN NOBIS MANET. In « nobis, Domine, pars magna tui EST. » Immixtum scilicet prius corpus dominicum est nostro corpori per communionem. Sed ex tunc manet in nobis, in nobis est: non corporaliter quidem, sed spiritualiter: vere tamen, in quantum permanenter originat vitam nostram. Quid aliud diximus?

Istud prae ceteris maxime inculcavit Hilarius (*De Trinitate*, l. 8, c. 13-17. P.L. 10, 245-249): et unionem nostram ad carnem Christi, et nostram per carnem Christi vegetationem adstruens permanentem; ex quo ipso exemplo ascendit ad vindicandum contra arianos unitatem Patris cum Filio, non σχετικήν tantum, secundum affectionem voluntatis, sed φυσικήν, secundum naturae consortium. « *Ut sint unum, sicut nos unum su-* « *mus, ego in his et tu in me*; *ut sint perfecti* « *in unum.* Eos nunc qui inter Patrem « et Filium voluntatis ingerunt unita- « tem, interrogo, utrumne per naturae ve- « ritatem hodie Christus in nobis sit, an « per concordiam voluntatis. Si enim vere « Verbum caro factum est, et vere nos « Verbum carnem cibo dominico sumimus, « quomodo non naturaliter MANERE in « nobis existimandus est, qui et naturam « carnis nostrae, jam inseparabilem, sibi « homo natus assumpsit, et naturam « carnis suae ad naturam aeternitatis, sub « sacramento nobis communicandae car- « nis, admiscuit? Ita enim omnes unum « sumus, quia et in Christo Pater est, et « Christus in nobis est. Quisquis ergo natu- « raliter Patrem in Christo negabit, neget « prius non naturaliter vel se in Christo,

1. Non dico: jugiter in nobis praesente per substantiam, sed jugiter nobis secundum efficaciam suam spiritualem contemperata. Caro enim dominica non est causa *in fieri* tantum nostrae gratiae, sed etiam causa *in esse*; id est tamdiu causans, quamdiu effectus adest: eo quod omne principium vitale est causa vitae, non *in fieri* tantum, sed *in esse*. Sed de his plura infra.

2. Carnis Christi, non solum cum anima nostra, sed etiam cum carne nostra, « peculiarem « unionem » permanentem, utique spiritualem, assertam a plurimis Doctoribus vide apud Vasquezium (Disp. 204, c. 2). Unio autem ista inter carnem dominicam et carnem nostram fit MEDIANTE ANIMA NOSTRA, quam vivificat permanenter caro Christi, proximum nostrum principium vitale in ordine vitae deiformis. Confer ea quae dicenda erunt infra in Elucid. XXXVIII. Interim nota illud S. Thomae (3 S. 8, 2): « Tota Christi humanitas, secundum scilicet « animam et corpus, influit in homines et quan- « tum ad animam et quantum ad corpus; sed « principaliter quantum ad animam [nostram], « secundario quantum ad [nostrum] corpus. » Nec fingenda est aliqua immediata sanctificatio nostrae carnis per carnem Christi (permanens dico atque inhaerens) absque nostrae animae mediatione.

« vel Christum sibi inesse ; quia in Christo Pater, et Christus in nobis, unum in « his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem « corporis nostri Christus assumpsit, et « vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, « Christus est, nosque vere sub mysterio « carnem corporis sui sumimus (et per hoc « unum erimus, quia Pater in eo est, et ille « in nobis); quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum « proprietas perfectae sacramentum sit « unitatis ? Ipse enim ait : *Caro mea vere* « *est esca, et sanguis meus vere est potus.* « *Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem* « *meum, in me manet et ego in eo.* De veritate carnis et sanguinis non relictus est « ambigendi locus. Nunc enim et ipsius « Domini professione et fide nostra vere « caro est et vere sanguis est. Et haec « accepta atque hausta id efficiunt, ut ET « NOS IN CHRISTO ET CHRISTUS IN NOBIS « sit.... Est ergo in nobis ipse per carnem, « et sumus in eo : dum secum hoc, quod « nos sumus, in Deo est. Quam autem in eo « per sacramentum communicatae carnis « et sanguinis simus, ipse testatur, dicens : « *Et hic mundus me jam non videt : vos* « *autem me videbitis, quoniam ego vivo, et* « *vos vivetis ; quoniam ego in Patre meo, et* « *vos in me, et ego in vobis.* Si voluntatis « tantum unitatem intellegi vellet, cur « gradum quemdam atque ordinem consummandae unitatis exposuit : nisi ut, « cum ille in Patre per naturam divinitatis « esset, nos contra in eo per corporalem « ejus nativitatem, et ille rursum in nobis « per sacramentorum inesse mysterium « crederetur ; ac sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se « manentibus, ipse maneret in Patre, et « in Patre manens MANERET IN NOBIS ; et « ita ad unitatem Patris proficeremus, « cum qui in eo naturaliter secundum « nativitatem inest, nos quoque in eo « naturaliter inessemus, IPSO IN NOBIS « NATURALITER PERMANENTE.

« Quam autem naturalis in nobis haec « unitas sit, ipse ita testatus est : *Qui edit* « *carnem meam, et bibit sanguinem meum,* « *in me manet, et ego in eo.* NON ENIM QUIS « IN EO ERIT, NISI IN QUO IPSE FUERIT : « EJUS TANTUM IN SE ASSUMPTAM HABENS « CARNEM, QUI SUAM SUMPSERIT. Perfectae « autem hujus unitatis sacramentum superius jam docuerat, dicens : *Sicut misit* « *me vivens Pater, et ego vivo per Patrem :* « *et qui manducaverit meam carnem, et* « *ipse vivet per me.* Vivit ergo per Patrem : « et QUO MODO PER PATREM VIVIT, EODEM MODO NOS PER CARNEM EJUS VIVIMUS... Haec ergo VITAE NOSTRAE CAUSA « est, quod IN NOBIS CARNALIBUS MANENTEM PER CARNEM CHRISTUM HABEMUS... « victuris nobis per eum ea conditione, qua « vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suae adepti : « quomodo non naturaliter secundum « spiritum in se Patrem habeat, cum « vivat ipse per Patrem ?...

« Haec autem idcirco a nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem et Filium unitatem haeretici « mentientes, unitatis nostrae ad Deum « utebantur exemplo : tanquam nobis ad « Filium, et per Filium ad Patrem, obsequio tantum ac voluntate religionis « unitis, nulla, per sacramentum carnis « et sanguinis, naturalis communionis proprietas indulgeretur ; cum et per honorem nobis datum Filii, et per MANENTEM IN NOBIS CARNALITER [intellege : « secundum commercium carnis] Filium, « et in eo NOBIS CORPORALITER ET INSEPARABILITER UNITIS, mysterium verae ac « naturalis unitatis sit praedicandum. » Duplex assignatur ab Hilario commercium carnis inter nos et Christum. Primo, quod manet secundum carnem suam Verbum in nobis carnalibus ; secundo, quod in incarnato Verbo manemus et nos secundum quamdam assumptionem dominicam nostrae carnis. Utrumque (praesupposita utique incarnatione) ponitur esse effectus sacramenti ; ordinate tamen, ita ut ex primo procedat alterum : « Non enim quis « in eo erit, nisi in quo ipse fuerit : ejus « tantum in se assumptam habens carnem, « qui suam sumpserit. » Immanentiae autem isti mutuae deputatur, quod vivimus per Christum : « Quomodo per Patrem « vivit, eodem modo nos per carnem ejus

« vivimus »; cui insumus « inseparabiliter « uniti », ipsaque nobis inest « naturaliter « permanens ».

Secutus est Hilarium Cyrillus Alexandrinus. Cui explicanti illud *Joannis* (15[1]), *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est*, occurrit haeretica interpretatio, evertens consubstantialitatem Patris et Filii, eo quod ex una parte vitis et agricola nequeunt esse ejusdem naturae, et ex altera parte vitis necesse est ut hic nominet in Christo, non assumptam naturam carnis, sed naturam Verbi propriam : « Cui enim non manifestum « est, inquit [haereticus], nostrum cor- « pus A SERVATORIS CARNE NON PEN- « DERE sicut a vite palmites, neque « adeo sanctorum fructum carnalem esse, « sed spiritualem ? Quapropter, carne se- « mota, de deitate ipsa Filii interpreta- « bimur hoc nomen, dicemusque eum [se- « cundum deitatem] esse vitem, a qua « pendemus per fidem » (P.G. 74, 337). Cui interpretationi ex opposito suam subjungit Cyrillus, secundum quam Christus intellegitur vitis ratione humanitatis, et ratione humanitatis nos intellegimur ab eo pendere tanquam a vite palmites. Ad cujus probationem rursus et ipse, distinctione facta inter conjunctionem σχετικήν, et participationem φυσικήν, ostendit hanc, non minus quam illam, esse admittendam inter Christi carnem et nostram, pro quanto vivificamur per carnem Christi, quae cum sit Vitae caro, est nobis vita aeterna. « Dispo- « sitione quidem caritatis perfectae, recta- « que et inconcussa fide, atque mente sin- « cera virtutisque amante uniri nos Christo « spiritualiter, neutiquam infitiabitur nos- « tra theologia. Immo fatemur id recte ab « illis doceri. Quod vero ausi sunt dicere, « nullam esse nobis cum Christo conjunc- « tionis rationem secundum carnem, osten- « demus esse sacris literis penitus contra- « rium. Quomodo enim ambigi potest, aut « quis mente sanus dubitaverit unquam, « quin vitis quidem sit Christus secundum « carnem, nos autem vitam ipsius ex ipso « trahamus, dum referimus palmitum for- « mam ? Si quidem dicit Paulus : *Omnes « enim unum corpus sumus in Christo, « quoniam unus panis multi sumus : omnes « enim de uno pane participamus.* Dicat « enim nobis aliquis causam, et vim eulo- « giae mysticae obiter doceat. Nam cur « in nobis inseritur [eulogia] ? Nonne ut « inhabitare faciat Christum in nobis « quantum ad corpus per participationem « et consortium sanctae suae carnis... Sed « Servator ipse : *Qui manducat meam car- « nem, et bibit meum sanguinem, in me « manet, et ego in illo.* Quibus vocibus potis- « simum animadvertendum est Christum « non dixisse futurum esse se in nobis se- « cundum solam relationem quamdam « quae attenditur penes dispositionem « animi (κατὰ σχέσιν τινὰ μόνην τὴν ἐν διαθέσει « νοουμένην), sed etiam secundum partici- « pationem naturalem (κατὰ μέθεξιν φυσικήν). « Ut enim, si quis ceram cerae implexam « igne liquaverit, unum quid ex ambobus « efficit, ita per susceptionem corporis ac « pretiosi sanguinis Christi, ipse quidem in « nobis, nos autem rursus in ipso unifica- « mur.... Quod si carnem ejus non mandu- « caverimus, nec biberimus ejus sangui- « nem, vitam aeternam non sumus habituri « in nobis, hoc est in nostra propria carne. « Aeterna autem vita jure censebitur caro « Vitae, hoc est Unigeniti » (col. 341-344). Participationem illam naturalem dominicae carnis in nobis unificationemque nostram cum ipsa, intellegendam esse ex mente Cyrilli permanentem, vix quisquam non consentiet. Etenim comparatur ad sacramentalem communionem ut effectus ad causam[1]; formaliterque secundum eam attenditur dependentia nostra a Christo, tanquam a vite cujus palmites sumus[2].

Hanc nostram ad carnem Christi con-

1. Effectus semper intellegitur aliud quid a causa : cum nulla res sit causa sui. Igitur ista participatio naturalis dominicae carnis, de qua Cyrillus, intellegenda est aliud quid praeter communionem sacramentalem, quae ponitur illius causa. Praeter communionem autem sacramentalem nulla intellegi potest nisi spiritualis, quae de se est permanens.

2. Sane, sicut per panem eucharisticum sumus cum Christo unum corpus, quia est unus panis ; sic PER CALICEM, in quo pressus est botrus uvae coelestis, una vitis sumus cum Christo,

temperationem et cohaesionem spiritualem, eamque continuam, atque societatem germanissimam vitae inde in nos profluentis, nonne clamant omnes, si recte perpendantur, nostrorum doctorum paginae ? Quarum sufficiat in praesente unum vel alterum exemplum proferre, pluribus in opportuniorem locum dilatis.

« Discere oportet, inquit Chrysostomus, quid sit mysteriorum miraculum, « quare data sint, quae sit rei utilitas. « *Unum corpus sumus, et membra ex carne « ejus et ex ossibus ejus.* Initiati dictis « auscultent. Ut igitur non solum per dilec« tionem istud efficiamur, sed etiam se« cundum rem ipsam IN ILLAM CARNEM « CONTEMPEREMUR (ἀνακερασθῶμεν). Hoc « enim per cibum fit, quem dedit nobis, « volens nobis amorem ostendere, quem « habet erga nos. Propterea se commiscuit « nobis, et CONTEMPERAVIT (ἀνέφυρε) SUUM « CORPUS IN NOS, ut unum quid exsista« mus, sicut corpus capiti conjunctum. » (Chrysost., *in Joan.*, hom. 46, n. 3. P.G. 59, 260). Rursus non transeunter sumus membra Christi, sed permanenter : permanens etiam proinde censetur contemperatio illa nostra in carnem Christi, secundum quam dicimur membra.

Non minus vivide Leo M. : « In illa « mystica distributione spiritualis ali« moniae hoc impartitur, hoc sumitur : « ut accipientes virtutem coelestis cibi, « IN CARNEM IPSIUS, qui caro nostra factus « est, transeamus » (*Ep.* 59, c. 2. P.L. 54, 868).

Huc porro spectat, quod libere Patres nos praedicant συσσώμους Χριστοῦ (Cyr. Hier., *Catech.* 22, 3. P.G. 33, 1100 ; Cyr. Al., *In Joan* .15[1], l. 10. P.G. 74, 341 ; Damasc., *De Fid. Orth.* 4, 13. P.G. 94, 1153, etc.). Nec nisi expandit nobis theologiae orientalis sapientiam Nicolaus Cabasilas, enuntians hanc nostram jugem dependentiam a corpore et carne et corde Verbi Dei : « Seipsum, inquit, nobis tantus « quantus dedit ; quocirca templum su« mus Dei viventis, et haec membra [nos« tra] Christi membra sunt. Membrorum « istorum caput cherubim adorant. HI « PEDES, HAE MANUS, AB ILLO CORDE RE« GUNTUR AC PENDENT » (*De vita in Christo*, l. 6. P.G. 150, 648). Plura ex Cabasila in eumdem sensum citabuntur infra (Elucid. XLIX). Suoque loco opportuniore audientur theologiae occidentalis praecones.

Interim hoc unum constet : non per eucharistiam nos fieri socios tantum sanctitatis aut vitae competentis Christo ut Deo, sed etiam ut homini : hujusque immediate et proxime. Descendit utique efficacia vitalis ex natura divina in naturam assumptam ; sed per naturam assumptam ad nos pertingit. Huic adhaeremus, huic cohaeremus, huic inhaeremus, et quidem integrae, non solum constanti ex anima, sed etiam ex corpore per animam vegetato vegetanteque animas nostras. Ita ut nihil simus in ordine gratiae nisi incrementum quoddam dominicae humanitatis : assumente Domino per unius vitae commercium eos in semetipso, qui in seipsis illum tota aviditate mentis susceperint.

sub ipsam coenam dicente : *Ego sum vitis, vos autem palmites.* Jam vero unio illa palmitum ad vitem ab Augustino, non minus quam a Cyrillo, pronuntiatur penes Christum se habere proprie et per se ex parte naturae assumptae, cui nos conglutinamur. « Iste locus evangelicus, « fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et disci« pulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod « est caput Ecclesiae, nosque membra ejus, « mediator Dei et hominum homo Christus « Jesus. Unius quippe naturae sunt vitis et « palmites : propter quod, cum esset Deus, cu« jus naturae non sumus, factus est homo, ut « in illo esset vitis humana natura, cujus et nos « homines palmites esse possemus. » Cui asserto haec subjungit : « Numquid unum sunt agricola « et vitis ? Secundum hoc ergo vitis Christus, « secundum quod ait : *Pater major me est* ; se« cundum autem id quod ait : *Ego et Pater unum « sumus*, et ipse agricola est. » Inferiusque : « Ita quippe in vite sunt palmites, ut viti non « conferant, sed inde accipiant unde vivant : ita « vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimen« tum subministret eis, non sumat ab eis... Qui « in vite non est, in Christo non est ; qui in Christo « non est, christianus non est » (*In Joan. evang.*, tract. 80-81. P.L. 35, 1839-1841). Integrum igitur argumentum Cyrilli praeformarat Augustinus.

Elucidatio XXXVII.

Eucharistia est sacramentum communionis ad Ecclesiam.

§ 2. De incorporatione nostra ad Christum caput corporis ecclesiastici.

Asseritur quaedam unitas fidelium eucharistiam sumentium inter se, non socialis tantum aut externa, sed interna atque vitalis, qua omnes redigantur in unius ejusdemque viventis corpus organicum quasi integrandum, « corpus scilicet illius capitis, qui est Christus » (S. Thomas, in *I Cor.*, 10^{17}).

Probatur coadunatio nostra in Christo ex Paulo *I Cor.*, 10^{17} : Ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν · οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. « Quia [est] unus panis, « unum corpus sumus multi : omnes ENIM « ex uno pane participamus. » Quo asseritur et unitas nostra : *unum corpus sumus* ; et causa ejus : unitas scilicet manducandi panis (ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου), id est unitas vivifici corporis participandi. Si enim omnes incorporamur ad unum Christum, concorporamur etiam omnes. Si omnes communicamus Christo, communicamus etiam omnes ad invicem.

Quod sic exponit Chrysostomus (*loc. cit.*) « Quid dico communicationem, inquit « Paulus ? Illud ipsum corpus sumus. Quid « est enim panis ? Corpus Christi. Quid « autem fiunt accipientes ? Corpus Christi ; « non corpora multa, sed unum corpus... « Non enim ex altero corpore tu, ex altero « ille nutritur, sed ex eodem ipso omnes. »

Damascenus autem : « ALIIS ALII « COMMUNICAMUS et adunamur (κοινωνεῖν « δὲ καὶ ἑνοῦσθαι) . Nam, quia ex uno pane « participamus, omnes unum Christi cor- « pus et unus sanguis, aliique aliorum « membra efficimur, concorporei Christo « effecti » (*De Fid. Orth.* 4, 13. P.G. 94, 1153). Quomodo enim omnes adunaremur ad Christum, quin omnes in Christo coadunaremur ?

Quare, ut bellissime, ita rectissime Augustinus, super illud *Joannis*, 6^{52} : *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* : « Norunt, inquit, fideles corpus Christi, « si corpus Christi esse non negligant. « Fiant corpus Christi, si volunt vivere de « Spiritu Christi. De Spiritu Christi non « vivit nisi corpus Christi... Vis ergo et tu « vivere de Spiritu Christi ? in corpore esto « Christi. Inde est, quod exponens nobis « apostolus Paulus hunc panem, *Unus* « *panis*, inquit, *unum corpus multi sumus* « (*I Cor.*, 10^{17}). O SACRAMENTUM PIETA- « TIS ! O SIGNUM UNITATIS ! O VINCULUM « CHARITATIS ! Qui vult vivere, habet ubi « vivat, habet unde vivat. Accedat, cre- « dat ; incorporetur, ut vivificetur. NON « ABHORREAT A COMPAGE MEMBRORUM, « non sit putre membrum, quod resecari « mereatur, non sit distortum, de quo « erubescatur : sit pulchrum, sit aptum, « sit sanum ; haereat corpori, vivat Deo « de Deo : nunc laboret in terra, ut postea « regnet in coelo » (*in Joan. tract.* 26, n. 13. P.L. 35, 1612-1613).

Unde etiam patet quomodo eadem sit spiritualiter, et pari passu procedat socialiter, communio corporis Christi individui ac communio corporis Christi ecclesiastici ; quomodo excommunicatio ab uno sit excommunicatio ab altero. Non dividitur a corpore caput, aut a capite corpus : una est incorporatio ad Christum caput corporis ecclesiastici ; sicut unum sacramentum illius, eucharistia. Quare nemo veterum Patrum[1] doctrinam eucharistiae magis adaequatam exhibuit quam aut Ignatius (vide supra, Elucid. XVIII) aut Augustinus (cf. supra, Elucid. XIX) ; quos si existimes eo amovisse ab eucharistia corpus Christi

1. Notatu dignum sane est, si Rufini versio sit fida, illud Origenis in *Psalmum* 37, homil. 2, n. 5. P.G. 12, 1386 : « *Propterea in* « *vobis infirmi, et aegri, et dormiunt multi.* Quare « multi infirmi ? Quoniam non seipsos dijudi- « cant, neque seipsos examinant, nec intelli- « gunt QUID EST COMMUNICARE ECCLESIAE, « VEL QUID EST ACCEDERE AD TANTAM ET TAM « EXIMIA SACRAMENTA. »

carneum, quod adstruxerint mysticum, tam turpiter erraveris, ac si neges incorporationem ad Christum esse incorporationem ad caput Ecclesiae, aut consortium vitae ecclesiasticae in nobis provenire ex consortio divinae vitae nobis per Christi carnem communicatae.

Alios Patres aut doctores pene infinitos, qui idem docuerint, enumerare omnes, nonnisi otiosi viri fuerit opera. Sufficiat indicasse in praesente paucos. Hilarius: « Liberavit... nos, in vitam novam reno« vans, et in novum hominem transfor« mans, CONSTITUENS NOS IN CORPORE « CARNIS SUAE. Ipse est enim Ecclesia, « PER SACRAMENTUM CORPORIS SUI in se « UNIVERSAM EAM CONTINENS » (*In Psalm.* 125, n. 6. P.L. 9, 688).

Pelagius I: « Unum Christi corpus « unam constat esse Ecclesiam. Divisum « ab unitate altare veritatem Christi cor« poris non potest congregare » (*Ep. ad Joan. Patr.* P.L. 69, 412; cf. supra, Elucid. XXXIII).

Remigius Antissiodorensis, vel alius fortasse auctor *Commentarii in Epistolam primam ad Corinthios* inscripti nomine Haymonis Halberstatensis: « Sicut enim illa caro [sumpta de virgine] « corpus Christi est, ita iste panis transit « in corpus Christi, nec duo sunt corpora, « sed unum corpus... Et sicut ille panis et « [virgineus] sanguis in corpus Christi « transeunt, ita omnes, qui in Ecclesia « comedunt illud, unum corpus Christi « sunt... Tamen illa caro quam assumpsit, « et iste panis, omnisque Ecclesia, non « faciunt tria corpora Christi, sed unum « corpus. » (*In 1 Cor.*, 10. P. L. 117, 564).

Guitmundus Aversanus: « Divina « sacramenta unitatem corporis Christi, « quae est Ecclesia [designant], et hoc est « quod significando continent. Hoc igitur « rogat Ecclesia dicens: *Perficiant in nobis « quaesumus, Domine, tua sacramenta, quod « continent*; id est perficiant, ut nos vere « simus unum Christi corpus, una Ecclesia: « quod videlicet significant; ut, quod nunc « (id est, dum manducamus corpus Filii « tui) specie gerimus (id est, figura tanti « sacramenti significamus), hoc rerum « veritate capiamus (id est, revera unum « Christi corpus et una Ecclesia simus) » (*De corp. et sang. Dom. ver.* l. 2. P.L. 149, 1468).

Honorius Augustodunensis: « Cor« pus de virgine procreatum, in coelis « residens, universae creaturae domina« tur; corpus autem de pane et vino per « Spiritum sanctum consecratum, et in « substantiam prioris translatum, veraci« ter a populo fidelium manducatur; « PER HOC quoque, corpus tertium (quod « est Ecclesia) Christo incorporatur. Nempe « corpus Christi comedit corpus Christi. « PER HOC quoque Christus fit corpus « Christi. Sicut enim corporalis in subs« tantiam nostri corporis vertitur; sic « ECCLESIA PER HUNC CIBUM IN CORPUS « CHRISTI VERTITUR, et una caro cum « eo efficitur, sicut scribitur: *Erunt duo « in carne una* » (*Eucharisticon*, c. 3-4. P.L. 172, 1252).

Algerus: « Cum in altari Ecclesia « concorporalis et consacramentalis sit « Christo, universum corpus Christi, caput « scilicet cum membris, non conficit, qui « cum extra Ecclesiam sit, seipsum Christo « et Ecclesiae in utriusque sacramento « non unit. » (*De sacram. corp. et sang. Dom.*, l. 3, c. 12. P.L. 180, 847; cf. l. 1, c. 3, col. 747 sq.). Vide supra (Elucid. XXXIII, sub n. 9).

Alanus ab Insulis: « Caro Christi « sub specie panis et vini, sicut instituit « ipse Christus, a dignis assumpta, ad « corporis et animae salutem proficiens, « CHRISTI MEMBRA EFFICIT ASSUMENTES » (*De articulis catholicae fidei*, 4, 3. P.L. 210, 614).

Innocentius III: « Patet ergo quod « SUBSTANTIA CORPORIS ET SANGUINIS « CHRISTI est sacramentum et res, sed « alterius sacramenti res, et alterius rei « sacramentum. Est enim res primi, quia « significatur et continetur a primo, vide« licet a forma visibili; et est sacramentum « tertii, quia SIGNIFICAT ET EFFICIT ter« tium, videlicet UNITATEM ECCLESIAS-

« TICAM » (*De sacro altaris mysterio*, l. 4, c. 36. P.L. 217, 879).

S. Thomas : « Res hujus sacramenti « est unitas corporis mystici » (3 S. 73, 3).

Accedit auctoritas *Concilii Tridentini* (sess. 13. c. 2) docentis, eucharistiam esse « symbolum unius illius corporis, cujus « ipse caput exsistit, cuique nos, tanquam « membra, arctissima fidei, spei et cari- « tatis connexione adstrictos esse voluit, « ut id ipsum omnes diceremus, nec « essent in nobis schismata » (D., 875). Rursus (sess. 13, c. 8) : « in hoc unitatis « signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc « concordiae symbolo jam tandem ali- « quando conveniant et concordent » (D., 882). Praemissumque erat in prooemio Decreti, detestanda prae ceteris esse schismata atque errores circa eucharistiam, « quam alioqui Salvator noster « in Ecclesia sua tanquam symbolum re- « liquit ejus unitatis et caritatis, qua « christianos omnes inter se conjunctos et « copulatos esse voluit ».

Consonat Leo XIII in epistula encyclica *Mirae caritatis* (die 28 maii 1902) ; sed multo illustrius Pius X in *Constitutione apostolica de SS. eucharistia promiscuo ritu sumenda* : « Nunc autem, cum hujus « mensae, quae SYMBOLUM, RADIX atque « PRINCIPIUM est CATHOLICAE UNITATIS, « promiscuam esse omnibus fidelibus « communicationem volumus, pronum est « debere inter ipsos increscere animorum « concordiam, quoniam *unus panis*, ait « Apostolus, *unum corpus multi sumus*, « *omnes qui de uno pane participamus* » (*Acta Ap. Sed.*, 1912, p. 615)[1]. Nec ad solius Ecclesiae militantis membra coarctatur nostra communio, sed ad eos omnes pertingit, quicumque sunt Christi, sive in supernis, sive in infernis. Vis conjungi intimius Beatae Virgini vel alicui Sancto : eucharistiam sume ; et ecce cohaeres ipsis, adstrictus vinculo non ideali tantum aut fictitio, sed reali atque vitali immanentiae spiritualis mutuae in Christo. Vis cum defunctis tuis propinquis innovare pristinam societatem atque necessitudinem : eucharistiam sume ; et sive in coelo sint, sive in purgatorio, ecce tam prope sunt tibi, tamque vere unum spiritualiter tecum, sicut tu ipse spiritualiter es unum cum Christo, cui insunt. Qui igitur communicat eucharistiae, communicat universae Ecclesiae Christi, et militanti et purganti et triumphanti.

Indeque apparet, cur non liceat eucharistiam a ministris sectae haereticae aut schismaticae accipere. Quia enim eucharistia est sacramentum societatis christianae, eo vel ipso qui communicat sacrificiis haereticorum se perhibet ipsorum coetui communicare; atque proinde sectam pro Ecclesia, Ecclesiam pro secta convincitur habere. Communicat ergo haeresi, sumens corpus et sanguinem Christi ; estque illi panis ipse haereticus[2], id est divisivus, quo sumpto, non consors fit, sed exsors corporis Christi et Ecclesiae. Quare Damascenus *(loc. cit.)* : « Omni vi « proinde caveamus, ne aut ab haereticis « communionem accipiamus, aut iis demus, « ...ne participes pravi eorum sensus et « damnationis fiamus. Nam si omnino « adunatio est ad Christum et inter nos, « omnino illis omnibus qui comparticipes « nobiscum sunt adunamur secundum ani- « mi propositum. Ex proposito enim animi « haec fit coadunatio[3]. »

1. Hac de re legesis E. Springer, *Unsere Einverleibung in Christus durch die Eucharistie*, in *Theologie und Glaube*, 1913, Heft I, p. 15 sq.

2. Recole sanctum Theodorum Studitam, citatum supra (Elucid. XXXIII). *Dices* : sed etiam indigne apud catholicos manducans et bibens fit exsors gratiae ; nec tamen ullo sensu panis ille potest dici ipsi haereticus, aut si quid hujusmodi. *Respondeo* : fit exsors gratiae sanctificantis et caritatis ; non tamen fit exsors simpliciter corporis Christi, et Ecclesiae ; nam virtutes fidei et spei retinere potest, nec amisit suum nativum jus offerendi sacrificium, et sacramenta Ecclesiae omnia (praemissa poenitentia) salubriter frequentandi.

3. E converso autem, si sacerdotis catholici eucharistiam respuas, eo ipso communicare ipsi recusas ; et pro tanto eum tanquam haereticum aut schismaticum notas. Quo principio posito, facilem patitur explicationem *Canon Apostolorum* octavus, quo sancitur, ut, si qui clericus, dum sacris interest, abstinuerit a communione, excusationem aliquam praeferre debeat probabilem, ne videatur notam inurere « ei qui obtulit »

Patet ulterius quam specialiore titulo in oeconomia nostrae redemptionis exsistat una caritas Dei et proximi. Obtineret nimirum illa unitas in quavis oeconomia gratiae ; sed in nostra amplius : si quidem unum exsistit Christi et fidelium, capitis et membrorum, corpus. Sive Christum diligimus, sive fratres, unum quid diligimus indivisibile, quod est Christi πλήρωμα (*Eph.* 1[23]). Una ergo caritate Christum et fideles, Deum et proximum, prosequimur, sicut una incorporatione ad ambos pertinemus. Quare Augustinus : « Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait « enim quodam loco Apostolus : *Sic autem* « *peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum* « *peccatis* (*I Cor.*, 8[12]) : ideo quia membra « Christi facti sumus. Quomodo non peccas « in Christum, qui peccas in membrum « Christi ? » (*Serm.* 82, c. 3, n. 4. P.L. 38, 508).

Objicies : sed caritas, in unitatem societatemque membrorum capiti cohaerentium directa, non pertingit usque ad eos qui sunt extra Ecclesiam ; ergo caritas eucharistica non coaequatur caritati proximi, quae ad omnes respicit. *Respondeo* : coaequatur ; nam et ipsa respicit ad omnes : ad hos, quia sunt de corpore Christi ; ad illos, ut sint ; secundum quod scribit alibi Augustinus : « Omnes homines, etiam « inimicos vestros diligatis ; non quia sunt « fratres, sed ut fratres sint ; ut semper « fraterno amore flagretis, sive in fratrem « factum, sive in inimicum, ut frater fiat « diligendo. Ubicumque fratrem [i. e. « christianum] diligitis, amicum diligitis : « jam tecum est, jam in unitate etiam « catholica tibi conjunctus est... Sed diligis « aliquem qui nondum credidit Christo ; « tu dilige, et fraterno amore dilige ; non« dum est frater, sed ideo diligis ut sit « frater. Ergo TOTA DILECTIO NOSTRA FRA« TERNA EST ERGA CHRISTIANOS, ERGA « OMNIA MEMBRA EJUS » (*In Epist. Johan.*, tract. 10, n. 7. P.L. 35, 2059). Cf. supra (Elucid. XXXI). Universa ergo nostra caritas est eucharistica, respiciens corpus Christi, et ex corpore Christi procedens.

Huc pertinet, quod Christus post institutam coenam, charitatis fraternae mandatum tradidit tanquam suum, tanquam novum : quippe quia ipse est in eucharistia et principium generativum novum fraternae caritatis (utpote aedificans omnes in unitatem sui corporis), et ratio obligativa nova (ut pote incorporationis titulo postulans sibi atque membris unam caritatem) (*Joan.* 13[34–35]; 15[12]; 17[21–23]). Si laedis charitatem, offendis in eucharistiam ; si quaeris charitatem, invenis in eucharistia. En legem Novi Testamenti, aedificatam super Novi Testamenti sanguinem, super hostiae corpus in coena sacratum Deo, et discipulis impertitum. Quare etiam Chrysostomus *(loc. cit.)* : « Si autem « ex eodem et idipsum efficimur omnes, « cur non eamdem caritatem exhibemus, « et secundum hanc etiam rationem effi« cimur unum ? »

Velim igitur consideres, ut olim in sacrificio, ita nunc in sacramento eucharistiae quantus sit fons theologiae asceticae ; siquidem inculcantur omnes virtutes quotquot ad conjunctionem nostram cum Deo et proximi caritatem faciunt : quas, si quis frequentat eucharistiam, eo ipso se fovere testatur, nec nisi fictus accedit, qui non fovet ; dum autem exercentur, opus et res eucharistiae agitur, degiturque vita eucharistica. Quod faxit Deus, ut omnes non intellegamus solum, aut praedicemus, sed et opere compleamus.

hoc est vel sacerdoti celebranti, vel fortasse laico, qui sacrificium demandaverit offerendum. « Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, « vel [alius] ex sacerdotali catalogo, oblationis « factae non particeps fuerit, causam dicat ; et « si probabilis fuerit [causa], veniam conse« quatur. Si autem non dicat, segregetur, ut « qui populo offensionis causa sit, et suspi« CIONEM DEDERIT ADVERSUS EUM QUI OBTU« LIT, tanquam non salubriter obtulerit » (P.G. 137, 52). Verisimilior, credo, interpretatio nostra evadet, si conferatur cognatus *Canon Antiochenus II* (P. G. 137, 1280), quo et obligatio illa communionis cum populo catholico et prohibitio communionis cum excommunicatis in unum decretum conflantur.

Elucidatio XXXVIII.

Eucharistia est sacramentum nostrae resurrectionis.

§ 3. De incorporatione ad Christum caput corporis ecclesiastici in coelis congregandi.

Asseritur corporum resurrectio gloriosa inter ambitum rei per eucharistiam et significatae et procuratae contineri, ita ut sumptio eucharistiae sit et pignus et causa futurae nostrae vitae coelestis.

Probatur 1° ex *Joan.*, $6^{54, 58-63}$, ubi Christus manducatores vel potatores eucharistiae ita declarat se esse resuscitaturum et donaturum vita aeterna (*Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam ; et ego resuscitabo eum in novissimo die*) ut ad suam veluti thesim defendendam appellet et originem suam coelestem *(Hic est panis qui de coelo descendit)* et maxime suam ascensionem gloriosam *(Hoc vos scandalizat*[1] ? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ?)* Nec mirum ; cum enim ei incorporemur, qui in coelo est gloriosus, nonne contra naturam foret, si nunquam illi in resurrectione corporum consociaremur ? Quid est caput aeternaliter incorruptibile corporis in aeternam corruptionem delapsi ? Nonne monstrum ? Quare, etsi per comparationem ad vires naturales, resurrectio gloriae sit miraculosa atque indebita, tamen respectu principii spiritualis per eucharistiam inditi dicenda est DEBITA atque CONNATURALIS. Et sic spondetur, et sic adquiritur ac procuratur per eucharistiam. Quod si quaeras qua arte istud fiat, ex tractatu *de Gratia* tibi suppeditat responsio. Gratia scilicet sanctificans, quae ex supra dictis apparet, et apparebit amplius ex dicendis, effectus eucharistiae proprius, modificat animam nostram, non solum secundum potentias, quae sunt virtutum sedes, sed etiam secundum *esse* ipsum substantiale, ratione cujus informatur corpus. Et ideo jam nunc corpora nostra sunt templa Spiritus Sancti, sanctificata, veluti in consortium adducta sanctitatis corporis domi-

1. Primum oborta est quaedam admiratio Judaeorum et dubitatio : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* ? (v. 52). Quae solet vocari objectio capharnaitica. Deinde subsecuta est discipulorum murmuratio et scandalum. *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire* ? (v. 60). Quae objectio fuit potius judaica, quam proprie capharnaitica, cum innitatur excellentiae Moysis veluti tuendae.

Scandalum enim passi sunt maxime discipuli ob discrimen, quod adduxit Christus et exaggerat, inter veteres Patres, qui, manna cum manducaverint, mortui sunt, et manducatores suae carnis, qui non morientur. In quo maxime displicebat, quod manducationi suae carnis tantam efficaciam conferendae immortalitatis vindicaret, quantam manna nunquam habuit (Chrysost., in h. l. P.G. 59, 264 : « Putabant « illum ea loqui, quae suam conditionem et gra- « dum superarent »). Cui scandalo occurrit apte Christus, memorans unde venerit, id est ex Deo, et praenuntians quo reversurus sit, id est ad nativae regnum gloriae. An judicabitur incredibile, quod in divinam translata Dei caro conditionem, divinam in consortes suos traduxerit vitam et incorruptibilitatem et gloriam ? En credo, processum Christi argumentativum, ad compescendam incredulitatem discipulorum aptum, simul atque ad eliciendam fidem Petri : *Verba* VITAE AETERNAE *habes, et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei* (vel secundum lectionem magis probatam : ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, sanctus Dei, i. e. divina unctus sanctitate, in ordine potissimum ad sanctitatem inducendam, qualiter infra legitur, *Jo.*, 17^{19}). Vide supra (Elucid. XXII) Athanasium et Cyrillum Alexandrinum, ad hunc modum explicantes *Jo.*, 6^{62}.

Solvendo autem objectionem judaicam, Dominus simul evacuat capharnaiticam. Etenim offensio ista capharnaiticae manducationis removetur simul cum praesuppositione falsa carnis dominicae apponendae communis vel terrenae ; sed non terrena aut communis apponetur ; immo coelestis ac spiritualis : siquidem, divinam cum jam obtineat caro conditionem, divinitus manducabitur, nec naturaliter : « ipso « [Christo] in suo regno, integro, intacto, inviolato, immortali, incorruptibili, imo specioso, « glorioso, adorando permanente, et mortales « PER JAM IMMORTALE CORPUS SUUM ad eamdem « immortalitatem perducente » (Petr. Cluniac., *Tr. cont. Petrobrus.* P.L. 189, 814).

nici. Siquidem ex parte elementi intrinseci, formae dico substantialis, uncta jam inveniuntur gratia divina. Sed et anima separata, ut per gratiam in terris, sic in coelis per gloriam perficitur, quoad *esse* informativum ; et pro tanto se tota postulat unionem ad corpus gloria perfundendum[1]. Quare sermo apostolicus habet formalissimam proprietatem : « *Si autem Christus* « *in vobis est, corpus quidem mortuum* « *est propter peccatum, spiritus vero vivit* « *propter justificationem. Quod si Spiritus* « *ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habi-* « *tat in vobis : qui suscitavit Jesum Chris-* « *tum a mortuis, vivificabit et mortalia* « *corpora vestra, propter inhabitantem Spi-* « *ritum ejus in vobis* (*Rom.*, 8^{10-11}).

Energiam illam radicalem, seu seminalem causalitatem, resurrectionis adscripsere Patres eucharistiae communiter.

Imprimis Ignatius (*ad Ephesios*, 20, 2. F.P., 230) : « Convenitis... frangentes pa« nem unum, qui PHARMACUM IMMORTALI« TATIS est, antidotum ne moriamur, sed « vivamus semper in Jesu Christo » (cf. *ad Smyrnaeos*, 7, 1. F. P. 1, 280-282).

Deinde Irenaeus, (*Adv. Haer.*, 4, 15, 5. P.G. 7, 1028) : « Quomodo autem rursus « dicunt carnem in corruptionem devenire, « et non percipere vitam, quae corpore « Domini et sanguine alitur ?... CORPORA « NOSTRA PERCIPIENTIA EUCHARISTIAM, « JAM NON SUNT CORRUPTIBILIA, spem re« surrectionis habentia » (5, 2, 2-3. P.G. 7, 1124-1127). « Vani autem omni modo, qui « universam dispositionem Dei contem« nunt, et carnis salutem negant, et rege« nerationem ejus spernunt, dicentes non « eam capacem esse incorruptibilitatis.... « QUOMODO CARNEM NEGANT CAPACEM « ESSE DONATIONIS DEI, QUAE EST VITA « AETERNA, QUAE CORPORE ET SANGUINE « CHRISTI NUTRITUR, ET MEMBRUM EJUS « EST ?... Nostra corpora ex [eucharistia] « nutrita, et reposita in terram, et resoluta « in ea, resurgent in suo tempore, Verbo « Deo resurrectionem eis donante, in glo« riam Dei Patris, qui huic mortali immor« talitatem circumdat, et corruptibili in« corruptelam gratuito donat. »

Clemens Alexandrinus : « Hoc est « bibere sanguinem Jesu : dominicae par« ticipem fieri incorruptionis » (*Pedag.* 2, 2. P.G. 8, 409)[2].

Apud Athanasium (*Ep.* 4 *ad Serap.*, n. 19. P.G. 26, 668) inducitur Christus haec loquens : « Quod exhibetur et datur pro « mundi vita, caro est quam ego gesto : « sed haec vobis, cum ipsius sanguine, « spiritualiter esca dabitur : ita ut haec « spiritualiter unicuique tribuatur, et fiat « singulis PHYLACTERIUM IN RESURREC« TIONEM vitae aeternae[3]. »

Copiose Gregorius Nyssenus in *Oratione Catechetica*, c. 37 (P.G. 45, 93-97) : « Anima quidem cum ipso [Salvatore] con« temperata per fidem hinc salutis habet « occasionem. Nam unio cum vita vitae « habet societatem. Corpus autem alio « modo venit ad participationem et con« temperationem ejus quod dat salutem. » Veluti veneno corruptum, eget medicamento. « Quid hoc ergo [medicamentum] « est ? Nihil aliud quam illud corpus, « quod et morte ostensum fuit potentius, « et nostrae vitae fuit initium... Quemad« modum enim si miscueris exitiale quid « cum sano, quicquid est contemperatum « redditur innoxium, ita etiam CORPUS « IMMORTALE, CUM FUERIT INTRA EUM QUI

1. Audiendus hac de re Ps. Dionysius : « Pura illa corpora animabus sanctis conjugata « et conservata, cum sint una cum illis con« scripta et colluctata secundum DIVINOS SUOS « SUDORES, in firmitate animarum secundum di« vinam vitam incommutabili accipient quoque « propriam resurrectionem. Copulata enim sanc« tis animabus, quibus in hac vita erant con« juncta, deiformem et incorruptam immorta« lemque ac beatam requiem sortientur, utpote « quae facta sint membra Christi... Profanorum « autem quidam censent istud corporum cum « propriis animabus conjugium dirimi in perpe« tuum, tanquam his, in deiformi vita et beata « requie constitutis, parum congruum : nequa« quam intellegentes (necdum sufficienter in « divina scientia eruditi), NOS VITAM IN CHRIS« TO DEIFORMISSIMAM JAM INCHOASSE » (*De Eccles. Hier.*, cap. 7, § I et II. P.G. 3, 553).

2. Hunc locum videsis explicatum supra (Elucid. XVIII).

3. Alios locos Athanasii vide supra recitatos (Elucid. XXII).

« SUMPSIT, UNIVERSUM QUOQUE TRANS-« MUTAT IN SUAM NATURAM ». Debet autem medicamentum intussuscipi. « Necesse est « ergo, eo modo quo natura potest, spiritus « vivificam suscipere virtutem. Cum autem « solum illud corpus quod Deum suscepit « hanc gratiam acceperit, ostensum sit « autem ALITER FIERI NON POSSE UT NOS-« TRUM CORPUS SIT IN IMMORTALITATE, « NISI PER COMMUNIONEM CUM IMMOR-« TALI PARTICEPS FACTUM SIT INCORRUP-« TIONIS, oportet considerare quomodo fieri « potuerit, ut unum illud corpus... totum « sit in unoquoque, etc.... Ea de causa per « suae gratiae dispensationem se per car-« nem inserit omnibus credentibus, com-« mistus et contemperatus corporibus cre-« dentium,... ut cum unione cum eo quod « est immortale, sit etiam homo particeps « incorruptionis. »

Non minus efficaciam carnis, mortalitatem nostram depellentis, praedicat Chrysostomus (*In I Cor.*, hom. 24, n. 2. P.G. 61, 201) : « Cum vetus carnis natura, ex « limo plasmata, per peccatum addicta « esset morti et alienata a vita, aliam, ut « ita dicam, massam et fermentum indidit, « suam scilicet carnem, natura quidem non « diversam, sed peccati expertem, quam « omnibus dedit participandam, UT EA « NUTRITI, deposita vetere illa carne mor-« tua, IN VITAM IMMORTALEM PER HANC « MENSAM COAPTAREMUR[1]. »

Prae ceteris, Cyrillus Alexandrinus (*In Joannem*, 6[55]. P.G. 73, 581) : « Ineffabili modo unitum propriae carni « Verbum, et totam quodammodo in seip-« sum transferens secundum virtutem, qua « vivificare potest ea quae vita indigent, « a nostra quidem natura corruptionem « amovit, ac praeterea mortem, quae olim « propter peccatum invaluerat, abegit. « *Qui manducat* ergo sanctam Christi *car-« nem, habet vitam aeternam.* Habet enim « caro in seipsa Verbum, quod vita est « secundum naturam. Idcirco namque ait : « *Ego resuscitabo eum in novissimo die...* « Fieri enim prorsus nequit, ut, qui secun-« dum naturam vita est, corruptionem non « superet, ac vincat mortem. Proinde, licet « mors, quae per praevaricationem nos « invasit, humanum corpus corruptionis « necessitati subjiciat, tamen, QUIA CHRIS-« TUS PER SUAM IPSIUS CARNEM IN NOBIS « EST, OMNINO RESURGEMUS. INCREDIBILE « ENIM EST, IMO VERO IMPOSSIBILE, UT « VITA EOS IN QUIBUS FUERIT NON VIVI-« FICET. Quemadmodum enim scintillam « multis paleis inserimus ut semen ignis « servemus, sic etiam Dominus noster « Jesus Christus per carnem suam in « nobis vitam integit, ac veluti quoddam « semen immortalitatis inserit, quod totam « quae in nobis est corruptionem abolet » etc., et alibi passim[2].

Quin et apud Gelasium Cyzicenum in ipsorum Patrum Nicaenorum ore ponitur illud : « In divina mensa ne humili-

1. Hoc loco libenter allegarem equidem effatum Macarii Magnetis de eucharistia : « Solo gustu immortalitatem homini affert » (ἐκ μόνης γεύσεως ἀθανατίζει τὸν ἄνθρωπον, *Mac. Magn. quae supers.... ed. C. Blondel*, 1876, p. 106) nisi, ut jam dixi (Elucid. XVIII), mihi graviter suspecta esset illius doctrina, utpote excludens ab eucharistia verum corpus natum de Maria Virgine, nec retinens nisi panem, consertum tamen Verbo, ac Spiritui Sancto unitum ; quem ipse putat posse denominari vere et proprie corpus Christi propter rationem maxime frivolam. Interim velim scias translationem celeberrimi illius fragmenti, quam a Turriano (*Contra Andream Volanum... de SS. euchar., tract.*, fol. 75, b sq.) acceptam sequitur in sua notitia de Magnete Gottfridus Lumper (vid. P.L. 5, 348-349), non esse fidam. Nam neque habet Magnes : *Quod non habet verbum vivens unitum cum corpore, quod fuit terrenum, ad aeternam vitam edentes non adduceret* ; neque habet : *Mysticus enim panis cum benedictionem Patris habeat inseparabilem, illam dico, quae in corpore et sanguine ejus facta est*, etc. Sed pro priore membro qualis translatio sit accipienda, vide supra (Elucid. XVIII). Pro altero autem, hanc accipe : « Nuncupationem [κλῆσιν] Salvatoris « habens mysticus panis inseparabilem, factam « secundum corpus ejus et sanguinem » [ἐπὶ τοῦ σώματος αὐτοῦ κτλ. Vide s. v. ἐπί apud Bailly, *Dictionnaire Grec-Français*, Paris, 1895, κεκλῆσθαι ἐπί τινος] ; h. e., cum mutuetur ille panis nomen Salvatoris (idque insolubiliter), quippe qui denominetur ex corpore et sanguine ejus, etc. Quo jam intellectu nihil statuitur circa praesentiam realem veri corporis dominici ; quae aliunde exclusa est, ut in Elucidatione XVIII ostendimus.

2. Conferas locos citatos supra (Elucid. XXII) atque alios citandos infra (Elucid. XLIX).

« ter intenti simus ad propositum panem « et poculum, sed attollentes mentem « fide intelligamus situm in sacra illa « mensa agnum illum Dei,... et pretio- « sum ipsius corpus et sanguinem vere « sumentes, CREDAMUS HAEC ESSE NOS- « TRAE RESURRECTIONIS SACRAMENTA (τὰ « τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα) » (*Historia Concilii Nicaeni*, l. 2, c. 30. P.G. 85, 1317).

Antequam ad Patres Occidentales nos vertamus, animadvertatur apud Dionysium Bar Salibi (*Commentarii in Evangelia*, Introductio, cap. 28, C. S. C. O., t. 98, p. 13), quaestio veluti catechetica : « Quare corpus et sanguinem « sumimus ? » Responsio autem est haec : « Cum accepisset [Christus] panem et « vinum, fecit ea corpus suum et sangui- « nem suum vere, et impertitus est eis vir- « tutem et sanctitatem ; et CUM SUMIMUS « EA, REPELLIMUS A NOBIS MORTEM, ET « ACQUIRIMUS NOBIS VITAM IMMORTALEM. « Et QUEMADMODUM FERMENTUM OMNEM « MASSAM FERMENTAT ET AD SE ATTRAHIT, « ita etiam SACRA MYSTERIA AD IMMOR- « TALITATEM NOS ATTRAHUNT. » Fermentum igitur nostrae resurrectionis ex mortuis in vitam immortalem credebatur ab illis Syris esse eucharistia.

Apud Optatum Milevitanum nuncupabatur id quod de nostris altaribus suscipitur : « pignus salutis aeternae... et « SPES RESURRECTIONIS » (*De schism. Donatist.*, l. 6, c. 1. P.L. 11, 1065).

Medio aevo, Paschasius Radbertus super illud *Sitivit in te anima mea* ; *quam multipliciter caro mea* : « Sitivit ergo « totus homo, UT DE CARNE ET ANIMA « TRANSIRET AD SPIRITUM, quatenus SPI- « RITUALIS TOTUS in Deo esset ; PROPTER « QUOD... simul et caro et anima recte « sitiunt et potantur sanguine, sicut et « pascuntur simul carne Christi, quia « non carnaliter ista percipiuntur, sed « spiritualiter. Sitit igitur anima talibus « refrigerari, sitit et corpus. Comedit « anima, comedit autem et corpus, quia « talis esca non minus pertinet ad animam « quam et ad corpus. Quibus usque ad « finem vegetata, anima immortalis ad « vitam transit, caro vero propter sen- « tentiam primi hominis ad terram re- « dit ; sed quia, Christo corporata per « lavacrum, et IMMORTALITATIS ALIMO- « NIA[1] ENUTRITA, SEMINA VITAE PER- « CIPIT, NUNQUAM post finem saeculi IN « MORTEM DETINERI POTERIT, immo, quod « in capite praecessit, membris praesta- « bitur » (*De corp. et sang. Dom.*, c. 11. P.L. 120, 1310. cf. c. 19, n. 1, col. 1327). Item brevius : « Qualis ille resurrexit, talia « sunt et haec semina immortalitatis, « quae immortales faciant digne perci- « pientes » (*ibid.*, c. 18, col. 1326).

Gulielmus vero a Sancto Theodorico : « Nequaquam, sicut alii cibi, « [cibus eucharisticus] in naturam vertitur « corporis, sed corpus nostrum in suam « vertit naturam ; et FUTURAE RESURREC- « TIONI et PERPETUAE INCORRUPTIONI illud « praeparans et COAPTANS, et in nobis est, « et ubi erat, scilicet in dextera Patris » (*De sacram. altaris*, c. 8. P.L. 180, 355).

Quare opportune monet Ernaldus Bonaevallensis, ut, depulsis mortis terroribus, nos in eucharistia « pascant et « reficiant MATURATAE RESURRECTIONIS « LAETABUNDA SOLEMNIA » (*Lib. de cardinalibus operibus Christi*, c. 6. P.L. 189, 1646).

Sed pulcherrime omnium Innocentius III : « HUJUS SACRAMENTI VIR- « TUTE, inquit, POSSIBILE FIT, UT, QUI DE « TERRA SUNT, IN COELUM ASCENDANT. « Ait ipse enim Salvator : *Nemo ascendit* « *in coelum, nisi qui de coelo descendit Filius* « *hominis, qui est in coelo.* Unum et idem « est : Filius Dei, qui de coelo descendit ; « Filius hominis qui ascendit in coelum : « Christus Jesus, cui, tanquam suo capiti « cuncta membra corporis, annectuntur « omnes qui PER FIDEM HUJUS SACRAMENTI « servant *unitatem Spiritus in vinculo* « *pacis.* Et sicut unum corpus, una per- « sona, unus Christus cum suis membris

1. Sic videtur mihi legendus locus, et non *alimoniam*, ut in editis.

« in coelum ascendit, dicitque gratulabundus gloriosam Deo repraesentans « ecclesiam : *Hoc nunc os ex ossibus meis,* « *et caro de carne mea* ; et ostendens secum « illam in unam convenisse personam : « *Erunt*, inquit, *duo in carne una. Hoc autem*, ut inquit Apostolus, *magnum sacramentum est in Christo et in Ecclesia :* « QUOD EUCHARISTIA SIMUL EFFICIT ET « FIGURAT » (*De sacro altaris mysterio*, 4, 44. P.L. 217, 886).

Aliquid istius puncti attigerat *Concilium Tridentinum* hisce verbis : « Pignus « praeterea id esse voluit futurae nostrae « gloriae et perpetuae felicitatis, ADEOQUE « symbolum unius illius corporis cujus « ipse caput exsistit » (D., 875). Propositum scilicet nos suscitandi aliquando secum, rationat in Christo voluntatem nos nunc sibi incorporandi. Adeo incorporatio fit in ordine ad resurrectionem, et resurrectio est sequela incorporationis !

Sed dilucidius Leo XIII (Encycl. *Mirae caritatis*) : « Augustum eucharistiae « sacramentum beatitatis et gloriae CAUSA « idem et PIGNUS est, idque non animo tan- « tum, sed etiam CORPORI... Corpori autem « caduco et fluxo HOSTIA illa divina futu- « ram INGENERAT RESURRECTIONEM ; si « quidem CORPUS IMMORTALE Christi SE- « MEN inserit IMMORTALITATIS, quod ali- « quando erumpet. Utrumque istud et « animo et corpori bonum INDE obventu- « rum, Ecclesia omni tempore docuit, « Christo obsecuta affirmanti : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam ; et ego* « *resuscitabo eum in novissimo die.* »

Tantis testimoniis cum veteris tum recentioris Ecclesiae, verbi Domini innixis, nescio an plene satisfaciant moderni illi theologi, et plurimi et maximi, qui nullum intrinsecum nexum inter eucharistiam et resurrectionem admittunt, sed solummodo novum in eucharistia reponunt titulum resurrectionis, veluti cumulativum, cum teneant resurrectionem posse nobis (in praesente oeconomia) sine ullo ad eucharistiam respectu obtingere eamdem. Sed revera istius opinionis exclusio sponte fluet ex disputandis infra, ab Elucidatione XLVI ad XLIX, quibus omnia illius fundamenta convellentur.

Probatur 2° doctrina ex *Matth.*, 26^{29}, *Marc.*, 14^{25}, *Luc.*, 22^{29-30}. Dico autem vobis : *Non bibam amodo de hoc genimine* (ἐκ τούτου τοῦ γενήματος) *vitis, usque in diem illum, cum illud* (αὐτό) *bibam vobiscum novum in regno Patris mei* (*Matth.*, 26^{29}). *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine* (ἐκ τοῦ γενήματος) *vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei* (*Marc.*, 14^{25}). *Et ego dispono*[1] *vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc.*, 22^{29-30}). Sermoni in promissione eucharistiae habito congruit is quem apud Synopticos Dominus post coenam habuit ; in quo, ut notatum est olim, connectitur manducatio ac potatio eucharistica cum convivio quodam futuro in coelis[2] spirituali. Connectitur autem dupliciter. Primo, secundum habitudinem signi ad significatum, tanquam uno praefigurante alterum : ut patet ex parallelismo, quem inter modo habitam coenam et tunc habendam Christus oggerit. Secundo, secundum habitudinem inchoationis ad consummationem, vel seminis ad incrementum, dum unum idemque genimen vitis (ἐκ τούτου τοῦ γενήματος... αὐτό, *Matth.*), quod nunc potatum est, dicitur potatum iri, quanquam innovatum. Habet igitur coena eucharistica respectu illius coelestis convivii rationem non signi tantum, sed et principii veluti seminalis. Aliunde ad corporum resurrectionem referri istud convivium, nec ad dominicam tantum, sed et ad nostram, nemo negabit. Ad resurrectionem enim Domini quod attinet, tam cla-

1. *Dispono* (= διατίθεμαι) : do vobis in haereditatem, quasi per testamentum (= διαθήκη, cf. supra, vers. 20).

2. Quae interpretatio anagogica accipienda est tanquam principalis, sine praejudicio interpretationis ecclesiologicae, quam veluti intermediam objecerunt aciei nostrae Patres post Origenem et Hieronymum, ut videre est supra (Elucid. XI).

rum est, ut ab omnibus universaliter exegetis sit semper intellectum. Sed et nostra resurrectio consociatur, Domino nos in pari secum conditione futuros aiente (*Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater...*). Fuit igitur secundum Dominum coena, quam instituerat, symbolum et causa futurae nostrae resurrectionis in vitam gloriae aeternam : in qua demum pascha complebitur.

Huc spectat quod scribit Irenaeus (*Adv. Haer.*, 5, 36, 3. P.G. 7, 1224) : « Diligenter ergo Joannes praevidit primam « justorum resurrectionem, et in regno « terrae haereditatem ; consonanter au« tem et prophetae prophetaverunt de ea. « Haec enim et Dominus docuit, mistio« nem calicis novam in regno cum disci« pulis habiturum se pollicitus ».

Athanasius (*Epist. Heortast.* 7, 8. P.G. 26, 1395) continuationem coenae coelestis cum eucharistica, aut potius ambarum unitatem atque identitatem praedicat his verbis : « Panis hic, fratres, mei, non hic « tantummodo justorum alimonia est, nec « soli sancti in terra tali pane vescuntur « et sanguine ; sed EUM IN COELO QUO« QUE nos comedemus : namque omnium « supernorum spirituum atque angelorum « Dominus aeque nutrimentum est, ac « coelestium omnium potestatum voluptas. « ...Dominus PRIMO DEDIT nobis panem « angelorum, NUNC VERO POLLICETUR iis « qui una secum tentationes tolerant, « dicens : *Ego autem promitto vobis, sicut* « *promisit mihi Pater meus, regnum, ut* « *edatis et bibatis super mensam meam in* « *regno meo, et sedeatis super duodecim* « *thronos, judicantes duodecim tribus Is*« *rael,* » etc. Eumdem panem comedemus, quem comedimus ; eumdem pollicetur Dominus, quem dedit.

Pressius Eusebius Caesariensis : « Beati ergo, qui nunc esuriunt et sitiunt « justitiam, quia tunc [h. e. in futura vita] « saturabuntur, coena regia epulantes, et « vitae panem participantes novique calicis « laetitiam. QUARUM RERUM SYMBOLA ante « passionem peragens, *Non bibam*, inquit, « *amodo ex hoc genimine vitis usque in diem* « *illum, quo illud vobiscum novum bibam* « *in regno Patris mei.* Plena est bonis re« bus mensa cujus participes erunt ii qui« bus [per] testamentum disponit (prop« terea quod secum in tentationibus perse« veraverint), ut manducent ac bibant in « mensa ejus, pane coelesti animas sanctas « vegetante nutriti, et potati vino novi « geniminis vitis verae, quam excolit Deus « Pater, fructum ejus dignis propinaturus « novum » (*Commentarii in Lucae evangelium quantum superest in codicibus vaticanis*, in *Luc.*, 14[18]. P.G. 24, 580). Scribit ad eamdem normam Gregorius Nazianzenus : « Participes simus paschatis : « nunc quidem typice adhuc, quanquam « apertius quam in vetere Lege ; legale « siquidem pascha (dicere non verebor) « typus erat typi obscurior. Aliquanto au« tem post, perfectius et purius : cum vide« licet illud bibet nobiscum novum Verbum « in regno Patris, patefaciens ac docens « ea quae nunc ad mensuram nobis mons« travit » (*Or.* 45 *in S. Pascha*, c. 23. P.G. 36, 656).

Quare recte « antitypa futurorum dicun« tur panis et calix eucharisticus, non quod « vere Christi corpus et sanguis non sint ; « sed quia nunc quidem per illorum usum « participes efficimur divinitatis Christi, « tunc autem intellegibiliter per nudam « visionem » (Damascenus, *loc. cit.*, col. 1153).

Illustrat hanc doctrinam sermone suo vivido, ut solet, Nicolaus Cabasilas : « Omnis animarum requies, omne prae« mium virtutis, sive magnum sive par« vum, nihil est aliud quam hic panis et « hic calix, dum et a vivis et a mortuis « participantur modo utrisque congruo. « Propterea quippe Dominus futuram « sanctorum fruitionem nuncupavit coe« nam : ut ostenderet nihil esse illic am« plius praeter hanc mensam » (*Liturgiae Expositio*, 45. P.G. 159, 456)[1].

In eumdem sensum apud nos Ernal-

1. Interea probe novit Cabasilas, nedum utantur sacramentis sancti coelites, sed ne nostris quidem ministrationibus liturgicis posse augeri illorum sanctitatem aut beatitudinem (vide cap. 47-49). Sed intellegit, reservari nobis in coelis « hanc mensam » evolutam.

dus Bonaevallensis : « Panem angelorum sub sacramento manducamus in « terris ; eumdem sine sacramento manifestius edemus in coelis, non ministerio « corporali, saepe repetitis actionibus, ad « eumdem revertentes ; sed consummato « sacerdotio nostro, erit et permanebit perpetua et stabilis, implens et reficiens « nos, sufficientia, quae profert se palam, « absque ullis integumentis, omnibus conspicabilis summi praesentia sacerdotis » (*Lib. de cardinalibus operibus Christi*. P.L. 189, 1644).

Arcano verbo usus est Dominus, cum, verso in proverbium sermone quem Deus ad Job (*Job*. 39^{30}) habuerat, dixit : *Ubicumque* (ὅπου ἐάν) *fuerit corpus* (τὸ πτῶμα)[1], *illic congregabuntur et aquilae* (*Matth.*, 24^{28}). Quodnam est illud corpus, nisi corpus Christi[2], in suis certe membris mandatum terrae et exanime, sicut ipsum olim jacuit in sepulchro[3], et in altari[4] jacet apud nos νεκρὸν πνευματικόν[5], spiritualiter occisum : cujus nos carne saginati in terra requiescemus, exspectantes beatam spem resurrectionis, donec advenerint aquilae, id est animae clarificatae[6] de coelis, et ad pulverem illum

1. Πτῶμα est *defuncti corpus*, nullo addito sensu pejorativo, qualis inest morticino (θνησιμαῖον, *LXX Lev.* 7^{24} ; *Ez.*, 4^{14} ; et alibi passim). Immo reverentius sonat plerumque quam cadaver (νεκρόν). Quare convenienter dicitur de corporibus sanctorum, vel honorifice sepeliendis (*Matth.* 14^{12}, *Marc.*, 6^{29}), vel nefarie profanandis (*Apocal.*, 11^{8-9}). Immo dicitur expresse de corpore ipso Christi mortui, donato per Pilatum Josepho (*Marc.*, 15^{45}), quod sane nunquam decuit vocari latino sermone cadaver. Certe foetens quid et a longe odorandum nunquam significavit per se πτῶμα. Praeterea, aquilae (de quibus demum sermo hic est, sicut et in libro *Job*) non quemadmodum vultures putidis carnibus vescuntur, sed tantum incorruptis. Vide igitur, quomodo sustineri possit interpretatio Patris Knabenbauer (in h. l.), qui ad excludendum corpus Christi vult locutionem, utpote proverbialem, ita esse intellegendam : praesentietis adventum ultimi diei, sicut vultures [non aquilae] a longe odorantur cadavera. Quae parum decora fuerit in Christo comparatio ; nec apta, siquidem in libro *Job* nihil de odoratu insinuatum est, sed de aciei subtilitate et velocitate advolatus. Objectionibus similibus aut majoribus patet explicatio paullo audacior viri reverendi, Petri Dausch (*Die drei älteren Evangelien übersetzt und erklärt*, Bonn 1918, p. 298), qui, postquam adnotavit : « Das griechische Wort Adler steht « für Raubvogel überhaupt, die Adler rauben « nur lebendige Beute », deinde pergit : « Wie « die Geier [vultures] vertilgen was zur Vertilgung reif ist, so kommt auch, wenn die Welt « reif ist zum Gericht, der Richter. » Vix persuadebitur, a Christo esse SUUM adventum ad nos judicandos, aequiparatum descensui vulturis allecti putrefactione cadaverum depascendorum sufficiente. Sed insuper, ut ipse notat Dausch (in parallelum locum Lucae, p. 495), Christi apophthegma respondet non quaestioni *quando* eschatologica prophetia sit verificanda, sed *ubi* (ποῦ Κύριε). Quare incompetentes sunt omnes illae responsi interpretationes, quae signant, non locum, sed tempus (WENN die Welt reif ist, persentietis adventum ultimae diei).

Ceterum neque nos intendimus ex hoc loco evangelico demonstrare vim eucharistiae in ordine ad corpora suscitanda, sed aliunde notam illustrare sermone aenigmatico divinae sapientiae.

2. *Corpus* = corpus Christi. Ita Orig., in h. l. P.G. 13, 1669 : « Ubicumque fuerit, quod est « secundum dispensationem passionis ejus, ca« daver ejus qui ideo cecidit, ut erigat eos qui « ceciderunt, illuc congregabuntur non qualescumque, sed aquilae discipuli. » Chrysost., *In I Cor.*, hom. 24, n. 3. P.G. 61, 202-203. Cyril. Al., in *Luc.*, 17^{37}, P.G. 72, 848 (σῶμα νεκρόν). Hilar., in h. l. P.L. 9, 1056. Hieron., in h. l. P.L. 26, 179. Ambros., in *Luc.*, 17^{37}. P.L. 15, 1782. Beda, in *Luc.*, 17^{37}, P.L. 92, 550 : « Ubicumque ergo fuerit Dominus corpore, illo « congregabuntur electi, qui ejus passionem « humilitatemque imitando, tanquam de ejus « carne saturantur, quorum per resurrectionem « renovabitur ut aquilae juventus. » Pasch. Radb., in h. l. P.L. 120, 815. Innocentius III, *De sacr. alt. myst.* 6, 3. P.L. 217, 907. Specialius, corpus = primitiae nostri corporis in coelis congregandi et clarificandi = Christus. Sic Ammonius Al., in h. l. P.G. 85, 1385.

3. Corpus = corpus Christi ut passi ac mortui. Ita Orig. *(loc. cit.)*, Hilar. *(loc. cit.)*, Chrysost. *(loc. cit.)*, Hieron. *(loc. cit.)*, Ambros. *(loc. cit.)*, Beda *(loc. cit)*., Pasch. Radbertus *(loc. cit.)*, Anselmus Laudunensis, *in Matth.*, 24 : « Corpus Christi quasi cadaver « appellatum est per passionem » (P.L. 162, 1453).

4. Corpus = corpus Christi eucharisticum. Ita Chrysost. *(loc. cit.)*. Corpus eucharisticum et ecclesiasticum. Ita Ambros. *(loc. cit.)*, Pasch. Radb. *(loc. cit.)*.

5. Leont. Byz., cit. supra, Elucid. XXII.

6. *Aquilae* = animae sanctorum, qui obdormierunt in Christo. Ita Orig. *(loc. cit.)*. Chrysost. (*loc. cit.*, et in h. l. P.G. 58, 697). Cyril. Al. *(loc. cit.)*. Ammon. *(loc. cit.)*. Hilar. *(loc. cit)*. Hieron. *(loc. cit.)*. Ambros. *(loc. cit.)*. Beda (*loc. cit.*, et in h. l. P.L. 92, 103). Pasch.

corpore Christi sanctificatum congregatae, in ipsa sua gloria voraverint et absorpserint corruptibilitatem carnis, aedificantes sibi habitaculum incorruptibile, et in unum Christi corpus vivum ac gloriosum assurgentes : secundum quod habetur alio sermone apud *Lucam* 17[37] : *Ubicumque fuerit corpus* (ὅπου τὸ σῶμα), *illuc congregabuntur et aquilae* ; veluti praeeuntibus et invitantibus sanctis angelis, quorum est congregare omnes electos a quatuor ventis ad caput suum Christum, sicut ipse monuit Dominus (*Matth.*, 24[31]), et nescio annon[1] viderit Joannes dicens : *Vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quae volabant per medium coeli : Venite et congregamini ad coenam magnam Dei* (*Apocal.*, 19[17]).

Hic certe juvat referre carmina Ephraemi : « Mannam coelestem manducaverunt homines terreni, terrae pulvis effecti peccatis suis. Panis spiritualis levem reddidit hunc pulverem qui avolavit ; sic populi advolarunt in paradisum ibique commorati sunt. In eo omnes ingredientes laetabuntur. Ingredi autem poterunt omnes, quia omnes cum Adamo egressi sunt. Illic corpus Adami secundi, ad quem congregabuntur aquilae alatae. Pane spirituali fiunt cuncti homines aquilae in paradisum advolantes. Qui manducat panem vivum Filii, ipse advolabit in occursum ejus etiam in nubibus » (*Hymni azymorum*, hymn. 17, str. 8-13. Ed. Lamy, t. 1, p. 618-620).

CONCLUSIO

Eucharistia igitur est sacramentum : non autem est veluti unum quodlibet ex septem. Immo est propriissime et maxime sacramentum, nec verebor dicere sacramentum subsistens, ex quo habent participare quaecumque alia sunt sacramenta. Sacramentum enim est signum rei sacrae, in quantum [ista res sacra] est sanctificans homines. Res vero sacra homines sanctificans nulla prostat praeter hostiam nostrae salutis[2]. Est autem eucharistia ipsa haec hostia, et in suo quidem munere hostiae, et oblatae et participandae. Reliqua vero sacramenta ita, suo quodque modo, hanc hostiam significant, ut tamen non sint ipsa, nec aliquid ipsius, sed aliquid ab ipsa procedens et ad ipsam relatum. Est ergo eucharistia veluti imparticipatum quid in genere sacramenti ; cetera autem sacramenta, tanquam dependentia atque subordinata, non univocam cum eucharistia habent rationem sacramenti, sed analogicam, quanquam veram et propriam, sicuti et nobis inest vera ac propria ratio entis, nec tamen nisi analogica ad Deum, cui inest principialiter et principaliter. Cui eucharistiae principalitati, amplius infra (Elucid. XLVI–XLVIII)evolvendae, nunc congruit, quod cum cetera sacramenta sint transeuntia, consistentia scilicet in usu materiae atque actione ministri, sola eucharistia est sacramentum permanens, ut in sequente capite constabit.

Radb. *(loc. cit.)* : « Quarum aquilarum unitas, « universitas est sanctorum, qui, remigio alarum « suarum subvecti, in corpore Christi sociantur... « per omnem Ecclesiam, in qua corpus ejus et « sanguis immolatur et sumitur... Dicimus de « homine Christo : ubicumque fuerit, ... quod « illic in resurrectione carnis debeant aquilae, « id est sancti [*supra* : commortui et consepulti] « congregari a quatuor ventis coeli, deinceps et « esse cum Domino. » Cui expositioni, inquit, non adversantur, nisi qui « sensus catholicos « evacuare » conantur. S. Bruno Astensis (homil. 1, et in h. l. P.L. 165, 273 et 747-748) : « Aquilae enim sanctorum animae sunt... Hae « autem tunc ad corpora propria venientes, « ubicumque et quomodocumque dispersa sint, « ea iterum induentur, ut totus integer et immor- « talis homo resurgat. Potest autem et sic « intelligi, ut ubicumque Christi corpus fuerit, « illuc et animae conveniant... »

1. Quanquam parum, fateor, suadetur ex contextu. Vide tamen interpretationem Primasii, in h. l. P.L. 68, 913 : « Invitantur spiri- « tuales [aves] ad coenam, de qua Petro, qui « praesentis figuram gestabat Ecclesiae, dice- « batur *Macta et manduca* : cum occiduntur « quod fuerunt, ut fierent quod ipse, id est fide- « lis ; et in corpus transeuntes Ecclesiae, mem- « bris Christi complantanti conregnant. »

2. De naturali coincidentia inter sacrificium et sacramentum, videsis Bagotium *(loc. cit.)*.

Elucidatio XXXIX.

In eucharistia SIGNUM TANTUM est aliquid permanens compositum ex speciebus et verbis.

CAPUT II.

QUALE SACRAMENTUM SIT EUCHARISTIA.

In hujus partis tractatione tria praestabuntur.

Primo. Examinabuntur absolute singula elementa eucharistiae.

Secundo. Comparabuntur elementa eucharistiae inter se.

Tertio. Comparabitur eucharistia ad alia sacramenta.

§ 1. Examinantur absolute singula elementa eucharistiae.

Ut in ceteris sacramentis ita in eucharistia solent tria distingui : id quod est *signum tantum*, id quod est *res et signum*, et id quod est *res tantum*[1]. Primum est elementum sensibile, mere significativum ; alterum est elementum invisibile, significatum simul et significativum ; tertium est elementum invisibile, mere significatum. Secundum haec tria explorabitur eucharistia.

Sectio I. — De eo quod est signum tantum.

Ex parte ejus quod est signum tantum, quaeritur sitne eucharistiae sacramentum transiens, an permanens. Transiens censebitur, si constat in actione aut consecrativa, aut consumptiva ; permanens, si consistat in speciebus ex consecratione relictis et destinatis ad sumptionem. At si consistat in actione utralibet, inconveniens est, quod species conservatae in pyxide nullum sunt sacramentum, contra communem Ecclesiae praedicationem. Si consistat autem in speciebus, inconveniens est, quod, contra communem de sacramentis disciplinam, non constabit ex materia et forma, quando materiam quidem habebit permanentem, formam vero non ita. Quaestio est inter catholicos, nec tangit rerum essentiam, sed spectat ad rectam conceptuum ordinationem et classificationem sacramentorum debitam.

Quatuor praecipuae sententiae excogitari possunt.

Secundum unam consistet sacramentum substantialiter ex verbis demum, nec respiciet species panis et vini, nisi ut materiam circa quam exercetur. Quae sententia a Vasquezio, disp. 167, c. 2, n. 13, tribuitur (nescio utrum merito annon) paucis quibusdam theologis, quibus immerito certe annumeravit (*ibid.*, 13 et 18) sanctum Thomam[2] et Durandum. Alii autem, si istud senserunt, perperam

1. Pontificiam auctoritatem habet, in negotio certe eucharistico, haec partitio ex Innocentii III *Epistola ad Joannem quondam archiep. lugdun.* (D., 415), quae inserta est Corpori Juris (*Decretal.*, l. 3, tit. 41, c. 6). Quare parum fuit *a priori* verisimile, illam esse impugnatam a Thoma Waldensi, sicut retulerunt nonnulli doctores (inter quos Suarez, disp. 42, sect. 1, n. 1), decepti quibusdam verbis Dominici Soti (4 D. 8, q. 1, a. 1. Duaci 1613, p. 196). Opportune igitur Vasquez (disp. 167, c. 2, n. 9-12) liberavit virum pium ac doctum a nota illa sive audaciae sive inscitiae immerito inusta.

2. Sancti Thomae doctrina genuina haec est (4 D. 8, q. 1. a. 1, sol. 1, et 3 S. 73, 1, 3^{m}) : cetera sacramenta consistere in usu (confirmationem puta, in unctione consecrati chrismatis);

ad sacramentum (seu sacrificium passive dictum), transtulerunt id quod est sacrificii (active sumpti seu sacrificationis) proprium[1] : ut in actione sacerdotis consistat. Quanquam nec ipsa sacrificatio ita in sacerdotis actione consistit, quin concurrant instrumentaliter species : actio enim nostra sacrifica seu oblativa in imitatione quadam symbolica immolationis posita est ; ad symbolum autem immolationis constituendum concurrunt cum verbis species ; ipsae igitur adhibentur tanquam instrumenta ad peragendam nostram oblationem corporis et sanguinis Christi, ut explicatum est supra (Elucid. IX).

Altera sententia Aureolo (4 D. 8, q. 1, a. 1) apud Capreolum (4 D. 8, q. 1, a. 2, § 1, et a. 3, § 1. Turon. 1906, t. 6, p. 149 et 154) tribuitur, secundum quam in sumptione demum perficitur sacramentum.

Cujus ratio haec ab Aureolo assignatur, quod ante sumptionem nondum inest speciebus significatio ulla respectu incorporationis nostrae ad Christum. Quamdiu autem gratia nulla significatur, nondum absolvitur essentia sacramenti.

Praeterea in ceteris sacramentis, consistit sacramentum in actione, per quam conferatur gratia ex opere operato. Atqui in eucharistia nulla est talis actio, nisi sumptio.

Sed neutra ratio valet.

Nam in priore, falsum est, ante sumptionem nondum significari incorporationem ad Christum. Corpus enim Christi, per species in ratione epuli sacrificalis significatum, significat seipso corpus mysticum, ut patebit inferius (Elucid. XL et XLIII) ; et significatio illa est in ipso perfecta[2], in ipsoque est virtuosa[3], habens totam suam efficaciam, non veluti reducendam de potentia ad actum[4], sed tanquam actum quemdam purum vitae deificae, et formam imparticipatam gratiae, in omnes se profusuram, quicumque se ei subjecerint vivificandos. Cui proinde nihil additur causalitatis ex accessu nostro, quanquam nobis additur causae effectus ; nec mutatur ipsum, sed nos mutamur.

Ad alteram autem rationem respondetur, non consistere sacramentum in actione qua gratia ex opere operato conferatur, sed in signo atque causa, cui talis competat effectus. Signum autem et causa in eucharistia ante sumptionem constat integre, ut ex supradictis patet ; nec proinde manducatio intercedit nisi ut quaedam conditio.

Exclusis autem rationibus adversae partis, haec pauca contra istam sententiam praescribere licet.

Primo, potest contingere ut sacrae species, nullo manducante, corrumpantur. Quo casu quis dicet, nullum fuisse sacramentum ? Immo omnes exclamabunt periisse sacramentum. Quod si dicatur, non dicetur de corpore Christi, sed de visibili signo. Ex parte visibilis signi igitur habe-

hoc autem sacramentum non consistere in ipso usu (puta sumptione) ; sed ad hoc ut habeatur sacramentum, sufficere ipsam consecrationem : quod sane est verissimum. Idem intellegas dictum de Durando, 4 D. 8, q. 2, n. 5.

1. Facile, in interpretandis ecclesiasticis medii aevi incuntis documentis, transitus fit indebitus ex sacramento, quod consecratur, ad sacrificium, quo consecratur, propterea quod promiscue illic nomen sacrificii utrumque designat. Vide in *Capitulis* Theodori Cantuariensis (52-57. P.L. 99, 950-952) quomodo ubique pro sacramento dicatur sacrificium (cf. S. Egberti *Canones de remediis peccatorum*, 13. P.L. 89, 451). Exindeque usus iste ad decretistas transiit, qui Theodori canones suis collectionibus (passim) inseruerunt.

2. Non solum est signum sufficiens corpus Christi, aut adaequatum, sed eminens totius corporis mystici. Illius enim perfectioni et sanctitati nihil additur ex consortio nostro, quanquam ad plures consortes se extendit ac protendit ipsa.

3. Si signum est perfectum, et causa perfecta est : nam sacramentum causat significando.

4. Alia est conditio consecrati chrismatis, cujus virtus omnino reducitur de potentia in actum, cum accedit forma confirmationis, ulteriorem determinationem addens materiae, quamvis consecratae. Actualitas autem plena causandi, sicut et significandi, inest corpori Christi, in quantum habet in eucharistia permanentem rationem epuli sacrificalis ; nec requiritur amplius nisi materia circa quam exerceatur causalitas. Quae ex accessu sumentium suppeditatur.

tur etiam ante communionem sacramentum.

Praeterea, cavendum est ne locutiones nostrae faveant haeresi (*1 Tim.*, 6²⁰; *2 Tim.*, 1¹³). Porro, si negaveris signum sensibile esse integrum ante communionem, favebis haeresi negantium ante communionem inesse eucharistiae corpus Christi[1]. Etenim parum in sacramentis intellegitur constare *rem et sacramentum* priusquam constet *sacramentum tantum*[2].

Tertio, accedit auctoritas sancti Thomae (3 S. 73, 1, 3^m), cetera sacramenta in ipso demum usu, hoc autem ante usum aientis esse perfectum.

Exclusis igitur sententiis, quibus sacramenti pessumdatur permanentia, tertia est examinanda sententia, qua ad ipsas solas species contrahitur id quod est in eucharistia *sacramentum tantum*.

Quae est sententia Scoti, 4 D. 8, q. 1, 3^m (Lugduni, 1639, p. 409). « Istud sacra-« mentum non habet aliqua verba pro « forma, quia tunc non esset sacramentum « permanens, cum verba non possint esse « nisi in successione : tamen ipsa conse-« cratio sacramenti consistit in fieri, et « ideo requirit aliquam formam verborum. « Sed illa non est forma sacramenti, sed « consecrationis sacramenti ; et pro tanto « possunt dici verba sacramentalia, quia « ad sacramentum pertinentia, tanquam « forma consecrationis ejus, quae consecra-« tio est inceptio sacramentalis ; sed non « dicuntur sic sacramentalia, sicut verba « baptismi ; illa enim sunt sacramentalia, « sicut forma baptismi. Si autem omnino « quaeras, quae sit forma hujus sacramen-« ti ? dico quod ipsae species visibiles « sunt materia, id est proximum funda-« mentum relationis significationis : et « ipsa significatio est ibi formale, sicut in « aliis sacramentis. Et si quaeras, quid est « in hoc fundamento tanquam materia, « aliud tanquam forma ? Respondeo, quod « non est hic aliud tanquam materia, et « aliud tanquam forma, sicut est in aliis. « Cujus ratio est, quia istud est permanens, « et ideo non possunt aliqua verba ad ejus « essentiam pertinere : in quocumque au-« tem sacramento distinguitur materia « et forma, signum visibile dicitur esse ma-« teria, verba vero forma. »

Scoto consonat (mirabile dictu !) Capreolus (4 D. 8, q. 1, a. 3, § 5, n. 3. Turonibus 1906, t. 6, p. 163). Adstipulanturque deinde inter alios plurimos Dominicus Sotus (4 D. 8, q. 1, a. 1), Toletus (in 3 S. 73, 1, 3^a concl. et ad 3^m), Vasquez (disp. 167, c. 3, n. 21, 25, 32, 34, et passim), Brancatus (*In quartum librum Sententiarum*, etc., tom. 1, disp. 17, art. 2, n. 23, 24 et 28, p. 437-438). Quam sibi sententiam Suarez non parum arridere fatetur, quatenus dicantur verba forma quidem sacrificii, causa autem sacramenti efficiens, proindeque extrinseca, nec constitutiva (Disp. 42, s. 2, n. 4 et 5). Quanquam deinde in oppositam propendet magis sententiam, de qua postea.

Falsum istius sententiae suppositum, expresse adsertum apud Scotum, Sotum, Toletum, Vasquezium *(locis citatis)*, hoc est : species sibi sufficere quoad fundandam relationem significationis erga *rem* hujus sacramenti. Quod aut de *re* contenta, nec effecta, intelligitur, aut de *re* effecta, nec contenta. Si de hac est sermo, ut placet supradictis theologis, respondeo : respectu talis rei nulla, ex institutione Christi, inest elemento visibili habitudo signi directa, sed mediante tantum corpore Christi, per prius significato, ut probabitur infra (Elucid. XLIII). Respectu autem corporis Christi, species, per se solas spectatae, non habent relationem signi nisi in potentia

1. Quare apud posttridentinos theologos male olet illa sententia Aureoli, et acriter rejicitur. Vide pro exemplo Maldonatum, *Tract. de sacram. De euchar. sacram.*, part. 1^ae q. 2.

2. Nec commode satis componitur ista sententia cum stylo *Tridentini*, dicentis : « IN admi-« rabili eucharistiae SACRAMENTO » post factam celebrationem, « remanere verum corpus Do-« mini » (can. 4, D., 886). Ibi enim *sacramentum* videtur supponere pro signo sensibili. Nec potest remanere corpus in sacramento externo, nisi remaneat ipsum externum sacramentum.

tantum ; ad hoc autem ut actualis sit significatio, oportet ut determinatio aliunde accedat[1]. Non scilicet Christus instituit ut omnis species panis significaret corpus suum.

Sed *dices* : omnis certe species subjecto per transsubstantiationem vacuata.

Respondeo : habitudo signi sensibilis non potest desumi ex aliquo invisibili, quale est conversio substantiae in substantiam. Immo ex aliquo sensibili oportet ut accedat significationis determinatio.

Praeterea contrariatur isti sententiae auctoritas *Catechismi Concilii Tridentini* (Pars 2, *De Sacramentis*, c. 14), ubi ita evolvitur *Decretum Florentinum pro Armenis* (D., 698), ut non minus ex forma verborum quam ex elementorum materia dicantur singula sacramenta constitui et confici : « Primum igitur explicandum « est REM SENSIBILEM (quae supra in « sacramenti definitione posita est), NON « UNAM TANTUM esse, quamvis UNUM « SIGNUM CONSTITUI credendum sit. Duo « enim sunt, ex quibus QUODLIBET sa« cramentum conficitur, quorum alterum « materiae rationem habet, atque elemen« tum dicitur, alterum formae vim, et « verbum communi vocabulo appellatur... « Rei igitur sensibilis nomine tum mate« riam sive elementum intelligunt [Patres], « ...tum praeterea verba, quae formae ra« tionem habent... Verba enim inter omnia « signa maximam vim habere perspicuum « est : ac si ipsa desint, plane obscurum « erit, quidnam materia sacramentorum « designet ac demonstret. » Cujus loci planus est sensus : verbum a sacerdote prolatum, est contitutiva forma signi sacramentalis, nec effectiva demum, aut extrinseca causa, ut adversariis placuit.

Praeierat auctoritas sancti Thomae (3 S. 86, 6, c.) scribentis generaliter de omni sacramento, nulla facta exceptione : « Omne autem sacramentum producit « effectum suum non solum virtute for« mae, sed etiam virtute materiae : EX « UTROQUE ENIM EST UNUM SACRAMEN« TUM. » Quod antea etiam sic enuntiaverat : « Ex rebus et verbis fit quodammodo « unum in sacramentis, sicut forma et ma« teria, in quantum scilicet per verba per« ficitur significatio rerum. » (3 S. 60, 6, 2^{m}). Rursusque : « IN SACRAMENTIS verba « se habent per modum formae, res autem « sensibilis per modum materiae. In omni« bus autem COMPOSITIS EX MATERIA ET « FORMA principium determinationis est « ex parte formae » etc. (3 S. 60, 7 c.). Sed specialiter de eucharistia in 4 D. 22, q. 2, a, 1, sol. 2, decernit : species panis et vini atque verba ministri, simul conjuncta, esse unum signum atque causam sui significati (quae est praesentia dominici corporis et sanguinis) eodem pacto, quo in sacramento poenitentiae actus poenitentis et verba sacerdotis, conjuncta simul, sunt et signum et causa una reconciliationis.

Augustini autem in eumdem sensum non videtur fuisse ambigua doctrina. Scribit enim : « Accedit verbum ad elementum, « et fit sacramentum, etiam ipsum tan« quam visibile verbum » (*In Joan.*, tract. 80, n. 3. P.L. 35, 1840). Ubi aperte signum exterius ita integrat ex duobus, scilicet ex verbo et ex elemento, ut ex his exsistat unum visibile verbum, id est unum compositum ex verbo rei incorporato, vel ex re gestante significationem per verbum inditam.

At *dices* : Haec de baptismo Augustinus, non de eucharistia. *Respondeo* : Ubi de ipsa eucharistia est sermo, non alia utitur jam locutione, ut videre est in sexto inter denisianos sermones, c. 3 (P.L. 46, 836) : « Tolle ergo verbum, panis est et vinum. « Adde verbum, et fiet sacramentum[2]. »

Superest ergo admittenda quarta sen-

1. Nervose in hunc sensum Lugo, Disp. 1, sect. 4, n. 54-56.

2. Ubi sacramentum accipitur pro ipso visibili signo rei contentae invisibilis, quae est corpus Christi : ut persuadetur ex cognato sermone 272 (P.L. 38, 1247) : « ISTA, Fratres, ideo dicun« tur SACRAMENTA, quia in EIS aliud videtur, « aliud intelligitur. Quod videtur habet speciem « corporalem ; quod intelligitur, fructum habet « spiritualem. » *Ista* scilicet gaudent specie visibili ; quod per *ea* autem intellegitur est res sanctificans. Visibilia igitur ista sunt sacramenta; visibile est illud, quod fit, addito ad elementum verbo.

tentia, quae non fuit nisi paucorum theologorum, sed eximiorum : Gregorii de Valentia (in 3am Pem, disp. 6, q. 6, punct. 1, et punct. 3 fi. Lugd. 1603, t. 4, col. 988-989 et 1016), Suarezii (Disp. 42, sect. 2, n. 7), praesertimque Lugonis (Disp. 1, sect. 4) : et nostris diebus est propugnata a cardinali Billot (*De Eccl. Sacram.*[4], 1, 311) : suffragante, ut diximus, auctoritate Augustini, sancti Thomae et *Catechismi Romani*.

Secundum quam sententiam dicitur *sacramentum tantum* compositum ex speciebus ut materia, et verbis ut forma. Sacramentum enim, qua tale, est in genere signi : ad cujus constitutionem non oportet ut accipiantur materia et forma in esse rei, sed in esse significativo. Porro forma verborum transiit quidem in esse rei, sed permanet in esse significativo, quatenus per eam induuntur species vi significandi determinate corpus et sanguinem Christi. Nisi enim determinatio illa sensibilis accesserit, quam verba sacramentalia invehunt, nondum habent species actualem vim demonstrandi corpus aut sanguinem Christi. Hoc enim est demonstrandum praesens : corpus Christi in ratione cibi, et sanguis in ratione potus. Quod autem aliquid sit praesens in ratione cibi vel potus, species panis et vini satis quidem per se indicant ; quod autem illud sit corpus vel sanguis Christi, non habent vim significandi nisi mutuatam a verbis. Pro tanto sacramentum est compositum ex materia et forma, « tanquam visibile verbum » (Aug.), tanquam verbum incorporatum speciebus, tanquam species informatae verbo.

Dices : Fieri non potest ut idem sit causa efficiens sacramenti, proindeque extrinseca, atque simul causa formalis aut constitutiva, proindeque intrinseca : siquidem non potest esse intrinsecum, quod est extrinsecum. Atqui verba consecrationis sunt causa sacramenti ; ergo non sunt forma.

Respondeo, quosdam in minore istius syllogismi multum hallucinari : cum nequaquam verba consecrationis sint causa effectiva *sacramenti tantum* (seu sensibilis signi), sed transsubstantiationis, qua invisibiliter inducitur corpus Christi invisibile, *res et sacramentum*. Non magis quidem est eucharistiae forma causa specierum, quam forma baptismi est causa ablutionis. Sed sicut in baptismo verba sunt causa constitutiva et formalis signi sacramentalis, cujus causa materialis est ablutio, sic in eucharistia, ubi species visibiles sunt materialis causa sacramentalis signi, formalis causa sunt verba sacerdotis. Sunt igitur verba causa extrinseca transsubstantiationis, et intrinseca signi sensibilis : ubi nulla est contradictio, sed summa cohaerentia.

Ex hac autem quarta sententia, semel admissa, concludendum est retro, quid accidisset, si Christus in coena (ut supra, Elucid. XXXIV, vidimus placuisse nonnullis mediaevalibus viris) sine verbis mutasset panem in corpus, vinum in sanguinem. Non posset dici tunc idem sacramentum fuisse confectum ac nostrum, quamvis per aliam causam extrinsecam ; immo aliud prorsus foret a nostro, quantum ad elementa quaedam sui intrinseca atque constitutiva[1] : nec proinde nostrum tunc fuisset institutum : quod absit ! Ceterum simile inconveniens, pro ista hypothesi, attendendum foret respectu ritus sacrificalis, ut ex dictis ad primam opinionem maxime patet ; quin commemorem illa quae supra sunt notata in Elucidatione XXXV.

1. Similem quamdam conclusionem videsis apud Lugonem (*loc. cit.*, n. 56), contra Vasquezium (*loc. cit.*, n. 28), qui, prout requirit sua sententia, ait : « Si Deus, ut potest, sine « verbis consecraret panem et vinum ad eumdem « effectum, ad quem consecrat sacerdos, idem « esset sacramentum... Si autem Deus baptizaret, aut angelus, non esset idem sacramentum baptismi. »

Elucidatio XL.

In eucharistia corpus Christi veram habet rationem REI ET SIGNI.

Res et sacramentum dicitur esse corpus Christi. Sed oritur difficultas, quomodo non sit istud incongrue dictum. Esse quidem corpus Christi rem per sacramentum externum significatam, post ea quae modo explicata sunt, nullam facit difficultatem ; sed quomodo possit esse sacramentum, non parva est addubitatio. Et *primo* quidem inepte videtur dici sacramentum aut signum id quod est invisibile. « Signum est enim, ut recte « ait Augustinus (*De doctrina christia*- « *na*, 2, 1, 1. P.L. 34, 35), res, praeter « speciem quam ingerit sensibus, aliud « aliquid ex se faciens in cogitationem « venire. » Nullam autem ingerit sensibus speciem id quod est invisibile ; invisibile autem est corpus Christi : nullum igitur potest corpus Christi esse signum aut sacramentum. *Secundo*, si significat aliquid corpus Christi, transit in figuram. Sed detrahit dignitati Christi, quicumque illum inter figuras censet, per quem figurae omnes et complentur et abolentur

Sic olim Gerhohus Reichersbergensis (*Tractatus adversus Simoniacos* c. 29. P.L. 194, 1367) negavit, corpus Christi esse « signum unius corporis, quod « est Ecclesia » : « quia hanc unionem non « significat nobis corporis Christi exsisten- « tia, utpote NIMIUM A SENSIBUS NOSTRIS « REMOTA. » Deindeque : « Corpus Christi « secretum et nostro visui absconditum « non audeo sacramentum appellare, quia « NON SIGNIFICAT REM SACRAM, sed EST « RES SACRA. » Quia invisibile, et quia verum, corpus Christi non poterat esse signum.

In extreme oppositam sententiam, ductus eadem incompossibilitate veritatis et figurae, abierat olim Berengarius, negans in sacramento veram Christi praesentiam. Quia scilicet corpus Christi in eucharistia praedicatum erat a Patribus sacramentum, hoc est signum, ideo Berengario persuadebatur, non esse corpus Christi verum.

Aliter et aliter doctores Berengarii difficultatem enodavere[1]. Respondit Lanfrancus (*Lib. de corp. et sang. Domini*, c. 14. P.L. 150, 424) carne Christi invisibili significari carnem Christi visibilem : « Carne et sanguine, utroque invisibili, « intelligibili, spirituali, significatur Re- « demptoris corpus visibile, palpabile. » Significatur autem prout olim immolatum : « Mors ejus in cruce et sanguinis ejus « de latere emanatio figuratur... Christus « ergo Christi est sacramentum. »

Quam putans esse Prosperi solutionem aut etiam Augustini, resumpsit ipse divus Algerus (*De sacramentis corp. et sang. dominici*, l. 1, c. 18, P.L. 180, 792) : « Non « juste quisquam movebitur, si etiam ea- « dem vera caro, idemque sanguis Christi, « sui ipsorum sacramenta exsistant... « Quod vero verum corpus Christi invi- « sibile, post resurrectionem, sit sacra- « mentum visibilis corporis Christi, in « passione scilicet suiipsius, testatur Au- « gustinus in libro *Sententiarum* Prospe- « ri[2] », etc. [sequuntur verba Lanfranci].

Parum felicem sane responsionem Gerhohus sic carpebat : « Sententiam « quorumdam magistrorum affirmantium « quod carne et sanguine Christi utroque « invisibili, intelligibili, significetur corpus « Christi visibile et palpabile, cogor ad- « mirari, cum potius invisibilia per visi- « bilia, quam visibilia per invisibilia « soleant significari » *(loc. cit.)*.

Praeterea non vere corpus aut sanguis

1. Vexavit multos haec quaestio. Ante Lanfrancum Durandus Troarnensis attentavit solutionem, sed nimis intricatam primum (*Lib. de corp. et sang. Christi*, c. 12. P.L. 149, 1393), deinde moralem tantum (*ibid.*, c. 24, col. 1414).

2. Ante Algerum ista jam tribuerat Prospero S. Ivo Carnotensis in *Panormia*, l. 1, c. 137. P.L. 161, 1076. Cf. *Decret.* pars 2, c. 9, col. 153. Post Algerum, Gratianus, *Decret.*, 3, *De consecr.* 2, 48. P.L. 187, 1754.

Christi, in eucharistia latens, est signum praeteritae immolationis ; sed signum praeteritae immolationis est penes sensibilia symbola ; penes corpus autem et sanguinem Christi est veritas hostiae, tunc quidem immolatae, nunc autem a Deo clarificatae : quae per hoc a nobis offertur, quod repraesentatur sensibiliter (per symbola) ejus immolatio.

Interim vero Guitmundus Aversanus, permittens quidem solutionem Lanfranci, meliorem tamen ipse dat, cum scribit : « Si ipsam eucharistiam contentiose asserunt [Berengariani] ab Ecclesia « vocari signum et figuram (vocatur enim « sacramentum, id est sacrum signum), « quid sibi, quaeso, in hoc conferent, quid « nobis oberunt ? Nos quippe illam non « veremur dicere figuram et sacramentum. « Hic fortasse respondebit umbraticus, « quod et dicere solitus est : Si figura est, « quomodo veritas ? Si sacramentum, quo- « modo veritas ? O male cordati hominis « insulsissima ratio ! Non legisti in evan- « gelio ipsum Christum signum appel- « lari,... *signum cui contradicetur ?* » Christus videlicet *primo* per mortem suam factus est signum nostrae *redemptionis* : « Christus enim, quoniam seipsum « pro nobis obtulit, factus est nobis « signum redemptionis. Omne enim pre- « tium translationis, ejus rei, cujus est « pretium, signum est. » Consequenter ergo in eucharistia est signum nostrae salutis : « Non absurde ergo credimus, « si simili quoque ratione cibum altaris « dominici, et propter virtutem divinita- « tis in eo plenissime habitantis, nostrae « salutis effectivum, et, quoniam pretium « nostrum est, ejusdem salutis nostrae « credimus significativum. » *Secundo*, per suam in coelos assumptionem factus est Christus signum *foederis* : « Velut arcus in « nubibus... signum est foederis sempiter- « ni. » Ergo in eucharistia sacramentum est pacis : « Hujus quoque divini foederis, « hujus tam saluberrimae pacis, sacro- « sancta altaris oblatio a nobis creditur « signum. » Cum autem confoederatio nostra cum Deo atque pacis societas consecutioque salutis et redemptionis praemium non consistat nisi in incorporatione nostra ad Christum, cohaerenter adnotat *tertio* Guitmundus : « Ipsum suum PROPRIUM, « quod de beata Virgine sumpserat, COR- « PUS CORPORIS SUI, QUOD EST ECCLESIA, « SIGNUM est et FIGURA et SACRAMENTUM. » Quare, sicubi dicatur caro Christi eucharistica sacramentum, « intelligimus quod ipsa « quidem sit corpus Domini, ipsius vide- « licet Verbi Dei proprium, et corporis « Domini, quod est Ecclesia, sicut beatus « Apostolus docuit, sacramentum[1] » (*De corp. et sang. Domini veritate*, l. 2, P.L. 149, 1457-1460. Cf. col. 1468, cit. supra, Elucid. XXXVII).

Idem determinat, suo modo involutiore, Gulielmus a Sancto Theodorico *(De sacram. altaris)*. Primum quidem (cap. 6-9) « carnem illam, quae vivificat per « spiritum vivificantem », distinguit a carne quam manducaverat Judas, tanquam a corpore Christi proprio, quod manducare mali possunt ad suum interitum, corpus mysticum, cujus nemo particeps est nisi ad vitam[2]. Quo posito,

1. Non pro tanto rejicit, ut diximus, Lanfranci solutionem, sed emendatam retinet ; pergit enim : « Quod si uspiam inveniretur etiam ipsius « corporis, quo Verbum Dei indutum est (quod « tamen nusquam aut vix clare occurrit), sa- « cramentum dici, quid nobis officeret, in quo « fidem nostram labefactaret ? [Christus enim « coelestis aeternum est memoriale suae incar- « nationis, passionis, resurrectionis atque as- « censionis]. Idem igitur Christus sui ipsius est « sacrum signum, id est sacramentum. Haec « eadem quoque divina nobis oblatio sine fidei « nostrae periculo designare potest. » Cautius est istud dictum quam apud Lanfrancum, cum jam relatio illa Christi ad Christum, qualitercumque significativa, attendatur non secundum comparationem EUCHARISTICI ad naturale, invisibilis ad visibile, impalpabilis ad palpabile ; sed secundum comparationem COELESTIS ad terrenum, et hoc quidem per respectum ad coelicolas, quibus obversatur, in sua praesens specie, corpus Christi gloriosum.

2. Gulielmum, credo, impugnat Rupertus (*In Johan.*, 6. P.L. 169, 482-483), cum quosdam « nimium festinos lectores » Patrum atque « immaturatos doctores » increpat, quod versiculum *Johannis* 6^{54} interpretentur primario et immediate de Ecclesia. Attamen sustineri potest interpretatio Gulielmi, si corpus mysticum accipiatur non pro membris sumptis seorsim a capite, sed pro Ecclesia Christo conjugata in una carne, id est, pro carne ipsa Christi vivificante

scribit : « Altera Christi caro alterius « est sacramentum. Sacramentum enim « est sacrae rei signum. Signum autem « est, quod praeter speciem quam ingerit, « facit aliquid in mentem venire. Caro « autem illa quae ideo dicitur esse cibus, « quia veram efficit vitam, sacramentum « habet item carnem Christi, quae cru- « cifixa est et resurrexit... Rursumque « caro, quae crucifixa est, in panis visi- « bilis forma suum habet sacramentum. « ...Sed materialis caro Christi, cum sit « sacramentum illius spiritualis carnis [id « est corporis mystici], tamen vere est « caro Christi ; illa vero species panis non « est caro vel corpus Christi per se consi- « derata, nisi quod hoc nuncupatur ex « consuetudine Scripturarum, qua ple- « rumque sacramenta sortiuntur nomina « earum rerum, quarum similitudinem ali- « quam gerunt ; ideoque earum sacramenta « sunt. Eadem etiam similitudinis ratione « idem corpus Christi, quod de terra sump- « tum est, et sacramentum ejus, visibilis « illa species, sacramenta sunt alterius « corporis Christi, quod est Ecclesia, cujus « caput est Christus » (cap. 9. P.L. 180, 356-357). Sensus est apertus : visibiles species signum sunt corporis Christi passi et suscitati ; quod ipsum individuum Christi corpus signum est corporis Christi ecclesiastici.

Sinceram hujus puncti doctrinam tradidit Ernaldus Bonaevallensis : Pa- « nis iste, quem Dominus discipulis porri- « gebat, non effigie, sed natura mutatus, « omnipotentia Verbi factus est caro ; et « sicut in persona Christi humanitas vide- « batur, et latebat divinitas, ita sacramen- « to visibili ineffabiliter divina se infudit « essentia, ut esset religioni circa sacra- « menta devotio, et AD VERITATEM, CUJUS « CORPUS ET SANGUIS SACRAMENTA SUNT, « sincerior pateret accessus, usque ad par- « ticipationem spiritus ; non quod usque « ad consubstantialitatem Christi, sed « usque AD SOCIETATEM GERMANISSIMAM « EJUS haec UNITAS pervenisset. Solus « quippe Filius Patri consubstantialis est ; « nec divisibilis est nec partiabilis sub- « stantia Trinitatis ; nostra vero et ipsius « conjunctio nec miscet personas, nec unit « substantias, sed affectus consociat, et « confoederat voluntates. Ita Ecclesiae « CORPUS CHRISTI EFFECTA obsequitur « capiti suo ; et superius lumen, in in- « feriora diffusum, claritatis suae pleni- « tudine a fine usque ad finem attin- « gens, totum apud se manens, totum se « omnibus commodat, et caloris illius « identitas ita corpori assidet ut a capite « non recedat » (*Lib. de cardinal. oper. Christi.* P.L. 189, 1644).

Plenissime vero Innocentius III in sua decretali *Epistola ad Joannem* (P.L. 214, 1120-1121) : « Ex eo autem verbo, de « quo movit tua fraternitas quaestionem, « videlicet *mysterium fidei*, munimentum « erroris quidam trahere putaverunt, di- « centes in sacramento altaris non esse « corporis Christi et sanguinis veritatem, « sed imaginem tantum et speciem et figu- « ram, pro eo quod interdum Scriptura « commemoret, id quod in altari suscipi- « tur esse sacramentum et mysterium et « exemplum. Sed tales ex eo laqueum « erroris incurrunt, quod nec auctoritates « Scripturae convenienter intelligunt, nec « sacramenta Dei suscipiunt reverenter, « Scripturas et virtutem Dei pariter ne- « scientes. Si enim ideo, quia figura est, sa- « cramentum altaris veritas esse negatur, « ergo nec mors, nec resurrectio Christi, « cum figura sit, veritas est credenda... « Tam mors Christi quam ejus resurrectio « est exemplum, ut et nos peccato mortui « justitiae jam vivamus. Quare, si non fuit « veritas, quia fuit exemplum, ergo nec « vere mortuus fuit Christus, nec vere a « mortuis resurrexit ; sed absit a cordibus

actualiter atque incorporante sibi fideles, secundum quod scribit Apostolus : *Erunt duo in carne una*, Christus scilicet et Ecclesia : adeo ut non secernatur coram oculis mentis caput a membris, Christus a reliquo suo corpore. Qui videtur esse sensus Gulielmi, si connectantur inter se cap. 2, cap. 5, et cap. 8 ; unde patet carnem spiritualem (seu mysticam) ab ipso intellegi spiritualem nostram incorporationem ad veram ipsius carnem, seu vicissim dominicae carnis cum nostra societatem, conjugationem et contemperationem.

« fidelium error iste, cum ipse propheta « de Christo testetur, quod vere languores « nostros ipse tulit et dolores nostros ipse « portavit. Dicitur tamen *mysterium fidei*, « quoniam et aliud ibi creditur quam cer- « natur, et aliud cernitur quam credatur. « Cernitur enim species panis et vini, et « creditur veritas carnis et sanguinis, ac « virtus unitatis ac caritatis... Distinguen- « dum est tamen subtiliter inter tria, quae « sunt in hoc sacramento discreta, videli- « cet forma visibilis, veritas corporis, et « virtus spiritualis ; forma panis et vini, « veritas carnis et sanguinis, virtus uni- « tatis et caritatis. Primum est sacra- « mentum et non res. Secundum est « sacramentum et res. Tertium, res et « non sacramentum. Sed primum est « sacramentum geminae rei. Tertium vero, « res gemini sacramenti. SECUNDUM au- « tem, SACRAMENTUM UNIUS ET ALTERUS « RES EXISTIT » (cf. D., 414-415)[1].

Quae nostrorum doctorum doctrina non solum nulli est reprehensioni obnoxia, sed omnino e fontibus nostri dogmatis scatet. Nam necessario eucharisticum Christi corpus dicendum erit signum vel sacramentum, si ipsum sensibus nostris oggeretur aliqualiter, et aliud notificet. Porro sic habet.

Et *primo* quidem, est sensibile suo modo corpus Christi eucharisticum. Sicut enim homini ratione utenti sensibilis est, non quidem per se, sed per qualitates suas externas, ipsa substantia corporea, sic intellectui luce fidei perfuso sensibilis est per externum signum sacramentale caro et sanguis Christi in locum substantiae paneae vel vineae succedens. Addito enim verbo (*Hoc est corpus meum*) ad elementum, Christus in ratione epuli sacrificalis ostenditur nobis praesens per speciem alienam, sicut antea per propriam demonstrabatur cibus corporalis. Quare doctores semper, qua ex parte signum importat visibilitatem, rationem signi adscripsere corpori Christi invectam per species, quibus demonstratur veluti ad sensum (vide pro exemplo S u a r e z i u m, Disp. 42, sect. 4, n. 8).

Neque hic unus est casus, quo res, secuncundum se invisibilis, fiat visibilis per aliud, adeo ut possit exercere munus signi. Immo character baptismalis est invisibilis secundum se ; et tamen ita mediante ritu innotescit, ut possit in notitiam deducere gratiae, qua a veteris hominis labe liberantur, quicumque sacerdotio Christi atque morti initiantur (S. T h o m., 3 S. 63, 1, 2m ; 2, 3m ; 3, 2m ; 6, 3m).

Secundo autem, corpus Christi designat aliud. Quomodo enim Incarnati Verbi corpus, factum epulum sacrificale et panis Dei, non portenderet omnium ad seipsum et in seipso unitatem, quicumque eo vescentur ? Immo hanc illius significationem persequitur Apostolus, scribens : *Quoniam unus* [est] *panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

Nec verendum, ne exinde detrahatur quicquam dignitati Christi. Non enim aequiparabitur per hoc figuris veteris Legis vacuis et imbecillis, sed sortietur rationem exemplaris indeficientis, veluti ple-

1. Recole locum citatum supra (Elucid. XXXVII) ex lib. 4 *de sacro altaris mysterio*, c. 36. Ante Innocentium III jam probe scripserat B a l d u i n u s C a n t u a r i e n s i s : «Sunt autem « tria circa hoc sacramentum attendenda : signi- « ficantia tantum, significata et significantia, « et significata tantum. Significantia tantum, « species visibiles; quae sacramenta dicuntur, « juxta illud : *sacramentum est visibile signum « invisibilis gratiae Dei*. Significata et signifi- « cantia sunt ipsum corpus et sanguis Christi. « Corpus enim Christi per speciem panis ibi « designatur, sanguis vero per speciem vini. « Item corpus Christi, quod ibi sumitur, corpus « significat Ecclesiae, sanguis vero charitatem : « sumpta proprietate significandi a natura spe- « cierum visibilium, in quibus sumuntur... Signi- « ficata tantum sunt corpus Christi, quod est « Ecclesia, et charitas, per quam unitur capiti « suo, quod est Christus » (*Lib. de sacram. altar.*, P.L. 204, 770).

Cum innovarunt Berengarii errorem sacramentarii, perpolita jam erat responsio, quam sic librabat C o c h l a e u s (*Miscellaneorum*, lib. 2, c. 8, *Responsio ad interrogationem Zwinglianam de corpore Christi in Eucharistia, scripta Dresdae anno* 1529. Ingolstadii 1545, fol. 125) : «Ceterum « non est inconveniens, unum idemque corpus « Domini et signum esse et signatum respectu « diversorum. Est enim signum spiritualis « unionis Ecclesiae (quae corpus Christi mysti- « cum est) ad caput suum. Est et signatum, « quippe sub alienis speciebus panis mystice « et sacramentaliter designatur. »

num et eminens signum, efficax sui significati. Sicuti enim Verbum apud Patrem est expressivum totius creationis, quae per ipsum fit ; sic in eucharistia Verbum idem incarnatum, prout rationem habet hostiae fidelibus populis impertiendae, significativum est rei sacrae per ipsum inductae, quae est nostra in ipsum translatio. In ipso enim vita erat, et vita facta est caro, et caro in mortem data pro mundi vita facta est panis; et panis vitae, vitam dans hominibus, eos in suam incorruptibilitatem mutat : reformans corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae (*Phil.*, 3[21]). Sic Christus ratione sanctificati sui corporis est in eucharistia forma atque species Ecclesiae excellens, sicut in sinu Patris est per divinam essentiam species et forma praefulgida omnium rerum intellegibilium atque factibilium. Quod admirabili hoc axiomate comprehendebat B. Wolphelmus Brunwillerensis : « Est autem unus atque idem, primo mundum formans, deinde hoc sacramento suam imaginem reformans » (*Epist. de sacram. euchar. contra error. Berengar.* P.L. 154, 413).

Verum, si Ecclesia spectetur non quasi puris hominibus constans, sed ut Christum continens, qui prout est caput Ecclesiae etiam est ejus praecellens « membrum » (cf. S. Thom., *Veri.*, 29, 4, 6m)[1], jam hostia Christi in eucharistia signum erit, non quidem eminens, sed adaequatum tamen suo significato : siquidem nihil amplius, quantum ad gratiam et sanctitatem, est in Christo omnibus suis numeris seu membris adscititiis absoluto, quam in Christo individue in humanitate assumpta considerato (ut amplius in sectione sequente apparebit) : quo nihil Christo honorificentius esse potest. Sicque pervenitur rursus ad formulam Lanfranci, quanquam sensu paullo diverso donatam : « Christus ergo Christi est sacramentum » ; Christus scilicet, singularis homo, Christi ex omnium electorum multiplicitate integrandi.

Sed melius sane quam Lanfrancus, melius immo quam Guitmundus aut Innocentius, illuminatus ille doctor, Thomas Waldensis (*Doctrinale*, t. 2, *De Sacramentis*, c. 22) comprehendit doctrinam integram his verbis : « Corpus Christi ibi in natura est, res et sacramentum ; sed non est sacramentum, id est signum, sui-ipsius, formaliter loquendo ; neque item panis vel signi ad extra visibilis, quia tunc essent reciproce ad invicem signa ; ...ergo est sacramentum totius corporis mystici, cujus Christus est caput. Et sic unio illa gratiosa, quae et compago membrorum Christi, est res principalior, ibi sacramentaliter figurata, ita ut caetera ipsi subserviant pro modulo sacramenti : ita ut Christus dixerit in Evangelio : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Quasi designans sumptionem suae carnis non esse salubrem, nisi per hanc sumens pertingat ad CIRCUMINSESSIONEM[2] SUI CORPORIS MYSTICAM » (fol. 39). « Sic igitur res principaliter figurata per hostiam consecratam est corpus Ecclesiae cujus caput est Christus, et cujus Christi caro, non ut est in coelo, sed ut in sacramento, est figura praecipua » (fol. 40). In summa igitur, « QUICQUID IBI SACRAMENTUM EST, quicquid a Christo Domino consecratum, TOTUM EST, UT SIT SACRAMENTUM CATHOLICI CORPORIS CHRISTI » (fol. 39). Nunquam, credo, melius declarata est oeconomia interna nostri sacramenti.

1. Quanquam ibi, sicut et in Commentario suo super *I Cor.*, errat fortasse S. Thomas quoad interpretationem Pauli, *I Cor.*, 12[27] ; cujus loci lectio probabilior non est, nos esse *membrum de membro*, sed *membra ex parte.* A Petro Lombardo (in eumd. loc.) vocatus est Christus « commembrum nostrum ». Ab Innocentio III (*De sacro alt. myst.*, 6, 3. P.L. 217, 907) vocatur « caput et pars corporis. »

2. Noto lubenter eamdem locutionem esse usurpatam nuperrime ab clmo P. Pourrat, in suo optimo ac perjucundo libro, *La Spiritualité Chrétienne des Origines de l'Eglise au Moyen Age.*, Parisiis 1918, p. 18 : « Une sorte de *circuminsession* sacramentelle s'établit entre Jésus et le communiant. »

Elucidatio XLI.

Res tantum, in nos per eucharistiam inducta, est quaedam participatio gratiae Christi, quae est absolute summa.

Gratia quam ex eucharistia derivamus nos Christo incorporantem, est ex dictis participatio gratiae ipsius dominicae, inducta in nos per vivificam dominicae carnis virtutem.

Estque talis duplici titulo :

Primo, in quantum est gratia.

Secundo, specialius, in quantum est gratia Redemptoris.

ARTICULUS I. DE GRATIA EUCHARISTICA IN QUANTUM EST GRATIA.

Omnis gratia, ex quo certe Christus ad Patrem reversus est, influitur mediante humanitate Christi.

Quod sic probatur.

Omnis gratia est unius rationis, in quantum ordinat subjectum ad videndum Deum sicuti est. Visio enim Dei in omnibus est una genere vel specie (quanquam transcendit omnem speciem atque genus, ut pertingat ad ordinem deiformem) : cum sit in omnibus actus terminatus ad idem objectum quo ipse, ut ita dicam, specificatur intellectus divinus. Omnis autem natura speciem habet ex actu ad quem ultimo secundum se tendit, sicut animal ex sensationis proprietate et homo ex gradu cognitionis abstractivo. Gratia igitur, quae inest justis per modum naturae (afficiens directe ipsorum, non operationem aut facultatem, sed substantiam) habet speciem ex visione, ad quam eliciendam illos coaptat : quae cum sit unius rationis, ut dictum est, necesse est igitur ut etiam gratia sit rationis unius apud omnes : et apud Christum et apud justos quoslibet, sive homines sive angelos.

Sed in illo ordine gratiae, gratia Christi, est summa, non solum relative, sed absolute ; non major solum qualibet alia, sed tanta quanta major nequit esse (S. Thom. 3 S. q. 7, a. 9 ; a. 10 ; a. 11, c. et 3m ; a. 12 ; a. 13, 2m). Cujus ratio est, quia gratia sanctificans resultat naturaliter[1] in Christo ex unione hypostatica, tanquam quaedam ad eam perfecta dispositio[2], non quidem antecedens, sed consequens (cf. S. Thom., 3 S. 7, 13, c. et 2m). Gratia autem nulla major concipi potest, quam disponens perfecte in ordine ad unionem hypostaticam, tanquam naturalis ejus proprietas. Est ergo gratia Christi absolute summa[3].

Ubicumque autem aliqua forma habetur absolute summa, ibi est virtus ad causandam omnem formam ejusdem rationis minoratam. Non enim una comparatur ad alteram sicut plus ad minus, sed sicut perfectio quae est actus purus ad perfectionem quae est potentialis. Omne autem potentiale natum est reduci ad actum per id quod est actus purus. Gratia igitur Christi virtutem habet influendi gratiam in omnes, quicumque sunt gratiae participes, tanquam quaedam universalis sub Deo causa gratiae. Quemadmodum videmus eos penes quos in terris est summa rerum potestas, habere auctoritatem delegandi omnem, quaecumque sub ipsis exercetur in civitate, potestatem publicam ; et in nobismetipsis noscitur ex necessaria et universali appetitione summi boni gigni omnes appetitiones particulares et contingentes bonorum inferiorum.

Quare scripsit Joannes : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... Et de plenitudine ejus omnes nos accepimus*. Et sanctus Thomas in hunc locum : « Haec proposi-

1. Vide, ad calcem hujus articuli 1, *Appendicem* E.
2. Vide, ad calcem hujus articuli 1, *Appendicem* F.
3. Vide, ad calcem hujus articuli 1, *Appendicem* G.

« tio *de* aliquando quidem denotat efficientiam seu originalem causam, sicut « cum dicitur : Radius est vel procedit de « sole ; et hoc modo denotat in Christo « EFFICIENTIAM gratiae seu auctoritatem ; « quia plenitudo gratiae, quae est in « Christo, est CAUSA OMNIUM GRATIARUM, « QUAE SUNT IN OMNIBUS INTELLECTUALIBUS creaturis. » Similiterque super illud *Psalmi* 44[5], *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis* : « Consortes ejus dicuntur inungi, quia « quicquid habetur de oleo isto, id est de « gratia Spiritus Sancti, est ex redundantia Christi » (*In Psalm.* 44). Pulchreque Nicolaus Cabasilas postea audet et dicit : « Christus ipse Dominus, qui... per « Spiritum Sanctum unctus est, non solum Christus fuit, sed et chrisma » (*De vita in Christo*, 3. PG. 150, 569).

Quam communicationem seu efficientiam gratiae quanquam Christus potuit exercere a principio suae incarnationis, tamen non dicimus ab eo esse exercitam jugiter, nisi postquam clarificatus est a Deo, et in coelos receptus, ut mitteret ad nos Spiritum Sanctum. Nam non omnem suam efficaciam connaturalem sortita est a principio, ut saepe diximus, unio hypostatica ; sed salva substantiali humanitatis assumptione et consectariis necessariis, multas passa est differri ad tempus accidentales praerogativas incarnationis. Porro, quod haberet tantam gratiam Christus et virtutem ad reliquam omnem gratiam influendam, necessarium est consectarium ; quod autem actu influat, accidentale est. Sed nunc certe, postquam *data est* ei *omnis potestas in coelo et in terra*, constat omnem gratiam sive angelorum sive nostram esse participationem quamdam totalis illius boni, quod inhaerens humanitati Christi ad nos diffunditur. Quare rursus sanctus Thomas (*In Johannem*, loc. cit.) : « Nos « de plenitudine ejus partem aliquam par« ticipamus per ipsum. »

APPENDIX E

Gratia sanctificans est connaturalis humanitati assumptae.

Dupliciter connaturalis est gratia sanctificans Christi humanitati, non dico secundum se consideratae, sed in quantum assumptae. Primo enim est connaturale debitum ex incarnatione ; secundo est ex incarnatione connaturalis resultantia.

Et *primo* quidem, est CONNATURALE DEBITUM. Idque rursus dupliciter : primo, debitum morale; secundo, debitum physicum.

Debitum quidem morale : nam Filius Dei naturalis in humana natura, est Dei in humana natura naturalis haeres. Haeredi autem paternae gloriae debetur gloria paterna in ea natura, in qua est haeres. Debetur igitur Christo in humana natura haereditas gloriae divinae. Quia autem divina gloria nequit inesse naturae humanae nisi secundum participationem, quae est per gratiam, ideo gratia debetur Christi humanitati : sed debetur utique ex praesupposita gratia unionis, prae omnibus gratuita, cui nulla praecesserunt aut praecedere potuerunt merita vel dispositio (vide sanctum Thomam, 3 S. 7, 1, 2m). Quare santus Thomas : « Ex hoc ipso quod « Deus erat, sibi gloria debebatur : tamen « oportuit quod esset aliquid formaliter « perficiens ipsam animam ad actus glo« riae: et haec fuit gratia » (3 D. q. 1, a. 1, 5m).

Debitum rursus physicum : nam creata unionis ad Verbum gratia immediate contingit substantiam humanitatis assumptae, tanquam quaedam ejus relatio ad *Esse* personale Verbi (3 S. 2, 7), qui est actus purus essendi ; per quem actuatur etiam natura humana, secundum obedientialem suam potentiam (3 S. 17, 2), quantum ad hoc ut sit ; nec tamen ad hoc ut sit increata, quod repugnat ; sed ut, manens quidem creata, exsistat tamen, non sicut nostra, naturali modo, sed divinitus et supernaturaliter[1]. Actuatio enim naturae

1. Cur non possit habere Verbum incarnatum nisi unum *esse*, quo sit (et pro divina et pro humana natura), repetendum est ex unitate, qua competit uni personae, ut, quamvis in duabus naturis subsistens, sit tamen unum ens per se substantialiter (secundum propriam

humanae per *Esse* divinum, neque est *Esse* divinum quo est humana natura : siquidem tale *Esse* est aeternum, incepit autem in tempore actuatio illa (cf. S. Thom., *Q. d. de unione Verbi incarnali*, art. 4, c.); neque est ipsa natura secundum se spectata, siquidem posset esse eadem natura sine tali actuatione. Actuatio igitur illa est, praeter et supra talem naturam, aliquid creatum et supernaturale : communicatio scilicet divini *Esse* ad naturam humanam, vel vicissim unio naturae humanae ad *Esse* Verbi. Quae cum talis sit actuatio naturae humanae quoad *esse*, debet proportionaliter se habere actuatio ejus quoad *operari* : actuatio enim entis quoad *esse* regulat connaturaliter actuationem agentis quoad *operari* : pro quanto inter unam et alteram datur proportio et medii ad finem et causae ad effectum[1]. OPERATIO igitur INTELLECTIVA animae assumptae erit quidem humana, nec increata (sicut ipsa humana natura actuatur per *Esse* divinum, quin sit increata) ; sed ita erit humana, ut (pro sua obedientiali potestate) actuetur intellectus Christi per ACTUM PURUM INTELLEGIBILITATIS[2], quae est essentia divina[3]. Ad talem autem modum intellegendi non potest evehi humana natura nisi per gratiam habitualem. Ergo gratia unionis importat connaturaliter gratiam habitualem. Cujus tamen principiatio, sicut et causatio unionis, est opus totius Trinitatis, attribuiturque utraque pari jure Spiritui Sancto.

Hic multum ponderandum est, quod verissime scripsit Toletus : Christum vivere vita humana (etiam naturali) per divinitatem, proindeque supernaturaliter et

acceptionem entis, tanquam habentis *esse* : prae natura, cui solum competit ut ratione ejus aliquis sit). Sicut ens autem dicitur ab *esse*, quo est actu, sic etiam ab *esse* desumitur unitas, quae sequitur ens. Ratio igitur unitatis in ente sequitur unitatem ipsius *esse*, quo est. Quare oportet, ut unius personae sit unum *esse*, quo substantialiter sit, quamvis secundum diversas substantias.

Quae ratio, ex unitate substantiali entis desumpta, valet non solum in Christo, sed in quavis creata etiam persona (seu supposito) naturae cujuslibet compositae; utputa in Socrate, qui per ipsum *esse* incorruptibile, quo exsistit secundum animam, necesse est etiam ut exsistat secundum corpus (S. Thom., *Spir. Creat.*, 2, 3m et 8m ; *Anima*, 1, 1m, etc.) ; quamvis actuatio corporis per illud *esse* non sit perpetua, perpetuum autem sit ipsum *esse*. Ubi rursus vides, quam distinguenda sint aliquando inter se ista duo : actuatio rei per *esse*, et *esse* quo actuatur res.

1. Ex eo quod actuatio quoad *operari* sequitur actuationem quoad *esse*, etiam solet consequi quod operatio agentis sequatur ipsum *esse*, quo est illud agens. Et hoc quidem, quia solent res exsistere modo connaturali, scilicet per *esse* singulis naturis proportionatum. At divinitus fit, ut quaedam res exsistant non modo connaturali, sed supernaturali, id est per *esse* non commensuratum suis naturis, sed praestantius. Quod accidit in duobus : 1° in natura assumpta, pro quanto exsistit per *Esse* increatum Verbi, ut dictum est ; 2° in accidentibus eucharisticis, in quantum exsistunt per *esse* non in alio, sed ita se habens ut se haberet *esse* substantiae, ut constabit infra (Elucid. L). Cum autem illud contingit, non jam formalem veritatem habet effatum : *operari* sequitur *esse*; sed manet formalissime verum, quod operatio sequatur ACTUATIONEM quoad *esse* : eo quod omne agens agit in quantum est actu ; siquidem non ultra modum essendi habet vim causandi, sed nec modum essendi habet nisi in ordine ad finem operandi.

2. Actuationi enim naturae per Esse subsistens correspondet actuatio intellectus per actum purum intellegibilitatis.

3. Sicque demum fiet, ut DEUS VERBUM, in humana natura subsistens, possit per actum animae assumptae esse IMMEDIATE CONSCIUS SUI. Quod omnino est necessarium, siquidem nulla persona est in aliqua natura rationali, quin possit, in ista rationali natura, esse sui immediate conscia, puta dum dicit : *ego* cogito, amo, *ego* gaudeo aut moereo, aut si quid ejusmodi. Cum autem Verbum per animam suam dicit : *(Ego) cognosco (Joan.*, 10[14]*), (Ego) diligo (Joan.*, 14[31]*), (Ego) gaudeo (Joan.*, 11[15]*), (Ego) rogo (Joan.*, 17[9]*), (Ego) volo (Joan.*, 17[24]*) (Ego) sum (Joan.*, 18[8]*)*, quia nullus est alius in Verbo incarnato, de quo dicatur *Ego*, nisi ipsum Verbum, ideo necesse est, ut de increato numine accipiantur istae voces. Unde sequitur per suam animam VERBUM aeternum esse immediate conscium SUI. Necesse est ergo, ut pertingat acies animae assumptae ad assumentis Verbi proprietatem personalem ipsam, sine medio : quod sane nequit haberi sine visione intuitiva, nec proinde sine gratia habituali radicaliter coaptante. Quare ex hoc rursus capite connaturalis prorsus apparet humanitati assumptae et visio intuitiva et gratia sanctificans. Nec fieri potest, ut unquam Christus inveniatur sine sua visione intuitiva, ne ratione annihilationis quidem illius, quam per dispensationem in mundo habuit.

divinitus. Non enim divinitas veluti extimitus affixa debet censeri humanitati, quasi viventi aliunde, aut (quod idem est, siquidem viventibus vivere est esse) aliunde exsistenti, nimirum per quoddam esse creatum : sed ita intima fuit et est divinitas humanitati, ut vivat ille homo, ut homo, per vitam divinam, sicut est per esse divinum. Haec sunt verba Toleti : « Christus erat Deus et homo : quatenus Deus, « vivebat propter Patrem, quia essentiam « et cum ea vitam habebat a Patre ; ut « homo etiam, vivebat propter Patrem, « nam vitam ut homo accipiebat. Quia « enim ille homo Deus erat et Dei Filius, « PROPTER UNIONEM DIVINITATIS VITAM « VIVEBAT GRATIAE, GLORIAE ET NATURALEM : HANC ENIM OMNEM DIVINITAS « HUMANITATI COMMUNICAVIT » (*In Johan.* 6[57]).

Secundo, gratia sanctificans est ex incarnatione naturalis resultantia. Gratia enim increata necessario secum trahit gratiam creatam. Quod si videlicet apud nos Spiritus Sanctus inhabitare nequit, quin exsurgat in nobis donum creatum, tanquam participatio claritatis ex praesentia solis, quanto magis ubi donum increatum non accidentaliter jam sed substantialiter unitur, necesse erit, ut exsurgat clarificatio seu illuminatio ipsi humanae naturae inhaerens, tanquam donum creatum ex increati solis fulgore radiatum. Quare in praesente causa sanctus Thomas : « Gratia enim causatur in homine ex praesentia divinitatis, sicut lumen in aere « ex praesentia solis. Praesentia autem « Dei in Christo intelligitur secundum « unionem humanae naturae ad divinam « personam. Unde gratia habitualis Christi « intelligitur ut consequens hanc unionem, « ut splendor solem » (3 S. 7, 13). Quare sexcenties sanctus Thomas nominat gratiam habitualem effectum incarnationis.

Haec igitur est *exigentia* non solum moralis, sed et *physica* gratiae unionis ad gratiam habitualem, atque *dimanatio* hujus ab illa, quam contra Suarezium (*De incarnatione*, disp. 18, sect. 3, n. 4-10) Lugo (*De mysterio incarnationis*, disp. 16, sect. 5, n. 101 et 102) jure meritoque defendit. Testimonia Patrum, quibus manifestum fit, gratiam sanctitatis fluere ex Incarnatione, atque inhaerere veluti naturaliter animae Christi, videsis apud Petavium (*De incarn. Verbi*, l. 11, c. 7, n. 5-7).

Quaeres : Nonne forte gratia unionis est ipsa in Christo gratia sanctificans in ordine ad visionem intuitivam ? Et probatur : nam gratia habitualis, ut contradistincta a virtutibus, quibus facultates instruuntur, perficit ipsam substantiam animae, ut ei conferat, non quoddam habituale *posse*, sed veluti quoddam habituale *esse* supernaturale. Sed satis, immo abunde perficitur quoad *esse* substantia animae, dum actuatur per ipsum *Esse* personale Verbi. Ergo superfluit gratia habitualis distincta a gratia unionis, nec requiruntur ulterius nisi virtutes.

Respondeo : in omni substantia vel natura creata distinguenda sunt duo : primo enim, natura est quaedam potentia passiva quoad exsistendum ; et secundo, est quoddam principium activum radicale quoad operandum. Gratia autem unionis est actuatio animae Christi sub primo respectu, nec tamen est ejus perfectio sub respectu altero. Nam nihil per se ponit, nisi quod haec anima sit Verbi, id est assumpta ad *Esse* personale Verbi, per quod completur ejus potentia passiva quoad exsistendum. Nec potest amplius quicquam ipsa formaliter ponere ; nam, quanquam causatur a tota Trinitate, tamen est unio, proindeque relatio (cf. S. Thom., 3 S. 2, 7), ad solum Verbum. Perfectio autem principii activi radicalis non solum causatur a tota Trinitate, sed ad totam Trinitatem respicit et conjungit fruendam atque cognoscendam. Oportet igitur, ut principium radicale operandi perficiatur per alteram gratiam, quae est habitualis. Quare displicet sententia Thomassini, qui inter recentiores fere unus exclusit a Christo gratiam creatam (*De incarn. Verbi Dei*, l. 6, c. 5, n. 3 et 4 ; c. 7, n. 1).

APPENDIX F.

Gratia sanctificans est perfecta dispositio, non antecedens, sed consequens in ordine ad unionem hypostaticam.

Dupliciter accipi potest dispositio. Primo, veluti active, tanquam aliquid praeparans materiam ad formae susceptionem : quo sensu intellegitur ad formam praevia. Et haec rursus est duplex. Una est necessitans formae inductionem ; sicut habitus innatus principiorum in nobis est necessario secum trahens principiorum intellectionem, et habitus acquisitus scientiae necessario in debitis adjunctis trahit secum perceptionem conclusionum. Hujusmodi autem dispositio necessitatis praevia nulla potest in gratia attendi respectu incarnationis (S. Thom., *Veri*, 29, 2). Dispositio autem praevia altera, nulla jam inducta necessitate, congruitatem tamen quamdam instituit unius termini ad alterum, « sicut pulchritudo est quaedam « dispositio ad matrimonium » *(ibid.)* ; et hujusmodi dispositio congruentiae respectu incarnationis potest assignari in humana natura penes gratiam *(ibid.)*; pro quanto humana natura fingitur in quadam prioritate se habere ad incarnationem. Sed, quia non nisi ex fictitia rerum consideratione istud oritur, hic praetermittitur.

Secundo autem, potest accipi dispositio sensu passivo, tanquam aliquid ad formam consequens, non jam habilitans materiam ad formam, sed, praesupposita forma, recte se habens per comparationem ad ipsam. Hujusmodi autem est, quaecumque dicitur dispositio perfecta, qualis exsistit in eo qui jam est perfectus per formam ; sicut caritas vel contritio, quae est dispositio perfecta ad gratiam, non fluit nisi ex gratia habituali prius infusa (S. Thom., 1-2, 113, 8 ; *Veri*. 28, 8, c. et 5^m). Cujus ratio est, quia prius ordine naturae est illud quod perficit, quam quod perficitur, spectatum pro ipso *esse* in quo stat perfectum (siquidem perficiens communicat suum *esse* ipsi perfectibili) ; per formam autem perficitur quicquid in ordine ad ipsam intellegitur perfectum ; necesse est ergo, ut ad formam consequatur omnis dispositio perfecta subjecti ad formam. Quae proinde nec necessario *attrahit* formam, aut congrue ad ejus adventum *praeparat*, sed ipsa per formam rationatur, originatur, necessitatur.

Jam vero sicut in iis quae successive perficiuntur, datur locus dispositioni antecedenti, sive necessitatis, sive congruentiae, sic in illis quae perficiuntur absque successione nulli datur locus dispositioni nisi consequenti atque perfectae[1]. Perficitur autem incarnatio absque successione. Si qua igitur praedicatur circa incarnationem dispositio, haec est consequens, non autem antecedens ; nec informis, sed perfecta. Hujusmodi autem dispositio est gratia : nam et consequitur, ut dictum est, ad gratiam unionis connaturaliter ; nec proinde potest quin exsistat in debita proportione ad ipsam.

Sic santus Thomas consecutionem dispositionis affirmat et proportionem. Consecutionem primo in responsione ad hanc objectionem : « Dispositio praecedit per« fectionem tempore, vel saltem intellectu. « Sed gratia habitualis videtur esse sicut « quaedam dispositio humanae naturae « ad unionem personalem. Ergo videtur « quod gratia habitualis non subsequatur « unionem, sed magis praecedat ». « Ad « secundum, ait sanctus Doctor, dicendum « quod sicut dispositio in via generationis « praecedit perfectionem ad quam dis« ponit, in his quae successive perficiuntur ; « ita naturaliter perfectionem sequitur « quam aliquis jam consecutus est ; sicut « calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, « est effectus profluens a forma ignis jam « praeexsistentis. Humana autem natura

1. Dispositio enim imperfecta ac praevia dum exserit suam activitatem, jam in mobili signatur quidam motus ad formam ; qui motus non potest coexsistere in eodem instante cum forma : siquidem, cum forma non coexsistit nisi dispositio perfecta per formam, nec proinde imperfecta ; rursusque consequens, nec praevia.

« in Christo unita est personae Verbi a « principio absque successione. Unde gra« tia habitualis non intelligitur ut praece« dens unionem, sed ut consequens eam, « sicut quaedam proprietas naturalis. Unde « et Augustinus dicit quod gratia est quo« dammodo Christo homini naturalis » (3 S. 7, 13, 2^m). Haec de consecutione.

Secundo autem affirmat proportionem. Quia scilicet gratia ista est proprietas naturalis, oportet ut commensuretur unioni hypostaticae, non deficienter aut late, qualiter contingeret, si posset consistere eadem citra hypostaticam unionem, sed proprie et « sufficienter secundum defi« nitionem divinae sapientiae » (3 S. 7, 12, 2^m), ad quam pertinet mensurare essentias et inter se coaptare (vide integrum corpus articuli).

Eodem sensu loquitur Cajetanus, cum et negat gratiam esse dispositionem : « Gratia, inquit, in Christo non habet ra« tionem dispositionis respectu unionis, « sed habet rationem naturalis proprieta« tis, sicut calor consequens formam ignis » (in 3 S. 7, 13) ; et superius tamen asseruit gratiam se habere ad unionem ut ad finem suum, « qui finalizat, non ut sit, aut bene « sit, sed quia est... Quocirca unio perso« nalis finis est gratiae habitualis, non asse« quendus per eam, sed quia ipsa emanat « ab unione personali, ordinata ad unio« nem personalem ut ad finem, quia est, « sicut creaturae fiunt a Deo propter « Deum, quia est. Nec est hoc remotum ab « ordine quem in rebus generalibus vide« mus ; quoniam in istis perspicimus quod « NON SOLUM ANTECEDENTES DISPOSITIO« NES, SED CONSEQUENTIA ETIAM ACCI« DENTIA ORDINANTUR AD SUBSTANTIAM « PRIUS NATURA GENITAM, ut ad finem ; « esse namque disciplinabilem, quod conse« quitur ad formam hominis, ordinatur ad « hominem ut ad finem » (in 3 S. 7, 12). Pariter Lugo : « [Gratia Christi] habuit « ordinem ad unionem, non ut aliquid an« tecedens, sed ut consequens ipsam unio« nem : ex quo capite videtur participare « aliquam infinitatem, quatenus non po« tuit ordinari ad aliquid melius quam ad « Verbum unitum » (Disp. 16, s. 7, n. 107). Ordinationem autem seu habitudinem istiusmodi in finem nos maluimus vocare dispositionem consequentem et perfectam, secundum stylum S. Thomae *(loc. cit.)*, et propter analogiam rerum naturalium atque etiam supernaturalium (cf. 3 S. 9, 3, 2^m ; 4 D. 49, 2, 7) : quin tamen de vocibus velimus cum ullo homine litigare, cum de re concordamus.

APPENDIX G.

Gratia Christi est absolute summa.

Conclusio haec non est sancti Thomae tantum, sed et Scoti (3 D. 13, q. 2, et q. 4) atque Scotistarum omnium (in hunc locum sui magistri) ; eam inter Thomistas illustrarunt potissimum Durandus (3 D. 13, q. 2) ; Cajetanus (in 3 S. 7, 12) ; Canus (*De locis theologicis*, l. 12, c. 13. Col. Agrip. 1585, fol. 442 et 445). Consentit Petavius (*De incarnatione Verbi*, l. 11, c. 6, n. 6, coll. c. 12, n. 6-7) scribens : « Quoniam « Christus non solum gratiam et sancti« tatem tanquam donum gratuitum acce« pisse, sed etiam sibi ipse contulisse ab « antiquis Patribus dicitur : eo fit ut natu« ralis eadem, illi esse statuatur, nec ex« trinsecus communicata, sed οἴκοθεν, et de « suo sibi praesens et affluens. Quae res « IMMENSAM ET NULLO FINE AC TERMINO « CIRCUMSCRIPTAM EAM ESSE DEMONS« TRAT. »

Probatur autem conclusio multipliciter. *Primo* quidem, quicquid naturaliter habetur, habetur in summo, secundum illud saepe assertum a sancto Thoma (*De substantiis separatis*, c. 19) : « Quod est natura« liter tale, est... omnino tale. » Ubi sensus est duplex. Primarius sensus est : si qua perfectio est subsistens, ea est in propria sua ratione indeficiens : sicut de angelicis formis et de *esse* separato multum disserit sanctus Thomas. Sensus autem secundarius est : si quid naturaliter ex sese infert aliquam perfectionem, haec maximum habet statim gradum, quem in ipso habere potest. Cujus ratio est, quia quic-

quid habetur naturaliter, immobiliter habetur ; nec proinde est in potentia ad hoc ut fiat majus. Sicut homo est naturaliter habens intellectum abstractivum et discursivum : qui in unoquoque homine statim secundum se habet summam suae rationis perfectionem intrinsecam. Porro gratia unionis infert naturaliter gratiam habitualem. Ergo infert eam in summo gradu quem secum compatitur. Patet autem nullum posse concipi gradum gratiae tantum, quin in Christo esse possit. Ergo omnem perfectionem gratiae creabilem habet Christus.

Probatur *secundo*. Causa mensurat effectum suum necessarium. Ergo summa unio cogitabilis quantum ad *esse*, nequit principiare nisi summam cogitabilem gratiam quantum ad *operari*. Sic Durandus (3 D. 13, q. 2, n. 9. Par. 1550, fol. 203) : « Gratia unionis et habitualis in Christo se « habuerunt sicut prius et posterius. Nam « ad gratiam unionis secuta est gratia ha- « bitualis. Gratia autem unionis in Christo « fuit perfectissima, quae [*legendum forte* : « qua] perfectior esse non potest, eo quod « digniori non potest creatura uniri quam « supposito divino : ergo gratia habitua- « lis consequens ad eam fuit perfectis- « sima. »

Nec multum distabat Scotus, cum scribebat : « Ista natura potuit assumi ad « summam unionem quantum ad esse : « ergo quantum ad operari. Summa unio « quantum ad operari non est nisi per « summum habitum gratiae, quae est « principium operandi. Ergo » etc. Concludit hic tamen de possibili tantum Scotus ; de facto autem postea, per aliud argumentum, ex decentia Creatoris petitum.

Probatur *tertio*. Dispositio perfecta ad formam habitam seu finem praesentem proportionatur fini seu formae. Proportionata autem unioni hypostaticae gratia nequit non esse summa. Apte Cajetanus (in 3 S. 12) : « Intellige mensuram formae « praefixam esse penes relationem ad « finem... [Etenim] quod substantialiter « est propter finem oportet commensura- « tum esse fini... [Quare] summae unioni « creaturae rationalis ad Deum com- « mensurari oportet solam summam gra- « tiam. »

Probatur *quarto*. Gratia in puris creaturis habet rationem filiationis adoptivae. In anima autem Christi, ubi ex unione hypostatica ad Verbum resultat unio schetica ad Spiritum Sanctum et totam Trinitatem, gratia est SEQUELA ET DOS PROPRIA Filiationis naturalis. Nequit autem propria dos et sequela Filiationis naturalis non esse major omni dono quodcumque concipi possit filiationis adoptivae : siquidem adoptiva filiatio imitatur deficienter ea quae sunt naturalis Filiationis propria. In nulla igitur creatura potest concipi tanta gratia quanta inest naturaliter humanitati assumptae. Vide complexive Cyril. Alex., in *Johan.*, l. 11. c. 12. P.G. 74, 561-565, et egregiam ejusdem loci expositionem apud Petavium, *De incarn. Verbi*, l. 11, c. 7, n. 9-10.

Probatur *quinto*. Gratia proportionatur visioni. Visione autem intuitiva, qua gaudet Christus, nulla potest esse major. Etenim nulla major conjunctio intellegibilis ad intellegentem concipi potest quam secundum *esse* : qualiter obtinet inter animam Christi et Verbum Dei[1]. Ad rem Canus : « Major est unio animae Christi

1. Adjecta aliis rationibus, quae in superiore appendice indicatae sunt, haec est ratio *propter quid*, cur Christus necessario a principio suae incarnationis debuerit obtinere visionis intuitivae praerogativam, eamque tantam quanta major esse nequit. Hinc inferes, nunquam eum latuisse ullam rem, quae in Deo viso ab ullo creato intellectu possit unquam cognosci : nec proinde diem judicii. At, quae per visionem intuitivam innotescunt, ea innotescunt non secundum modum quem obtinent in intellectu ex sensibilibus abstrahente formas intellegibiles, sed secundum modum eminentiorem quem intellegibile obtinet in intellectu Dei, ubi est ipse Deus. Quem juxta modum sunt, ut patet, intellectui cuivis creato, pro suo gradu cognitionis analogicae, sed multo magis intellectui humano, pro suo gradu cognitionis abstractivae, non solum ineffabilia, sed etiam incapabilia ; nec proinde ad partes intellectus abstractivas descendit talis notitia, nisi per quamdam illuminationem partium inferiorum per superiores : qualis ante Christi resurrectionem cohiberi sane potuit. Nisi autem notitia insit intellectui prout

« cum Verbo, quam unio beatorum ; sed « ex hac exsistit claritas in intellectu beati « [*lege* : beatorum] ut Deum videant : ergo « multo magis ex illis [lege : ex illa] talis « claritas orietur » (*De locis theologicis*, l. 12, c. 13, fol. 440).

Objicies : implicat contradictionem conceptus gratiae absolute summae. Nam, cum Dei natura, vita, atque beatitudo, seu operatio propria, sit infinita, in infinitum potest ipsius consortium crescere atque progredi. Ergo posita gratia qualibet, potest semper alia concipi major ; sicut qualibet creatura alia potest a Deo creari melior (cf. 1 S. 25, 6. c.).

Respondeo, contradictionem implicari nullam. Etenim consortium istud est intrinsece supernaturale respectu omnis naturae creabilis. Ergo in suo formali claudit gratuitatem, seu connotationem SUBJECTI, cui non debeatur ; et pro tanto est perfectio mixta, id est non melior ipsa quam non ipsa. Omnis autem talis perfectio habet summum infra Deum ; sicut facultas ratiocinandi, quae est potentialis ad verum, habet in homine summum suae rationis ; et omnis natura angelica, quae est potentialis ad *esse*, est in summo suae speciei.

Aliter autem est dicendum de perfectionibus puris, quae nullam in suo conceptu claudunt potentialitatem naturalem ad ulteriora aut connotant subjecti sui potentiam obedientialem. Qualis est perfectio entis, vel intellectionis : quare omni creatura potest a Deo alia fieri major, et omni intellectioni naturali superstrui melior ; nec proinde ullus angelus, quantumvis perfectus, culmen obtinet naturalis perfectionis creabilis.

Ne quis autem stomachetur, quod 1° intellectio naturalis potest progredi in infinitum, gratia autem non ita ; aut quod 2° in perfectionibus mixtis recensetur gratia, cum inter puras multae numerentur naturales. Hoc alterum enim ex nobilitate est gratiae, qua tantum importatur bonum, ut omni perfectioni cuilibet naturali semper sit supernaturale seu indebitum, connotans igitur subjecti indignitatem. Primum autem in laudem gratiae pariter redundat ; nam ad perfectionem alicujus gratiae pertinet, quod sit in summo ; ad imperfectionem autem omnis naturae, quod semper ab alia transcendi potest. Tandem minima visionis beatificae gratia infinito majorem lucem intellegibilitatis secum fert quam quantavis intellectionis naturalis acies. Et sic tollitur omne scandalum.

Neve dixeris, potentiae divinae aliquid detrahi, si gratia habituali Christi nulla possit fieri major. Nam non ex defectu divinae potentiae id repetitur, sed ex termino intrinseco talis formae, quae seipsam superare non potest ; sicut nec angelus ullus intra suam speciem perfectior esse potest quam est. Et hoc sensu loquitur sanctus Thomas, cum ita concedit (3 S. 10, 4, 3^m, et 3 S. 7, 12, 2^m) nullum, quantum est ex divina potentia, assignari terminum, ut tamen velit (3 S. 7, 12, c. et 1^m) penes ipsam formam esse termini illius rationem. « Ex parte autem formae excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod « subjectum attingit ad ultimam perfectionem, quam potest talis forma habere « in natura » (3 S. 12, c.). « In ipsis formis « consideratur aliquis terminus, ultra « quem non progrediuntur. Et propter « hoc non oportet quod gratiae Christi « possit fieri additio, quamvis sit finita « secundum sui essentiam » (3 S. 7, 12, 1^m). Ita autem secundum sui essentiam

analogico et abstractivo, non est enuntiabilis homini, quantumvis eam in apice suae mentis obtinenti per visionem. Adeo ut multo magis visioni intuitivae etiam quam raptui congruant verba Pauli : *audivit arcana verba, quae non licet homini loqui*. Per intuitivam enim visionem percipit homo Verbum ipsum Dei, quod solus Deus profert, nec homo aut angelus proferet unquam. Vere igitur Christi anima potuit et pro unionis hypostaticae praerogativa infrustrabili nosse in Deo viso judicii diem, et pro oeconomica suae omnimodae clarificationis dilatione nullam in thesauris suae abstractivae scientiae continere illius diei notitiam. Unde verum habet solutio veterum : habuit diei ultimi Christus notitiam incommunicabilem.

est finita in ratione entis, per comparationem ad plenitudinem essendi, ut tamen in ratione gratiae sit infinita, tanquam gratiae plenitudo (3 S. 7, 11) : quemadmodum fere formae separatae, in suo quaeque ordine infinitantur (1 S. 50, 2, 4m ; *De ente et essentia*, c. 6 ; coll. *De subst. separat.*, 13, etc.). Cum autem sit infinitum gratiae gratia Christi, patet non ex hoc culpari potentiam Dei, quod illam facere majorem quam est, non potuerit ; sicut nec in isto culpatur, quod quaternarius major quam est fieri non potest (cf. 1 S. 25, 6, c.).

Quibus ex doctrina sancti Thomae libatis, parum nobis probatur illud Suarezii (*De incarn.*, disp. 22, s. 2, n. 10) effatum : « Divus autem Thomas nunquam assigna- « vit terminum ex natura ipsius gratiae, « sed ex ordine divinae sapientiae. » Nec sane mirum, quod ipse Suarez fatetur suam interpretationem a sancto Thoma parum clare suaderi : « Potuisset quidem « D. Thomas clarius dicere argumentum « concludere : posse illi gratiae fieri « additionem in gradibus intensionis de « potentia absoluta, non tamen de or- « dinaria » (In 3 S. 7, 12, *commentarius*, n. 3). Immo id sanctus Thomas consulto non dixit, quia nec sensit. Concessit autem rectissime posse a Deo fieri aliquid gratia habituali Christi « majus et me- « lius » (3 S. 7, 12, 2m) : pro quanto enim est finita quoad *esse*, patitur aliquid seipsa melius infra Deum ; et revera praestat illi gratia unionis, utpote ex qua dimanet et ad quam ordinetur. Et unione ipsa hypostatica naturae humanae potuit a Deo aliquid fieri secundum quid melius, pro quanto potuerunt assumi naturae semper in infinitum perfectiores. (Quo tamen progressu non importaretur augmentum secundum gratiam habitualem, siquidem, ut diximus, gratia habitualis ordinatur ad visionem intuitivam, in qua nullam per se induceret diversitatem diversitas naturarum, quaecumque a Deo assumerentur). Naturarum vero assumptarum diversarum foret diversa secundum quid actuatio per *Esse* divinum : non quasi simpliciter melior foret actuatio melioris, sed melior duntaxat quantum ad terminum actuatum.

Unde habes tandem, quo sensu Christus dici possit non solum connaturalem habere gratiam, sed etiam esse ipsum subjectum gratiae connaturale. Nam ex una parte, plenitudo illa gratiae est ita proprium corollarium unionis hypostaticae, ut extra unionem hypostaticam consistere nequeat ; ex altera autem parte, gratia omnis in quavis creata persona erit nata respicere gratiam Christi, ut deficiens participatio indeficientem plenitudinem. Ergo omnis gratia ad personam illam divinam in creata natura subsistentem referetur, sive ut ejus naturalis proprietas, sive ut talis proprietatis participatio (in contrarium vide Suarezium, *De incarn.* disp. 18, s. 3, n. 11-12).

Est ergo essentialiter gratia Christi quasi analogum princeps in toto genere gratiae. Et pro tanto, quamvis in puris creaturis gratia possit semper pro lubitu Dei proficere, non tamen ulla illarum gratia, quantumvis intensa, attinget aut appropinquabit ad gratiam Christi, sed manebit semper incomparabiliter inferior, ut ne commensurari quidem aut connumerari possit (3 S. 7, 11, 3m)[1]. Nec proinde gratia Christi concipienda est ut limes nostrae gratiae ; quanquam principium quoddam ejus sub Deo est et finis, permittens sub se quemdam progressum in infinitum. Immo foret praesentis oeconomiae limes, si esset commensurabilis nostrae gratiae et relative tantum maxima. Est autem ita maxima, ut sit « plenitudo perfectionis et perfectio ple- « nitudinis » (S. Fulgentius, *Ep.* 14,

1. In quo nulla arguenda est contradictio ; siquidem in perfectionibus puris, ut est esse vel intellegere, gradatio potest concipi indefinita, quin unquam fiat appropinquatio ad *esse* vel *intellegere* subsistens. Juvat aliqualiter analogia matheseos, ubi series dantur quantitatum indefinite crescentium, convergentes tamen in terminum finitum, quem ne attingentes quidem semper remanent infinito mathematico incomparabiliter inferiores.

n. 28. P.L. 65, 418). Vel, ut scribit admirabiliter Hesychius (*In Levit.*, 8[13]. P.G. 93, 871-872): « Unctio Christo et his qui « ejus sunt communis et non communis « est : communis quidem, quia ejusdem « unctionis sunt et ipsi participes; quam- « obrem et nos participatione Christi, « christiani dicimur ; non communis au- « tem, quia inaestimabili quadam subli- « mitate excellit Deus hominibus et « gratia in qua ei communicamus. »

Articulus II. — De gratia eucharistica in quantum est gratia Redemptoris.

Ut attolleretur ad consortium divinorum, praestabat gratia Adamo insonti, atque praestat angelis. Hoc idem nobis praestat gratia specialior[1], in natura per peccatum infirmata ; non solum nobilitans animum, sed sanans a corruptione carnis, atque ita coaptans hominem ad finem, ut adversus difficultates in consequendo fine superandas roboret : quo longe potentior importatur gratia, et caritatis in Deum defixae intentio, ultra omnem humanae firmitatis atque constantiae gradum, provecta. « Major quippe libertas est neces- « saria adversus tot et tantas tentationes, « quae in paradiso non fuerunt : ...hoc « sanctorum martyria docuerunt » (Augustinus, *De correptione et gratia*, c. 12, n. 35. P.L. 44, 937)[2].

Non differt autem haec gratia a gratia Adami vel angelorum per finem suum, quo specificatur : qui utrinque est visio beatifica ; sed differt quoad modum respiciendi finem : qui in priore illa respiciebatur solummodo ut appetibilis, in nostra autem respicitur simul ut arduus.

Hujus autem specialioris gratiae proprietas fuit suo modo in Christo, ut docet S. Thomas, scribens (*Veri.* 29, 2) : « Christus ad hoc assumpsit humanam « naturam, ut eam curaret. Quae quidem « curatio est per gratiam; unde gratia ha- « bitualis in Christo magis intelligitur ut « effectus unionis quam ut praeparatio ad « unionem. » Scilicet : curatio humanae naturae assumptae ex una parte fuit incarnationis finis, ex altera autem parte formalis effectus gratiae habitualis. Ergo gratia non se habet ad incarnationem ut dispositio antecedens, sed ut finale consectarium. Nam, si antecederet, antecederet et curatio : siquidem simul procedunt forma et effectus formalis. Non autem curatio antecedit incarnationi, cujus est finis. Ergo neque gratia. En processum Sancti Thomae : quo supponitur, humanam Christi naturam esse curatam per gratiam Christi habitualem.

Et re quidem vera, Christus non in carne sane peccati, sed in similitudine tamen carnis peccati apparuit inter nos : passibilis, mortalis, tentatus per omnia ; qui adversus tentationem ingruentium malorum sentiens debilitatem carnis[3],

1. Specialiorem dico, non quasi alterius speciei, sed prout, in eadem specie, gaudentem conditione quadam diversa, vel statu (ut aiunt) allotropico : pro quanto duobus muneribus fungitur et elevandi et sanandi. Quae diversitas refunditur in diversam conditionem subjecti, hinc integri, illinc sauciati.

2. Non solum potentius auxilium in gratia Redemptoris attenditur, sed etiam majus beneficium, pro quanto ista confertur nobis, non solum immeritis sed demeritis. Ceterum ea quae nunc annotamus de identitate gratiae nostrae elevantis ac sanantis, elucidabimus, quantum poterimus, in disputationibus *De gratia*.

3. Noli commoveri, quasi debilitas carnis sonaret concupiscentiam, cujus ne memoria quidem aut cogitatio, dum de Christo agitur, caret impietate. Sed duplex nobis inest debilitas carnis : una quidem per concupiscentiam ; altera, etiam concupiscentia seclusa, consistens in passibilitate et corruptibilitate, ratione cujus aerumnas, dolores, mortem, sicut persentimus, ita pavemus necessario atque reformidamus, horremus et refugimus. Etiamsi enim martyres concupiscentiae expertes essent, nonne tamen tolerantia passionum extrinsecus illatarum atque afflictionum undique ingruentium foret ardua atque perardua ? Numquid difficultate sua omni caruit patientia Virginis immaculatae ? Fuit autem in Christo haec corruptibilitas atque passibilitas ; nihil quidem habens foeditatis propriae, nec tamen nisi per foeditatem peccati inducta in humanam naturam, ubi habet rationem poenalitatis. Quare ex hac parte Christus fuit in similitudine carnis peccati, et ex hac parte fuit infirmus secundum carnem. Qua infirmitate Adam non ante lapsum laboravit.

roboratus est intus per gratiam : in cujus signum atque veluti subsidium accessit angelus foris, confortans eum.

Sed non solum fuit in Christo haec gratia, sed fuit in Christo summa. Et hoc quidem propter tria.

Primo, ratione sui FINIS.

Finis enim hypostaticae unionis et consequentis ad unionem gratiae, fuit redemptio generis humani condigna. Quare oportuit, ut esset compensandi affectus et opus in Christo undequaque peccati malitiae adaequatum. Oportuit igitur, ut dolor obeundus esset absolute summus in genere mali per gratiam tolerandi, seu difficultatis per caritatem superandae (3 S. 46, 6, c. ; 3^{m} ; 6^{m}). Sic autem fuit in Christo duplici ex capite. Primo quidem, eo quod dolet incarnatus Deus, Dei amantissimus, de maxime repugnante divinae sanctitati malitia peccati (3 S. 46, 6, 4^{m}), et dolet quantum potest. Quare tristitia ejus fuit in summo, ut praeclare exponit Canus : « Revera probabile est, in voluntate Christi intellectuali, quae proprie voluntas est, non « tristitiam modo, sed summam maximamque fuisse. Quia enim in hostia pro « peccato, cordis contritio voluntatisque « tristitia potissime desideratur (sacrificium quippe Deo spiritus contribulatus, « etc.), et tristitia spiritualis haec contraria est peccato medicina, quod sedem « suam praecipue in voluntate habet ; « consentaneum profecto erat, ut Filius « Dei hostiam se pro peccato exhibiturus, « non solum corporis et animae sensitivae « dolores, sed angores quoque spiritus et « voluntatis tristitiam susciperet, quo pro « culpis nostris omnibus hostia illa Deo « acceptissima omnibus omnino modis « contereretur... Augustinus insuper asserit « Christum eos nostrae naturae defectus « suscepisse, qui perfectioni gratiae non « repugnant quidem, sed de amore boni « et sancta caritate veniunt. At commendat magis caritatem suam Christus, si « tristitiam quoque eam Deo pro culpis « nostris in sacrificium praebuit, quam « nos Deo pro illis debemus maxime... « Propter mysterium nostrae redemptionis « explendum, quanquam voluntas Deo « viso fruebatur, SUSCEPIT TAMEN SPONTE « TRISTITIAM, QUANTAM MAXIMAM CAPERE « POTUIT : POTUIT AUTEM CAPERE TANTAM, « QUANTA MAXIMA ESSE IN RERUM NATURA POTERAT : UT DOLOR PRO PECCATIS « NON MINOR ESSET QUAM CARITAS, et « scientiae ipsi quoque superemineret » (*De locis theologicis*, l. 12, c. 13, fol. 450). Adeo igitur non nocuit visio intuitiva dolori cordis, ut potius dicenda sit, vere (quamvis indirecte) contulisse aliquid, immo plurimum : pro quanto caritas, visioni commensurata, mensurabat ipsa repugnantiam ad peccatum et de peccatis a genere humano admissis tristitiam.

Ex altero autem capite fuit summus Christi dolor : pro quanto oppetiit mortem. Primum enim quod appetitur in bonis hujus vitae est *esse*. Et ideo « ultimum malorum hujus vitae et maxime « terribile est mors, ut patet per Philosophum in 3 *Ethic.* (cap. 6 a med.) » (2-2, 64, 5, 3^{m}). Gratiae igitur et caritatis nullum est secundum se magis arduum opus quam mortis susceptio (*Joan.*, 15[13]). Nemo autem vitam suam diligere potuit tantum quantum Deus Homo. Quanto enim perfectius *esse* quis habet, tanto magis amat (major enim perfectio est magis appetibilis)[1]. Christus autem habuit perfectissimum *esse* vitale, scilicet divinum. Ergo amare debuit maxime. Maximus igitur debuit esse dolor Christi in morte obeunda (3 S. 46, 6, 4^{m}).

Summo dolori obeundo oportuit ut esset par gratia Christi. Oportuit igitur, ut esset summa gratia fortitudinis, humanae carnis infirmitati occurrens ac medens.

Secundo, fuit summa in Christo gratia ista specialior ratione SUBJECTI.

Verbum enim incarnatum, cum esset abolute impeccabile, oportuit ut creatam

1. Gallice dicunt : « Le vouloir-vivre se proportionne à la richesse de la vie ; une vie « pauvre moralement et physiquement, a moins « horreur de la mort. La vie de Jésus-Christ « était la plus riche qui fût, et qui pût être; son « horreur de la mort devait être souveraine.

haberet potentiam resistendi cuilibet difficultati, quantumvis gravi, insurgenti (sive actu sive potentia) adversus legem Dei adimplendam. Oportuit igitur, ut habitualiter esset summa in ipso gratia infirmitatem assumptae naturae sanans.

Ubi attende, quantum congruerit, ut prae omni alia natura humanam assumeret, eamque infirmatam. Sicut enim caritas infusa Dei in creata natura subsistentis, ex praemissis in superiore sectione, erat necessario summa, sic congruebat, ut exercitium ejus esset summum, non solum ex parte intensionis subjectivae, sed etiam ratione materiae circa quam ageretur. Etenim, nisi materia aequaret intensionem, videretur forte superfluere intensio atque abundare. Non autem potuit caritatis exercitium esse summum quoad materiam actus, nisi materia offerret difficultates aequantes proportionaliter ipsam vim moralem gratiae et caritatis. Quod contigit in Christo, ut superius est declaratum. Quo ex capite magis congruebat assumptio naturae humanae quam angelicae (in qua nullum gratia potest compati secum dolorem) ; et in humana natura, magis assumptio infirmatae quam integrae. Si quidem in infirmata demum hominis natura poterat Dei Verbum exercendae suae caritati campum habere adaequatum. Quod cum sine lapsu hominis contingere non posset, rursus ex hoc capite dicendum est : *Felix culpa !*

Tertio, summa fuit eadem gratia ratione sui EFFECTUS.

Fons enim gratia Christi fuit nostrae gratiae. Oportuit autem ut nullum esset gratiae (nobis oblatae) insanabile peccati vulnus : si quidem omnibus peccatoribus, quantumvis laesis, quantumvis dejectis, quantumvis fractis, Christus offerebat salutem. Nulli igitur limiti affixa esse debebat ista fontalis gratia in Christo. *Habentes ergo pontificem magnum qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (*Hebr.*, 4^{14-16}).

Undequaque igitur gratia ista specialior fuit in Christo summa.

Et fuit Christi propria. Hanc enim proprie Christus meruit omnibus quicumque eam sortituri essent. Non scilicet meruit universaliter gratiam prout in communi ordinantem substantias rationales in finem ultimum. Si enim secundum illam communitatem meruisset gratiam, meruisset eam angelis, atque Adamo insonti : quod parum certe probatur. Meruit tamen gratiam iis omnibus qui per gratiam essent reparandi. Meruit enim per sacrificium suum propitiatorium ; et meruit iis pro quibus propitiatorium suum sacrificium obtulit. Obtulit autem pro iis qui propitiatione egebant. Peccatoribus igitur, quotquot a Deo ad poenitentiam exspectantur, id est hominibus lapsis, gratiam meruit : gratiam scilicet reparationis, qua ita sanantur homines, ut eleventur ; atque elevantur ita ut sanentur.

Quia autem istiusmodi gratiam per sacrificium suum meruit, ut hostia etiam sacrificii ipsam dispensat. Quod enim per sacrificii oblationem conciliatur, id per sacrificii participationem obtinetur : reddente Deo per hostiam acceptissimam fructum oblationis. Reparationis igitur nostrae gratia nobis praesto est in corpore ac sanguine Christi participando, quae est eucharistia[1].

Quod traditum supra a Patribus, praesertim Gregorio Nysseno et Cyrillo Alexandrino[2], mediaevalis vir spectabilis, Er-

1. « Si enim in omnibus sacramentis nostras « Christus sanat infirmitates, maxime tamen « facit hoc in sacramento [Eucharistiae]. » Ita Albertus M. (*Liber de sacramento eucharistiae* Dist. 6, tract. 1, cap. 1), commemorans ibidem (cap. 2) ac redarguens quosdam negantes medicinalem eucharistiae vim : « Pro certo tenendum est, quod nihil est, quod isti dicunt. »

2. Locis supra recitatis hunc addesis, nobis in octava Corporis Christi recitari solitum : « ...Eulogiae particeps fias, credens valere eam « NON AD MORTEM SOLUM SED ETIAM MORBOS « NOSTROS OMNES EXTERMINANDOS. Sopit enim « Christus nobis illapsus saevientem in mem-

naldus Bonaevallensis, coaetaneos suos sic commonebat : « Nos quidem cum « caro essemus et sanguis, corrupta et « infirma corporis animaeque natura, REFORMARI NON POTERAMUS, neque ad « similitudinem Dei reverti, nisi MORBO « INVETERATO imponeretur MALAGMA CON- « VENIENS, et in CURATIONE DESPERATAE « INFIRMITATIS contraria removerentur « contrariis, et similia similibus conveni- « rent... PANIS ITAQUE HIC AZYMUS, cibus « verus et sincerus, per speciem et sacra- « mentum nos tactu sanctificat, fide illu- « minat, veritate Christo conformat. Et « sicut panis communis, quem quotidie « edimus, vita est corporis, ita panis iste « supersubstantialis vita est animae et « SANITAS mentis... Nobis itaque, PRO « QUIBUS SANGUIS CHRISTI OBLATUS EST « IN CRUCE, ET QUOS RECONCILIAVIT DEO » OMNES EXCEDENS VICTIMAS HOC SACRIFI- « CIUM SINGULARE, ipse Christus pincerna « porrexit hoc poculum, et docuit : ut non « tantum exterius hoc sanguine liniremur, « sed et interius aspersione omnipotenti « anima muniremur [*legendum forte* : « muniretur] ; et penetrans omnia TANTI « MEDICAMENTI VIRTUS, quicquid esset « intus ibi durum, effugaret ; et RENOVA- « RET SANARETQUE quicquid MORBI carni « vel spiritui veteris vitae allinierat cor- « ruptela » (Ernaldus Bonaevallensis, *op. cit.*, col. 1643-1645).

Pariter cardinalis Jacobus de Vitriaco (*Sermones in Epistolas*, etc. Sermo II *In coena Domini*, Antverpiae, 1575, p. 334) : « Venit coelestis medicus non mi- « nistrari, sed ministrare ; curare infir- « mos, non curari ; sanare vulnera, et « vulnerari. ...Corpus et sanguinem suum « nobis contulit in refectione contra infir- « mitatem... [Quae infirmitas est] diffi- « cultas bene operandi et resistendi tenta- « tionibus. Unde et Dominus Jesus Chris- « tus a discipulis recessurus, imminente « passione, contra varias infirmitates et « crebros casus summum reliquit antido- « tum, corporis scilicet et sanguinis sui « sacramentum. »

Idem, inter multa alia documenta liturgica, exhibet postcommunio feriae tertiae post Pascham in *Sacramentario Gelasiano* (P.L. 74, 1115 ; ed. Wilson, p. 92) : « Digne nos tuo nomini, quaesumus, « Domine, famulari salutaris cibus et sa- « cer potus instituat, et RENOVATIONEM « CONDITIONIS HUMANAE, quam mysterio « continet, IN NOSTRIS JUGITER SENSIBUS « OPERETUR. »

Sed longe antea in sua *Anaphora* orabat Serapion episcopus : « Fac ut omnes « communicantes REMEDIUM VITAE acci- « piant AD CURANDUM OMNEM MORBUM « et ad confortandum omnem profectum « ac virtutem » (F. D. 2, 176).

EPILOGUS.

Quam aliter Christus sit hominum caput atque angelorum.

Conclude igitur : aliter Christum esse caput angelorum, aliter caput Ecclesiae. Secundum enim influentiam gratiae potissimum intellegitur esse caput. Gratiam autem, quam angelis influit, neque ipsis meruit, neque influit talem omnimode quali ipse usus est, sed tantummodo ut elevantem, non autem ut sanantem ; neque influit per corpus suum, sed tantum per animam (S. Thom., 3 D. 13, 2, 2, sol. 1, c. et 3m ; 3 S. 59, 6. c.) ; neque is fuit finis incarnationis, ut influeret, sed effectus ad incarnationem consequens (S. Thom., *Veri*, 29, 4, 5m). Nobis autem per corpus suum dat gratiam ; talem quali ipse usus est in corpore ; quam et per corpus suum nobis meruit : ad quem etiam finem corpus assumpsit. Unde haeremus CHRISTI CORPORI multo differentius quam angeli : per gratiam qua vere facti sumus ipsi concorporei, non solum secundum communitatem

« bris nostris legem carnis ; pietatem quidem « in Deum exsuscitat, mortificat autem motus « animi turbatos, non imputans nobis delicta, « in quibus sumus, sed magis nos curans ut « aegrotos. Confractum enim alligat, erigit « lapsum, sicut pastor bonus, et qui vitam « pro ovibus posuerit » (Cyril. Alex. (*In Joan.*, l. 4, c. 2. P.G. 73, 585).

naturae, sed etiam secundum unius sanctificâti corporis spirituale consortium. Hoc enim importat participatio nostra dominicae hostiae; quae angelis neque sacramentaliter competit, neque spiritualiter, quanquam per hostiam suam Christus sibi meruit statum illum gloriae, in quo illuminaret angelos[1]: qui exhinc laetificantur eo magis, quod jam consociantur et continuantur spiritualiter Filio Dei in creata natura intellectuali subsistenti; unde et cognatius evasere, et nominantur verius, filii Dei.

1. Quare non absurde Cyrillus Alexandrinus (*Glaphyra in Leviticum*. P.G. 69, 549-552) in Christi sacrificium refundit influxum Christi in angelos sanctificativum. At conjici praeterea potest, jam ab initio suae creaturae angelos desiderio (divinitus immisso) praelibasse talem influxum nostrae hostiae, si revelatum fuit illis mysterium occisi Agni et vivificati, unde traheretur ipsorum sanctitas. Quem influxum dum fastidiens Lucifer renuit inspirato per Spiritum Sanctum desiderio consentire, excidit ab illa, quam secum trahebat desiderium, gratia, manetque inanis.

Pro quanto autem per eucharistiam Christus suum sacrificium obtulit, quo consummato beat angelos, vide eos non carere omni connexione (indirecta sane) cum eucharistia. Conferas infra (Elucid. XLIX) illa quae habet sanctus Thomas de manducatione Christi angelica.

Elucidatio XLII.

Non minus quam in aliis sacramentis causat in eucharistia *signum tantum* veritatem ejus quod significatur respectu *rei et signi.*

§ 2. Comparantur elementa eucharistiae inter se.

Sectio I. — De ordine causae inter signum tantum et rem et signum.

Solet in sacramentis id quod est *signum tantum* se habere ut causa relate ad id quod est *res et signum* : pro quanto, ut diximus, practica est omnis significatio sacramentorum demonstrativa. Quaeritur jam, possitne in eucharistia intercedere talis ordo causalitatis inter signum sensibile et rem contentam demonstratamque, quae est corpus et sanguis Christi. Quod si negaveris, non apparet quomodo signum eucharisticum possit dici signum practicum, causans sui veritatem.

Forsan non vereantur quidam ordinem istum causalitatis concedere simpliciter. Nam quibus placet produci in eucharistia corpus Christi, multo rationabilius asserent productum, non per formam consecrationis tantum, sed per integrum signum sacramentale, consistens, ut diximus, ex materia et forma, verbis scilicet et rebus.

Sed repugnat dupliciter, quominus per sacramentale signum (sive adaequatum sive inadaequatum) producatur corpus Christi. Primo enim, praeexistit suo signo ; nec proinde habet per ipsum causari. Secundo, in virtute Christi Sacerdotis agit sacramentale signum, quicquid agit ; non autem potest in virtute Christi Sacerdotis produci Christi hostia, quae est ipse Sacerdos[1].

Secundum haec duo igitur dispar est conditio corporis eucharistici a conditione characteris sacramentalis. Character enim non praecedit suo signo ; nec est nisi participatio sacerdotii dominici, non autem plenitudo illa quae in Christo eucharistico viget.

Negandum est igitur prorsus, per eucharisticum signum effici corpus et sanguinem Christi.

Attamen potest sacramentale signum efficere aliquid circa ipsum Christi corpus aut sanguinem : non scilicet ut sit, simpliciter loquendo ; sed ut sit secundum rationem quae propria est rei demonstratae et contentae : id est, ut vere demonstretur et realiter contineatur.

Quod facit sacramentale signum, dum efficit transsubstantiationem. Verba enim speciebus conjuncta, vel, quod idem est, species informatae verbis, per se demonstrative significant corpus ac sanguinem Christi in ratione cibi et potus. Quae demonstratio ut vera sit, nec mendax, oportet ut, conversa substantia panis in substantiam corporis Christi, haec illi subrogetur. Practica autem cum sit significatio, efficit idipsum QUO VERIFICATUR. Efficit igitur praedictam PANIS CONVERSIONEM. Qua posita, statim intelleguntur species continere corpus Christi eodem modo quo continebant substantiam panis, cui subrogatum est. Ex causalitate igitur, quam habent respectu transsubstantiandi panis, induunt relationem demonstrationis veram et continentiae realem ad corpus Christi. Sicque causant Christi praesentiam, quin ullam exercuerint causalitatem in Christum. Non enim actione ista conversiva mutatus est ipse Christus, neque substantialiter neque accidentaliter, sed mutatus est panis, in Christum mutationis expertem et passionis immunem, ut suo loco exponetur.

Quare sanctus Thomas (4 D. 1, 1, 4, 1, 6m), ubi hanc sibi proponit solvendam objectionem : « In sacramento altaris « transsubstantiatur panis in corpus Christi « Verba Christi convertunt panem in corpus « Christi. Quod quidem fieri non potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi « formabatur, ut aliquid a corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad « ipsius corporis formationem. »

1. Vide illa quae sequentur infra (Elucid. L) et hic supponuntur. Interim observa cur, ex sancto Thoma (3 S. 78, 4, 2m), humanitas Christi non potuerit concurrere ad Incarnationem operandam, cum tamen concurrat ad eucharistiam conficiendam : quia scilicet in incarnatione opus erat producere corpus Christi :

« ti; quod non potest fieri nisi virtute in-« finita, qualis non est virtus formae illius « sacramenti. Ergo virtus illa non causat « dictam transsubstantiationem. » Sic respondet : « In transsubstantiatione, cum « sit quidam motus vel mutatio, duo sunt, « scilicet recessus a termino, et accessus ad « terminum. Verba ergo sacramentalia « pertingunt instrumentaliter ad trans-« substantiationem, quantum ad recessum « a termino a quo ; sed quantum ad acces-« sum ad terminum ad quem, non pertin-« gunt instrumentaliter nisi DISPOSITIVE » (cf. 3 S. 78, 4, 2m).

Conclude igitur *primo* : signum sacramentale in eucharistia vere esse effectivum sui significati ; non enim significatum est ut corpus Christi SIT, sed ut HOC sit CORPUS CHRISTI. Hujus autem enuntiati veritas fit per tale signum, effecta panis mutatione, ut dictum est.

Quod autem in aliis sacramentis externum signum efficit ut SIT res et signum, hoc est, quia idipsum significat. Puta ritus baptismalis significat christianismi initiationem ; matrimonialis consensus, ortum vinculi conjugalis, etc. Exsistit igitur noviter character, exsistit noviter vinculum, etc.

In eucharistia autem non opus est ut EXSISTAT noviter quicquam, sed sufficit ad veritatem signi, si mutatio habeatur rei unius in alteram praeexsistentem. Hanc mutationem efficit signum utpote efficax suae veritatis.

Conclude *secundo* : non solum effici in eucharistia, sed et conservari per sacramentale signum significati veritatem. Praesentia enim alligatur transsubstantiationi; transsubstantiatio autem tamdiu manet, quamdiu manet causae virtus ; virtus autem causae tamdiu perseverat quamdiu perseverat signi integritas : siquidem practicum est signum. Sicque conservatur per signum significati veritas.

Quod autem in aliis sacramentis res significata perseverat, recedente signo externo, nec proinde per ipsum conservatur, hujus ratio est, quia ex una parte nihil habet perseverans istiusmodi signum, sed exhibetur per modum actionis, et ex altera parte non significat sui effectus *esse*, sed *fieri* tantum. Sic actio baptizandi significat fieri aliquem christianum ; actio contrahendi matrimonium significat fieri istos conjuges ; et sic de aliis sacramentis. Quare non *in esse*, sed *in fieri* tantum pendet vinculum conjugale vel character baptismalis ab istiusmodi causa : quandoquidem eodem modo causat signum, quo significat.

In eucharistia autem, non *fieri* significati, sed *esse*, demonstrant species permanentes, informatae verbis, minime sonantibus : hoc fit corpus Christi, sed *hoc* EST *corpus* Christi. Quare significatum istud pendet *in esse* a suo signo : siquidem signum eodem pacto causat, quo significat. Non igitur minus, immo magis est in eucharistia signum sensibile efficax sui significati, quam in reliquis sacramentis, ubi non ab uno alterum conservatur.

Conservatio autem illa, non dico corporis Christi, sed effectae transsubstantiationis, praecludit multas disputationes apud theologos recentioris aetatis (Suarezium, disp. 47, s .3, n. 11-19 ; Lugonem, disp. 6, s. 2, n. 26 et 34-44 ; Salmanticenses, disp. 6, dub. 2, § 2, n. 9-11. In contrarium lege Vasquezium, disp. 190, c. 4, n. 42-45) sat prolixas de vi nescio qua attractiva, per quam species, post factam semel transsubstantiationem, jam magnetis cujusdam instar tenerent sibi copulatum corpus Christi, atque asportarent secum, quocumque ferrentur. Quae quam superflua sit atque fictitia res, habes ex superioribus compertum : siquidem continuatae species informatae verbis, ex sua vi conservativa respectu transsubstantiationis, veluti alunt habitudinem suam demonstrationis veram et continentiae realem ad corpus Christi : ubicumque tandem exsistant ; nec proinde ad retinendam per varias specierum positiones praesentiam dominicam, quicquam requiritur praeter signi perseverantiam.

Elucidatio XLIII.

Signum tantum nullam habet immediatam causalitatem aut significationem respectu rei tantum.

Sectio II. — De ordine causae inter signum tantum et rem tantum.

Articulus I. In signo tantum attenditur quidam symbolismus directus respectu rei tantum.

Diffinita efficacia *signi tantum* circa *rem et signum*, examinanda venit illius causalitas respectu *rei tantum*, quae est unitas ecclesiastica, constans ex adunatione fidelium ad Christum et in Christo. Quocirca quaeritur, utrum *signum tantum* causet directe *rem tantum*, an solummodo mediante *re et signo*.

Porro eodem modo causat, quo significat, siquidem significando causat. Quaestio igitur huc redit : utrum significet mediate tantum, an etiam immediate. Mediate tantum significat, si per se non habet vim demonstrativam nisi respectu corporis Christi, cui, utpote per species sortito rationem convictualem, competat demum significare incorporationem et efficere. Immediate significat, si etiam nullo transitu per corpus Christi facto, species per seipsas significent jam adunationem nostram ad Christum et in Christo.

De significatione agitur vere et proprie sacramentali, nec de quavis naturali aptitudine aut arbitraria accommodatione unius ad significandum alterum. Sacramenta enim nostra non sunt quidem signa naturalia (sicut fumus denotat ignem), sed signa ad placitum ; at vero non ad placitum humanum (sicut caerimoniae ecclesiasticae mysteria divina repraesentant) ; immo ad placitum divinum ; pro quanto aptitudini cuidam illorum praesuppositae accessit institutio Christi libere atque publice istam adhibentis ad significandam rem sacram. Illa aptitudo praevia est sicut quaedam potentia obedientialis in genere sacramentario ; institutio autem Christi eam veluti actuat.

Sic antecedenter ad institutionem Christi, panis et vinum ex ratione sua cibi atque potus congruitatem quamdam habebant ad hoc, ut, prolatis verbis demonstrativis, significarent corpus et sanguinem Christi, pro quanto immolati Christi corpus et sanguis est cibus atque potus noster ; et hac mediante significatione congruitatem proinde habebant ad significandam adunationem nostram ad Christum et in Christo. Quam congruitatem sanxit Christus et sacravit : ut constat, quoad corpus et sanguinem proprium, ex verbis institutionis et promissionis (*Accipite*, MANDUCATE : *hoc est*, etc. *Accipite*, BIBITE, *hoc est*, etc. *Panis quem ego dabo*, *caro mea est.*, etc.) ; et quoad incorporationem, ex *I Cor.*, 10^{16-21} et *Joan.*, 6^{56-57} (cf. supra, Elucid. XXXVI). Ingreditur igitur significationem sacramentalem specierum illa naturalis conditio cibi et potus. Ex institutione quidem Christi species rem contentam significant, sed per indolem cibi atque potus sibi ipsis propriam. At indoles istiusmodi, sicut aptabat illas ad immediate significandum corpus Christi, ita per se non aptabat ad significandum corpus ecclesiasticum nisi mediate.

In tuto igitur collocata ista mediata habitudine (quae supra est exposita), quaeritur utrum praeterea aliud sit attendendum in pane et vino, ratione cujus utrumque sit adhibitum a Christo ad significandam unitatem ecclesiasticam, et quidem immediate.

Dari aliquam similitudinem statim inter multitudinem granorum vel acinorum, redactorum in unum poculum vel panem, et unitatem Ecclesiae, ex multis fidelibus constantem, quis negabit ? Posse illam paritatem a doctoribus et pastoribus inculcari pie atque utiliter, sive paraenetice ad commendandam caritatem, sive didactice ad unitatem explicandam, quis non assentiet ? Sed aliud est, admitti talem similitudinem et adhiberi salubriter, aliud est, eam esse assumptam a Domino et evectam ad significandam atque efficiendam in sacramento unitatem illam ecclesiasticam,

quae ex fidelium adunatione ad seipsum et in seipso consistit. De hac institutione atque intentione dominica quaeritur, cum disputatur sitne sacramentalis istiusmodi symbolismus.

Pro indole sacramentali vidimus olim (Elucid. XXXIII) Gerhohum Reichersbergensem adeo fidenter stantem, ut inde colligeret : verum fieri sacramentum eucharistiae, etiam ubi minime fieret praesens corpus et sanguis Christi (*Tractatus adversus simoniacos*, c. 29. P.L. 194, 1366-1367). Alii postmodum, quorum nonnulli supra (Elucid. XXXIX) enumerati sunt, nulla profecto tali conclusione deducta, eamdem tamen indolem defenderunt. Quibus favent primum Cyprianus et Augustinus.

Cyprianus (*Ep*. 63, c. 13. P.L. 4, 384) « corpus Domini » ostendit « panis « unius compage solidatum ». « Quo et ipso « sacramento, inquit, populus noster os- « tenditur adunatus ; ut quemadmodum « grana multa in unum collecta et commo- « lita et commixta panem unum faciunt, « sic in Christo, qui est panis coelestis, « unum sciamus esse corpus, cui conjunc- « tus sit noster numerus et adunatus. » Rursus (*Ep*. 76, c. 6. P.L. 3, 1142) polemice utitur ista comparatione ad evacuandum baptismum Novatiani : « De- « nique unanimitatem christianam firma « sibi atque inseparabili charitate connex- « am etiam ipsa dominica sacrificia decla- « rant. Nam quando Dominus corpus suum « panem vocat de multorum granorum « adunatione congestum, populum nos- « trum, quem portabat, indicat adunatum; « et quando sanguinem suum vinum appel- « lat de botris atque acinis plurimis expres- « sum atque in unum coactum, gregem « item nostrum significat commixtione « adunatae multitudinis copulatum. Si « Novatianus huic pani dominico adunatus « est,... poterit videri et unici ecclesias- « tici baptismi habere gratiam posse », etc. Hi Cypriani loci dominicam institutionem videntur nonnihil sonare.

Similiter intentionem Domini in istum symbolismum directam finxit sibi fortasse Augustinus, dum fretus traditione majorum, (inter quos, procul dubio, eminet Cyprianus) ipse scribit : « Cum enim cibo « atque potu id appetant homines, ut non « esuriant, neque sitiant : hoc veraciter « non praestat nisi iste cibus et potus, « qui eos a quibus sumitur, immortales « et incorruptibiles facit ; id est societas « ipsa sanctorum, ubi pax erit et unitas « plena atque perfecta. Propterea quippe, « sicut etiam ante nos intellexerunt homi- « nes Dei, Dominus noster Jesus Christus « corpus et sanguinem suum in eis rebus « commendavit, quae ad unum aliquid « rediguntur ex multis. Namque aliud in « unum ex multis granis confit ; aliud in « unum ex multis acinis confluit » (*In Joan.* tr. 26, c. 6, n. 17. P.L. 35, 1614). Quam eamdem interpretationem non semel in suis sermonibus tradit, quanquam minus dogmatice (*Sermo* 227 et 229. P.L. 38, 1100 et 1103 ; *Sermo*, inter denisianos 6, 1-2, P.L. 46, 835 ; septimus inter *Sermones ineditos* vulgatos a G. Morin, Monaci, 1917, *De dominica sanctae Paschae*, n. 2, p. 26).

Coaetaneus Augustini, Gaudentius Brixianus, jam verisimiliter ante illum haec scripserat : « Quod autem sacramenta « corporis sui et sanguinis, in specie panis « et vini offerenda constituit, duplex ratio « est. Primum ut, etc... Deinde quomodo « panem de multis tritici granis in polli- « nem redactis per aquam confici, et per « ignem necesse est consummari; rationa- « biliter in eo figura accipitur corporis « Christi, quem novimus ex multitudine « totius humani generis unum esse cor- « pus effectum, per ignem Spiritus Sancti « consummatum... Similiter et sanguinis « ejus vinum ex pluribus acinis, id est « uvis vineae ab ipso plantatae, collectum, « in torculari crucis exprimitur, et per « capacia vasa fideli corde sumentium pro- « pria virtute fervescit » (*Sermo de Exodi lectione secundus*, P. L. 20, 860-861).

Post Augustinum usi sunt similitudine acinorum et granorum Latini om-

NES[1] quicumque ad saeculum usque XIII de eucharistia, data opera, scripserunt[2]. Secuti sunt scholastici, ut sanctus Thomas (3 S. 74, 1, c.)[3] aliique communiter. Nuperque Leo XIII, in literis encyclicis *Mirae Caritatis* (die 28 maii 1902) : « Adde quod vel signa ipsa, quibus hu« jusmodi constat sacramentum, perop« portuna conjunctionis incitamenta sunt. « Qua de re sanctus Cyprianus » etc.

In Oriente sanctus Chrysostomus consonanter : « Sicut enim panis, ex multis « granis constans, unitus est, ita ut grana « nusquam appareant, sed sint quidem « ipsa, non manifesta autem sit illorum « differentia propter conjunctionem : sic « nos et mutuo et cum Christo conjun« gimur » (*In I Cor.*, 10[17], hom. 24, 2. P.G. 61, 200).

Praeter Patres et doctores allegari possunt Liturgiae[4].

Illuc enim manifeste alludit oratio *Secreta* in solemnitate Corporis Christi : « Ec« clesiae tuae, quaesumus, Domine, uni« tatis et pacis propitius dona concede : « quae SUB OBLATIS MUNERIBUS MYSTICE « designantur. »

Sed retroactis saeculis multo disertius *Anaphora Serapionis*, post prolata super panem verba dominica, habet : « Sicut « hic panis dispersus erat supra montes « et collectus factus est in unum, ita et « Ecclesiam tuam sanctam collige ex omni « gente et omni terra et omni urbe et vico « et domo, et redde unam vivam catholi« cam Ecclesiam » (F. D. 2, 174).

Aetate autem proxime sequente compilator *Constitutionum Apostolicarum* (l. 7, c. 25, 3. F.D. 1, 410-412), dum de eucharistia utique videtur agere, hunc fidelibus tenorem orationis commendat : « Tu, Do« mine omnipotens, Deus aeterne, quem« admodum hoc erat dispersum, et cum « fuit congregatum, factus est unus panis, « ita congrega Ecclesiam tuam a finibus « terrae in regnum tuum. »

Porro noscitur illa pars *Apostolicarum Constitutionum* esse quaedam retractatio atque reconcinnatio vetustioris precationis, quae habetur in *Didache*, capite nono (F.P. 1, 20-22), ubi haec leguntur (c. 94) : « Sicut « hic panis fractus dispersus erat supra « montes et collectus factus est unus, ita « colligatur Ecclesia tua a finibus terrae « in regnum tuum, quoniam tua est gloria « et virtus per Jesum Christum in saecula. » Utrum ad eucharistiam pertineret, an ad agapas, caput istud nonum *Didaches* atque decimum, multum per triginta hos annos est disputatum. Sed nunc, edita diatriba Domini Cagin, *L'Eucharistia primitive et la Didache* (in *L'Eucharistia*, 1912, 2e partie, c. 8, p. 252-285), jam mihi videtur dubitatione omni carere exclusio eucharisticae indolis. Etenim *primo* quidem suasive ostendit Dom Cagin, ex comparatione cum capite 7 et 8 et cum capite 14 *Didaches*, vix posse in capite 9 et 10 agi de eucharistia (attenta scilicet serie et ordine sententiarum de Baptismo et praeambulo jejunio, c. 7 et 8 ; de solutione jejunii seu agapis, atque de laude intra agapas deferenda Deo a prophetis, c. 9 et 10 ; de prophetis amplius, c. 11, 12, 13 ; de coetu eu-

1. Notandus honoris causa auctor *Homiliae de corpore et sanguine Domini*, quae inter epistulas sancti Hieronymi duodequadragesima computatur (cap. 10-11. P.L. 30, 275). Alios scriptores enumerare otiosum foret, siquidem, ut dixi, nemo excipitur.

2. Decretalis epistula Innocentii III ad Joannem quondam archiepiscopum Lugdunensem extracta est, magnam partem, ex libro 4 *de sacro altaris mysterio*, c. 36 (P.L. 217, 879). Quo in libro externum signum connectitur cum corpore mystico : 1° mediante corpore Christi, per primum significato et significante tertium ; 2° ratione suae compositionis ex multis granis vel acinis. Haec posterior explicatio non transiit in epistulam decretalem (P. L. 214, 1121).

3. « Panis et vinum sunt materia conveniens « hujus sacramenti. Et hoc rationabiliter... « Quarto, quantum ad effectum respectu totius « Ecclesiae ; quae constituitur ex diversis fide« libus, sicut panis conficitur ex diversis granis, « et vinum fluit ex diversis uvis » (3 S. 74, I, c. Cf. 3 S. 79, 1, c.).

4. Quod quibusdam liturgicis textibus non tam militantis Ecclesiae in terris, quam triumphantis in coelis forte perhibetur significari unitas, ad rem in praesens disputatam minimi refert : eo vel magis quod, ut diximus (Elucid. XXXVIII), est res adaequata eucharistiae non terrena Ecclesiae conversatio, sed utique corpus ecclesiasticum Christi in coelis congregandum.

charistico in die dominica habendo, c. 14, cum transitu ad episcopos et diaconos idcirco constituendos, c. 15). *Secundo*, quod majus est, peremptorie demonstravit, ex comparatione cum sex formis veterum *Canonum* (i. e. cum canonibus Veronensibus, Copticis, Sahidicis, Hippolyti, Aethiopicis, Arabicis), certissime agi de agapis in capite nono et decimo *Didaches*, sicut in *Canonibus*, ubi parallela prorsus reperitur descriptio agaparum, expresse ab eucharistia distinctarum, exhibentiumque et inversionem calicis ac clasmatis (cf. *Didache*, 9, 2), et exclusionem catechumenorum (cf. *Didache*, 9, 5). *Tertio*, ex comparatione cum *Constitutionibus Apostolorum*, 7, 25, ubi tales mutationes subiit textus *Didaches*, ut, demptis quae sonarent agapas, adderentur quae sonarent eucharistiam, evicit profecto, non esse visum ipsi compilatori caput nonum et decimum *Didaches* aptum per se ad significandam eucharistiam prae agapis[1].

Quod si caput nonum et decimum *Didaches* non est de eucharistia, nihil ibi certe prae se fert sacramentale comparatio granorum cum Ecclesia, sed de communi pane procedit, orta quippe probabiliter ex precibus apud Judaeos usitatis ad mensam (cf. Berning, *op. cit.*, 1901, p. 235 ; J. Réville, *Les origines de l'Eucharistie*, 1908, p. 51-53).

Nec proinde mirum, quod longo etiam post tempore (circa A. D. 370 ?), auctor opusculi *De virginitate*, quod nomine Athanasii est inscriptum, haec praecipiat (cap. 13. P.G. 28, 265) : « Cum in mensa sederis, « coeperisque frangere panem, ipso ter « consignato signo crucis, ita gratias age : « Gratias tibi agimus, Pater noster, de « sancta resurrectione tua, quam per « Jesum Filium tuum nobis manifes- « tasti ; et sicut hic qui supra mensam « est panis, dispersus olim et coactus, « factus est unum ; sic congregetur Ec- « clesia tua a finibus terrae in regnum « tuum, quia tua est virtus et gloria in « saecula saeculorum. Amen. » Ubi sane de vulgari mensa sermo est.

Qui symbolismus, si de communi pane erat in usu, quidni ad consecratum panem transferretur libere ? Immo pronum erat, ut quibusdam certe locis in liturgiam eucharisticam atque in eucharisticam catechesim inveheretur : quin tamen quicquam ibi, magis quam alibi, enuntiaret sacramentaliter accipiendum, sed humanitus tantum inventum, pium celeroquin et pulchrum[2]. Quod nobis videtur factum, et fortasse quidem primum, a Serapione, quantum ad usum liturgicum, atque a Cypriano, quantum ad usum didacticum. Facileque explicatur, cur tam late serpserit tantumque valuerit ista comparatio, ut loci communis vim in exponenda evolvendaque eucharistia obtineret.

Quicquid sit, quaecumque moles testimoniorum oggeratur, non videmur posse adigi ad considerandum istum symbolismum tanquam proprietate sacramentali gaudentem ; immo cogimur eum habere pro non sacramentali : ut jam ostendetur per partes.

Articulus II. — Istius symbolismi indoles sacramentalis non constat.

Et primo quidem, sacramentalis indoles non constat. Quod probatur ex variis paritatibus.

Prima paritas est TEMPERATI CALICIS.

Antiquius jam quam comparatio inter grana et Ecclesiam usitata est in materia eucharistica comparatio inter aquam admixtam vino in calice et populum Christo per eucharistiam adunatum.

Insinuatur enim haec ab Ignatio (*Ephes.* 5, 1. F.P. I, 216) : ὑμᾶς μακαρίζω τοὺς ἐγκεκραμένους οὕτως [τῷ ἐπισκόπῳ ὑμῶν], ὡς ἡ Ἐκκλησία Ἰησοῦ Χριστῷ. Unio enim sive inter Ecclesiam et Christum sive inter Ephesios et episcopum effertur voce (ἐγκεκραμένους), ex temperamento calicis translata.

1. In contrarium, etiam hodie, Batiffol (*Eucharistie*[5], p. 60).

2. Explicationem non valde dissimilem videsis apud K.K.G. Goetz, *Die heutige Abendmahlsfrage*, 1907, p. 292.

Indicatur ab Irenaeo (*Adv. Haer.*, 5, 1, 3. P.G. 7, 1123) carpente Ebionaeos (aquarios) ob negatam Christi deitatem : « Vani autem et Ebionaei, unitionem Dei « et hominis per fidem non recipientes in « suam animam... Reprobant itaque hi « commistionem vini coelestis, et solam « aquam saecularem volunt esse, non reci- « pientes Deum ad commistionem suam. »

Indicatur a Clemente Alexandrino, in vino et aqua aiente designatum temperamentum Spiritus Verbi et potantis hominis (*Paedag.* 2, 2. P.G. 8, 409-412. Vide supra, Elucid. XVIII)[1].

Sed potissimum enuntiatur ab ipso Cypriano, iisque verbis, quibus tantum non commendetur sacramentalis proprietas atque necessitas : « Videmus in aqua popu- « lum intelligi, in vino vero ostendi san- « guinem Christi. Quando autem in calice « vino aqua miscetur, Christo populus adu- « natur, et credentium plebs ei in quem « credidit copulatur et conjungitur. Quae « copulatio et conjunctio aquae et vini « sic miscetur in calice Domini, ut commix- « tio illa non possit ab invicem separari. « Unde et Ecclesiam, id est plebem in « Ecclesia constitutam, fideliter et firmiter « in eo quod credidit perseverantem, nulla « res separare poterit a Christo, quominus « haereat semper et maneat individua di- « lectio. SIC autem in sanctificando calice « Domini OFFERRI AQUA SOLA NON PO- « TEST, QUOMODO NEC VINUM SOLUM « POTEST. Nam, si vinum tantum quis « offerat, sanguis Christi incipit esse sine « nobis; si vero aqua sit sola, plebs inci- « pit esse sine Christo. Quando autem « utrumque miscetur, et adunatione con- « fusa sibi invicem copulatur, tunc sacra- « mentum spiritale et coeleste perficitur. « Sic vero calix Domini non est aqua so a « aut vinum solum, nisi utrumque sibi « misceatur » (*Ep.* 63, 13. P.L. 4, 383-384).

Post medium autem quintum saeculum symbolismus temperamenti semper processit aequo passu apud scriptores ecclesiasticos[2] cum symbolismo granorum atque acinorum ; apud quosdam autem, sermone non minus acri quam apud ipsum Cyprianum[3].

Praeterea in liturgia nostra multo celebrius quam grana aut acini evolvitur mystice ista mixtio aquae et vini : cottidie orante sacerdote super aquam : « Da nobis « per hujus aquae et vini mysterium ejus « divinitatis esse consortes, qui humani- « tatis nostrae fieri dignatus est parti- « ceps. »

Quin et isti symbolismo commendatio accedit *Decreti pro Armenis* (D., 698), et, quod majus est, auctoritas *Tridentinae Synodi* (*ibid.*, 945 ; cf. 956). Ad defendendum autem ipsum ritum mixtionis, appellat Synodus Tridentina exemplum Christi *(ibid.)*, sicut antea appellarant : Synodus oecumenica sexta (can. 32. P.G. 137, 616-617), Concilium Carthaginense (A. D. 393, can. 23. P.L. 56, 426), atque *Liturgia graeca Sancti Jacobi* (B. 52), *Oratio eucharistica Domini et Salvatoris Nostri Jesu Christi* (L. B., vol. 2, 572), *Testamentum Dni N. J. C.* (ed. Rahmani, 43), *Liturgia Const. Apostol.* (8, 12, 37. F. D. 1, 508) aliaeque liturgiae posteriores multae, et Patres vetustissimi : Cyprianus (*Ep.* 63, 4-5. P.L. 4, 377-378), Clemens Al. (*Paedag.*, 2, 2. PG. 8, 409), Irenaeus (*Adv. Haer.*, 4, 32. 2. P.G. 7, 1073).

Quidnam gravius tandem desiderari potest ? Multo praestat granorum symbolis-

1. Quare, attentis tribus illis auctoritatibus Clementis, Irenaei, Ignatii, parum mihi probatur quod scripsit nuperrime Rev[mus] P. Batiffol (*Leçons sur la Messe*, Paris, 1919, p. 150) : « Le même saint Cyprien est le premier « à voir une raison symbolique à ce mélange « d'eau et de vin dans le calice. »

2. Horum nonnullos videsis citatos apud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. 1, c. 3, art. 7, n. 29 : quibus facile alii addi possent plurimi, ut auctor *Homiliae de corp. et sang. Christi* (c. 8-9. P.L. 30, 274-275 ; Beda, in *Luc.* 22[20]. P.L. 92, 597) ; Paschasius Radb., *Lib. de corp. et sang. Domini*, c. 11. P.L. 120, 1307-1310 ; etc., etc. Anselmus Havelbergensis, *Dialog.*, lib. 3, cap. 20. P.L. 188, 1242, etc., etc.

3. Lege verbi gratia S. Eutychium C. P., *De Paschate et SS. Eucharistia*, n. 6. P.G. 86 *bis*, 2397.

mo symbolismus temperamenti, spectata testimoniorum antiquitate aut sollemnitate, necnon accedente ritus ipsius auctoritate dominica. Attamen quid sentiunt theologi, coaetanei certe nostri, omnes? Respondeat pro ceteris Pesch: « Hanc « aquae admixtionem non esse de necessi- « tate sacramenti omnes concedunt, et « constat ex *Missali* (De defect. IV, n. 7)... « Neque dicendum est esse praeceptum « divinum, tum quia probari nequit, tum « quia *Conc. Trid.*, dicit, sess. 22, c. 7: « Monet sancta Synodus praeceptum esse « ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino « in calice offerendo miscerent » (*Praelect. dogmat.*, 1896, t. 6, n. 763)[1].

A pari igitur concludimus, immo a fortiori, non posse nos cogi symbolismum granorum, minore pondere testimoniorum obfirmatum, habere pro sacramentali.

Paritas altera est MIXTAE CUM FARINA AQUAE.

Cujus mixtionis sensus idem a Patribus traditus est atque temperamenti. Praeterquam enim quod indicatur aliqualiter ab Irenaeo (*Adv. Haer.* 3, 17, 2. P.G. 7, 930), certe praedicatur a Cypriano (*Ep.* 63, 13. P.L. 4, 384): « Sic vero calix Do- « mini non est aqua sola aut vinum solum, « nisi utrumque sibi misceatur, QUOMODO « nec corpus Domini potest esse farina sola « aut aqua sola, nisi utrumque adunatum « fuerit et copulatum et panis unius com- « page solidatum. Quo et ipso sacramento « populus noster ostenditur adunatus. »

Sequitur Augustinus (sermonibus supralaudatis), conspersioni addens concoctionem. Pariter S. Gaudentius (*loc. cit.*) atque auctor *Homiliae de corpore et sanguine Christi* (c. 10. P.L. 30, 275), aliique deinceps plurimi, usque ad Innocentium III (*De sacro altaris mysterio*, 4, 4. P.L. 217, 857)[2].

Huc accedit, quod ipse color specierum, puta panis candor, est ad eumdem scopum designandi corporis mystici, simul atque pluralitas granorum, accommodatus (v. g. in eadem *Homilia de corp. et sang. Chr.*, loc. cit.); sicut postea accommodatus est rubor vini ad designandum sanguinem Christi (Innoc. III, *op. cit.*, 4, 36, col. 879).

Non magis porro quam pro istis symbolismis urget necessitas in symbolismo granorum quicquam agnoscendi sacramentale.

Tertia paritas est AZYMI.

Cujus significationem quamdam liturgicam videtur ipse persequi Paulus, *I Cor.*, 5^{7-8} (cf. supra, Elucid. IV)[3]; quam medio aevo coluerunt, una cum superioribus « figurationibus », Alcuinus (*Ep.* 90. P.L. 100, 289), Rabanus Maurus (*De cleric. instit.*, l. 1, c. 31. P.L. 107, 318-320), Paschasius Radbertus (*Lib. de corp. et sang. Dom.*, 20. P.L. 120, 1331-1332). Deinde, excitata a Graecis controversia de azymorum usu, extulerunt inter Latinos congruitatem azymorum symbolicam, praeter Domi-

1. Mirum hac aetate nostra videtur quod scribebat sexto decimo saeculo jam fere elapso Bellarminus: « Utrum autem sine aqua « sacramentum consistere possit, non est adeo « certum » (*De sacram. Euchar.*, l. 4, c. 10).

2. In usu etiam erat istius symbolismi praedicatio atque defensio apud Armenos, ut colligitur ex epistula illa adversus eos scripta, auctore (ut fertur) quodam Meletio, quae exhibetur inter opera sancti Joannis Damasceni. P.G. 95, 392.

3. Quanquam minime credo fuisse jam inde ab apostolorum temporibus usitata azyma prae fermentatis, neque in Oriente neque (ut putabant plerique nostri mediaevales) in Occidente. Immo probabilius solebant ubique conferri a fidelibus in sacrificium genera illa panum, quaecumque prae manibus habebant (videsis Le Quien, *Dissert. Damascen.* 6, c. 29 sq. P.G. 94, 391 sq., praeter nitidam lucubrationem Domini Parisot, D. T. C., art. *Azyme*). Sed inde jam fit probabile, primis apostolicarum ecclesiarum temporibus esse PER DIES PASCHAE adhibita ad usum liturgicum azyma, aut ubique, aut certe plerisque locis: propter Legem, cui satius erat congruere Judaeos, si qui interessent.

Tunc vero conjici potest praevaluisse apud nos azymum, cum paulatim obsolescente populari panum consecrandorum oblatione, penes clericos jam fere fuit solos operam dare confectioni oblatarum; quas tanto habitas esse decentiores, quanto et mundiores, et ab usu vulgari remotiores, et minutarum particularum divisioni accommodatiores.

Ex persuasione autem apostolicae antiquitatis orta est, reor, atque in scholis robur obtinuit sententia theologorum moralium prohibentium sacerdoti Latino consecrationem fermentati,

nicum Gradensem (*Epist. ad Petr. Antiochenum*, P.G. 120, 753), Humbertum cardinalem (*Adv. Graecorum calumnias*, c. 31; *Contra Nicetam*, c. 19. P.L. 143, 950 et 991), S. Anselmum Cantuariensem (*De azymo et fermentato*, 1 et 4; *De sacramentorum diversitate*, 2. P.L. 158, 541, 544, 549), S. Brunonem Signiensem (*De sacrificio azymo*, P.L. 165, 1087) et Algerum (*De sacram. corp. et sang. Dom.* 2, P.L. 180, 827), quorum singuli approbant fermentatum: etiam S. Leo IX (*Ep.* 102. P.L. 143, 775), atque Anselmus Havelbergensis (*Dial.*, 3, 17-18. P.L. 188, 1234-1239), paullo rigidiores ambo[1]; tandemque, ceteris severior[2], Innocentius III (*op. cit.*,4, 4. col. 854-858).

Attamen nequaquam habet prae fermentato azymus panis vim sacramentalem. Unde idem rursus conficitur argumentum quod supra.

Articulus III. — Excluditur ista sacramentalis indoles.

Non ex uno capite excluditur.

Excluditur *primo*, spectato ipso symbolismo. Quantacumque enim a theologis tribuatur Ecclesiae potestas in determinanda elementa sacramentorum concreta, tamen omnes concedunt in baptismum et eucharistiam nihil illam posse. Non potest igitur efficere Ecclesia, ut eucharistia stet, ubi deficiat ullum ex elementis, quibus aliquando competat constituere (sive ex parte materiae sive ex parte formae) sacramentale signum. Porro stat eucharistia, deficiente symbolismo granorum aut acinorum. Etenim symbolismus ille requirit pluralitatem acinorum vel granorum; eucharistia autem stat, etiam ex uno grano confecta, aut ex uno acino pressa. Ergo non est sacramentalis talis symbolismus.

Excluditur *secundo*, spectato corpore Christi. Si enim symbolismus iste esset sacramentalis, interiret sacramentalis utilitas corporis Christi in eucharistia. Quo modo enim significant signa sacramentalia, eo modo operantur, quippe quae significando causent. Si ergo elemento sensibili per se sumpto immediate significetur ecclesiastica unitas, quae est ipsa res sacramenti ultima, tunc etiam ipsomet directe et immediate, seclusa consideratione corporis Christi, causatur. Causata autem immediate unitate ecclesiastica per signum sensibile, tollitur e medio sacramentalis utilitas corporis aut sanguinis Christi. Christi enim sive sanguis sive corpus in sacramento has habet tandem partes, ut datum per modum cibi et potus sacrificalis incorporet sibi fideles spiritualiter, id est secundum communitatem vitae sanctitatisque consortium : in quo consistit ecclesiastica unitas. Quod si effectus hujusmodi attingitur per species, nullo transitu facto per corpus Christi, cui bono jam corpus Christi putandum est inservire? Nonne otiatur? Immo quidni dicas exsulare? Nihil enim otiosum facit Deus. Pervenitur igitur hac via ad eliminandum corpus Christi a sacramento, plus quam ipse somniarat Gerhohus : scilicet non solum ut veritas, sed etiam utilitas sacramenti nullam requirat praesentiam Christi realem.

At responderit quis : Immo requiritur corpus sanguisque Christi et ad utilitatem et ad veritatem sacramenti. Nullum enim verum sacramentum est de se inefficax.

etiam in casu, quo, deficiente azymo, non possit aliter christianis morti proximis (puta instante bellica strage) viaticum apponi. Quae sententia miror si non posteris nostris videatur esse rigidior. Interim liceat revocare principium, quo in relaxando jejunio eucharistico sivit se S. C. Concilii (15 decemb. 1906) dimoveri a vetere disciplina, jam minus nostris temporibus congrua. « Lex itaque jejunii, utpote « ecclesiastica, urgenda non nimium videtur, « nec unquam ita, ut videatur pugnare cum « jure fidelium recipiendi sacramenta » (*Actes de SS. Pie X*, ed. Questions Actuelles, t. 3, p. 272).

1. Quanquam neuter absolute reprobat fermentum. Vide notanter Leonis Ep. 100, c. 29, col. 764.

2. Expresse docuerat interea Gregorius VII (*Epistol.*, l. 8, ep. 1. P.L. 148, 573) non esse reprobandum aut vituperandum fermentatum.

Efficacia autem accedit speciebus ex latente corpore Christi.

Sed praepostera est ista solutio : ut causalitas specierum censeatur, respectu gratiae, immediata, mediata autem censeatur causalitas corporis vel sanguinis Christi. Eodem pacto enim et ordine elementa in sacramentis causant, quo significant : significando enim causant, ut centies dictum est. Si igitur corpus Christi produceret suum effectum mediantibus speciebus, etiam mediantibus speciebus suum effectum significaret : hoc est, corpus Christi esset signum specierum, sicut species forent signa gratiae. Qui ordo est nimis praeposterus : cum nequeat corpus Christi esse signum ullius rei sensibilis, et multo minus signum sui signi ; sed omnino, significatum per symbola sensibilia, debeat rursus significare aliam rem, utique intellegibilem et sacram, quae est unius in Christo corporis aedificatio. Organica est hujus sacramenti constitutio, non chimaerica. Sed omnino standum determinationi nostrorum doctorum : « Substantia corporis et « sanguinis Christi... est... res primi, quia « significatur et continetur a primo, videlicet a forma visibili ; et est sacramentum tertii, quia significat ET EFFICIT « tertium, videlicet unitatem ecclesiasticam » (Innoc. III, supracit.). Nec amplius corpus Christi causat aut significat quicquam mediantibus speciebus, quam mediante ritu baptismali character gratiam aut significat aut causat.

Attamen, cum non significet aut causet corpus sanguisve Christi gratiam sacramentalem, nisi in quantum substans designationi specierum, ex qua acquirit rationem cibi atque potus[1], verissimum est, quod dicunt doctores : *rem tantum* designari utroque sacramento et visibili et invisibili, sacramentum autem visibile esse signum utriusque rei, scilicet *rei et sacramenti* et *rei tantum*, ordinate tamen : sicut et in ceteris sacramentis.

Sic verbi gratia Bessarion (*De sacramento eucharistiae*. P.G. 161, 495) : « In « sacramento eucharistiae alterum est solum signum, ut panis et vini visibilis « species ; alterum res significata, ut ipsum « verum Domini corpus et sanguis, quod « ex immaculatis beatae Virginis sanguinibus assumpsit... Verum Domini corpus « et sanguis, cum res sit signo panis et « vini significata, ut mox ostendemus, « est tamen alterius rei signum, cum « significet mysticum Christi corpus et « Ecclesiae in Spiritu Sancto unitatem ; « hoc vero non amplius aliam rem significat, sed tantum significatur. ITA FIT, « ut visibilis simul ac sensibilis species « panis et vini DUPLICIS REI SIGNIFICATRIX sit : significat enim et verum corpus Domini,... et mysticum Ecclesiae « corpus. Quare panis et vinum signum « est duntaxat ; ipsum autem verum « Christi corpus et sanguis, quod sub « umbra tegitur panis et vini, significatum quidem a pane et vino, significans autem mysticum Ecclesiae corpus, et res est et signum. Mysticum « vero EX UTROQUE significatum, res tantum est, nec ultra alterius signum. « Praeterea[2], quod tantum signum est, « duarum rerum est signum, veri scilicet « et mystici corporis. Quod autem res est, « et non amplius signum, duorum sacrorum signorum res est, hoc est visibilis « speciei panis et vini, et veri in eis contenti corporis Domini ».

Sic antea Innocentius III in sua *Decretali*, loco supra (Elucid. XL) recitato : « Primum est sacramentum geminae rei. « Tertium vero, res gemini sacramenti. »

Respectu igitur gratiae, ea est demum causalitas symbolorum sensibilium, ut nobis admoveant, significatum per modum cibi atque contentum, corpus sanguinemve Christi, signum et causam nostrae spiritualis adunationis ad victimam sanctam

1. «...sumpta proprietate significandi a na« tura specierum visibilium... », ut superius (Elucid. XL) ex Balduino Cantuariensi audivimus.

2. Fortasse legendum est : propterea.

et sanctificantem, vivam et vivificantem. Quia autem non admovetur nobis corpus Christi nisi sub sensibilibus symbolis, ideo aliquando dictum est a nostris doctoribus non causare gratiam nisi per species : non quasi inter corpus Christi et effectum suum medient species, sed quia nonnisi per species nos conjungimur sacramentaliter sacrificali cibo aut potui, immediate jam ex sese nostram sanctitatem figuranti atque operanti.

Quare recte Cajetanus invehitur in modernos, qui velint ad species se habere corpus Christi ut ad instrumenta[1]. « In « divinis sacramentis, inquit, *oportet sapere* « *ad sobrietatem*, non excedendo limites « patrum nostrorum. Accepimus autem ex « Ecclesiae doctrina incomprehensibilem « ac ineffabilem conjunctionem Christi et « specierum sacramentalium sub ratione « continentis et contenti veraciter prae- « sentis, et signi et signati, et hujusmodi ; « et non secundum rationem agentis et « instrumenti : et propterea voces hujus- « modi, tanquam profanae novitates vitan- « dae sunt » (in 3 S. 80, 12, quaest. 2). Recte etiam Bellarminus : « Species « illae significant quidem cibum spiritua- « lem, sed non sunt ipsae cibus spiri- « tualis ; et proinde non reficiunt, nec « sustentant animam, atque adeo non « sunt causa gratiae » (*De sacram. euchar.*, l. 4, c. 6). Nostra autem aetate cardinalis Franzelin consonanter : « Neque in « speciebus alia dignitas et virtus ad « gratiam conferendam, distincta a Christi « corpore sub iis contento, cogitanda esse « videtur... Sed tota sacramentalis virtus « est ipsum Christi corpus et sanguis. « Quare species per se consideratae signi- « ficant quidem gratiam, sed conferendam « per corpus Christi, quod sub iis contine- « tur » (*De SS. Euchar. sacram.* 1868, p. 281-282)[2]. Scilicet gratiam significant, in quantum significant corpus Christi, quod est pignus et causa nostrae gratiae.

Esto igitur species sint NOBIS quaedam veluti instrumenta ad capessendum intusque suscipiendum corpus Christi tanquam cibum ; at non sunt CORPORI CHRISTI instrumenta, quorum ope efficiat gratiam. Mediant inter nos et cibum coelestem; non autem inter cibum coelestem et effectum vitae.

Excluditur *tertio*, spectato sacrificio.

Ut saepe dictum est, in tantum est sanctificans eucharistia, in quantum est hostia sacrificii ; estque sacrificii partus omne bonum per eucharistiam derivatum. Jam vero granorum aut acinorum symbolismus nulla ex parte connectitur sacrificio : neque enim spectat ad id quod offertur, quod est corpus et sanguis Christi ; neque spectat ad actionem offerendi, quae tota clauditur immolatione symbolica hostiae. Fructus igitur sacramenti nequaquam rationari censendus est per istiusmodi symbolismum. Habesque hic tandem rationem ultimam et maxime radicalem, cur symbolismo illi abjudicanda sit indoles sacramentalis : quia nequit admitti, nisi eversa tota oeconomia nostri primarii sacramenti ; cujus id proprium est, ut in tantum sit sacramentum, id est sanctificans, in quantum est sacrificium, id est hostia[3].

Excluditur *quarto*, spectata mente fidelium.

In ignorantia crassa nimis mysterii jacerent fideles, si symbolismus sacra-

1. In hoc videntur decipi illi, quod revera species, quicquid agunt, agunt ut instrumenta Christi : sed non quatenus contenti sub speciebus, et quidem per modum hostiae ; verum quatenus adhibentis species per suum ministrum, in quantum est Summus Sacerdos, qui etiam per suos ministros adhibet cetera signa sacramentalia. Immo praesentia Christi sub speciebus est ratione et natura posterior instrumentali actioni specierum ; cui, ut patet, prior est causalitas sacerdotalis Christi.

2. Interea videas in oppositam partem Suarezium, disp. 42, s. 3, n. 9, et Lugonem, disp. 1, s. 2, n. 22.

3. Cum dicit Augustinus sacrificium nostrum esse unitatem (« Hoc est sacrificium chris- « tianorum : multi unum corpus in Christo », *Civ. Dei*, l. 10. c. 6. P.L. 41, 284), intellegit non sacrificium active sumptum, sed passive, quod nos vocamus sacramentum ; nec rursus sacramenti rem contentam et sanctificantem, sed sanctificantis rei contentae effectum, ut notatum est supra (Elucid. XIX).

mentalis eucharistiae, respectu nostrae ad Christum aggregationis et congregationis in Christo, desumendus esset ex parte granorum aut acinorum : nam plerique illorum nunquam hac de re cogitaverunt, nostris certe temporibus. Sed cogitant multum de sua spirituali unione ad Christum, in qua revera continetur communio christianorum inter se. Sufficiat igitur id quod omnibus fidelibus est notum et obvium ; et recedat illud quod nemini nisi literato viro unquam occurrit a Patribus commendatum. Recedat inquam, a sacramentali eucharistiae proprietate, quanquam utiliter admodum et pie, ut diximus, per modum comparationis humanitus inventae atque excultae, adhiberi potest ad illustrandum mysterium, ut nuper videmus factum a Leone XIII.

Elucidatio XLIV.

Ex indole eucharistiae sacrificali salvatur et formalis unitas sacramenti in speciebus duabus, et in singulis integritas.

Sectio III. — De habitudine unius speciei ad alteram ut consignificantem.

Quaeri potest, quomodo se habeat sacramentum sub una specie ad sacramentum sub altera : utrum tanquam sacramentum unum ad sacramentum alterum, an ut pars una sacramenti ad alteram sacramenti partem.

Utrinque ambages. Nam, si dixeris primum, non solum offendis in septenarium numerum sacramentorum, duabus jam exsistentibus eucharistiis, quarum neutra alteri subordinetur ; sed in scopulum incidis multo periculosiorem blasphemiae : positis enim duobus sacramentis, necesse est ut altero ex duobus priventur totaliter in Ecclesia latina fideles : quod dici nefas est. Salvanda est igitur omnino[1] formalis UNITAS sacramenti in speciebus DUABUS exsistentis.

At si hoc membrum elegeris, ecce in alteram difficultatem impinges, adversante tibi communi fidelium et doctorum sensu. Etenim solet eucharistia haberi in singulis speciebus tanquam integrum sacramentum. Et hoc quidem dupliciter : *primo*, quantum ad id quod est *sacramentum tantum*, ut patet « ex communi usu et « locutione, nam qui suscipit speciem « panis non dicitur suscipere partem sa« cramenti, sed simpliciter totum sacra« mentum », ut optime[2] dicit Suarez (disp. 39, S. 3, n. 1). Non scilicet homo dicit : Recepi partem eucharistiae, sed recepi eucharistiam. *Secundo* autem, quantum ad id quod est *res tantum*, ut fert communis[3] sententia, validissimis[4] innixa rationibus (videsis Card. Billot, *De Sacramentis*[4], 1, 315-316). Salvanda est igitur INTEGRITAS sacramentalis in speciebus SINGULIS.

Hinc maxima difficultas : in componenda scilicet integritate sacramentali singularum specierum cum unitate formali ambarum. Si quidem, ut ait sanctus Thomas (4 D. 8, 1, 1, 2, 5m), « ex duobus per« fectis non fit aliquid unum ». Ea igitur est unitas complexus assignanda, quae compatiatur secum elementorum integritatem.

In cujus unitatis venatione, alii procedunt ex consideratione absoluta Christi eucharistiae substantis : sive arguunt ex sufficientia utriuslibet speciei ad conti-

1. Quanquam obsistunt paucissimi, ut Aureolus, apud Capreolum (in 4 D. 8 et 9, q. a, art. 2, § 2).

2. Contradicunt tamen quidam, ut Durandus Mimatensis (*Rationale*, l. 4, c. 54, n. 13), Vasquez (disp. 148, c. 1, n. 9), Lugo (disp. 2, s. 1, n. 12), Salmanticenses (disp. 2, dub. 3, n. 47), et Billuart (dissert 2, a. 2, in responsione prima ad primam instantiam contra primam solutionem), sed immerito, ut concludetur infra.

3. Obsistunt tamen nonnulli, inter quos Vasquez (disp. 215, c. 2-3), Lugo (disp. 12, s. 2), Salmanticenses (disp. 10, dub. 4, n. 52): cohaerentes quidem superiori suae sententiae circa *signum tantum*, siquidem excessus in significando importat excessum in causando, ut ipsi argumentantur (Vasq. n. 8, Lug., n. 69, Salm. n. 53), ex eo quod sacramenta illud causant, quod significant ; at fatentes interea : « Sententia « nostrae assertioni contraria est valde com« munis » (Salm., n. 60) « Communis sententia « negat » [praedictum excessum] (Lug., n. 67; cf. Vasq., n. 1-2). Communem autem sententiam tuentur Cajetanus et Sotus, Toletus et Bellarminus, Valentia et Suarez, Gonet et Billuart, etc.

4. Praecipuae rationes sunt duae. *Primo*, multum laederet Ecclesia fideles, si eos privaret fructu gratiae correspondente potationi calicis. *Secundo*, non apparet quomodo aliter satisfiat Christo, fructum potationis aeque necessarium pronuntianti ac fructum manducationis, dum ait : *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Omnino autem satisfit, si per unum modum sumptionis procuratur fructus alterius ipsemet. Quo etiam posito, Christus sibi ipse cohaeret dicens, jam nulla mentione facta sanguinis : *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Quare jure meritoque Bellarminus *(loc. cit.)* : « Est tamen nostra sententia atque « assertio communis et probabilissima, adeo ut « simpliciter asseri, et ex pulpito in concione ad « populum proponi possit. »

nendum totum Christum, sive ex insufficientia alterutrius ad designandum totum Christum.

Juxta priorem modum, unitas repetitur ex praesentia unius ejusdemque Christi totaliter sub utralibet specie contenti (sic Robertus Pullus, *Sententiarum* lib. 8, cap. 3. P.L. 186, 964 ; atque post ipsum plurimi). Sed obest, quod integritas Christi sub utralibet specie non est ex *vi verborum*, id est ex significatione formali symbolorum, sed ex concomitantia naturali, quae sacramentalem eucharistiae rationem per se non afficit. Immo dicendum est, in eadem conditione versari sacramentum, *ut tale*, nunc atque in triduo mortis, si esset ex coena reservatum. Si nunc unitas sacramenti desumitur ex identitate rei utrobique contentae, unde desumebatur tunc, cum non contineretur utrobique eadem res, sed corpus solum sub specie panis, et sub specie vini solus sanguis ?

Juxta alterum modum, unitas repetitur ex designatione, nonnisi per complexum duarum specierum adaequata, Christi ut constantis ex carne et sanguine. Sic inter alios Brancatus, in 4m *Sententiarum*, disp. 17, art. 4, n. 66-67, tom. 1, p. 448-449. Sed rursus non satisfacit ista solutio. Nam, ea admissa, non apparet quomodo sub utralibet specie prostet integrum sacramentum. Non enim per unam speciem poterit dici Christus adaequate designatus ut constans ex carne et sanguine. Sicut igitur non erit sub una specie nisi pars designationis integrae, sic nec nisi pars erit integri sacramenti[1].

Quapropter alii, post S. Thomam (3 S. 73, 2), rem penitius inspicientes, non sistunt in consideratione absoluta Christi, veluti in ordine ad seipsum spectati, sed relative, in quantum rationem habet convivii nobis parati.

Sed hinc rursus in duas abiri potest sententias. Potest enim sisti in ratione convivii generice sumpti ; potest autem transiri ad rationem specialiorem convivii sacrificalis.

Secundum priorem considerationem sic arguitur. Convivium, ut tale, non est perfectum nisi constet ex solido et liquido : ut et comessationis simul et potationis adsit materia. Data autem est eucharistia per modum convivii perfecti. Ad unum igitur convivium eucharisticum constituendum concurrunt simul et species panis et species vini. Hinc unitas formalis sacramenti.

Integritas autem sacramentalis singularum specierum oboritur ex spiritualitate hujus convivii, qua importatur ipsius in significando atque in causando indivisibilitas. Non enim in spirituali coena, sicut in corporalibus, fit refectio successive « per « additionem bucellae ad buccellam, vel « solidi ad liquidum » (Card. Billot, *op. cit.*, p. 316), sed statim atque de mensa sacra sumptum est aliquid, tota jam refectio est facta, atque integrata participatio perfecti convivii, etiamsi una species sit sumpta : non quod significet una seorsim species per seipsam convivium perfectum, sed quia, secundum ordinem sibi divinitus inditum ad alteram speciem ut consignificantem, semper « communicat in indivisibili significatione « totius » (Card. Billot, *ibid.*).

Sed nec videtur sufficere ista solutio. Recte enim dixerit quis, consequens quidem esse ex spiritualitate convivii, ut refectio non perficiatur successive per additionem *buccellae* ad *buccellam*, vel guttae ad guttam, non tamen esse consequens, ut participetur convivium TANQUAM PERFECTUM sine additione *solidi* ad *liquidum*. Et ratio discriminis est in promptu : quia diversitas penes quantitatem materialem certissime non afficit signi valorem, aut spiritualis effectus integritatem. Sed alia est conditio partium quantitativarum, quae sunt ejusdem rationis, alia partium essentiae, quae sunt diversae rationis. Partes enim essentiae requiruntur ad consti-

1. Nisi forte cum Jacobo Naclanto (*De communione corporis et sanguinis Christi*. Opera omnia, tom, 1, p. 537. Venet. 1567) dicas, plus per unam sacramenti speciem effici quam significetur. Quo œconomia gratiae sacramentalis subruitur.

tutionem signi, proindeque et valorem afficiunt. Quare, semel posito eucharistiam in aliqua ratione sibi essentiali perfecti convivii constitui formaliter per conjunctionem solidi et liquidi, non apparet quomodo utriuslibet elementi sumptione tota eucharistia percipiatur[1].

Appellas ordinem liquidi ad solidum, ut partis ad compartem, aut vice versa. Sed quomodo ex mutua habitudine partium inter se, ut componentium aliquid unum in genere convivii perfecti, statim sequatur, alteram semper et causare et significare cum consortio atque virtute alterius, nequaquam tamen adhibitae, neque secundum rem neque secundum propositum : parum certe intellegitur. Nonne verendum tibi erit ne jam quaelibet pars constitutiva cujuslibet sacramenti ex suo ordine ad compartem censeatur et ipsa statim sacramentalem effectum, et quidem integrum, inducere ?

Respondes : distinguendum esse inter sacramentum permanens, quod perficitur in consecratione materiae, ut est eucharistia, et sacramentum successivum, quod perficitur in materiae usu, ut est extrema unctio. Sacramentum enim permanens, eo ipso quod est consecratum, exsistit extra nos integrum in duplici sua specie, etiamsi utentibus nobis applicetur tantum per unam speciem. E contra partes successivi sacramenti non exsistunt priusquam adhibeantur. Quare potest usus unius partis esse applicatio totius sacramenti permanentis, non autem totius sacramenti successivi (Pesch, *Praelect. dogm.*, 1897, t. 7, n. 546). Sed contra est, quod potuit consecrari panis, nullo nisi secundum propositum consecrato calice. Quod si contingat, nullus exsistit in rerum natura calix sanguinis ; et nihilominus integre percipitur nunc eucharistia, percepta sola specie panis. — Ergo ex ordine ad compartem NONDUM EXSISTENTEM tibi dicendum erit partiale elementum agere et significare per modum integri sacramenti. Quare stat illaesa paritas inter extremam unctionem et eucharistiam quantum ad partium ordinem inter se : quod si ordo partium in extrema unctione non confert singulis partibus efficaciam totalem, nec conferet in eucharistia ; — et manebit hic, sicut illic, una pars constitutiva inepta secundum se ad significandam, proindeque et operandam, integre rem sacramenti.

Cujusmodi difficultas semper recurret contra omnem conatum explicandi unitatem sacramentalem ex ipsa CONSOCIATIONE duorum elementorum in ordine ad repraesentandum aliquod COMPOSITUM unum, puta Christum ex carne et sanguine constantem, vel convivium ex solido et liquido integratum.

Corruet autem difficultas, si quaestio solvatur ex proprietate eucharistiae sacrificali. Qua attenta, unitas sacramenti constat jam ex ipsa dualite seu DISSOCIATIONE elementorum ordinata ad repraesentandam, non unionem, sed SEPARATIONEM carnis et sanguinis (hoc est Christi immolationem), nec proinde INTEGRATIONEM coenationis perfectae ex cibo et potu, sed HOSTIAM[2] quomodolibet participandam, sive per manducationem carnis, sive per potationem sanguinis, sive per utramque simul. Quaecumque enim pars hostiae percipiatur, particeps effectus es sacrificii et consors victimalis sanctitatis.

Necessariae igitur fuerunt duae species ad repraesentandam immolationem ; sed, semel repraesentata immolatione et sacrificio oblato, sufficit utralibet species ad usum epuli sacrificalis. Eo enim ipso quod per dualitatem specierum repraesentatur immolatio cruenta, quae sub hoc sacramento Deo offertur, jam singulae species offerunt nobis mactatae hostiae partes sumendas veluti theothyta. Et sicut per

1. Ut acute disputant Vasquez, disp. 148, c. 1, n. 6, et Lugo, disp. 2, sect. 1, n. 5-6.

2. Eodem redit, quoad rem, quod scribit Maldonatus (*Tractatus de sacramentis. De eucharistiae sacramento*, part. 1ae q. 2) : « Etsi « panis significet corpus et vinum sanguinem « Christi, tamen non significant nisi tanquam « UNUM PRETIUM REDEMPTIONIS NOSTRAE. Prop- « terea unum sacramentum est. »

quidlibet cujusvis idolothyti perficiebatur usus epuli sacrificalis et societas inibatur cum daemoniis, sic per quidlibet nostri theothyti, sive esibile, sive potabile[1], de altari dominico nobis pabulum adhibetur, et conciliatur Dei societas.

En unitatem duarum specierum formalem cum integritate sacramentali singularum consonam. Quin et integritas haec ex illa unitate sequitur : ex designatione scilicet status immolatitii per duas, sequitur sufficientia singularum in genere dapis sacrificalis.

Vides igitur, quantam, sicut et superioribus quaestionibus, sic et huic elucidandae, copiam sui praesidii afferat indoles eucharistiae sacrificalis : ut nulla jam difficultas supersit, et intellegentiae etiam parvulorum accommodata sit solutio. Quae sua sponte videtur fluere ex doctrina apostoli ad Corinthios vulgari (*I Cor.* 10 $^{16-21}$); nec, si semel perspecta est, poterit quis dubitare quin et integer fructus sacramenti capiatur, quemadmodum integrum applicatum est signum, una demum specie percepta[2].

Hanc solutionem unus mihi occurrit clare satis indicans Toletus, *In Joan.* 6^{54} (Colon. Agrip. 1589, col. 605) : [Communioni sub una specie] « institutio Christi « non obstat. Est enim doctrina catholica, « hoc mysterium esse sacrificium quoddam, « quod in oblatione consistit ; et esse si- « mul sacramentum, quod participatur et « communicatur. Ut igitur sacrificium est, « consecratur in duabus speciebus, ut in « hac DIVISIONE passio Christi repraesen- « tetur... Ut autem sacramentum est, non « in communione sub utraque specie con- « sistit, sed in PARTE aliqua oblationis, « sicut in veteribus sacrificiis, non totum « quod Deo offerebatur, participantibus « offerentibus dabatur. »

1. De antiquo ritu eucharistiam dandi sub una specie vini, non solum infantibus, sed etiam aegrotantibus, vid. D. Hug. Mathoud (*Observationes ad libros sententiarum Roberti Pulli*, l. 8, c. 3. P.L. 186, 1135, sq.), et Martène (*De Ant. Eccl. Rit.*, l. 1, c. 5, a. 2, n. 4). Etiam legatur erudita dissertatio Julii Corblet (*Histoire... du Sacrement de l'Eucharistie*, 1885, 1, 542-548 et 603-615).

2. Erraverit, qui putaverit contrariari nostram positionem decreto Tridentino, *De communione*, cap. 3, ubi legitur « fatendum esse, « etiam sub altera tantum specie totum atque « integrum Christum verumque sacramentum « sumi, ac PROPTEREA, quod ad fructum attinet, « nulla gratia necessaria ad salutem eos de- « fraudari, qui unam speciem solam accipiunt. » Primo enim, nedum rationem redderet Tridentinum integritatis sacramentalis singularum specierum, ne docuit quidem hanc integritatem, ut ex textu ipso patet, atque abunde constat ex historia, fatentibus omnibus theologis. Docuit autem tria : 1° sub utralibet specie integrum esse Christum ; 2° item verum sacramentum ; 3° item efficaciam omnis gratiae ad salutem necessariae. Tertium deduxit ex altero ; non alterum ex primo, nisi quatenus in primo excludatur error auferentium praesentiam omnem realem ex sumptione sub una specie. Ceterum nequaquam nostra positione laedi reverentiam Tridentini, testes habes omnes doctores quotquot extra integritatem contenti Christi quaesierunt rationem sacramentalis integritatis, sive quoad signum, sive quoad effectum. Vide inter alios cardinalem Billot (*op. cit.*, p. 316, not. 2). Cur autem voluerit diffinire Synodus praesentiam integram Christi sub utralibet specie, facile intellegitur, perspectis erroribus lutheranorum, quos enumerat Bellarminus (*De eucharistia*, 4, 21), concomitantiam negantes. Apud Valentiam (in 3^{am} Partem, disp. 6, q. 9, punct. 3, col. 1098) autem vide recitatum virum haereticum, Fortunatum Krelium, qui diceret corpus Christi in eucharistia « non vivum, sed mortuum edi ».

Elucidatio XLV.

Est unum, secundum rem, eucharistiae sacramentum per omnes temporum ac locorum differentias, quanquam apparenter plurale.

APPENDIX H.

De numerali computatione eucharistiae.

Unitate formali hujus sacramenti sic diffinita, potest ulterius inquiri de ejus unitate vel pluralitate numerica. Sicut enim sacramentum baptismi est unum secundum rationem suam formalem, et tamen tot numero sunt baptismi reapse, quot sunt homines baptizati, sic in eucharistia est quaerendum, quotum sit sacramentum numero in universo mundo. Quae quaestio non jam oboritur ex comparatione partium formalium inter se, sed ex comparatione partium quantitativarum, sive simultaneae sint, sive successivae.

Respondet Vasquez, tot numero haberi sacramenta, quot exsistant divisae particulae (Disp. 168, c. 2, n. 13 sq.). Quae solutio placuit multis, potissimumque Salmanticensibus (Disp. 2, dub. 4).

Sed obstant praecipue duo.

Primo, qui sumit tres particulas simul, ut in singulis suis missis omni sacerdoti contingit, certe nunquam dicitur accepisse tria sacramenta. Praeterea, si tria sacramenta sumeret, deberet trium sacramentorum fructum percipere : quod tamen nemo concedit (cf. Lugo, disp. 2, n. 19-20).

Secundo, generaliter loquendo, qui ex una mensa sumit tria poma, vel tria panis frustula, non dicitur tribus uti conviviis, sed uno (cf. Lugo, *ibid.*, n. 26, post Bellarminum, *De Sacram. Euchar.*, l. 4, c. 22, 4ª prop.).

Altera sententia est D. Soti (4 D. 8, 1, 2), Bellarmini (*De Sacr. Euchar.*, l. 4, c. 22, 4ª prop.), Valentiae (tom. 4, disp. 6, q. 1, punct. 4), Billuart (Dissert. 2, art. 2, *dico* 3º) aliorumque, ponentium, rationem numeralem accedere eucharistiae, non ex numero particularum, sed ex numero refectionum, ad quas ordinem habent : ita ut plurificetur sacramentum per pluralitatem sumentium vel sumptionum. Qua stante positione, dicendum erit ante sumptionem sacramentum revera unum actu, nec nisi potentia multiplex ; sumptum autem dicendum erit actu vel unum vel plurale, prout feret casus.

Sed parum apparet, quomodo ordinatio ad plures convivas plurificet convivium. Convivium enim multis paratum, manet unum convivium, quanquam participatum a multis. Plurificantur igitur participationes, non autem id quod participatur. Ubi prae oculis semper habendum est, non in refectione consistere sacramentum, quippe quod sit permanens ; sed refectione nonnisi ADHIBERI sacramentum prius constitutum, exsistens et integrum per modum convivii adornati vel parati cibi, non autem per modum cibationis vel convivationis.

Quod autem quidam dicunt, numerum sumi ex pluralitate locorum, in quibus habetur sacramentum, istud, velint nolint (videsis in contrarium Lugonem, disp. 2, s. 3, n. 37), in eamdem explicationem, quae modo impugnata est, reincidit ; nam nulla alia ratio pluralitatis ex locali distantia fingi potest, nisi quia non videntur posse particulae dissitae accommodari ad unam sumptionem ; sicut fercula in tua domo et in mea non sunt unum convivium, quia non ad eamdem comessationem censentur ordinata. Etenim non per se afficit esse sacramenti, nec proinde numerum, distantia, quippe quae vim significativam symbolorum semel constitutorum nequaquam attingat.

His igitur, tanquam incompetentibus, omissis solutionibus, solvenda est quaestio ex principiis nostrae disciplinae eucharisticae communibus.

Rationem convivii sacrificalis habet eucharistiae sacramentum. Numerus igitur in eucharistia accipiendus est, sicut accipi solet in conviviis sacrificalibus.

In computandis autem generatim conviviis sacrificalibus, PRIMA REGULA est, quod una hostia non est nisi unum convivium, non plura, quanquam pluribus participationibus aptum. ALTERA REGULA est quod res Deo per unam sacrificationem oblatae, etiamsi sint plures materialiter, tamen formaliter non sunt nisi una totalis hostia : puta centum boum, vel centum panum, vel esculentorum atque potulentorum.

Quas secundum generales regulas erit dijudicandum eucharisticum convivium. Eucharistiae autem proprium est, quod distinguere in ea oportet duo : unum quod videtur perinde ac si esset, et non est ; alterum quod non videtur esse, et est[1]. Aliud enim in eucharistico sacrificio oblatum est Deo specietenus ; aliud est oblatum realiter. Si enim meris apparentiis inhaereatur, sacrificium nostrum est panis et vini. Veritate autem duce, est corporis et sanguinis Christi. Proindeque et convivium aliud est apparens, aliud reale : unum ex dapibus melchisedecianis, alterum ex hostia crucis.

Ubi igitur de eucharistiae sacramento disseritur, aut sermo iis quae sunt aptatur, aut accommodatur ad illa quae apparent.

Secundum priorem modum, dicenda una hostia, et unum convivium, et unum sacramentum. Quanquam enim plures sunt actiones sacrificae (mea et tua, etc.), tamen res sacrificata est una ; nec una solum materialiter, secundum unius Christi identitatem numericam, sed etiam formaliter, secundum proprietatem unam hostiae, ex una immolatione vera atque principali oblatione una inductam semel in perpetuum. Secundum regulam igitur priore loco traditam superius, unum convivium prostat omnibus aetatibus hominum atque gentibus participandum ; et pro tanto, quicquid in contrarium appareat, est revera eucharistia unum numero sacramentum. Cui conclusioni quanquam non stricte adhaeret[2], tamen non parum favet Suarez (disp. 39, sect. 4, n. 2), dum scribit : « Sicut ergo est idem nu- « mero sacrificium quoad rem oblatam, « ita est idem sacramentum ; nam in Ec- « clesia id quod offertur in sacrificium « sumitur ut sacramentum ». A coena igitur usque ad finem mundi unus secundum veritatem decurrit panis et calix eucharisticus per omnium sacerdotum manus atque ora fidelium[3].

Quare vere dicit Ecclesia in narratione coenae : *Accipiens et* HUNC *praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas...* ; per metonymiam intellegens pro continente contentum, et per prolepsin pro consecrando vino consecratum : et denotans satis interea per vocem *hunc* identitatem numericam ejus quod nunc tractatur et illius quod tractabatur olim. Sed et sine prolepsi, sine metonymia, Ecclesia profert simul et narrative per modum citationis, et demonstrative per modum intimationis, verba formae : Hoc *est corpus meum* : quae non possunt utroque modo proferri cum aequali veritate, nisi idem numero sacramentum censeatur et in coena et apud nos tractari (ut expositum est supra, Elucid. XXXV, ad mentem veterum nostrorum doctorum).

Qua unitate sacramenti perspecta, patet quam vere et stricte concoenatores Domini simus, eumdem nimirum participantes panem et calicem, quem oblatum Deo pro mundi vita prior ipse bibit Dominus et propinavit discipulis.

Maxime etiam patet, quanta sit vis unitiva in sacramento realiter uno, omnes, qui undique sunt aut fuerunt aut erunt, fideles pervadente, vegetante, consummante. Proprieque intellegitur Pau-

1. « In mysterio [altaris], quod non est appa- « ret, quod est occultatur. » Algerus (*De sacram. corp. et sang. Dom.*, 2, 3. P.G. 180, 819).

2. Firmius quam Suarez adhaeret Lugo (disp. 2, sect. 2), sed ob rationes minus bonas, argumentis Suarezii interim rejectis.

3. Sacramentalem unitatem depingebat vivide olim usus praemittendi missae celebrationi apportationem sacramenti ex praecedente missa confecti. Vide Corblet, *Histoire... du Sacrement de l'Eucharistie*, 1885, 1, 540-541 ; cf. p. 226.

lus dixisse : *Quoniam unus* [est] *panis, unum corpus multi sumus, qui de* UNO PANE *participamus* (*I Cor.*, 10[17]) : refecti scilicet eucharistia non simili, non aequali, non pari, sed una eademque numerice.

Quare tandem Ecclesiae congruit laus in mulierem fortem a Spiritu Sancto collata : quod *facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum* (*Prov.*, 31[14]) : immo de mari rubro dominicae passionis ad omnes plagas mundi et de ortu eucharistiae ad occasum defert secum suum panem mulier illa fortis vere, quia in fide fortis per Spiritum Sanctum, cujus dono habet, ut sit indefectibiliter conjugata Summo Sacerdoti, et sacrificio ejus uni serviens.

Haec dicta sint secundum rei veritatem, pro quanto sermo ad ea quae sunt aptatur.

Aliud autem sequetur, si sermo accommodetur ad illa quae apparent. Secundum modum enim istum, tot numerabuntur sacramenta, quot apparebunt diversa epula sacrificalia panis et vini. Epula autem hujusmodi tot computanda erunt, quot hostiae diversae censebuntur sacrificari. Attenta autem regula, quae superius posita est posteriore loco, tot demum hostiae hujuscemodi melchisedecianae censentur sacrificari, quot sacrificationes intercedunt. Tot ergo sacramenta distinguentur, quot missae.

Quam juxta considerationem, non ejusdem sacrificii particeps est, qui ex hac alitur missa, ac qui alitur ex illa (sive intra, sive extra missam id contingat, cum respectu epuli sacrificalis semel parati se habeat per accidens mora refectionis). Quare non insulse fideles olim de *suis* sacrificiis (id est ex parte sua oblatis) potissimum solliciti erant depasci et admonebantur[1] : siquidem ad eum qui obtulit pertinet proprie percipere sanctitatis fructum, qui maxime, reddita a Deo hostia, censetur obtingere[2] ; et quasi invasor alieni sacrificii videtur, ac beneficii divini surreptor, qui non se habens ut oblatorem vult tamen se habere ut convivam.

Nec spernendae sane in hostia nostra sunt *apparentiae* illae diversitatis et pluralitatis, quibus unitatis veritatem indui Deus voluit, ut pateret respectus eucharistiae ad specialius offerentes, et pluralitas oriretur vera nostrarum sacrificationum : tot exsistentibus immolationibus sacramentalibus, proindeque et sacerdotalibus oblationibus, quot sunt missarum celebrationes.

Nihilominus, quantum ad participationem, non differt *secundum veritatem*, ex una missa ad aliam, convivium a convivio, aut sacramentum a sacramento, sicut nec differt hostia ab hostia. Praeterea omnes vere sunt per modum unius oblatores sacrificii eucharistici, quod totius est Ecclesiae, nec ab ullo sacerdote potest privato demum nomine, suo vel alieno, offerri valide.

Quare, ceteris paribus, non majorem fructum sacramenti percipit, qui de missa per se procurata communicat, quam qui de missa procurata per alium : quanquam magis in illo elucet, ex parte sacramentalis signi, communionis congruitas.

Multo minus est, in ordine ad sacramenti fructum, attendenda diversitas penes conficientes. Si apparentiae melchisedecianae utique veritatem obtinerent, sicut hostia nostrae missae non foret hostia dominicae coenae, sed alia quaedam numerice diversa, quanquam specifice similis; sic sanctificatio nostrae hostiae minor esset quam dominicae; et major sanctificatio fieret per meliorem sacerdotem quam per pejorem. Deficiente enim unitate hostiae, non censeretur Christus omnium nostrorum sacrificiorum sacerdos, nec proinde per Christum inducta nostrae hostiae sanctitas una eademque[3]. Sed tanta unicuique hostiae conciliaretur sanctitas, quanta apud

1. Cf. supra (Elucid. XXVII).

2. Qua de causa scribebat Cyrillus Al. : « Illius qui offert hostiam, fiunt ea quae ex ipsa « sunt. Novit autem quod dico omnis qui legibus « et institutis Ecclesiae est enutritus » (*Glaphyr. in Levit.* P.G. 69, 552).

3. Ne dixeris : sanctificaretur aequaliter, potestate nimirum sanctificativa ex Christo ac-

Deum polleret gratia sacerdos. Mali autem sacerdotis nullatenus sanctificaretur hostia, nec proinde sanctificaret.

Aliter autem res habet, quia secundum invisibilem veritatem nostra sacrificia sunt unius hostiae semel a Christo sanctificatae, quam nos non proprie sanctificamus, sed, immolantes sacramentaliter, offerimus Deo ratam dudum atque immobiliter acceptam. Quae proinde non minus sancta obvenit ex sacrificio mali sacerdotis, nec sumentes minus sanctificat[1].

Non igitur insistendum est apparentiis quasi veritati ; sed, quanquam sub specie pluralitatis nobis proponitur eucharistia, tenenda tamen omnino ejus unitas vera ; nec proinde nisi specietenus, et veluti dicis causa, praedicanda est numerica pluralitas ; unitas autem numerica est praedicanda realiter et simpliciter.

Concordat haec numerica unitas cum pluralitate numerica reliquorum sacramentorum : in quibus numerus sequitur semper id quod est *res et signum* ; ut patet in baptismo plurali per unam formam ministrato, vel in uno ordine per trium consecratorum operam collato, vel in extrema unctione per plurium sacerdotum ministrationem simultaneam adhibita. Ubique tot numerantur sacramenta, non quot formae aut materiae integrae sunt positae ; sed quot imprimuntur characteres, aut si quid aliud per modum *rei et signi* inducitur. *Res* autem *et signum* in omnibus consecrationibus eucharisticis est una : corpus scilicet et sanguis Christi. Et ex hac rursus parte dicitur vere ac proprie unum numero sacramentum.

cepta ; sicut oleum sanctificatur aequaliter per quemlibet episcopum. Respondeo : alia secundum se est sanctificatio hostiae, alia olei vel sacramenti, ut talis. Haec fit potestative a Deo per hominem ; illa ab homine impetratur suppliciter ex Deo. Proportionatur una Dei virtuti et nutui, altera hominis acceptabilitati et devotioni : est enim sanctificatio hostiae, ipsa ejus acceptatio divina assumptioque coelestis. Quod si apud nos, in missa, aequaliter sanctificata tractatur et offertur hostia, hoc est, quia, sanctificata semel per Christi sacerdotis sacrificium, divinitus consummatum, suppetit nobis jam ut terminus transsubstantiationis. Transsubstantiatio autem panis et vini, cum sit sacramenti confectio, stat in indivisibili ; quanquam nostra oblatio hostiae ad Deum, quae secundum rem identificatur confectioni sacramenti, suscipit secundum propriam suam rationem majorem vel minorem gradum perfectionis. Sed non ex hac nostra oblatione, ut dictum est, pendet hostiae sanctitas victimalis, verum ex oblatione dominica, in aeternum Deo accepta, cujus socii adscribimur.

1. Nec proinde ex eo quod fortasse hodierna missa, ex crescente oblatorum, sive specialium sive communium, devotione, est melior quam fuit hesterna, tamen sumpta eucharistia majorem sanctificandi virtutem habebit ; nec minorem rursus quam dum a Christo est consecrata in coena. Et hoc est, quod mirabatur Chrysostomus in sermone (*in II Tim.*, hom. 2, n. 4. P.G. 62, 612) recitato supra (Elucid. XXVII). Non mirum quidem in re sacramentaria, ut tali ; sed mirum omnino in re sacrificali, in quantum hujusmodi.

Elucidatio XLVI.

Baptismus eo demum incorporat hominem Christo, quod continet votum eucharistiae. Inde sequuntur varia discrimina inter eucharistiam et baptismum quoad REM ET SACRAMENTUM, quoad REM TANTUM, et quoad usum sacramenti.

§ 3. Comparatur eucharistia cum aliis sacramentis.

Comparatio potest in praesente fieri duplex : una secundum effectum specialiter eucharistiae et baptismo [1] communem, scilicet incorporationem ad Christum ; altera secundum effectum generaliter communem eucharistiae et reliquis sacramentis, gratiae nimirum infusionem.

Sectio I. — Comparatur eucharistia specialiter cum baptismo.

Baptismus incorporat Christo, siquidem salvat hominem, nec quisquam salvatur, nisi membrum sit Christi. Porro incorporatio, ut superius disputavimus, eucharistiae est effectus sacramentalis. Penes igitur sacramentalem effectum non videntur distare inter se eucharistia et baptismus ; nec proinde penes significandi vim, siquidem identitas efficaciae identitatem significationis arguit. Nec sunt igitur duo sacramenta eucharistia et baptismus, sed unum : quod manifeste est absurdum[2].

Respondeo : non eodem modo procurari aut significari incorporationem per baptismum atque per eucharistiam.

Eucharistia enim, ut superioribus disputationibus est ostensum, PER SEIPSAM significat incorporationem ad vitam, exsistens Christi corpus vivum et vitale, nobis per modum cibi appositum.

Baptismus autem significat vitam PER SUUM ORDINEM INTRINSECUM AD EUCHARISTIAM, ut in praesente disputatione est ostendendum.

Articulus I. Quomodo se habeant inter se mors et vita in significatione baptismali.

Et primo quidem, si symbolismum baptismalem spectemus, duo videmus *significari* : unum quod significatur agi, alterum quod significatur intendi : primo mortem, deinde vitam ; mortem quidem propter vitam, et vitam per mortem. Significatur mortificatio directe secundum seipsam ; significatur vivificatio indirecte, secundum quod finalizat mortem[3].

Mori enim demonstramur vitae primi Adami, quae est vita peccati, sicut mortuus est in cruce Christus vitae corruptibili et passibili, in qua similitudinem

1. Cum confirmatione etiam potest comparari eucharistia secundum aliquid specialiter commune. Utrumque enim sacramentum est ordinatum ad perficiendum christianum (3 S. 73, 1, 1m). Sed aliter et aliter. Duobus enim modis intellegitur aliquid perfici : aut accessu sui, ut perfectibilis, ad aliud, tanquam perfectivum, sicut corpus perficitur in genere rei viventis per conjunctionem ad animam ; aut incremento interno, seu evolutione propriae substantiae, atque molis augmento, ex quadam vi intus vigente, sicut crescit corpus animatum. Porro hoc altero modo perficit confirmatio, ad staturam virilem adultamque aetatem perducens in Christo hominem baptizatum. Priore autem modo perficit eucharistia, ut constat ex supradictis, et continuate perficit, ut dicetur. Quare et ante et post perfectionem a confirmatione inductam locus est manducationi eucharistiae : sicut et ante et post virilem aetatem continua habetur conjunctio corporis ad animam.

2. Sane non ob arcendam conclusionem tam manifeste absurdam discutietur argumentum, sed quia opportunam suppeditat facultatem intimius perscrutandi habitudinem mutuam baptismi et eucharistiae.

3. Noli putare, quaeso, resurrectionem nostram ad novam vitam symbolice exprimi in baptismo, sicut et mortem : quasi per egressum nostrum ex aquarum profluvio significaretur resurrectio, sicut mors significatur per immersionem. Quanquam enim Patres nonnulli illum emersionis symbolismum accommodatitie evolverunt, tamen non est sacramentalis ; siquidem deesse potest emersio, vel quaevis e fonte elevatio, salvo sacramento : puta, si quis adhuc coopertus fluentis aquae moriatur post prolata verba. Quicquid enim in oppositum olim dixerint quidam scholastici, tenet tunc baptismus, ut habet hodie communis sententia, post Suarezium, sedulo adnotantem : « *Ad Romanos* 6, « SOLA SEPULTURA dicitur PROPRIE AC FORMALITER repraesentari per baptismum ; resur« rectio vero solum EX CONSEQUENTE, quatenus « illa mors AD HOC ORDINATUR, UT in novitate « vitae ambulemus » (*De baptismo*, disp. 20, s. 7). Quod ipsissimum est principium, unde fluit nostra doctrina.

gerebat carnis peccati. Similitudinem carnis peccati gerebat, et realitatem mortis perpessus est ; nos realitate tenebamur peccati, et similitudinem mortis assumimus, aquarum veluti gurgite sepulti[1], consepulti autem Christo et commortui.

Sed ideo morimur, UT conresuscitati Christo glorioso, incorruptibili, impassibili, immortali, novissimo Adamo vivamus secundum justitiam, nunc per gratiam, postmodum per gloriam. Non enim qualibet morte morimur, non in quamlibet mortem baptizamur, sed baptizamur in mortem Christi ; morimur morte Christi. Porro Christus non mortuus est, nisi UT vita corruptibili commutaret incorruptibilem. Ideo enim piacularem suam hostiam, agnum qui tollit peccatum mundi, devovit Deo per mortem Sacerdos verus, Christus Dominus, ut in gloria susciperetur a Deo consummatum sacrificium. Non est mors illa nisi transitus ad vitam : phase enim Domini est. Sic etiam mors nostra baptismalis, implantata morti Christi, non est nisi via quaedam ad vitam, qua vivit Deo Christus. In ipsa igitur morte, quae designatur, exoratio quaedam vitae intellegitur : sicut in sacrificii oblatione exoratio est acceptationis, qua consummetur hostia, et consummata participetur, afferens nobis fructum coelestem.

Baptismus igitur (secundum suam vim demonstrativam) est quaedam significatio MORTIS et consignificatio DESIDERII VITAE.

Interea (spectata causalitate) utrumque per baptismum efficitur, et MORS, et VITA ; non sine appetitu vitae mors, non appetitus vitae sine vita. Quare, ad effectum quod attinet, regeneratio quaedam est et nativitas, simul atque mors aut sepultura.

Inferri quidem per baptismum mortem, nemo mirabitur : siquidem repraesentatur inferri, ut diximus ; sacramentum autem id efficit, quod significat. Morti autem, quae infertur, inesse ordinem intrinsecum ad vitam, non ampliorem admirationem habet : siquidem morti Christi, cui conformamur, intrinseca est ejusmodi ordinatio.

At quomodo intentio illa vitae, in morte nostra baptismali, captet vitam, alia est quaestio, ulterius examinanda.

Interim, et circa significationem duplicem respectu mortis illatae intentaeque vitae, et circa duplicem effectum mortificationis simul atque vivificationis, audiatur Paulus, audiatur Petrus, audiantur et Patres.

Rom. 6²⁻¹⁰. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo ? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte* (εἰς τὸν θάνατον) *ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut* (ἵνα) *quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (ἐσόμεθα). *Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est* (συνεσταυρώθη), *ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus* (συζήσομεν) *cum Christo : scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo.* Finalitatem mortis repraesentatae vides assertam : vitae, quae in Christo est, assecutionem. — Adnectitur praeterea ratio istiusmodi finalitatis seu ordinationis : quia Christi morti, in cujus similitudinem baptizamur, cohaeret resurrectio.

Paulo resonat mirifice Petrus (*I Petr.*,

1. Rursus, ne objeceris, valere istud de baptismo per immersionem, non autem per infusionem aut aspersionem collato. Immo respondet tibi sanctus Thomas (3 S. 66, 7, 2m) : « Quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel ALIQUA PARS eius, aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum. » — Antea jam dixerat Chrysostomus : « In aqua enim tanquam in sepulchro CAPUT immergentibus nobis, vetus homo sepelitur ac demergitur totus » (*In Joan.*, hom. 25, n. 2. P.G. 59, 151).

3^{21}-4^{2}), in baptismo perhibens contineri exorationem vitae, ex resurrectione Christi perventurae ad illos, qui PASSO AD MORTEM CHRISTO CONQUIEVERINT circa peccatum, UT viverent Deo secundum justitiam : *Vos... salvos facit baptisma, non* [qua parte est] *carnis depositio sordium, sed* [utique qua parte est] *conscientiae bonae interrogatio* (ἐπερώτημα) *in Deum* [intellege : petitio, qua oratur ut detur nobis conscientia bene ad Deum se habens[1] — quae opponitur *malae conscientiae* a qua dicimur vi lustrationis purgati, *Hebr.* 10^{22}] *per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei* [Vulg. *deglutiens mortem ut vitae aeternae haeredes efficeremur*] *: profectus in coelum, subjectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.* Sacramentalis ipse ritus, quo Christi passioni consociamur, expetititio est justitiae, qua vivamus per resurrectionem Christi[2]. Nec mirum, nam *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis,* UT NOS OFFERRET DEO (ἵνα ὑμᾶς προσαγάγῃ τῷ θεῷ, *ibid.*, 3^{18}) : veluti adscitos oblationi propriae suae mortis socios, dum commorimur ipsi in baptismate. Non mirum, inquam, quod sic oblata in morte Christi nostra mors, expetitio est vitae : siquidem omnis oblatio sacrificii est divinae consummationis exoratio ; consummatio autem hostiae rationabilis est vita apud Deum.

Idem videsis apud commentatores in *Epistolam ad Romanos*, ut Origenem (P.G. 14, 1037 sq.)[3], Chrysostomum (P.G. 60, 480)[4], Ambrosiastrum (P.L. 17, 100).

Commentatoribus omissis, personent aliorum oracula.

Obiter Tertullianus, tanquam in re nota : « Diem baptismo solemniorem Pas- « cha praestat : cum et passio Domini (IN « QUA TINGUIMUR) adimpleta est » (*De baptismo*, 19. P.L. 1, 1222)[5].

Hilarius (*Trin*, 9, 9. P.L. 10, 288 : « Circumcidimur... circumcisione Christi, « id est in novum hominem renati. Cum « enim consepelimur baptismati ejus, mori « nos necesse est ex vetere homine ; quia « regeneratio baptismi resurrectionis est

1. Cf. Zorell, *N. T. Lexicon graecum*, et Grimm, *Lexicon Graeco-Latinum in lib. N. T.*, s. v. ἐπερώτημα. Hunc sensum proponebat Walafridi Strabi glossa (in h. l.) : « Interrogatio « facta est tendens in Deum, ut per bonam « conscientiam unum efficiatur cum Deo » (P.L. 114, 686). Cf. S. Martinus Legionensis, *Expositio in Epist. I B. Petri*, in h. l. (P.L. 209, 236).

2. « C'est donc LE RITE SACRAMENTEL LUI- « MÊME QUI EST LA DEMANDE FAITE A DIEU « D'UNE CONSCIENCE BONNE, c'est-à-dire purifiée « de tout péché et sanctifiée par l'infusion de « la grâce justifiante et des vertus » (A. Crampon, *La sainte Bible*, 1904, in h. l.).

3. Hoc in prolixa Origenis expositione notatu dignum est, quod symbolismum sacramentalem testificatur multis jam suis coaetaneis fuisse ignotum, quem notum Paulus supponebat Romanis. « Mihi vero ne illud quidem otiose prae- « misisse in hoc capitulo videtur Apostolus, quod « dicit : *An nescitis* ? Per quod ostendit, quia « tunc, hoc est apostolorum temporibus, non, « ut nunc fieri videmus, typus tantummodo « mysteriorum his qui baptizabantur, sed virtus « eorum ac ratio tradebatur, et tanquam scien- « tibus et edoctis, quia, qui baptizantur, in « morte Christi baptizantur, et consepeliuntur ei « per baptismum in mortem », etc. (col. 1040).

4. « Quid sibi vult illud, *In mortem ipsius « baptizati sumus* ? Sensus est, nos esse mortuos « sicut et ille. Crux enim baptisma est (σταυρὸς « γάρ ἐστι τὸ βάπτισμα). Quod igitur Christo fuit « crux et sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit, « etsi non iisdem in rebus : ipse namque carne « mortuus ac sepultus est, nos autem peccato « utrumque » etc. Conferatur *In II Cor.*, hom. 3, n. 7. P.G. 61, 417-418 : Οὕτω καὶ σὺ γίνῃ... ἱερεὺς... ἐν τῷ λουτρῷ... ἑαυτὸν προσενεγκὼν τῷ Θεῷ, καὶ καταθύσας τὸ σῶμα, καὶ σφαγεὶς καὶ αὐτός . Quomodo secundum Chrysostomum efficimur in baptismo sacerdotes? consacrificantes nos Agno Dei, dum et offerimus nosmetipsos in hostiam, et immolamus carnalem vitam, adeo ut cum Christo mactati jaceamus. Cf. Justin., *Apol.* 1, 61.

5. Notandum valde, quod, volens congruitatem Paschae in ordine ad baptismum administrandum commendare, nequaquam appellat Tertullianus recordationem resurrectionis dominicae, nostram resurrectionem spiritualem praemonstrantis et procurantis, sed omnino consummationem passionis in paschate : in passione quippe tinguimur ; in morte Christi baptizamur ac immergimur.

« virtus [intellege : est effectus dominicae resurrectionis]. Et haec circumcisio « Christi est, non exspoliari carne praeputii, sed TOTOS COMMORI EI, et PER ID « totos POSTEA ei vivere. In eo enim resurgimus per ejus Dei fidem qui eum « suscitavit a mortuis. » — Quo loco ex resurrectione dominica derivat Hilarius vim salutarem baptismi, eo quod baptismus mors est in vitam nos coaptans et ferens (cf. *In Psalm.* 91, n. 9, et *In Matthaeum*, c. 10, n. 24. P.L. 9, 499 et 976).

Zeno Veronensis (*Tractatus*, l. 2, tract. 39-42. P.L. 11, 486-492) « O magna « potestas, magna peritia, magna pietas « judicis nostri ! a quo universi generis « peccatores, UT POSSINT BEATE VIVERE, « PUNIRI FESTINANT ! Descendit quippe « gladius pius in viscera peccatoris, et uno « eodemque ictu, incolumi corporis ma« nente materia, interficit hominem vete« rem, creat novum, et sacri gurgitis « elemento sepelit... O damnatio neces« saria ! Homo JUGULATUR, UT VIVAT !... « Mira ratio, mirum profecto mysterium : « salvo reo, punitur reatus in reo, inte« groque statu moritur in homine, propter « quod homo fuerat moriturus », etc.

Ambrosius (*De Spiritu Sancto*, l. 1, c. 76-79. P.L. 16, 722-723, ad instar Basilii infra citandi) : « Sunt tamen plerique, qui « in eo quod in aqua baptizamur et Spiritu, « non putent aquae et Spiritus distare « munera ; et ideo non putant distare na« turam. Nec advertunt quia in illo aqua« rum sepelimur elemento, UT renovati per « Spiritum resurgamus. In aqua enim ima« go mortis, in Spiritu pignus est vitae ; « ut per aquam moriatur corpus peccati, « quae quasi quodam tumulo corpus inclu« dit ; et per virtutem Spiritus renovemur « a morte peccati, renati in Deo » etc. Rursus (*Epist.* 81, 5-7. P.L. 16, 1274) : « In Elisaeo figura Domini praecessit, qui « projecit se, ut mortuum erigeret : in « quo symbolum est, quod nobis Christus « commortuus sit, UT nobis resurgeret... « Commortui enim sumus Christo, et IDEO « convivimus... Mortuus eram ; sed QUIA « in baptismate commortuus Christo sum, « accepi lumen vitae a Christo » etc. (Cf. *De mysteriis*, c. 4, n. 21. P.L. 16, 394-395). Pariter legatur Auctor *Librorum de sacramentis*, l. 2, c. 7. n. 23. P.L. 16, 430.

Gaudentius Brixianus (*Sermo* 3. P.L. 20, 862) : « Vivere Deo jam coepi« mus, conformes effecti PRIMUM mortis, « DEINDE resurrectionis Christi. Conse« pulti enim sumus cum ipso per bap« tismum in mortem ; UT quemadmodum « Christus resurrexit a mortuis, ita et « nos in novitate vitae ambulemus, diem « festum celebrantes, et gloriantes in « cruce Domini nostri Jesu Christi, qui « acceptus decima die mensis primi, « quarta decima die ad vesperum mundi « a Judaeis immolatus est » (conferatur Chromatius, *In evangelium S. Matthaei*, tract. 1, n. 2. P.L. 20, 329).

Sanctus Hieronymus (*Epistola* 69, 7. P.L. 22, 661) ex morte baptismali nostra conatur probare non esse digamum eum qui, mortua priore uxore, alteram post susceptum interim baptismum duxerit : « Quomodo ergo in lavacro omnia peccata « merguntur, si una uxor supernatatat ?... « *Beatus vir, cui non imputavit Dominus* « *peccatum*. Arbitror quod possumus et nos « huic aliquid cantico jungere. Beatus vir, « cui non imputabit Dominus uxorem... « Consepulti sumus Christo in baptis« mate... Omnia nostra cum Christo mor« tua sunt : ...solum nomen vivit uxoris ? »

Rufinus Aquilejensis, super illud *Geneseos* 49[11], *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae amictum suum* : « In « hujus ergo sanguinis vino, id est lavacro « regenerationis, a Christo lavatur Eccle« sia. Consepelimur enim illi per baptis« mum in morte et sanguine ipsius, id « est, in morte ipsius baptizamur » (*De benedictionibus patriarcharum*, 1, 5. P.L. 21, 305).

Sanctus Augustinus (*Enchiridion*, 42. P.L. 40, 253) : « Ipsum est, quod in nobis « celebratur, magnum baptismatis sacra« mentum : ut quicumque ad istam perti« nent gratiam, moriantur peccato, sicut « ipse peccato mortuus dicitur, quia mor-

« tuus est carni, hoc est peccati similitu- « dini ; et vivant a lavacro renascendo, « sicut ipse a sepulchro resurgendo, quam- « libet corporis aetatem gerant. » Scribens *Contra Julianum* (l. 1, 6, 28. P.L. 44,660) laudat et defendit sanctus Pater doctrinam Chrysostomi, his verbis : « Nonne de bap- « tismate apostoli verba... sic exponit « [Chrysostomus], ut dicat ita eum peccato « mori, qui baptizatur in Christo, sicut « carne est mortuus Christus ; quia in « morte Christi baptizari NIHIL EST ALIUD « quam peccato mori ? » Etc. Item libro 2, 5, 14 (col. 683), laudat Ambrosium ex quodam deperdito opere : « In alio quoque « libro suo *De sacramento regenerationis*, « vel *De philosophia*, quem scripsit [Am- « brosius], ita loquitur : *Beata igitur mors*, « *quae nos peccato eripit, ut reformet Deo !...* « Videsne quemadmodum expresserit vir « venerabilis IN BAPTISMO FIERI HOMINIS « MORTEM BEATAM, ubi remittuntur pec- « cata omnia ? Sed attende aliud, attende « quod non vis ! *Advertimus*, inquit, *cujus-* « *modi sit mors mystica : nunc considere-* « *mus cujusmodi sepultura esse debeat* » etc. Interim, libro 6, cap. 3, n. 7 (col. 825) : « Quod ergo ipse significavit in similitu- « dine carnis peccati, hoc per ejus gratiam « nos agimus in carne peccati : ut, quo- « modo ille moriendo similitudini peccati « peccato mortuus praedicatur, ita qui- « cumque in illo fuerit baptizatus, eidem « rei cujus illa fuerat similitudo moria- « tur ; et quo modo in illius vera carne « vera mors fuit, sic fiat in veris peccatis « vera remissio. » In nono autem ex *Sermonibus ineditis* nuper a G. Morin vulgatis (Monaci, 1917, *De secunda feria Paschae*, n. 3, p. 32) : « Baptizatus es : « mortua est vetus vita, occisa est in « cruce, sepulta in baptismo. Vetus se- « pulta est, in qua male vixisti : nova « resurgat. » In septimo antea (*De dominica sanctae Paschae*, n. 1, p. 25) : « Dixi- « mus vobis, quod credo quia obliti non « estis, hoc valuisse vel valere baptismum, « quod est sepultura cum Christo. » Excusatum me habeat lector, quod tantas congero auctoritates, ut Augustini, ita aliorum Patrum. At duxi non pauciores sufficere contra eos qui velint symbolismum sacramentalem baptismi esse per prius purgatorium, cum ex traditione Patrum, sicut et Paulo, sit proprie sepulturarius.

Quare sequatur jam S. Quodvultdeus, si quidem ipse est auctor *Libri de promissionibus et praedictionibus Dei* (pars 2, c. 5, n. 8. P.L. 51, 773) : « Parvuli, « dum ejus baptismo consecrantur, simul « cum illo sepeliuntur in morte, ut etiam « in eis evacuetur corpus peccati. »

Caesarius (Sermo 40 in appendice ad sermones S. Augustini, n. 3-4. P.L. 39, 1824 sq.) in Eliam, sicut supra fere Ambrosius in Elisaeum.

Leo M. (*Epist.* 16, c. 3. P.L. 54, 698, sq.), sicut Hilarius supra, ex resurrectione dominica derivat effectum vivificationis, mortificationi sacramentali veluti succidaneum[1].

Cyrillus Hierosolymitanus (*Cateches.* 20, 4-7. P.G. 33, 1080-1084) : « In ima- « gine et in symbolo TRIDUANAM CHRISTI « SIGNIFICASTIS SEPULTURAM. Sicut enim « Salvator noster tres dies et tres noctes « in ventre terrae egit, sic et vos in prima « emersione primam, quam in terra Chris- « tus exegit, diem, et immersione noctem « imitati estis. Nam velut qui in nocte « degit, non amplius videt, qui vero in die, « in lumine versatur : sic et in mersione, « tanquam in nocte, nihil vidistis ; in emer- « sione vero, tanquam in die positi fuistis ; « eodemque momento et mortui et nati « estis, illaque unda salutaris et sepulchrum « vobis et mater effecta est... O novum « inauditumque rerum genus ! Non sumus « vere mortui, neque vere sepulti sumus, « neque vere crucifixi resurreximus : ve- « rum in imagine imitatio [fuit mortis], in « veritate autem facta est salus » etc....

1. Mediae aetatis exemplum, inter alia multa videsis apud Theodulphum Aurelianensem (*De ordine baptismi*, c. 13. P.L. 105, 232-233), ac Rupertum Tuitiensem (*In Exod.*, l. 2, c. 15. P. L. 167, 622, et *In Lib. Reg.*, l. 5, c. 36, col. 1269 : « aqua baptismi sepulchrum Christi est » ; et *De S. Spiritu*, l. 4, c. 23, col. 1698).

Quicquid in superiore parte sermonis appareat, vides in inferiore, imitationem (μίμησιν) non esse nisi mortis dominicae ; resurrectionem vero ex imitatione mortis contingere, sicut mox apud Basilium (cf. *Cateches.* 3, 12. P.G. 33, 444).

Basilius (*De Spiritu S.*, c. 15, n. 35. P.G. 32, 129-132) : « Quomodo igitur fit « ut simus in similitudine mortis ejus ? « Consepulti cum illo per baptisma. Quis « igitur est modus sepulturae ? aut quis « ex imitatione fructus ? PRIMUM QUIDEM « NECESSE EST VITAE PRIORIS SERIEM IN- « TERRUMPI. Id autem fieri nequit, quin « renascaris denuo juxta Domini vocem : « siquidem regeneratio, uti ipsum etiam « nomen declarat, alterius vitae initium « est ; quare ANTEQUAM alteram vitam in- « cipias, oportet priori finem imponere.... « Cum duo scopi propositi sint in bap- « tismo, videlicet ut aboleatur corpus « peccati, ne postea fructificet morti, tum « ut vivatur Spiritu, et fructus habeatur « in sanctificatione : aqua mortis exhi- « bet imaginem, corpus velut in sepulcro « recipiens ; Spiritus vero vim vivificam « immittit, a morte peccati renovans « animas nostras in pristinam vitam. « Hoc igitur est denuo nasci ex aqua et « Spiritu : quippe quia mors perficitur in « aqua, vitam vero nostram operatur « Spiritus. »

Gregorius Nazianzenus in *Oratione* 39, 15 (P.G. 36, 352), ad ipsius Christi baptismum transfert ea quae sunt nostri baptismi propria : ut sepeliatur vetus Adam.

Gregorius Nyssenus (*In diem luminum*. P.G. 46, 585) : » Cum igitur Deus « et Servator noster pro nobis susceptam « oeconomiam impleret, unum ex his « quatuor [elementis], terram scilicet su- « biit, ut illinc vitam excitaret. Nos vero « baptisma assumentes ad imitationem « Domini et Doctoris et Praeceptoris « nostri, in terra quidem non sepelimur,... « sed ad terrae cognatum elementum « aquam venientes, in illa, sicut Servator « in terra, nos abscondimus, idque cum « tertio facimus, effingimus[1] triduanam « gratiam resurrectionis » etc. (cf. eadem multo fusius exposita in *Oratione Catechetica*, c. 35. P.G. 45, 88-89).

Chrysostomus (*In Joannem*, hom. 25, 2. P.G. 59, 151) : « Non modo autem « baptisma crux (τὸ βάπτισμα σταυρός) di- « citur, sed crux quoque baptisma (ὁ « σταυρὸς βάπτισμα) » etc. Conferatur, praeter alios locos citatos supra, *In I Cor.*, hom. 40, 1 (P.G. 61, 348). Legatur autem omnino *In Hebr.*, hom. 9, n. 3. (P.G. 63, 79) ; quem locum imitatus est Theodoretus, in *Hebr.*, 6^{4-6} (P.G. 82, 716-717), atque Damascenus in *Hebr.* 6^{5-6} (P.G. 95, 954). Explicat cum suis Chrysostomus, eos qui post baptismum peccaverint, non posse renovari per poenitentiam baptismalem, assumentes rursus mortem mysticam : quia Christus semel crucifixus est, nec potest rursus crucifigi. Unicum igitur baptisma, quia una Christi mors. Reliquum, renovari non possumus, quasi, interempto vetere homine, statim excitaretur novus : hoc enim proprium est baptismi, qui unicus est[2].

Cyrillus Alexandrinus (*Glaphyrorum in Exodum* l. 2. P.G. 69, 441) : « Christus pro nobis mortem passus re- « vixit : cui conformamur, SPIRITUALITER « MORIENTES PER SANCTUM BAPTISMUM, UT « et resurrectionis participes efficiamur. »

Accedant et *Constitutiones Apostolicae* 7, 22, 2-6. F. D. 1, 406) : « Unges autem « prius oleo sancto ; deinde baptizabis « aqua, et tandem signabis unguento, ut « oleum quidem sit participatio Spiritus « Sancti, AQUA VERO SYMBOLUM MOR- « TIS, unguentum autem sigillum pac- « tionum. Quod si neque oleum adsit, « neque unguentum, sufficit aqua et « ad unctionem et ad sigillum et AD CON- « FESSIONEM MORIENTIS SEU COMMORI-

1. Inter effigiem resurrectionis, quam hic assignat Nyssenus, et effigiem mortis, discrimina quaedam infra ex mente Patrum notabuntur.

2. Potest legi, in sensum minime ab aliis discordantem, Severianus Gabalitanus, *In sanctum baptisma*, 1. (P.G. 31, 424, inter opera S. Basilii), ceterum satis jejunus.

« ENTIS. Ante baptismum vero jejunet, « qui baptizatur; etenim Dominus pri- « mum a Joanne baptizatus, et in deserto « commoratus, postea jejunavit quadra- « ginta diebus et quadraginta noctibus. « Baptizatus autem fuit et jejunavit, non « quod ipse opus haberet ablutione sor- « dium vel jejunio vel purgatione, qui « natura purus et sanctus est, sed ut Jo- « anni veritatem attestaretur, atque nobis « exemplum praeberet. Igitur Dominus non « baptizatus est in passionem suam aut « mortem aut resurrectionem ; nondum « enim quidpiam horum acciderat, sed in « aliam ordinationem. Quapropter ex po- « testate jejunat post baptismum, ut do- « minus Joannis ; qui vero IN MORTEM « ILLIUS PER BAPTISMUM INITIATUR, debet « prius jejunare, et tum baptizari, quoniam « aequum non est, ut qui consepultus est « et consurrexit, sub ipsam resurrectio- « nem moereat » (cf. 2, 7, 1 ; 3, 17, 1 ; 5, 7, 30, et 16, 7 ; 7, 25, et 39, 4 et 43, 5 ; 8, 8, 2, etc.).

Audiatur et Ps. Dionysius (*De Eccl. Hierarch.*, c. 2, s. 3, § 7. P.G. 3, 404) : « Non improprie totalis ista AQUAE « COOPERTIO IN MORTIS ATQUE INFORMIS « (ἀειδοῦς) SEPULTURAE FIGURAM ACCIPI- « TUR. Sacramentaliter itaque baptizatum « symbolica disciplina mystice docet tri- « bus illis in aquam immersionibus et « emersionibus divinam trium dierum ac « noctium sepulturae Jesu vitae auctoris « mortem imitari, quatenus hominibus « conceditur ejus imitatio. »

Eutychius (*De Paschate*, 5. P.G. 86[bis], 2397) : « Ecce MYSTICE ET NOS MORIMUR « IN BAPTISMO SANCTO ; in martyrio au- « tem post illud, vel etiam sine martyrio, « pragmatice. Nec differt mystica nostra « mors a pragmatica, etsi consummatur in « pragmatica » (cf. reliqua citata supra, Elucid. XII).

Quicquid de simulata per emersionem resurrectione dixerint aliquando Patres praelaudati, tamen ad substantiam SIGNI SACRAMENTALIS quod pertinet, non videntur IN RECTO plerumque attendere nisi sepulturam et mortem : ad hanc proprie referentes eam quam praedicant nostram Domini μίμησιν (Cyril. Hierosol., Basil., Ps. Dionys.); resurrectionem designantes tanquam aliquid ad effigiem illam mortis consequens, et per mortis effigiem inductum (Hilar., Ambros., Gaudent., Leo) ; distinguentes inter id quod veluti de suo inducit baptismalis ritus, id est mortem ; et id quod accedit captatum aliunde, id est ex Spiritu vitam (Basil., Ambros.) ; baptismum collocantes in morte mystica, immolatione, cruce, sepulchro, unde utique resurgat homo novus (Ambros., Augustin., Chrysost., Cyril. Al., *Const. Apost.*, Eutych., Damasc.), reducentesque ad genus poenitentiae, quod fructificet in vitam (Zeno, Chrysost., Damasc.) ; generaliter tandem notantes discrimen inter mortem, quae peragitur, et vitam, cujus intuitu peragitur; hancque nonnisi connotatam per illam volentes in Christo[1].

ARTICULUS II. ORDO BAPTISMI AD EUCHARISTIAM.

MEMBRUM I. BAPTISMALIS MORS ASSUMITUR OB DESIDERIUM VIVIFICATIONIS EUCHARISTICAE.

Consequenter ad ea quae exposita sunt, cum dispertiuntur nostri veteres doctores singulos baptismi et eucharistiae fructus, assignant uni spiritualem mortem, sepulturam, crucifixionem, alteri resurrectionem, nativitatem, incorporationem : quanquam nec eos latet, in ipso baptismo, citra sacramentalem eucharistiae sumptionem,

1. Possent post aetatem Patrum per totum medium aevum usque ad aetatem scholasticam innumera in eumdem sensum proferri testimonia. Ut parcatur et tempori et chartae, unum stet pro reliquis Leidradi Lugdunensis, diserte scribentis : « Baptismus imago mortis « Christi est et sepulturae, sicut Apostolus tes- « tatur » ; et deinde ad liberas et veluti accommodatitias deputantis figuras similitudinem triduanae resurrectionis (*De sacramento baptismi*, c. 6 et 7. P.L. 99, 862-863).

fieri tamen et incorporationem et nativitatem et resurrectionem.

Sic Guitmundus Aversanus (*De corp. et sang. Dom. ver.*, l. 2. P.L. 149, 1459) : « Ecclesiae corpus, ad instar ca- « pitis sui, de Spiritu Sancto et Ecclesia « virgine... nascitur ; et ex omnibus gen- « tibus, tanquam ex diversis membris, « in unum novum hominem congregatur. « Omnia porro haec, per id quod de altari « dominico sumitur, non incongrue cre- « dimus figurari. Nam, ut inde facili com- « pendio satisfaciam, neque tamen ratio- « nes altissimas divinorum mysteriorum « passim prodam ; de hoc certe universalis « Ecclesia testis est, quia, QUOTIESCUM- « QUE ID SUMIMUS, nos utique christianos « esse, id est SPIRITUALITER NATOS OS- « TENDIMUS ; consequenter ergo et con- « crucifixos, et commortuos, et consepul- « tos Domino nostro per baptismum in « mortem : sed et CONSURREXISSE NOS « DECLARAMUS. » Igitur quod denotamur crucifixi, mortui, sepulti, id baptismo deputatur ; quod autem superadditur demonstratio resurrectionis, nativitatis, aut si quid ejusmodi, illud eucharistiae adscribitur.

Pariter Honorius Augustodunensis (?) in *Elucidario*, l. 1, c. 28 (P.L. 172, 1129) : « Quae est salus in hoc [sacra- « mento eucharistiae] ? Summa. Sicut « enim esca in carnem comedentis verti- « tur, ita quisque fidelis per comestio- « nem hujus cibi in corpus Christi con- « vertitur. Igitur per fidem mundo, vitiis « et concupiscentiis Christo concrucifigi- « mur, et IN BAPTISMATE CHRISTO CONSE- « PELIMUR (et ideo ter immergimur) ; per « CIBUM VERO CORPORIS ejus EI INCOR- « PORAMUR. »

Apud Graecos, sanctus Isidorus Pelusiota (*Epist.*, l. 3, 195. P.G. 78, 880), tum vel maxime, cum contendit baptismo non solum deletionem peccati originalis procurari, sed et bona nobiliora conferri, tamen notat per eucharistiam procreari maximum illud baptismi bonum, quod est nostra incorporatio ad Christum, unde cetera dependent. « Quidam, inquit, nimis « tenuiter et jejune aiunt, infantes eo fine « baptizari, ut eluatur spurcities ob trans- « gressionem Adami traducta in natu- « ram humanam. Ego vero hanc quidem « eluviem etiam fieri persuasum habeo : « at non solum (neque enim id tam mag- « num esset) ; verum alia quoque multa, « nostram naturam longe superantia, con- « cessa esse beneficia. » Quorum caput est, quod natura nostra « per sacrorum mys- « teriorum perceptionem (διὰ τῆς μετοχῆς « τῶν ἱερῶν μυστηρίων) concorporea Uni- « genito effecta est, et in ipsius carnem « desinit ; et quemadmodum corpus capiti, « sic ei copulata est. » Dubitari nequit, quid per illam μετοχὴν τῶν ἱερῶν μυστηρίων intellegendum sit.

Vi igitur propriae suae significationis baptismus directe mortificat, sicut vivificat eucharistia. Mortificatio baptismalis assumitur ob desiderium vitae ; vivificatio eucharistiae contingit illis qui praeintelleguntur mortui. Hoc enim negotium salutis est : vitam vita commutare : vita peccati justitiae vitam ; nec abjicitur vita peccati, nisi ut acquiratur vita justitiae ; nec vita justitiae apprehenditur, nisi abolita vita peccati[1]. Quemadmodum enim

1. « Justificatio impii est quidam motus, quo « humana mens movetur a Deo a statu pec- « cati in statum justitiae. Oportet igitur, quod « humana mens se habeat ad utrumque extre- « morum secundum motum liberi arbitrii, sicut « se habet corpus, localiter motum ab aliquo « movente, ad duos terminos motus. Manifestum « est autem in motu locali corporum, quod cor- « pus motum recedit a termino a quo, et accedit « ad terminum ad quem. Unde oportet quod « mens humana, dum justificatur, per motum « liberi arbitrii recedat a peccato et accedat ad « justitiam. Recessus autem et accessus in motu « liberi arbitrii accipitur secundum detestatio- « nem et desiderium... Oportet igitur, quod in « justificatione impii sit motus liberi arbitrii « duplex ; unus, quo per desiderium tendat in « Dei justitiam, et alius, quo detestetur pecca- « tum » (S. Thom., 3 S. 113, 5). « Si sumantur « ea quae sunt ex parte hominis justificati,... « prius est ordine naturae liberatio a culpa « quam consecutio gratiae justificantis » (*ibid.*, art. 8).

immolatio nulla frequentatur nisi intuitu consummationis, nec consummatio accedit nisi hostiae immolatae : sic nec nos morti Domini piaculari assimilamur, nisi ut vitae ejus coelesti conformemur. Per mortem baptismalem nobis conciliamus et appropriamus propitiationem dominicae mortis, ut obtingat nobis vivificae hostiae consortium.

Quia autem per se eucharistia dat vitam, quam secundum se emendicat baptismus, ideo non aegre concludes baptismo appeti eucharistiam, nec baptizari hominem nisi ut eucharistia saginetur; sicut scribit Chrysostomus : « Nos « Christo credentes ejusque resurrectioni, « baptizamur, utpote qui et ipsi myste- « riorum [i. e. eucharistiae] participes fu- « turi simus » (*In I Cor.*, hom. 23, n. 2. P.G. 61, 191). Cohaerent igitur inter se duo ista sacramenta : baptismo initiatur in eucharistiam; eucharistia perficitur baptismus. Mors, quam significat baptismus, est via ad vitam quam significat eucharistia; baptismus est ipse sacramentalis motus in eucharistiam.

Membrum II. Vita in baptismo captatur ex desiderio eucharistiae.

Hinc vitae captatio, quam una cum morte secum fert baptismus. Ex intentione scilicet eucharistiae fit, ut per baptismum percipiamus vitam et incorporemur Christo, quasi jam inhiantes panem, quo uno redditur pro interempta vita peccati vita gratiae.

Ad cujus asserti elucidationem tria spectanda sunt : *primo*, quomodo desiderio eucharistiae captetur vita; *secundo*, quomodo omni baptismo, nisi adsit fictio, votum illud contineatur; *tertio*, quomodo in baptismo ipsorum infantium appetatur eucharistia.

Particula I. De efficacia desideratae eucharistiae.

Notandum est igitur, primo, quomodo desiderio eucharistiae captetur vita. Desiderium quippe motus est in rem desideratam. Est igitur votum eucharistiae percipiendae motus quidam mentis atque animi in carnem vivificam Christi, principium nostrum vitale. Sed motus sincerus et efficax in vitam jam est motus vitae; nec deest Christus iis qui in Christum debite tendunt : propterea quod bonitas finis transit in ipsam finis appetitionem[1]. Est igitur eo ipso divinus et vitalis motus in vitam divinam, quae est ex Christo per carnem ejus; prehenditque vitam, qui vitam debite concupivit, spiritualiterque manducavit carnem Christi, qui sacramentalem manducationem esuriit : quia, « sicut « et finis, ut dicit Sanctus Thomas (3 S. « 73, 3, c), habetur in desiderio et in inten- « tione », sic desiderio communionis cum carne Christi, jam spiritualiter habetur communio. Quare « res [hujus] sacramenti « haberi potest ante perceptionem sacra- « menti, ex ipso voto sacramenti perci- « piendi » (*ibid.*). Et pro tanto dicitur votum apud Deum reputari pro re, quippe quia est spiritualis prehensio vitalis boni[2].

Particula II. De sacramentali desiderio eucharistiae per baptismum importato.

Secundo, considerandum est, quomodo omni baptismo, nisi adsit fictio, votum

1. Quia per verbum ex se conceptum noster intellectus ea, quae extra se sunt, novit, ideo cogitando inferiora nobilitat, deturpat autem superiora. Voluntas vero nostra appetit res pro esse quod habent non in nobis, sed in seipsis. Quare ipsa demittitur aut erigitur ad gradum nobilitatis vel ignobilitatis, qui inest rebus, quas appetit : pro quanto omnis motus specificatur a suo termino.

2. Processu eodem vindicabat, xiv saeculo, necessitatem eucharistiae Raynerius de Pisis, in sua Summa Alphabetica, s. v. *eucharistia*, cap. 13 (ed. 1474) : « Sicut enim se habet « aliquis finis, antequam actualiter habeatur, « sic se habet eucharistia, antequam actualiter « vel sacramentaliter assumatur. Sed finis, an- « tequam actualiter habeatur, in desiderio et « in intentione habetur. Ergo perceptio sacra- « menti est necessaria in voto seu in desiderio « ad habendam vitam aeternam. » Quia multum interpolata est ista *Pantheologia* ab editoribus, operae pretium est notasse, hanc lectionem concordare cum codice manuscripto 390 (ineuntis saeculi xv) Bibiliothecae Municipalis Turonensis, fol. xlvi a.

illud contineatur. Quippe quia homo baptizatur secundum intentionem fidei. Hoc autem habet christiana fides, quod mors, quam significat baptismus, sit propter vitam adipiscendam, cujus communicatio fructus proprius est eucharistiae. Unde fit ut secundum fidem baptizati appetatur in ipso baptismo eucharistiae sacramentum. Absolute enim intendens vitam, ea etiam censetur intendere, ex quibus prostat vita. Sicut igitur sacramentaliter baptismus significat et importat desiderium vitae, sic etiam appetitionem eucharistiae. Immo non suscipit baptismum homo, nisi quia secundum fidem concupiscit eucharistiam : adeo desiderium eucharistiae prius est desiderio baptismi; sicut habet sanctus Thomas : « Sacramentum autem eucha- « ristiae, quamvis sit posterius baptismo « in perceptione [*intellege* : sacramentali], « est tamen prius in intentione » (3 S. 73, 5, 4 m). Nemo igitur desiderat baptismum, nisi desideraverit (aliqualiter) eucharistiam.

Adest igitur desiderium eucharistiae in omni desiderante baptismum ; et hinc est, quod desiderium baptismi, positis ponendis, secum fert vitam : quia, si baptismum perfecte desiderasti, jam manducasti spiritualiter carnem Christi, et bibisti de latere ejus.

Quare, ut sacramentum mortis, per comparationem ad carnem peccati, quae fuit in vetere Adamo, sic potest vocari baptismus sacramentum desiderii, per comparationem ad carnem vitae, quae est in novo Adamo. Sacramentum igitur est communionis spiritualis.

Cum in praesente audis desiderium eucharistiae, noli cogitare desiderium necessario explicitum, sed saltem implicitum, quale adest ipso facto, quod homo, dum baptizatur, conformat intentionem suam, ut diximus, regulae fidei[1].

Neve interea cogites desiderium eucharistiae eadem ratione demum contineri baptismo, qua contineri censetur voluntas adimplendorum praeceptorum : adeo ut votum illud non sit nisi pars hujus universalis propositi. Praeceptorum enim adimpletio ad vitam spiritualem pertinet tanquam ejus effectus atque exercitium pro data opportunitate necessarium. Proindeque rationem habet conditionis, sine qua non subsistit vita, sed non exhinc vertitur in causam : immo manet effectus. Eucharistia autem partes habet causae atque fontis, unde profluit vita. Appetitur igitur tanquam aliquid vita prius, non ad vitam consequens. Quare habet secundum propriam suam rationem desiderium eucharistiae prioritatem respectu ipsius vivificationis, respectu cujus posterioritatem habet voluntas servandae legis : nec proinde in hac illud proprie includitur ; sed ex illo haec sequitur. Et pro tanto recte dicitur vita generari ex voto eucharistiae ; non autem dicitur generari ex proposito adimplendorum praeceptorum : pro quanto particula *ex* denotat id, unde sequitur aliquid tanquam ex priore posterius.

Desiderium igitur eucharistiae sacramentale vegetat baptismalem ritum[2].

Hujus rei fortasse symbolum accipi potest, quod secundum Patrum communem doctrinam oportuit ut contactu carnis Christi aquae vim in Jordane acciperent ad nos devehendi illam vitam, quae est ex carne Christi : quasi innueret Christus

1. Idem de desiderio baptismi censeas, quod satis habetur penes implicitum, quotiescumque homo fide divina credens Deum justificatorem et remuneratorem, ejus veniam ac praemium concupiscit ex toto animo, Deum super omnia propter ipsius meritum diligente. Tali animae motu in bonum salutis et vitae, continetur, ut dictum est, motus in principium gratiae, eucharistiam.

2. Controvertitur sitne sermo de eucharistia annon apud Clementem Alexandrinum, in libro 1 *Paedag.*, c. 6. (P.G. 8, 280-289 et 296-301). Affirmat A. Struckmann (*Die Gegenwart Christi in der hl. Eucharistie nach den schriftlichen Stellen der vornizänischen Zeit*, 1905, p. 120 et 122-123) agi de ipsa receptione sacramentali eucharistiae ; Batiffol (*Eucharistie*[5], 254-257) negat eucharistiam ullatenus intendi. Nescio annon possit incedi via media inter duas illas interpretationes, quatenus defendat Clemens, baptismum ideo sufficere, quia in ipso baptismo delibetur eucharistica caro et sanguis Christi per modum cujusdam lactis, spiritualiter per fidem affluentis ; sicut solent, inquit, ab infantibus per modum lactis depasci carnes sanguisque animantium. Haec inter-

sacramento corporis sui vegetari baptismi sacramentum. Sint pro exemplo praeter alios multos[1] hi pauci.

Apud Orientales, S. Ephraem, in cujus carminibus, cum baptizatur in Jordane Dominus, eucharistia ipsa tanquam nostri baptismi fermentum exhibetur. « Ecce « Deus in aquis suum immiscuit fermen- « tum[2]. Istud fermentum attollit plasma- « tos e pulvere, eosque Deo coadunat. « Fermentum enim Domini illapsum est « in servum, eumque in libertatem addu- « xit » (*Hymni in fest. Epiph.* hymn. 4, str. 5-6 ; ed. Lamy, t. 1, p. 46).

Apud Occidentales, S. Optatus (*De schism. Donat.*, 1, 8. P.L. 11, 898) : « Christi « autem caro, dum in Jordane descendit « et ascendit, mersa a te dici non debuit : « cujus CARO ipso Jordane sanctior inve- « nitur, ut magis AQUAM IPSA DESCENSU « SUO MUNDAVERIT, quam ipsa mundata « sit. » Rursus (*ibid.* 3, 2. col. 991) : « Hic « est piscis, qui in baptismate per invo- « cationem fontalibus undis inseritur, ut « quae aqua fuerat, a pisce etiam piscina « vocitetur. Cujus piscis nomen secundum « appellationem graecam in uno nomine « per singulas litteras turbam sanctorum « nominum continet, ΙΧΘΥΣ, quod est lati- « num Jesus Christus, Dei Filius, Salva- « tor. »

Ambrosius (*Expos. evang. sec. Luc.*, l. 2, n. 83. P.L. 15, 1583) : « Baptizatus « est ergo Dominus, non mundari volens, « sed mundare aquas; ut ABLUTAE PER « CARNEM CHRISTI, quae peccatum non « cognovit, baptismatis jus haberent. Et « IDEO, qui ad Christi lavacrum venerit, « peccata deponit. »

Chromatius (*In evang. S. Matth.*, tract. 1, n. 1 et 3. P.L. 20, 329) : « Prior « ipse baptizari dignatus est, non ut pec- « cata deponeret, qui peccatum solus non « fecerat ; sed ut aquas baptismi sancti- « ficaret ad diluenda peccata credentium. « Nunquam enim aquae baptismi purgare « peccata credentium potuissent, NISI « TACTU DOMINICI CORPORIS SANCTIFICA- « TAE FUISSENT » etc.

Auctor *Sermonis* 136 in appendice ad sermones S. Augustini, n. 2. P.L. 39, 2014 : « Attactu membra tinguntur, et « fluenta ditantur : vitalem gratiam non « corpus ex flumine, sed flumen mutua- « tur ex corpore. Descendere in se fon- « tem suum felix unda miratur, sub uno « momento remedia aeterna concipiens, « et nova Deum regenerationis foecun- « ditate parturiens ; quod acceperat, « hoc reddens ; et quod non habebat, « accipiens. »

Resonat veteribus S. Thomas (4 D. 26,

pretatio mihi est utique probabilior; immo foret simpliciter tenenda, si constaret agi de fidelibus per solum baptismum initiatis. At sub nomine baptismi potuit fortasse Clemens complecti integrum ritum initiationis secundum quem neo-baptizati continuo confirmabantur et eucharistia reficiebantur. Quo casu, praevalere censebitur interpretatio cl. Struckmann.

1. Conferri possunt Ignatius, *Ephes.*, 18, 2 (F. P. 1, 228) « Baptizatus est, ut perpessione « (τῷ πάθει = receptione baptismi) aquam pu- « rificaret. » Gregorius Nazianzenus, *Or.* 38, 16 (P.G. 36, 329) : « Jesum, purgatio- « nis meae causa, in Jordane purgari videbis, « immo purgatione sua aquas mundare. » *Or.* 39, 15 (col. 352) : « Baptizat Joannes, Jesus « accedit... : ante hos et propter hos Jorda- « nem sanctificans, ut quemadmodum spiritus « et caro erat, sic etiam initiaret per Spiritum « et aquam. » Chrysostomus, *In Joan.*, hom. 26, 1 (P.G. 59, 153) : « *Producant aquae « reptile animae viventis.* Ex quo autem Jor- « danis fluenta ingressus est Dominus, non « amplius reptilia animarum viventium, sed « animas rationales Spiritum Sanctum feren- « tes, aqua producit. » S. Hilarius, *In Psalm.* 65, n. 11 (P.L. 9, 428) : « [Per Jor- « danem] novae regenerationis lavacro pos- « sessio aeternorum corporum inchoatur, aquis « ipsis baptismo Domini consecratis. » Hieronymus, *In Matth.*, 3^{13-14} (P.L. 26, 30) : « Sal- « vator a Joanne accepit baptismum,... ut Jor- « danis aquas sanctificans, per descensionem « columbae, Spiritus sancti in lavacro creden- « tium monstraret adventum. » Auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* (hom. 4. P.G. 56, 657) : « Venit ad baptismum, non ut ipse remissionem « peccatorum acciperet per baptismum, sed ut « sanctificatas aquas relinqueret postmodum « baptizandis. »

2. Nomine fermenti solere ab Ephraemo intellegi eucharistiam multis ex locis suadetur, praesertim autem ex *Sermone 2 in hebdomadam sanctam*, n. 10 (t. 1, p. 390). De usu eucharistico vocis fermenti apud Occidentales, Ephraemi coaetaneos, videsis A. Fortescue, *The Mass, a study of the Roman liturgy*, 1914, p. 367-370.

2, 3, 1m) : « Aqua baptismi habet, quod « corpus tangat et cor abluat, ex tactu « carnis Christi. »

Pulchre ista omnia intelleguntur, si in baptismo operetur eucharistia ; et fiat adhuc illud, quod scribebat olim evangelista : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

Particula III. De desiderio eucharistiae in baptizatis parvulis.

Tertio notandum est, quomodo in baptismo ipsorum infantium appetatur eucharistia. Sane incapaces sunt infantuli desiderii eliciti atque actualis ; non tamen sunt incapaces desiderii habitualis, sicut nec habitualis fidei aut spei aut caritatis. Jam vero baptismus, ut diximus, exprimit sacramentaliter desiderium eucharistiae. Efficit autem sacramentum id quod significat. Imprimit igitur infantulis desiderium habituale eucharistiae, quo eucharistiae fructum capiunt. Vegetat illos proinde eucharistia, non minus quam adultos, per desiderium sui perfectum, id est caritate formatum ; quod, pro quanto est desiderium, disponit ad eucharistiam, et pro quanto est perfectum, profluit ex eucharistia[1]. Discrimen autem inter infantes et adultos, in hoc est, quod adulti, dum intentionem exserunt suscipiendi baptismum, ratam habent actu significationem ejus sacramentalem, atque actu consentiunt in significati infusionem : pro quanto conformant, ut diximus, intentionem suam fidei Ecclesiae ; infantes vero citra omnem actum suum subjiciuntur significationi sacramentali, nulla se conformante intentione elicita, ex ipsorum parte, fidei Ecclesiae.

Quare dicuntur in sola fide Ecclesiae desiderare eucharistiam, quatenus publica Ecclesiae fides circa ordinem mortis ad vitam et baptismi ad eucharistiam, nullo est ipsorum ACTU (neque explicito neque implicito) apprehensa et ratihabita (quanquam ei conformantur habitu, ut dictum est).

Quo sensu Sanctus Thomas (3 S. 73, 3) : « Per baptismum ordinatur homo ad « eucharistiam : et ideo ex hoc ipso quod « pueri baptizantur, ordinantur per Ec« clesiam ad eucharistiam : et sicut ex « fide Ecclesiae credunt, sic ex inten« tione Ecclesiae desiderant eucharistiam, « et per consequens recipiunt rem ipsius. » Praecessit sancto Thomae sanctus Augustinus, qui audietur infra, asserens firmissime necessitatem absolutam eucharistiae, tanquam medii ad salutem, cum in adultis tum in infantibus ; interim vero defendit in infantibus sufficere baptismum, propterea quod in baptismo accipiatur spiritualiter[2] ab illis eucharistia. Nota quippe est apud Augustinum distinctio inter receptionem eucharistiae sacramentalem tantum, sacramentalem et spiritualem, et spiritualem tantum (cf. *In Joan.*, 26, 6, 15. P.L. 35, 1613-1614). Supposita hac distinctione, in baptismate ait Augustinus conferri parvulis gratiam incorporationis ad Christum, tanquam manducantibus carnem Christi spiritualiter (*De peccatorum meritis et remissione*, l. 3, c. 4, n. 7 et 8. P.L. 44, 189-190). « Nisi manduca« verint homines carnem ejus, hoc est, « participes facti fuerint corporis ejus, « non habebunt vitam. His atque hujus« modi aliis, quae nunc praetereo testi« moniis divina luce clarissimis, divina « auctoritate certisimis, nonne Veritas sine « ulla ambiguitate proclamat, non solum « in regnum Dei non baptizatos parvulos « intrare non posse, sed nec vitam aeter« nam posse habere, praeter Christi cor« pus, cui ut incorporentur, sacramento « baptismatis imbuuntur ? »

Consentanee ad doctrinam sancti Augustini, S. Fulgentius (*Epist.* 12, 11, 26. P.L. 65, 392), interrogante Ferrando, « utrum noceat, quantum noceat, an

1. Recole dicta supra de duplici ordine dispositivi ad perfectivum (Elucid. XI et XLI). Quae recurrent infra (Elucid. XLVIII et XLIX).

2. Exponetur distinctius infra (Elucid. XLIX) quid audiat apud Augustinum manducatio spiritualis : ut appareat, vere eam referri ad sacramentum eucharistiae.

« omnino nihil noceat, si quis baptiza« tus in nomine sanctae Trinitatis sacro « cibo potuque fraudetur », sic respondet : « Arbitror, sancte Frater, disputatio« nem nostram praeclari doctoris Augus« tini sermone firmatam, nec cuiquam esse « aliquatenus ambigendum, tunc unum« quemque fidelium corporis SANGUINIS« QUE dominici participem fieri, quando « in baptismate membrum corporis Christi « efficitur, nec alienari ab illo panis « CALICISVE consortio, etiamsi antequam « panem illum comedat, et calicem bibat, « de hoc saeculo in unitate corporis « Christi constitutus abscedat. SACRA« MENTI quippe illius PARTICIPATIONE ac « beneficio non privatur, quando ipse « hoc, quod illud sacramentum significat, « invenitur » (conferatur Beda, in *I Cor.* 10, hunc locum adscribens Augustino, sicut postea fecit Gratianus, *De consecr.* dist. 2, c. 36, § 2, et dist. 4, c. 131).

Superius (n. 24, col. 391) scripserat Fulgentius : « *Unus panis et unum cor« pus multi sumus.* Tunc incipit unus« quisque particeps esse illius unius panis, « quando coeperit membrum esse illius « unius corporis, quod, IN SINGULIS « MEMBRIS, QUANDO IN BAPTISMO CAPITI « CHRISTO SUBJUNGITUR, TUNC JAM DEO « VIVA HOSTIA VERACITER IMMOLATUR... « Qui ergo membrum corporis Christi fit ; « quomodo non accipit quod ipse fit, « quando utique illud fit verum corporis « membrum, cujus corporis est in sa« crificio sacramentum ?... Quod etiam « sanctos Patres indubitanter credidisse « ac docuisse cognoscimus. » Ubi haec duo vide asserta : *primo* : quia mors nostra in baptismo morti Christi inseritur, eamdem cum ea habet rationem immolatitiam seu sacrificalem. *Secundo* : membrum corporis illius, quod est *res tantum* eucharistiae, nemo fit nisi participatione aliqua corporis ipsius, quod eucharistiae est *res et sacramentum* ; adeo ut valeat illatio : est de corpore Christi (ecclesiastico) ; ergo manducavit corpus Christi (eucharisticum). Agi enimvero hoc loco de eucharistico corpore Christi, constat ex ipsa quaestione a Ferrando proposita (col. 379-380).

Ergo praeclare interpretatus est et veteres Patres et sanctum Thomam noster Toletus, cum scripsit in 3 S. 73, 3: « Cum baptismus ordinetur in eucha« ristiam, in baptismi susceptione sus« cipitur in voto virtualiter eucharistia : « et hoc modo sumitur ab infantibus. »

Similia in sua *De sacramento Eucharistiae* diatriba, expositor Graecorum, Bessarion, scripserat : « ...Sunt alii, qui etsi « non fiunt sacramentaliter participes, spi« ritualiter tamen communicant, quemad« modum si vel infans post baptismum, « vel aetate provectus, nondum, ob ali« quam inevitabilem necessitatem, recep« to Christi corpore, repentina morte de« ficiant. Nihil enim minus SACRAMENTI « PARTICIPES fiunt quam si communionem « cepissent : fiunt enim membra Christi « et regni coelestis haeredes » (P.G., 161, 496).

ARTICULUS III. DISCRIMINA CONSECTARIA INTER BAPTISMUM ET EUCHARISTIAM.

Ex iis quae dicta sunt, sequentur omnia discrimina, quaecumque attenduntur inter baptismum et eucharistiam, sive quoad id quod est *res et sacramentum*, sive quoad illud quod est *res tantum*, atque quoad ipsum usum sacramenti.

MEMBRUM I. QUOAD REM ET SACRAMENTUM.

Et primo quidem infertur discrimen, quoad id quod est *res et sacramentum.*

Pro quanto enim in baptismo significatur mors nostra, et per eucharistiam nostra vita, pro tanto oportuit ut inter Christum et nos significaretur in baptismo contactus virtutis, in eucharistia autem contactus rei[1].

1. « Baptismus est sacramentum mortis et « passionis Christi, prout homo regeneratur in « Christo VIRTUTE PASSIONIS EJUS ; sed eucha« ristia est sacramentum passionis Christi, prout « homo perficitur in UNIONE AD CHRISTUM « PASSUM » (S. Thom., 3 S. 73, 3, 3m).

Non enim inter mortificantem et mortificatum requiritur unio in esse, sed sufficit actio ex uno in alterum transiens. Satis igitur baptismus erit sui significati efficax, si per aquas a ministro Christi adhibitas deferatur virtus passionis Christi, tanquam causae alicujus extrinsecae.

Aliter autem est in eucharistia. In eucharistia enim censetur hostia salutis se nobis conjungere, ut per illam vita spiritus vivamus. Non autem esset hujus rei practica significatio, nisi ipsa hostiae caro aut sanguis nobis realiter prostaret esibilis atque potabilis, seu intussusceptibilis. Requiritur enim in vivificatione unio principii vitalis ad compartem, tanquam alicujus causae veluti formalis et intrinsecae.

Quare oportuit, ut in ipsa materia sacramenti eucharistiae occultaretur atque contineretur aliquid in se sacrum absolute et permanenter, quod est *res et signum*, corpus dico et sanguis Christi. In materia autem baptismi non requirebatur, ut esset aliquid sacrum, nisi in ordine ad aliud et transeunter, per modum delatae intentionaliter virtutis ; nec proinde oportuit, ut in ipso sacramento quod suscipitur, sed in eo qui sacramentum suscipit esset *res et signum* : character dico Christi, nobis impressus, qui per baptismum profitemur nos in partem sacerdotii Christi adscitos (pro quanto ad sacerdotium Christi pertinet ut Deo deferatur mors Christi immolatitia, in cujus nos symbolicam societatem adducit aqua[1] ; siquidem hoc portendit baptismus, quod dicit Fulgentius : « Quando [ad hoc ut sit membrum Christi, « quis] in baptismo capiti Christo subjun- « gitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter « immolatur » : vide supra). Quam sacerdotii dominici participationem cum significet baptismus, necesse est ut imprimat nobis per characterem ; qui rursus cum ordinetur ad sacrificium Christi offerendum, nos portendit interius immolatos Deo (quantum ad vitam peccati, carnis, ac mundi interimendam, ut vivamus Christo per gratiam) : secundum quod omne sacrificium visibile invisibilis sacrificii est sacramentum seu signum[2]. Et sic, per aquam significatus, character significat gratiam.

Membrum II. Quoad rem tantum et usum sacramenti.

Secundo sequitur differentia quoad id quod est *res tantum*, et quoad usum sacramenti.

Ex eo enim quod baptismus procedit per modum mortificationis, sequitur per eum aboleri omnem reatum veteris hominis, quasi jam inexsistentis ; et, quia mors fit semel, et Christus mortuus est semel, mors vero illi ultra non dominabitur, inde est, quod qui mortuus est veteri Adamo, commortuus morti Christi, non amplius hanc gratiam consequetur, ut per modum mortificationis eripiatur e tenebris peccati aut etiam infidelitatis, iterato baptismo (cf. 3 S. 66, 9, c. *secundo*), sed tantummodo ut transfuga in regiones peccati, jam non suas, reconcilietur capiti suo Christo per poenitentiam judiciariam, quae, cum super compensationem offensae importet etiam exhibitionem satisfactorii operis (tanquam mulctam additam refectioni damni, et justitiae commutativae exigentiis effectum justitiae vindicativae), eo ipso non intellegitur de se et necessario, etiam sublato reatu culpae, statim tollere debitum omnis poenae.

Eucharistia autem, quia procedit per modum vivificationis, et vivificat sub speciebus cibi ; vita autem durat per continuam conjunctionem ad principium vitale, cibus vero ex sese frequentatur assidue : inde est, quod iterari potest et debet, vegetatque hominem magis atque magis cum profectu[3]. Nec necesse est, ut tollat omnem

1. Recole in primis Chrysostomum, in Hom. 3 in *II Cor.*, n. 7, recitatum supra.

2. « Aqua baptismi vel forma verborum non « operatur ad gratiam immediate, sed ad cha- « racterem » (4 D. 26, 2, 3, 2m). Character autem, nisi adsit obex, immediate inducit, sicut et immediate significat, immolationem nostram spiritualem, quae fit per gratiam.

3. Hinc etiam fit, ut, semel supposito per baptismum fieri, quamvis ex ordinatione ad eucharistiam, incorporationem ad Christum, jam apte eucharistia ad baptismum comparetur tanquam refectio subsequens ad nativitatem, ut passim habetur apud theologos.

reatum poenae, cum caritas ex una parte, qua vitaliter conjungimur Christo, de se compatiatur satisfactionis debitum, ut patet in poenitentibus, et ex altera parte deficiat apud eucharistiam singularis ille titulus, qui in baptismo excludit omnem debiti perseverantiam, sublato scilicet debitore.

Hanc circa debitum poenae rationem intrinsecam discriminis tangit sanctus Thomas (3 S. 79, 5, 1^m), cum dicit : « Sacramentum baptismi directe ordinatur « ad remissionem poenae et culpae, non « autem eucharistia ; quia baptismus datur « homini quasi commorienti Christo, eucharistia autem quasi nutriendo et perficiendo per Christum. Unde non est « similis ratio[1]. »

Multo copiosius postea apud Graecos Nicolaus Cabasilas : « Multis circa « sacramentum [eucharistiae] oboritur admiratio, quod, cum perfectionem con- « tineat ceterorum, in poenis luendis mi- « nus videtur efficax quam baptismus, « cui tamen praestat. Luit enim baptismus « nullo praecedente labore ; eucharistia « autem non ita. Et purgatis quidem per « baptismum nullum intercedit discrimen « cum iis qui ne levissima quidem macula « sunt notati. In coena autem qui pur- « gantur, eorum multi peccatorum suorum « retinent vestigia. Et, ut sermone dis- « tinctiore utamur, cum in peccatis haec « quatuor considerentur : peccator, mala « actio, luenda ob eam poena, atque illinc « injecta animae proclivitas : ab actione « quidem oportet ipsum peccatorem se « proprio marte retrahere, et postquam « cessaverit demum, venire ad baptismum ; « cetera vero BAPTISMUS, nihil quoquam « moliente, UNO ICTU TOLLIT E MEDIO « OMNIA : ET POENAM ET MORBUM, ADEO « UT IPSUM ETIAM PECCATOREM CREDATUR « INTERIMERE. ET RE QUIDEM VERA IM- « MORITUR ILLE AQUIS, ET NOVUS QUIDAM « HOMO EST, QUEM REDDIT LAVACRUM. Ad « sacrum autem panem si quis accesse- « rit contritus, praemissa peccatorum poe- « nitentia condigna, poenae quidem dimit- « tuntur, abluiturque pravo habitu anima, « nequaquam tamen occiditur peccator, « nec enim coena novit hominem refor- « mare de integro ; et hunc unum ex [qua- « tuor] terminis in peccato consideratis, « manere sinit immobilem atque relin- « quit, quamvis peccato jam non obnoxi- « um : peccatorem. Sunt autem qui notas « morbi ferunt adhuc vulnerumque pristi- « norum cicatrices, si minorem, quam par « fuit, plagarum suarum curam habuerint, « nec attulerint animi praeparationem vir- « tuti medicinae aemulam. Et differt haec « purgatio eucharistica ab illa baptismali « in eo quod non suffocare dicitur pecca- « torem atque plasmare de novo, sed ma- « nentem purgare duntaxat, neque hoc « quidem sine nostro labore » (*De vita in Christo*, l. 4. P.G. 150, 604). Quae quam praeclarissime sint dicta, nemo est qui non videat ; nec mirabitur quisquam, sciens in Cabasilam, excepto schismatis errore, confluxisse et sapientiam Orientalium theologorum et disciplinam Aquinatis atque Patrum Occidentalium.

1. Cf. 3 S. 4, 3^m : « In baptismo autem « homo participat totaliter virtutem passionis « Christi, utpote per aquam et Spiritum Christi « commortuus peccato, et in eo regeneratus ad « novam vitam. Et IDEO in baptismo homo con- « sequitur remissionem reatus totius poenae. » 4 D. 18, 1, 3, sol. 2 : in sacramento poenitentiae per claves Ecclesiae « poena remittitur tempo- « ralis, cujus reatus adhuc remanserat post « culpae remissionem ; non tamen totus, sicut « in baptismo, sed pars ejus : eo quod in bap- « tismo homo regeneratur configuratus passio- « ni Christi, totaliter efficaciam passionis Chris- « ti, quae sufficit ad omnem poenam delen- « dam, in se suscipiens ; ut nihil de prioris « peccati actualis poena remaneat : QUIA NON « DEBET ALICUI IMPUTARI AD POENAM, NISI « QUOD IPSEMET FECIT. » Porro non ipsemet fecit peccatum, ante susceptionem baptismi admissum : sed alius quidam homo, nunc mortuus

Elucidatio XLVII.

Neque reliqua sacramenta dant gratia sanctificantem nisi ex quodam voto eucharistiae ; neque ipsa eucharistia sine aliis sacramentis administris.

Sectio II. — Comparatur eucharistia generaliter cum reliquis sacramentis.

Articulus I. Comparatio quantum ad effectum.

Membrum I. Non causant reliqua sacramenta gratiam nisi ex ordine suo ad eucharistiam.

Monet *Catechismus Romanus* pastores, « ut ostendant quae in sacrosanctis illis « mysteriis [eucharistiae] bonorum om- « nium copia et affluentia inclusa sit. » Pergit autem continuo : « Hoc vero ali- « qua ex parte ita assequentur, si om- « nium sacramentorum vi atque natura « patefacta, EUCHARISTIAM FONTI, CAE- « TERA RIVULIS, comparaverint ; vere « enim ac necessario fons omnium gratia- « rum dicenda est : cum fontem ipsum « coelestium charismatum et donorum, « omniumque sacramentorum auctorem, « Christum Dominum, admirabili modo « in se contineat : a quo TANQUAM A « FONTE AD ALIA SACRAMENTA, QUIC- « QUID BONI ET PERFECTIONIS HABENT, « DERIVATUR » (Pars 2, cap. 4, n. 47-48). Obtemperantes monito salubri, jam huic comparationi instituendae incumbamus.

Alia sacramenta dant gratiam (sive primam sive secundam) ; sed non dant gratiam, ut talem[1], ex directa sua atque propria significatione aut vi. Hoc enim proprium est eucharistiae. Ad rem sanctus Thomas : « Hoc sacramentum [eucharis- « tiae] EX SEIPSO virtutem habet gratiam « conferendi ; nec aliquis habet gratiam « ante susceptionem hujus sacramenti « nisi ex voto aliquo ipsius, vel per seip- « sum, sicut adulti, vel voto Ecclesiae, « sicut parvuli, sicut supra dictum est. « Unde EX EFFICACIA VIRTUTIS IPSIUS « est, quod etiam ex voto ipsius ali- « quis gratiam consequatur, per quam « spiritualiter vivificetur. Restat igitur, « ut, cum sacramentum realiter sumitur, « gratia augeatur, et vita spiritualis per- « ficiatur » (3 S. 79, 1, 1m, cf. 2m).

Quod igitur alia sacramenta significant proprie ex sese, et vi significationis suae formaliter inducunt, non est directe gratia aut unio caritatis, vel amicitia divina, vel consortium divinae vitae atque sanctitatis, ut tale, sed aliquid, in oeconomia praesente, idem cum gratia secundum rem, at ratione diversum[2]. Scilicet secundum rem idem est cum gratiae infusione destructio obicis, vel si quid ejusmodi ; quandoquidem infusio gratiae et conjungit Deo et delet peccatum. At quanquam est idem re, tamen secundum rationes proprias differunt ista duo (S. Thom., 1-2, 113, 6, 2m)[3], adeo ut in alio ordine unum posset esse sine altero[4], et in ipso nostro ordine quaeri adhuc possit, utrum utro

1. Cum dicimus jam gratiam ut talem, non intellegimus gratiam mere elevantem, per oppositionem ad gratiam elevantem simul et sanantem ; sed intellegimus gratiam simul elevantem et sanantem, gratiam ipsam Redemptoris, at in quantum, sumpta in sua praecisione, condividitur ab effectu proprio et specifico cujusque sacramenti : qualiter etiam genus condividitur a specie, quanquam in re idem est animal et rationale (Cf. 3 S. 62, 2, 3m). Porro dicimus, rationem illam genericam gratiae nostrae sanctificantis non esse ipsum objectum formale significationis reliquis sacramentis praeter eucharistiam inditae, nec proinde terminum formalem illorum efficaciae.

2. Nota in praesente quaestione non agi de eo quod est *res et sacramentum*, sed de eo quod est *res tantum* uniuscujusque sacramenti, pressius et formalius determinando. De eo quod est *res et sacramentum* adnotabitur aliquid in Elucidatione XLVIII.

3. « Gratiae infusio et remissio culpae dupli- « citer considerari possunt ; uno modo secundum « ipsam substantiam actus : et sic idem sunt ; « eodem enim actu Deus et largitur gratiam et « remittit culpam. Alio modo possunt considerari « ex parte objectorum ; et sic differunt secundum « differentiam culpae, quae tollitur, et gratiae, « quae infunditur ; sicut etiam in rebus natura- « libus generatio et corruptio differunt, quamvis « generatio unius sit corruptio alterius. »

4. Si reatus culpae adsit, et gratia infundatur,

sit natura prius (1-2, 113, 8, c. et 1m)[1].

Porro, si sacramenta omnia persequamur, inveniemus formalem proprietatem effectus sacramentalis in singulis esse aliquid in eucharistiam alio vel alio modo ordinatum, secundum quod scripsit sanctus Thomas : « Per sanctificationes « enim omnium sacramentorum fit prae-« paratio ad suscipiendam vel conse-« crandam eucharistiam » (3 S. 73, 3 ; cf. 3 S. 65, 3).

Poenitentia enim removet in christiano obicem ad perfectum corporis Christi consortium vitale. Quodlibet scilicet peccatum mortale tollit vinculum spiritualis communionis ad corpus Christi, quod est per fidem formatam ; quanquam manent in fideli peccatore quaedam reliquiae vel imitamenta vitae, fides et spes informis ; et in ipso apostata manet impressus ordo ad incorporationem ex charactere, sed frustratus totaliter. Ordinatur autem poenitentia contra impedimenta unionis ; proindeque se habet ad gratiam et caritatem, ex sese, tanquam removens prohibens. Potestque hoc jure definiri, PER COMPARATIONEM AD LAPSOS CHRISTIANOS, sacramentum admissionis ad communionem[2].

Confirmatio armat christianos ad confitendam fidem, ex qua vivens Ecclesia indefectibiliter, pascitur de corpore Christi : superatis adeo omnibus tentationibus, ut maneat ipsa corpus Christi incorruptibile. Quae socialis indefectibilitas, seu quaedam Ecclesiae confirmatio, initium habuit in die Pentecostes (S. Thom., 4 D. 7, 1, 1, 2, 3m), et pergit procurari, confirmatis singulis corporis membris per descensum Spiritus Sancti sacramentalem.

Non igitur confirmatio ordinatur sicut poenitentia ad tollendum communionis obicem, sed ad immobilitatem tuendam, praeoccupato obice. Estque sacramentum perseverantiae in communione corporis Christi, adversus difficultates ab extrinseco (puta ex parte persecutorum) ingruentes.

Ordo totus ad sacrificium corporis et sanguinis Christi spectat ; proindeque ad parandam coenam eucharisticam, atque etiam participandam : pro quanto omne sacrificium ordinatur in suam consummationem ; consummatio autem sacrificii eucharistici integratur per hostiae sumptionem. Quare vulgatum est apud mediaevales theologos de nostro sacrificio axioma : « Quale erit illud sacrificium, « cujus nec ipse sacrificans particeps esse « cognoscitur ? » (*Concil. Toletan.* A. D. 681, c. 5 ; indeque ad decretistas : Ivonem, *Decr.*, p. 2, c. 114 ; Gratianum, *Decr.* p. 3, *de consecr.*, dist. 2, c. 11 ; exhincque ad theologos omnes).

Ordinat igitur prae baptismo ordo presbyteros ad sumendum corpus Christi ex officio sacerdotali, tanquam propriae litationis fructum.

nequit sane gratia non removere reatum. Sed in priore ordine, ubi non erat sanans gratia, sed tantummodo elevans, infundebatur nullo praecedente peccato, nec proinde remisso. Praeterea, et quidem maxime, in ordine naturae posset a Deo remitti peccatum, nulla infusa gratia deiformi. Insuper in alio quopiam ordine supernaturali, posset etiam per gratiae infusionem remitti sacramentaliter originale peccatum sine venialibus, et tolli reatus originalis culpae sine reatu poenae temporalis, etc.

1. « Quatuor, quae requiruntur ad justifica-« tionem impii, tempore quidem sunt simul, quia « justificatio impii non est successiva, ut dictum « est ; sed ordine naturae unum eorum est prius « altero ; et inter ea naturali ordine primum est « gratiae infusio ; ... quartum vero est remissio « culpae. » Qui ordo sumitur « ex parte Dei « justificantis ». « Sed, si sumantur ea quae sunt « ex parte hominis justificati, est e converso ; « nam prius est ordine naturae liberatio a culpa, « quam consecutio gratiae justificantis. »

2. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (*I Cor.*, 11[28]). Conscientia autem sic discussa, atque, quantum res ferebat, sacerdoti patefacta, quomodo olim peccator posset per sacerdotem restitui in sua jura integra, sacramentaliter, absque tamen formula ulla veluti liturgica, vide apud d'Alès, *L'Edit de Calliste*, 1914, p. 435 (« Cette autorisation était une absolution en acte »), coll. p. 160-162. Nuperrime in hanc rem conscripsit thesim inauguralem *De ordine absolutionis sacramentalis ad reconciliationem cum Ecclesia* (quae speramus fore ut mox in lucem edatur) R. P. Bartholomaeus F. M. Xiberta, O. Carm. C., auditor Cursus Magisterii in hac Universitate Gregoriana.

Matrimonium imitatur in viro et muliere unitatem Christi et Ecclesiae *in carne una*, et remedium concupiscentiae affert christianorum carni, ne alienetur a carne Christi (4 D 26, 2, 2). Respicit ergo sacramentum matrimonii ad eucharistiam, ut ad suum exemplar et finem; estque christianis sacramentum perseverantiae in communione corporis Christi; adversus difficultates ab intrinseco (ob habitualem concupiscentiam) insurgentes

Extrema unctio, pro quanto ordinatur ad exterminandas reliquias peccati, seu vulnera illa naturae sananda, de quibus post sanctum Thomam (1-2, 85, 3)[1] theologi omnes, habilitat hominem ad Christi consortium ex eucharistia derivandum quam plenissimum, ut libere et expedite contemperetur sanctissimae Christi carni ex toto corde, tota anima, tota mente, atque tota virtute, nulla jam repugnante virium nostrarum deordinatione habituali, aut perversa inclinatione : quantum in hoc mundo fieri potest.

Undique ergo, sicut ecclesiarum nostrarum aedes in orientem solem spectant, ita et sacramentorum nostrorum agmen totum totusque cultus christianus atque ecclesiastica disciplina respicit ad eucharistiam, in qua *visitavit nos Oriens ex alto illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.*

Et exhinc est, quod et illa sacramenta virtutem quidem habent inducendi suum proprium effectum sacramentalem PER INFUSIONEM GRATIAE SANCTIFICANTIS. Sed mutuatam virtutem istiusmodi habent ex eucharistia, cui circa gratiam influendam competit ex sese virtus propria.

Quam doctrinam aperit Ps. Dionysius (*De ecclesiast. Hierarchia*, cap. 3, § 1. P.G. 3, 424-425). Quaerens enim, cur eucharistiae accesserit nomen proprium communionis et synaxeos (=conjunctionis ad Deum, vide Georgium Pachymeram, in sua paraphrasi, *ibid.*, col. 452; cf. S. Thomam, 4 D. 8, 1, 1, 3), cum reliqua etiam sacramenta conjungant Deo atque adunent Uni; respondet : « Reliquorum hierarchicorum sacramentorum « participationibus accedit ex divinis perfectisque hujus [sacramenti] donis completio. Vix enim ullum potest peragi « hierarchicum sacramentum, quin initio « cujusvis consecrationis divinissima eucharistia ejus qui consecratur operetur « (ἱερουργούσης) conjunctionem cum Uno, « communionemque cum Deo ipsi conferat per donum divinitus traditum « consummantium mysteriorum [eucharistiae]. Quod si igitur unumquodque « hierarchicorum sacramentorum [τελετῶν] « [seorsim ab eucharistia] inefficax [ἀτελής] « manens, NOSTRAM COMMUNIONEM AC « CONJUNCTIONEM AD UNUM NON OPERABITUR (τελεσιουργήσει), ORBATUM IPSA « RATIONE SACRAMENTALI propter inefficaciam (καὶ τὸ εἶναι τελετὴ διὰ τὸ ἀτέλεστον « ἀφῃρημένη); finis autem omnis sacramenti et caput est, ut sacrosanctorum « mysteriorum [eucharistiae] participatio « detur ei qui sacramentum quodlibet « suscipit : apte hierarchica scientia ex « rerum natura adinvenit eucharistiae « proprium nomen communionis et conjunctionis[2]. » Quare vocat Ps. Dionysius eucharistiam, « sacramentum sacramentorum » (τελετῶν τελετήν, *ibid.*),

1. « Quatuor sunt vulnera inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis. Sed « ...etiam... ex aliis peccatis consequentia : in « quantum scilicet per peccatum et ratio hebetatur, praecipue in agendis, et voluntas indurátur ad bonum, et major difficultas bene « agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit.» Quae infirmitates quatuor non statim tolluntur, dimisso peccato; sed, ut experientia constat, « inclinatio ad bonum virtutis in uno« quoque diminuitur per peccatum actuale »; immo « vires animae remanent quodammodo « destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem » (1-2, 85, 3). Haec in tractatu de *Gratia* sunt nobis explicanda. Porro vulneri infirmitatis medetur specialiter, ut dictum est, confirmatio; vulneri concupiscentiae, matrimonium : vulneribus igitur duobus intellectus et voluntatis opponitur potissimum extrema unctio. Cf. 4 D. 1, 1, 4, 5, 2m.

2. « Haec paraphrasis est Georgii Pachymerae (P. G. 3, 452) : « ...Non licet aliquod sacramentum hierarchicum perficere, nisi « videlicet divinissima eucharistia cum Uno, id « est Deo, conjunctionem operetur; hoc enim « est praecipuum, quod in singulis celebratur.

sacramentis scilicet ceteris conferens efficaciam et vim Deo per gratiam adunandi, adeoque operandi suum quodque effectum per gratiam.

Quod et medio aevo vulgatum est apud ipsos Latinos theologos scriptis Pseudo-Dionysii imbutos. Sit pro exemplo Thomas a Sancto Victore, abbas S. Andreae Vercellensis, commentator ipse dionysiacorum scriptorum, qui in sua expositione *In Cantica Canticorum*, l. 10 (P. L. 206, 713), postquam *piscinas in Hesebon* enumeravit duas, legem mosaicam et baptismum, deinde tertiam addit, eucharistiam. « Tertia piscina est Christi corpus. « Haec habet aquam materialem quae de « latere ejus exivit, et sanguinem qui per- « fecte abluit. Hanc diximus sacramentalem, quia ab ea MULTA ALIA sacramenta « sumunt efficaciam[1]. »

Eamdem doctrinam praedicabat S. Vincentius Ferrerius populis, mirifica quadam petita comparatione ex sphaera coelesti. « De omnibus autem, sacramen- « tum eucharistiae est principale : ... quia « HOC SACRAMENTUM DAT VIRTUTEM ALIIS. « Hoc declaratur in coelo, in quo sunt « septem planetae : primo luna, secundo « Mercurius, tertio Venus, quarto sol, « quinto Mars, sexto Jupiter, septimo « Saturnus. Et sicut sol consistit in me- « dio, quasi in quarto loco, et dat vir- « tutem et claritatem aliis planetis, ita « sacramentum eucharistiae in quarto « loco (!) computatur : a quo alia sacra- « menta recipiunt virtutem et claritatem, « et ipsa nihil recipit ab aliis » (*Sermones de tempore. In octava corporis Christi sermo unicus*. Ed. 1497. Codicis oo fol. III a. = p. 245).

Sed prae ceteris illustravit istud punctum Nicolaus Cabasilas (*De vita in Christo*, 4. P.G. 150, 585-592), adserens cooperari eucharistiam ceteris sacramentis, dum agunt : ita ut nisi cooperetur, nec ipsa sanctificent ; adserens rursus, etiam postquam operata sunt, per illam excitari, si opus sit, radium gratiae peccatis oppressum atque exstinctum ; nec proinde sacramentum ipsum poenitentiae posse apud quemquam gratiam redintegrare sine aliqua cooperatione eucharistiae. « Aliis sacramentis perfectionem, « sola ex sacramentis, impertit eucha- « ristia. Et adjuvat quidem ea, dum « initiant, utpote quae nequeant seorsim « ab illa initiare. Juvat autem post « initiationem in ipsis initiatis, cum mys- « teriorum radium peccatorum tenebris « suffusum excitare oportet. Nam fatis- « centes et peccatis interemptos, in vitam « restituere, unius sacrae mensae est « opus ... Divinus Dionysius et ipsa sancta « sacramenta negat posse initiare, adeo « ut ne proprium quidem suum effectum « inducere queant, nisi accesserit sacra « mensa. Multo certe minus credendum « est, posse laborem et justitiam hominum « peccata emaculare aliaque hujusmodi « efficere. Ceterum, et hoc unum est de « sacramentis, eos quos suorum pecca- « torum poenitet, aperientes se sacerdoti- « bus, ab omni vindicta apud Deum « judicem eximi : non igitur isto effectu « possunt gaudere, qui sacram non « sumunt coenam[2]. » Vides argumentum.

« Si igitur unumquodque sacramentum, hisce « mysteriis frustratum, sit inefficax (ἀτελής), « NEC PROPRIE POSSIT AUT SACRAMENTUM DICI, « AUT CONJUNGERE ATQUE ADUNARE CUM UNO, « merito etiam huic soli [eucharistiae] impo- « nitur proprium nomen synaxeos. Synaxis « autem intellegenda... conjunctio cum Deo « communioque ». Vide etiam in eumdem locum scholia sancti Maximi. P.G. 4, 136.

1. Congruit, quod sanctus Martinus Legionensis non minus originalis peccati quam actualis deletionem in eucharistiam refundit : « Per baptismum et mysterium sacratissimi cor- « poris Christi fideles populi absolvuntur a « vinculis tam originalis quam actualis peccati, « ita duntaxat ut deinceps abrenuntient ope- « ribus diaboli, et ut fideliter colla subjiciant « suavi jugo servitutis Christi » (*Serm. 3 in Assumpt. S. Mariae*, P.L. 209, 21-22). Cf. *Serm. 34 in festo S. Trinitatis*, P.L. 208, 1340, ubi et ipse vocat post Ps. Dionysium eucharistiam « verissimum sacramentum sacramentorum ».

2. Erraverit, qui putaverit (cum *Salmanticensibus*, disp. 3, dub. 1, § 2, n. 6) adsertam a Nicolao Cabasila necessitatem absolutam et universalem eucharistiae IN RE suscipiendae. Constat immo, apud Cabasilam ipso baptismo, jam ante collationem eucharistiae, ingenerari gratiam sanctificantem, vitam in Christo, incorporationem ad Christum, haereditatem regni

Nullum sacramentum suum effectum operatur citra conjunctionem aliquam ad eucharistiam. A fortiori ergo bona nostra opera justificare nos nequeunt. Ceterum justificatio ista est opus speciale sacramenti poenitentiae. Ergo, ex dictis supra, nequit sine influxu eucharistiae peragi.

Non mirum sane, sed nec injucundum est, quod congruit eximius ille theologus Graecorum[1] nostro Aquinati, cujus et recolas superiora verba, et perpendas quae sequuntur : « QUICQUID EST EFFECTUS DO« MINICAE PASSIONIS, TOTUM ETIAM EST « EFFECTUS HUJUS SACRAMENTI. Nihil « enim aliud est hoc sacramentum, quam « applicatio dominicae passionis ad nos... « Unde manifestum est, quod DESTRUC« TIO MORTIS[2], quam Christus moriendo « destruxit, et REPARATIO VITAE, quam « resurgendo effecit, est EFFECTUS HUJUS « SACRAMENTI » (*In Joan.*, 6, lect. 6).

Utique vehiculum nostrae sanctitatis atque vitae, omnino principale et universale, est corpus nostrae hostiae ; nec ullum prostat gratiae principium particulare aut secundarium, nisi huic subordinatum principiorum principio, atque perfectioni perfectionum connexum : eo quod, sicut et omnis sacrificii, ita sacrificii dominici fructus omnis ex hostia exspectatur, quo fieri potest modo, participanda.

Ceterum de hac eucharistiae vi singulari plura in sequente capite et testimonia et argumenta opportune congerentur. Interim sufficiat advertere, quam praeclare noster Toletus *(loc. cit.)* pro suo more philosophatus sit : « Nota rursus, non so« lum baptismum in Eucharistiam ordi« nari, sed omnia alia sacramenta ; quam« vis praecipue ad ipsius sumptionem « ordinentur confirmatio et confessio. Hinc « est, quod non in solo baptismo, sed etiam « in aliis sacramentis sit inclusum votum « eucharistiae ; immo in voto illorum. Qui « enim habet votum baptismi, simul habet « votum eucharistiae ; similiter, qui habet « in voto confirmationem, poenitentiam et « alia sacramenta. Hinc est, quod quamvis « eucharistia sit necessaria ad salutem, « peccator per contritionem cum voto « confessionis justificari possit, ut habetur « concilii Tridentini sess. VI. Nam in ipsa « confessione votum est ipsius eucharis« tiae ; omnium enim sacramentorum ipsa « est finis » *(ibid.)*. Tandemque *(ibid)* : « Quamvis omnia sacramenta novae legis « dent GRATIAM UNIONIS », tamen istud cuilibet alii (praeter eucharistiam) sacramento ideo demum contingit, quia « tale « sacramentum virtute continet eucha« ristiam : et sic in ipso suscipitur, ut in « quodam voto, eucharistia » : cujus proprius effectus secundum se est gratia unionis « cum Christo et aliis membris ».

Membrum II. Nec eucharistia causat gratiam sine aliis sacramentis administris.

Comparatum est modo sacramentum eucharistiae cum aliis sacramentis sicut quaedam causa universalis ad causas particulares, et ut artifex ad adminicula suae artis. Unde hoc statim sequebatur : quemadmodum causa secunda vel instrumentum non agit nisi dependenter a prima et principali causa, sic nec reliqua sacramenta operari quicquam nisi cum consortio eucharistiae.

Sed jam rursus neque ipsa eucharistia sine subordinatorum sacramentorum concursu operatur : non quasi recipiens ab illis virtutem, sed dispositionem aliquam subjecti requirens.

Etenim non potest percipi sacramentaliter nisi a baptizatis : quippe eos demum vivificans, quorum mortem praesignat baptismalis character. Non ergo nisi concurrente charactere baptismali vivificat hominem.

coelestis, et si quid ejusmodi : vide *De vita in Christo*, lib. 2. P.G. 150, col. 521-524, 548, 568 et passim. Jam istiusmodi criminationi se opposuerant Gregorius de Valentia, disp. 6, q. 1, p. 5, et Lugo, disp. 4, sect. 3, § 34.

1. Apud theologum minoris notae atque laudis, Symeonem Thessalonicensem, conferatur in libro *de Sacramentis* (c. 61. P.G. 155, 212) istud : « Omnia mysteria nos per commu« nionem sanctificant. »

2. Patet, in morte illa, quae destrui dicitur, includi peccatum ; sicut et in vita, quae dicitur reparari, continetur justitia. Cf. *Rom.*, 4[25], cum commentario sancti Thomae.

Quod si peccatum baptismo successit, non est fructuosa sacramentalis receptio eucharistiae regulariter nisi illis, quorum debitum obliteravit poenitentiae sacramentum. Non ergo sine sacramentali Ecclesiae acceptilatione nos peccatores eucharistia sanctificat.

Quod si quis catechumenus voto eucharistiae justificatur, non tamen sine voto baptismi illud contingit.

Quod si christianus lapsus, necdum absolutus, justificatur voto eucharistiae, neque contingit istud sine voto poenitentiae.

Rursus, modo non admodum diverso, utitur eucharistia reliquis sacramentis (confirmatione, ordine, matrimonio, extrema unctione) administris ; pro quanto *res et sacramentum*, relictum ex singulis, quanto tempore habetur, modificat potentiam passivam subjecti respectu gratiae eucharisticae : vindicans universali istius cibi virtuti protensionem specialiorem in proprium cujusque sacramenti finem, veluti apertis novis meatibus atque venis.

Quae unius ejusdemque gratiae specialior protensio in diversa (praesertim sananda) est ipsummet illud quod gratia sacramentalis, ut talis, addit super gratiam sanctificantem communiter acceptam (3 S. 62, 2). Qua de sacramentali gratia mox erit amplior sermo, dum comparatur genus causalitatis in eucharistia atque in reliquis sacramentis, respectu sanctificantis gratiae.

Elucidatio XLVIII.

Non est per omnia similis causalitas instrumentalis respectu gratiae sanctificantis in eucharistia et in ceteris sacramentis; sed horum causalitas se habet ad causalitatem illius ut ad perfectivam dispositiva.

Consentanee ad mentem veterum, tenendum est cum sancto Thoma, ut in hoc sacramento, ita in ceteris ritum externum *(sacramentum tantum)* non causare ultimum suum effectum *(rem tantum)* nisi mediante *re et sacramento*, quod est effectus primi et causa tertii. Cujus ratio non est, quia non possit usurpatum a ministro Christi sensibile elementum causare aliquid spirituale. Immo causat aliquid spirituale, scilicet characterem, baptismalis ritus. Sed ratio est, quia efficit directe ritus sensibilis id quod directe significat. Significat autem directe potestatem sacrificalem, vinculum conjugale, aut si quid ejusmodi[1] : quo rursus significatur spiritualiter aliquis effectus suo modo ad sanctitatem gratiae pertinens (qualiter supra in Elucidatione XLVII est expositum) ; qui proinde, dum significatur, etiam efficitur.

Genus autem causalitatis si inquiras,

1. Quod si quaeras, quid sit in singulis sacramentis *res et sacramentum*, haec potest delineari responsio. Omisso scilicet ORDINE, in quo res satis per se patet, jam in BAPTISMO *res et sacramentum* est character, seu consecratio interior, qua aggregatur homo sacerdotio Christi in ordine ad offerendam per ministerium sacerdotum redemptionis hostiam et participandam communione. In CONFIRMATIONE rursus *res et sacramentum* est character, seu consecratio interior, qua formaliter deputatur homo ad confitendam fidem christianam fortiter adversus christiani nominis hostes, « ex officio » quodam ecclesiastico (S. Thom., 4 D. 7, 2, art. I, per totum, et 3 S. 7, 2, 5, 2m), tanquam adscriptus Christi testis authenticus, secundum illud Domini : *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis* (*Joan.*, 15[26-27]), et illud : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.*, 24[49]), rursusque : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (*Act.*, 1[8]). Quemadmodum enim ipse Christus obsignatum morte sua testimonium perhibet veritati, ad quod reddendum erat ex litatione sua adstrictus officio sacerdotali ; sic christianus in partem dominici sacerdotii adscribitur per confirmationem, respectu testimonii, etiam cruenti, reddendi ei cujus se immiscet sacrificio. Per confirmationem scilicet deputatur publice ad martyrium. Deputatio autem ista roboris est promissio quaedam et pignus.

In MATRIMONIO, *res et sacramentum* est ipsum vinculum conjugale, symbolum (commemorativum) conjunctionis inter Christum et Ecclesiam, ex corruptione carnis peccati redemptam per Christi mortem. Quae imitatio divini connubii est remedii adversus peccatum in corpore mortis hujus saeviens designatio quaedam demonstrativa simul et efficax.

In EXTREMA UNCTIONE, *res et sacramentum* est alleviatio morbi corporalis ; quae sicut inter effectus sacramentales numeratur primo loco a sancto Jacobo (*Jac.*, 5[15]), sic etiam per prius designatur ritu unctionis medicinalis ; et ipsa rursus est symbolum demonstrativum ac efficax sanationis spiritualis, qua delentur in anima *reliquiae* peccati, seu animi *morbi* ex peccato contracti, et, dimisso etiam peccato, remanentes. Eo enim magis alleviatio illa est signum hujus sanationis, quod et ipsa morbi corporalis afflictio poenalitas est peccati : quam tulit Christus super lignum, ut livore suo nos sanaret. Quo pacto fit, ut sit etiam alleviatio illa corporalis per prius commemorativa mortis Christi.

In POENITENTIA (complexive accipienda pro confessione, absolutione, et satisfactione sacramentali integra), *res et sacramentum* est exstinctio debiti erga Ecclesiam, adeo ut absolutio sit PER PRIUS quaedam acceptilatio Ecclesiae pro satisfactione quam exhibuit (actu vel saltem proposito) ille cujus sunt peccata confessa. Qua liberatione significatur (demonstrative) solutio debiti erga Christum Deum, aientem : *Quodcumque solveritis super terram erit solutum et in coelis* (Conferas hac de re d'Alès, *L'Edit de Calliste*, 1914, p. 401, coll. p. 159-162 ; acceditque Xiberta supralaud., Elucid. XLVII). Nemo enim habet pacem veram et sinceram cum corpore Christi, quae est Ecclesia, quin habeat cum Ecclesiae capite, qui est Christus. Cujus unius demum est *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris sive quae in coelis sunt* (*Col.*, 1[20]). Cujus proinde mors in omni reconciliatione et ecclesiastica et divina commemoratur.

Facile ex iis quae hic et supra (Elucid. XLVII) sunt annotata, jam tenebis, quae sit in singulis sacramentis habitudo commemorativa ad passionem Christi, qualiterve *res et sacramentum* sit pignus demonstrativum ejus quod est in singulis *res tantum*.

respondeo, utrique signo, et sensibili et spirituali, competere respective causalitatem efficientem instrumentalem, eamque proprii nominis.

Quae, in quantum opponitur causalitati illi morali, secundum quam fingeretur ob bonitatem et valorem sacramenti exhibiti Deus retribuere gratiam[1], non inepte nuncupatur physica[2].

Pro quanto autem inhaeret signo, accepto non materialiter secundum *esse rei*, sed formaliter secundum *esse signi*, proindeque habet *esse* per modum significationis, vel intimationis, a Deo per ministrum suum procedentis, recte etiam nominatur intentionalis, intellegibilis, spiritualis (cf. Card. Billot, *De Ecclesiae sacramentis*[4], 1, 62 sq.)[3]. Est enim id genus causalitatis, quod competit intimationi intellectus practici, id est imperio[4].

1. Minus congrua videtur ista (sero in scholas invecta) sententia : quasi per collationem sacramenti aliquid proponeretur ob oculos Dei dignum quod nobis conciliaret gratiam. Iste processus est proprius sacrificii, quod offertur ; non sacramenti, quod confertur. In sacramentis etenim non sistitur ante Deum aliquod Christi opus, sed admovetur hominibus Christi virtus. Ad homines, non ad Deum, dirigitur significatio sacramenti. Pragmatica illa locutio, et veluti « visibile verbum » (Augustin.), a Deo procedit, et ab homine percipitur.

Non igitur, cum sacramentum exercetur, considerari debet Christus quasi movens Deum ad benefaciendum nobis, sed quasi ipse nobis benefaciens ; primo quidem ratione divinae naturae, secundum quam agit ut causa principalis una cum Patre et Spiritu Sancto ; secundo ratione humanae suae naturae, quae, mota a causa prima, rursus ministros movet sacramenti : adeo ut motio divina per humanitatem Christi et ministri actionem pertingat usque ad effectum sacramentalem ; per prius quidem, ad effectum significatum et significantem ; per posterius vero ad effectum significatum tantum. Causalitas igitur signi sacramentalis est immediata respectu sui effectus, pro quanto mediatio illa causae principalis excluditur, quae in causalitate morali (puta palponis) semper attenditur inter causam moralem et effectum. Praeterea est etiam immediata respectu *rei et sacramenti*, ut diximus, per exclusionem cujusvis effectus intermedii.

2. Quanquam non oportet nimis vocibus insistere : quare, si tibi displiceat vox, abjiciatur. Nec diffitendum sane, posse nomine causalitatis *physicae* ingeri mentibus audientium quamdam causalitatem veluti materialem, mox excludendam. Immo, si tibi placet nomen causalitatis *moralis*, ad designandam eamdem, quam nos et physicam nuncupamus, et nuncupabimus intentionalem, nihil per me obstat, dummodo mentem tuam patefacias, inter acceptionem tuam et acceptionem aliorum facta opportuna distinctione.

3. Noli tamen fingere significationem abstractam ab omni re significante : cujusmodi sane exsistere nequit. Immo sacramentalis significatio, utpote sensibiliter intimata, necessario intellegitur incorporata alicui materiae. Quare signum sacramentale potest sub hoc etiam respectu concipi ut compositum ex materia et forma : scilicet ex elemento sensibili (ut materia) et ex significatione ejus (ut forma). Quando igitur dicimus sacramentum causare significando, causare per significationem suam, causare non secundum suum *esse* materiale, sed secundum suum *esse* signi, sensus est : 1° elementum sensibile, semel vacuatum significatione, nihil valere ; 2° significationem esse in composito principium formale, ratione cujus adest causalitas : eo pacto quo dicimus ferrum non comburere qua est ferrum, sed qua est ignitum.

Aliunde ista significatio ritus non foret efficax (sicut nec foret vera), nisi praecederet INSTITUTIO divina, edicens fore ut intimatio mea sit Christi. Quare institutio divina se habet ad causalitatem sacramenti ut causa originis.

Secundo non causaret ritus, nisi actualiter a Deo adhiberetur (per ministrum). Quare Dei influxus (ceterum consequenter ad institutionem infallibilis) est causa prima effectus. Et quia, ut dictum est, veritas (sicut et efficacia) signi seu intimationis pendet ab usu illo divino meae ministrationis, patet divinam ipsam MOTIONEM, quae in ritu recipitur et per eum defertur, etiam illum complere in ratione SIGNI (ob oculos fidei) VERI. Quare tandem proprie et adaequate describitur causalitas sacramenti, quando dicitur sacramentum causare per suam significationem : intellege, completam omni ex parte, consequenter quidem ad institutionem, sed in virtute nihilominus praesentis influxus, quo ad veritatem circa hoc individuum determinatur. Sequitur etiam eodem ritum esse causativum, quo est susceptivus et perlativus virtutis causae principalis, et e converso : siquidem ratione significationis suae practicae, ut diximus, augetur illo divino complemento.

Hinc habes, quomodo interpreteris, sibique facias constantem, S. Thomam, dicentem primo quidem (*Veri.* 27, 4, 13^{m} ; 3 S. 75, 7, 3^{m}), sacramenta causare significando ; secundo vero, habere virtutem ex institutione Christi (3 S. 64, 3, c) ; tertio, operari ad suum effectum virtute alicujus motionis divinae transeuntis (3 S. 62, 4, c) ; quarto, virtutem illam receptam, seu passivam motionem, esse unam in pluribus illis rebus ex quibus componitur sacramentum, et simplicem in partibus sermonis successivis : eo quod inhaereat significationi (3 S. 62, 4, 4^{m}, et 3 S. 78, 4, 3^{m}, coll. 3 S. 60, 6, 2^{m}), quae est una et simplex.

4. « Per spiritus angelicos vel humanos im-« perium divinum ad corporales creaturas

Ubi recolendum est, omne sacramentum esse quoddam « visibile verbum » (Augustinus), ministerio hominum prolatum a Deo[1]. *Dixit et facta sunt.* Dicendo enim facit, quia dictio illa est intimatio intellectus practici, quo res non ideo considerantur, quia sunt, sed, quia ordinantur, ideo sunt : ordinantur enim ut sint. Ordinatio autem illa intellectus divini ministerialiter per hominem intimatur ac defertur, sacramentum exercentem.

Hucusque non differt genus causalitatis in eucharistia et sacramentis reliquis. Nunc autem, secundum aliam considerationem, invenietur differre multum. Si enim quaeras, sitne illa instrumentalis causalitas, EX PARTE *rei et sacramenti*, PERFECTIVA, AN DISPOSITIVA, RESPECTU GRATIAE, UT TALIS[2], respondeo, esse perfectivam in eucharistia, ubi *res et signum* est corpus ac sanguis Christi, at dispositivam tantum in reliquis sacramentis. Cujus ratio est, quia solum corpus aut sanguis nostrae hostiae « ex seipso » (S. Thomas, supra) significat aut causat gratiam, ut talem, consortium scilicet divinae sanctitatis et vitae[3]. In reliquis autem sacramentis *res et signum* significant, ex sese, aliquid ad gratiam, ita consideratam, quasi disponens vel ordinatum, quanquam cum gratia materialiter identicum, ut supra (Elucid. XLVII) est expositum. Quod proinde nonnisi per gratiae infusionem inducitur, veluti superimpendente eucharistia. Proprie autem vocatur istud *gratia sacramentalis.*

Huc igitur pertinet ordo, qui attenditur inter gratiae sanctificantis proprietatem et proprietatem gratiae sacramentalis. Scilicet sacramentalis gratia intellegitur addere aliquid super gratiam sanctificantem nostram, ut talem (3 S. 62, 2) ; non tamen aliquid realiter ab ea distinctum, sed ratione tantum (3 S. 62, 2, 3^m) ; sine quo utique potest esse gratia (4 D. 1, 1, 4, 5) ; quod autem, cum adest, ad ipsam gratiam pertinet (*Veri.* 27, 5, 12^m fi.) : sicut ad unam vitam hominis unumque principium vitale pertinet extensio animae ad varias sensitivi ac vegetativi ordinis functiones, inducta per plures dispositiones organicas, vel etiam refectio plagarum circumligatarum fasciis unguentisque oblitarum.

Pro quanto autem extensio illa gratiae in particulares sacramentorum fines ratione est posterior gratiae, ut tali, intellegitur quasi resultans ex gratia (4 D. 1, 1, 4, 5). Pro quanto vero se habet ad gratiam ut remotio vel praeoccupatio obicis,

« pervenire potest, ut per eas quodammodo prae- « sentetur divinum praeceptum, et sic agant « quodammodo spiritus humani vel angelici, ut « instrumentum divinae virtutis ad miraculi per- « fectionem... Nec est mirum, si per hunc « modum spirituali creatura Deus instrumenta- « liter utitur ad faciendum mirabiles effectus « in natura corporali, cum etiam corporali crea- « tura utatur instrumentaliter ad spirituum « justificationem, ut in sacramentis patet » (S. Thom., *Pot.*, 6, 4). Intellege tamen in sacramentis imperium illud divinum, intimationem illam ordinationis in mente divina exsistentis, non esse verbalem tantum, sed pragmaticam, id est rebus simul ac verbis expressam. Sed quo genere sermonis utatur Deus, pragmatico an orali, est per accidens per respectum ad efficaciam divinae intimationis. Non minus igitur quam verbum sonans erit efficax « verbum visibile », id est rebus incorporatum.

1. Necesse est, ut ob oculos servetur illa organica unitas complexus causalis, quam in re sacramentaria inculcavit S. Thomas (3 S. 62, 5). Deus videlicet cum instrumento hypostatice unito, quae est humanitas Christi, et instrumento secundario ac subordinato, qui est minister exercens ritum sacramentalem, non conflat nisi unam causam adaequatam significati, unum quid complete enuntians intus et foris (λόγῳ ἐνδιαθέτῳ καὶ προσφορικῷ) effectum : adeo ut per verba atque actionem meam promulgetur externe ad baptizandum ordinatio ipsa intra mentem Dei exsistens, et per Dei organum, quae est humanitas Christi, continuata mihi ut Christi organo. Haec dicta sint de causa totali respectu effectus illius primi, qui est *res et signum.* Qui cum habetur, jam ipse conjungitur superioribus atque adunatur, in ratione causae totalis respectu *rei tantum.*

2. Recole qualiter supra (Elucid. XLVII) distinxerimus gratiam ut talem a gratia sacramentali singulorum sacramentorum tanquam rationem genericam a specifica.

3. Siquidem, ut saepe diximus, consortium divinae vitae et sanctitatis non est aliud a consortio hostiae vivificatae et vivificantis, sanctificatae et sanctificantis. Consortium autem sui dare vel portendere, sane est hostiae ipsius, prout apponitur participanda.

vel si quid ejusmodi, intellegitur quasi disponens ad gratiam (*Veri.* 27, 7, c. fi.)[1].

Jam vero gratia ista sacramentalis est effectus proprius et specificus cujusque sacramenti (praeter eucharistiam). Eatenus scilicet singula sacramenta (praeter eucharistiam) attingunt gratiam sanctificantem, quatenus (mediante *re et signo*) attingunt gratiam suam sacramentalem, se habentem rationetenus tanquam dispositionem ad gratiam sanctificantem (*Veri.* 27, 7, c. fi. ; 4 D. 1, 1, 4, 5).

Jure ergo dicta sunt gaudere causalitate dispositiva ad gratiam (*Veri*, 27, 4, c. fi. *Pot.* 3, 4, 8m).

Eucharistia autem, quia non disponit ad gratiam, sed gratiam perfective causat, ideo nullam sibi vindicat gratiam sacramentalem propriam, nisi gratiam ipsam, ut talem, nostri Redemptoris, eamque simul elevantem ac sanantem : elevantem quidem, prout est « gratia unionis » illa, de qua supra Toletus (unionem intellege caritatis ad Deum in Christo, seu consortium divinae vitae et sanctitatis : quae omnia unum idemque sonant) ; sanantem vero, prout, fervore atque intensione caritatis, jugiter occurrens deperditioni nostrarum virium moralium, morbum maxime depellit inconstantiae (ut amplius constabit infra, Elucid. XLIX).

Sic igitur eucharistiae causalitas superponitur causalitati aliorum sacramentorum ut dispositivae perfectiva ; et hac de causa dicitur consummare reliqua sacramenta (*Veri.* 27, 4, c. fi.)[2].

Intellegitur ex dictis cur non solum reliqua sacramenta, in causando, ab eucharistia dependeant (eo quod dispositivum non continuatur effectui nisi sub perfectivo) ; sed etiam cur eucharistia ipsa non sine aliis sacramentis causet : non enim forma induci potest sine dispositionibus ad eam, pro data occasione, requisitis ; nec proinde sine baptismo et (ubi opus est) poenitentia, eucharistia formam vitae spiritualis inducet, nec contemperabit vitam spiritualem in fines reliquorum sacramentorum sine ipsis[3].

Quae omnia si habeas prae oculis, jam intelleges haec aliaque dicta sancti Thomae : « A gratia illa [sanctificante], quae « est in essentia animae, EFFLUIT aliquid « ad reparandum defectus, qui ex peccato « inciderunt ; et hoc diversificatur secun- « dum diversitatem defectuum... Hic EF- « FECTUS ad reparandum defectum non « habet speciale nomen, sicut virtus, sed « retinet nomen suae causae, et dicitur « gratia sacramentalis, ad quam DIRECTE « SACRAMENTA ORDINANTUR : quae quidem « non potest esse sine gratia, quae respicit « essentiam animae, sicut nec virtus. Sed « tamen gratia, quae est in essentia ani- « mae, non potest esse sine virtutibus ; et « ideo virtutes in ea habent connexionem. « POTEST AUTEM ESSE SINE GRATIA SACRA- « MENTALI ; et ideo gratiae sacramentales « connexionem non habent. Et ideo patet « quod gratia, quam sacramentum directe « continet, differt a gratia, quae est in « virtutibus et donis, quamvis etiam « illam gratiam per quamdam CONTINUA- « TIONEM contineant » (4 D. 1, 1, 4,

1. Nec admirationem habet iste reciprocus ordo prioritatis ac posterioritatis logicae, cum vel realis habeatur praecessio mutua, ubi cogitationetenus tantum aliquid se habet dispositive, sed realiter disponit ad formam, qua causatur. Conferatur supra nostra Elucidatio XLI.

2. Haec differentia inter causalitatem perfectivam eucharistiae et causalitatem dispositivam reliquorum sacramentorum attenditur, ut sedulo notatum est, penes habitudinem *rei et sacramenti* ad gratiam. Sin autem consideretur ordo *sacramenti tantum* ad *rem et sacramentum*, invenietur inversa differentia : pro quanto in ceteris sacramentis causalitas signi sensibilis est perfectiva respectu *rei et signi*, in eucharistia vero est tantummodo dispositiva. Est quidem perfectiva in illis : quia omne signum sacramentale efficit id quo verificatur ; verificatur autem (illic) formaliter et directe per productionem ipsam *rei et signi*. In eucharistia autem non verificatur signum sensibile per productionem *rei et signi*, sed per transsubstantiationem, quae est actio, non in corpus Christi, sed in panem mutandum. Quare notat S. Thomas : « Quan- « tum ad accessum ad terminum ad quem, [verba « consecrationis] non pertingunt instrumenta- « liter nisi dispositive. » (4 D. 1, 1, 4, 1, 6m). Haec invenies disputata jam supra in nostra Elucidatione XLII.

3. Quod v. g. non sine voto confirmationis haberi potest confirmationis effectus, vide 3 S. 62, 6, 1m.

5). Hic gratia sacramentalis ut aliquid consequens ad gratiam sanctificantem describitur.

« Sacramenta non perveniunt DIRECTE « ET IMMEDIATE ad ipsam gratiam [sanc« tificantem], de qua nunc loquimur, sed « ad proprios effectus, qui dicuntur gratiae « sacramentales : ad quod SEQUITUR in« fusio gratiae gratum facientis vel aug« mentum » (*Veri.* 27, 7, c.). Hic gratia sacramentalis antecedens ponitur ad gratiam sanctificantem.

« Sacramentorum effectus nomen pro« prium non habent, sed nomine gratiae « nominantur : dicuntur enim gratiae sa« cramentales ; et PENES HAS sacramenta « distinguuntur, sicut penes proprios effec« tus. PERTINENT autem ISTI EFFECTUS AD « GRATIAM GRATUM FACIENTEM, quae istis « effectibus conjungitur ; et sic cum pro« priis effectibus habent effectum commu« nem, qui est gratia gratum faciens, quae « etiam per sacramentum et non habenti « datur, et habenti augetur » (*Veri.* 27, 5, 12^{m}). Hic gratia sacramentalis intra gratiam sanctificantem collocatur.

Jam venit solutio antinomiae, ex hoc quod cetera sacramenta participant imperfecte virtutem eucharistiae perfectam. Ex quo sequitur, agens inferius comparari superiori sicut dispositivum perfectivo. Noscitur autem, apud sanctum Thomam, attendi inter dispositionem perfectam ad formam et formam ipsam duplicem ordinem prioritatis ac posterioritatis reciprocae,pro alio et alio genere causalitatis. Nec proinde mirum, si duobus modis, iisque inversis, se habet gratia sacramentalis ad eucharistiae gratiam. Sic, praeter alios locos multos, effert sanctus Thomas in *Quaestionibus de Veritate* illam subordinationem : « Ipse tactus Christi, inquit, cau« sabat instrumentaliter salutem leprosi. « Sicut autem humana natura in Christo « communicabat ad effectus divinae vir« tutis instrumentaliter in corporalibus « effectibus, ita in spiritualibus. ...Et sic « humanitas Christi est instrumentalis cau« sa justificationis... Unde illud est per« fectissimum sacramentum, in quo corpus « Christi realiter continetur, scilicet Eu« charistia, et est omnium aliorum con« summativum, ut Dionysius dicit in « *Eccl. Hierar.* Alia vero sacramenta « PARTICIPANT aliquid de virtute illa, qua « humanitas Christi instrumentaliter ad « justificationem operatur... Et sic sacra« menta novae legis sunt causa gratiae, « quasi instrumentaliter operantia ad « gratiam » (*Veri.* 27, 4 c.).

Elucidatio XLIX.

Eucharistia, sive corporaliter manducata, sive saltem percepta in voto, est necessaria, necessitate medii, omnibus hominibus ad salutem.

Ex triptycho Theodorici Bouts de
Coena Domini.

MANNA IN DESERTO

Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur... Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.*, cap. 6, vers. 49, 50, 54).

Lovanii, in ecclesia Sancti Petri.



CAPUT III.

DE NECESSITATE MEDII EUCHARISTIAE INSITA.

Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Jo.*, 6[54]). Ex his verbis luce clarius patet, inesse eucharistiae manducationi aliquam necessitatem. Sed quaeritur, qualis necessitas sit intellegenda : utrum necessitas praecepti tantum, quatenus homo, ab eucharistia abstinens, sit divinae legis violator, sicut transgressor est legis ecclesiasticae, qui abstinuerit intra tempus paschale ; annon potius necessitas medii : cujusmodi inest cum gratiae sanctificanti, qua si quis moriatur destitutus, in damnationem abibit, si instructus, in salutem ; tum omni rei, qua si non usus eris, jam tibi desit causa sufficiens gratiae, in praesente certe rerum ordine[1] : qualis est baptismus respectu omnis hominis, et poenitentia respectu christiani omnis lapsi.

Necessitatem nullam nisi praecepti admiserunt plerique recentiores scholastici, quorum nomina videbis relata a *Salmanticensibus*, disp. 3, dub. 1, § 4, n. 16. Multum tamen abest quin fuerit Scholae, etiam recentioris, unanimis iste sensus : ut patet per contrariae sententiae auctores, quibus allegatis ibidem, § 3, n. 10, *Salmanticenses* ipsi adstipulantur.

In parte extreme opposita olim reputati sunt stare Armeni, negantes baptismum ullum consistere priusquam formae et materiae baptismali accederet eucharistiae sumptio sacramentalis (D., 542)[2].

Damnavit porro santa Synodus Tridentina sententiam asserentium necessariam parvulis baptizatis eucharistiae subministrationem[3] (D., 933 et 937), et repro-

1. « Gratia est sufficiens causa gloriae : unde « omne illud sine quo potest haberi gratia, non « est de necessitate salutis » (4 D. 9, 1, I, 2).

2. Nostris quidem diebus existimavit Antonius Rosmini-Serbati decedentibus cum solo baptismate (sive fluminis, sive flaminis, sive sanguinis) subministrari eucharistiam in futura vita, ipso mortis instante. « Se dunque « chi non mangia la carne del figliuolo dell' « uomo, e bee il suo sangue, non ha la vita in se « stesso, e tuttavia chi muore col battesimo « d'acqua o di sangue o di desiderio, è certo che « acquista la vita eterna, convien dire che quella « comestione della carne e del sangue di Cristo, « che non fece nella vita presente, GLI VERRÀ « SOMMINISTRATA NELLA FUTURA AL PUNTO « DELLA SUA MORTE, e così avrà la vita in se « stesso... In questo modo anche a' santi dell' « antico testamento, quando Cristo discese al « limbo, potè Cristo communicare se stesso « sotto la forma di pane e di vino, e così ravvivarli da quello stato di tenebre e di sonno in « cui si trovavano ; e, mettendoli a parte della « propria vita eucaristica, renderli atti alla vi« sione di Dio ; la fede loro era per essi il titolo, « con cui sono morti, di un diritto *ad rem*, che « fu poscia effettuato da Cristo, quando diede « loro il possesso delle cose in cui speravano, « onde il loro divenne un diritto *in re*... Lo stesso « [dicasi] di que' Cristiani che muoiono, benchè « battezzati e mondi dal peccato attuale, senza « aver ricevuto nella vita presente l'eucaristia, « come accade a molti bambini » (*L'introduzione al Vangelio secondo Giovanni commentata*, Lez. 74, Taurini 1882, p. 238-239). Conferas propositionem damnatam rosminianam 32 (D., 1922). Satius erat, si contentus fuisset auctor iis quae ante posuerat inculpata (Lez. 72, p. 234) : « È dunque da dirsi che questa fede in Cristo « trae seco per natural conseguenza il desiderio « del battesimo e degli altri sacramenti, il « qual desiderio, quando non può essere soddis« fatto, basta al uomo per l'eterna salute. »

3. Quod si miraris, cur Ecclesia primaeva infantes eucharistia imbuerit, hoc equidem, ut in re ceterum minus explorata, tibi submittam,

bavit eos qui istiusmodi errorem antiquis Patribus imputarent (D., 933)[1].

Praeterea etiam certo constat adultos ipsos, si citra culpam suam caruerint ante mortem communione sacramentali, non ideo excidere a salute[2].

Nulla igitur admitti potest necessitas absoluta atque universalis eucharistiae corporaliter suscipiendae.

At superest quaestio, nonne tamen necessarium medium ad salutem sit eucharistia, adeo ut absolute necessaria sit susceptio ejus saltem *in voto*, et praeterea, si copia fiat, opus habeat adultus illam suscipere *in re*.

Quae quaestio jam praelibata est in iis quae praecesserunt de connexione inter baptismum et eucharistiam : at nunc ex propriis suis fontibus est exploranda[3].

non tam determinandi quam disquirendi gratia. Potuit sane, quin eam faceret necessariam, ortum tamen dare communioni infantium sermo dominicus apud *Joan.*, 6[54]. At potuit etiam addere stimulum, per modum incentivi cujusdam, mos, si apud veteres ethnicos viguit, admittendi infantes ad participanda sacrificia idololatrica. Erat enim communio eucharistica ANTITHESIS idololatricae communionis. Quare, si ferebatur usus ut ethnicorum parvuli initiarentur idolothytis, congruebat satis ut EX ADVERSO christiani vellent suos parvulos theothytae suae hostiae initiatos.

Porro viguisse inter ethnicos talem usum, satis credibile est, attento Decreto Maximini Daii (A. D. 306 : αὐτοῖς ὑπομαζίοις παῖσι, Euseb., *De martyribus Palestinae*, 9. P.G. 20, 1492) atque etiam Decii (A. D. 249, cf. H. Leclercq, *Les certificats de sacrifice païen sous Dèce, en* 250, Paris, 1914, p. 4 et 36, atque 12 et 14 ; coll. Cyprian., *De lapsis*, 25. P.L. 4, 484-485), quo communio ista idololatrica indicebatur, simul cum adultis, omnibus infantibus totius romani imperii, ad certam diem. Primo enim *(a priori)* parum persuadetur Caesares injunxisse universo orbi ritum absolute inauditum atque insolitum. Secundo vero *(a posteriori)* non videmus ullam esse obortam admirationem decreti circa istud punctum, dico infantilis initiationis. Unde satis probabiliter colliges, communionem idololatricam infantilem fuisse tunc temporis usitatam.

Praeterea (quod me monet Dom. H. Leclercq) pronum erat, ut libationum funebrium domesticarum infantes pro suo modulo fierent participes : quippe quae ad totam familiam pertinerent. Nec de facto ulla lege videmus fuisse cautum, ut citra aetatem grandiorem abstinerent, neque consuetudinis ullius exstant monumenta illos arcentis.

Quibus attentis, videretur inter talia adjuncta aliquid deesse parvulis christianorum, nisi et ipsi privilegio communionis eucharisticae fruerentur, idque quidem maxime (pristinis certe temporibus) in agapis domesticis.

1. Quam alteram reprobationem non satis attendit Maldonatus, dum, de sacramentali agens communione, scribit : « Missam facio Au« gustini et Innocentii primi sententiam : quae « sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, « eucharistiam etiam infantibus necessariam » (*In Joan.*, 6[54], § 116). Ubi certo constat agere Maldonatum de sacramento in re ipsa suscipiendo. Praecucurrerat Maldonato quadantenus in isto negotio Claudius de Sainctes, episc. Ebroicensis, *De rebus eucharisticis*, sexta repetitio, c. 7. Parisiis, 1575, fol. 238 a.

2. Errori alicui contrario, inter rudiores forte olim vulgato, deputari non improbabiliter potest quod in Africa, Gallia, Oriente, mortuis nonnunquam hominibus ministrata est eucharistia. Quae superstitio invenitur damnata in Concilio Carthaginensi (A. D. 397), can. 6 ; Altissiodorensi (intra A. D. 573 et 603), can. 12 ; et oecumenico sexto, can 83 ; atque alibi (cf. H. Moureau, art. *Communion eucharistique, doctrine générale*, in D. T. C., col. 495) ; nec debet confundi cum altero usu, minime superstitioso, intumulandi cum defunctis eucharistiam : de quo videsis Menardum, not. 680 ad *Sacramentarium sancti Gregorii* (P. L. 78, 473), et H. Leclercq, art. *Ampoules de sang*, in D. A. C., 1, 1758, 1759. Legi etiam potest Corblet, *Hist. ...du sacr. de l'Euch.*, 1885, 1, p. 339 et 535.

3. Hanc quaestionem nuper tractavit Emil Springer in variis suis opusculis optimis : *Die hl. Kommunion, das notwendige Mittel zur Bewahrung der heiligmachenden Gnade*, 1911 ; *Die Eucharistie,... die notwendige Nahrung der Seele*, 1912; *Unsere Einverleibung in Christus durch die Eucharistie* (in *Theologie und Glaube*, 1913, Heft I) ; *Hat der hl. Augustinus geirrt inbetreff der Notwendigkeit der Kommunion* ? (Sonderabdruck aus *Pastor Bonus*, s. a.). In quibus opusculis tuetur ex auctoritate Patrum et Doctorum necessitatem Eucharistiae (sive *in re*, ubi copia suppetit, sive saltem *in voto*) ad CONSERVATIONEM gratiae. At quoad ACQUISITIONEM primam gratiae non putat esse necessarium eucharistiae votum, nisi quatenus eucharistia sit principium perseverantiae : qui enim vult justificari, habet propositum manendi in justitia ; intentionem igitur habet utendi medio ad perseverantiam necessario, quae est eucharistia ; nequit igitur justificari quisquam, nisi habeat implicitum votum recipiendi eucharistiam. Quae expositio, sicut nihil de eucharistia nisi veri affirmat, ita, quatenus est exclusiva, neque satisfacit auctoritatibus mox de necessitate eucharistiae adducendis, neque adductis supra de indole sacramentali baptismi : ex quibus omnino constat, spectatam esse eucharistiam a magistris nostris non solum ut causam conservationis, sed etiam ut causam originis respectu totius vitae nostrae divinae ; proindeque non

§ 1. De necessitate universali in ordine ad vitam et salutem.

Sectio I. — Testimonia directa Patrum.

Audiendum igitur quid Patres et Doctores senserint[1]. Et hic quidem recolendi prius sunt mente quos supra enumeravimus (Elucid. XXXVIII et XXII) negantes incorruptionem, immortalitatem, resurrectionem, posse cuiquam obtingere mortalium nisi per eucharistiam.

Sed jam seposita quaestione speciali de resurrectione, audiendi sunt, qui asserant eucharistiam simpliciter necessariam omnibus ad vitam et salutem. Et prius quidem testimonia perpendenda sunt Ecclesiae Orientalis, quam ad Latinos et antiquiores et crebriores transeatur.

Omisso quidem Chrysostomo, cujus documenta hac in re (*In Joan.*, hom. 47, 1. P.G. 59, 263, et *De Sacerdotio*, 3, 5. P.G. 48, 643) non sane parvipendi, attamen elidi forsan posse videantur, certe Cyrilli Alexandrini suffragium est indeclinabile scribentis : « Per corporis Christi et « pretiosi sanguinis participationem ipse « quidem in nobis, nos autem rursus in eo « unimur. Nec enim aliter vivificari « potest quod natura sua est corruptibile, quam si corporaliter unitum sit « corpori ejus qui secundum naturam « suam est vita, hoc est Unigeniti. Quod « si meis verbis persuaderi te non sinis, « ipsi Christo clamanti fidem adhibe : « *Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis* « *ejus sanguinem, non habebitis vitam in* « *vobis*... Audis eum aperte praedicantem, quod, nisi carnem eius manducaverimus et biberimus eius sanguinem, « non habituri simus in nobis, hoc est in « propria carne, vitam aeternam » (*In Joan.*, lib. 10, cap. 2, P.G. 74, 341-344).

Rursus : « Est in nobis Filius corporaliter « quidem ut homo, nobiscum commixtus « et unitus per eulogiam mysticam... Nec « enim corruptioni subjecta natura ad « incorruptionem evehi potest, nisi in « illam natura omni corruptione et mutatione major descenderit, elevans ad suum « bonum quod depressum usque jacet, « et communione atque commixtione cum « seipsa ex rerum creatarum conditione « propemodum eruens, et in seipsam transformans id quod ex se tale non est » (*In Joan.*, l. 11, c. 12. P.G. 74, 564 ; cf. *ibid.*, l. 4, c. 2 per totum. P.G. 73, praesertim col. 565, 577, 581. *De adoratione in spiritu et veritate*, l. 17. P.G. 68, 1076 ; etc.). Quicquid valeat argumentum semper a Cyrillo, sicut olim a Nysseno, allatum, certe dubitari non potest, quin necessaria ei probetur eucharistia, tanquam causa propria et proxima vitae illius, cujus consortes cum Christo sumus ; adeo ut nonnisi virtute et

solum justificari nos cum voto eucharistiae, sed per votum eucharistiae, tanquam dispositionem quamdam ad formam gratiae. Praeterea, si quis rem bene consideret, perspiciet, non aliter se habere eucharistiam ad conservandam gratiam quam ad originandam : nimirum ut principium incorporationis. Acquisitio quippe prima gratiae est incorporationis exordium, sicut incorporationis continuatio est gratiae conservatio. Cum autem, consentiente Aemilio Springer, competat eucharistiae esse incorporationis principium, sequitur, utramque, et originem et conservationem gratiae, statim ab eucharistia respici, directe et per se, veluti ex aequo.

1. Haec Elucidatio (sicut et superius Elucidatio XLVII) integre erat scripta priusquam lucem viderent opera, quibus et necessitatem medii quamdam et efficaciam gratiae universalem vindicaret sacramento eucharistiae cl. P. L. Nicolussi S. S. S. : *Die Notwendigkeit der hl. Eucharistie*, Bauzani 1917, et *Die Wirkungen der hl. Eucharistie*, Bauzani 1918. Quibus ex adverso occurrit impugnator strenuus cl. O. Lutz, in *Zeitschrift fur katholische Theologie*, 1919, II (*Die Notwendigkeit der hl. Eucharistie*, p. 235-268), et 1920, III et IV (*Ueber die Wirkungen und die Notwendigkeit der hl. Eucharistie*, p. 398-420 et 505-537). Porro, sicut nec singulis quibusque sententiis aut argumentis Nicolussi equidem forte adhaeserim, sic nec in illis quae opposuit Lutz quicquam adverti, unde everteretur sententia aut argumenta infirmarentur, quae mox proponam. Quoad ipsum autem Nicolussi, multum, meo judicio, immo plurimum abest, quin ejus disquisitiones mereantur describi tanquam « grandes « passus extra viam ». Quin et adeo progreditur, ut plurimum, via recta ad intellegentiam mysterii capessendam, ut, si qui contraeant, a vero potius videantur aberrare.

efficacia eucharistiae vita nobis ingeneretur.

Eamdem doctrinam, unius verbi compendio redactam, nobis tradit Ammonius Alexandrinus : « Non participes erunt « vitae aeternae, qui per mysteriorum par- « ticipationem non receperint Jesum, qui « est vita secundum naturam » (*In Joan.*, 6^{51}. P.G. 85, 1440).

Pariter Sancto Nilo abbati tribuuntur haec verba : « Fieri nequit ut fidelis aliter « salvus fiat, delictorumque veniam acci- « piat, et regnum coeleste capessat, nisi « cum timore et desiderio particeps fiat « mystici et incontaminati corporis et « sanguinis Christi Dei » (*Epistolarum*, lib. 3, 280. P.G. 79, 521). Ubi videtur apprime ipsa justificationis gratia ex eucharistia derivari (conferatur *ibid.*, l. 1, 44, et l. 3, 39. col. 104 et 405).

In exponenda *Exodo* 12^{6}, per modum aphorismi idem adhibet Procopius Gazaeus : « Nec vitam habemus, si non « ederimus ipsius carnem, et biberimus « ejus sanguinem » (P.G. 87, 564).

Premit vestigia veterum catholicorum Patrum Theophylactus, dum scribit : « Valde necessarium est, NEC POTEST ALI- « TER HABERI VITA... Oportet igitur nos, « cum audiverimus *Nisi ederitis* etc., in « sumptionibus divinorum mysteriorum « indubitatam retinere fidem, et non quae- « rere : Quomodo ? Nam animalis homo... « non est capax eorum quae sunt su- « per naturam et spiritualia ; nec proinde « intellegit spiritualem alimoniam carnis « dominicae : cujus qui non sunt participes, « non erunt participes aeternae vitae, UT « QUI NON SUSCEPERINT JESUM, QUI EST « VITA AETERNA » (*In Joan.* 6^{53-56}. P.G. 123, 1309).

In Augustini oraculis interpretandis permulti theologi haeserunt, putantes, necessitatem, assertam in *Jo.* 6^{54}, intellegi ab Augustino de incorporatione ad Christum ita, ut non sit intellegenda de eucharistia ; incorporationem quippe tribui baptismo, per se spectato, secundum quamdam prioritatem rationis ad omne votum quodlibet eucharistiae ; illamque vocari quidem spiritualem manducationem corporis et potationem sanguinis, sed sine ordine dependentiae a sacramento eucharistiae, sive *in re* sive *in voto*, ullatenus accipiendo. At violenta esse videtur ista interpretatio[1], siquidem omnibus[2] illis locis Augustinus ostendit se habere sermonem de ipso eucharistiae sacramento.

Sit primus locus ex libro primo *De pecca-*

1. Istam interpretationem sive Augustini sive oraculi dominici prohibebat jam suo tempore Rupertus Tuitiensis (*In Joan.*, 6. P.L. 169, 469-470) : « FUNDAMENTO FIDEI NON BENE « CUSTODITO, illam praedicationem Domini di- « centis : *Qui manducat carnem meam et bibit* « *sanguinem meum, in me manet et ego in eo,* « QUIDAM ITA RECIPROCANT : *Qui manet in me* « *et ego in eo*, hic *manducat carnem meam et bibit* « *sanguinem meum* : illo sensu praeoccupati « quod manere in unitate fidei, hoc sit mandu- « care carnem et bibere sanguinem Christi, et « ADEO NON NECESSARIAM sibi arbitrantur esse AD « SALUTEM corporalem dominicae mensae com- « municationem. Sed quid, si omnes hoc idem « dicant, et omnes hoc idem sapiant ? Nonne « otiosa reputabitur illa traditio Domini, et ad « nihilum redigetur, ut nusquam observetur mo- « dus ille manducandi et bibendi, quem ipse ore « suo praedocuit, sub ipso articulo sacrosanctae « passionis ? PEREAT IGITUR A CORDE CHRISTIA- « NO HIC SENSUS, QUEM IMPORTAT HAEC INUTILIS « RECIPROCATIO. Hoc plane Christus non docuit, « sed *qui manducat*, inquit, *carnem meam et* « *bibit sanguinem meum*, eo videlicet modo, quo « traditurus sum, corde credendo ad justitiam « et ore manducando ac bibendo ad salutem, « hic *in me manet et ego in eo*, ita ut jam non sint « duo, sed una caro. MANDUCARE NAMQUE « ET BIBERE, CAUSA EFFICIENS EST, EFFECTUM « AUTEM, UT *in me maneat et ego in eo* » (cf. col. 482). Hic sane verus est sensus, ut Christi, ita Augustini : ut nexus attendatur causalis inter illa duo ; quorum prius rationat alterum, et non e converso : ita tamen, ut comestio eucharistiae possit suppleri voto, ut notabit Rupertus idem infra recitandus.

2. Non posset satis nostra thesis probari, sed nec convellitur, ex *Tractatu in Joannem* 26, 6, 15-17 (P.L. 35, 1613-1614), ubi necessaria manducatio et potatio carnis sanguinisve Christi perhibetur esse incorporatio ad Christum in Ecclesia : cujus sacramentum est eucharistia. Si enim unus prostaret nobis iste locus, dubitari posset, quid de ipso sacramento sentiret Augustinus : utrum necessarium esset, annon. Sic quippe procedit sermo : non sumptione mere sacramentali vivificatur homo, sed promissum Domini ad eos tantum spectat, qui digne accedant, id est mundi, percipientes simul cum signo

torum meritis et remissione (20, 26-27. P.L. 44, 123-124), ubi explicite a « sacramento « lavacri » condividitur « sacramentum « sanctae mensae », a baptismo eucharistia, ad quam praeparat baptismus. Hic, sicut alibi generatim, demonstratur universalis necessitas unius sacramenti (i. e. baptismi) ex necessitate universali alterius (i. e. eucharistiae). Distinguentibus enim Pelagianis inter « vitam », quam parvulis sine baptismo defunctis asserebant, et « reg« num », quo uno illos privatos concedebant, sic aufert Augustinus cavillandi ansam : « Habent enim videlicet [Pela« giani] quo confugiant, atque ubi deli« tescant, quia non ait Dominus : *Si quis « non renatus fuerit ex aqua et Spiritu*, « non habebit vitam ; sed ait : *non « intrabit regnum Dei.* Nam, si illud di« xisset, nulla hinc dubitatio posset « oboriri. Auferatur ergo dubitatio : jam « Dominum audiamus, non suspiciones « conjecturasque mortalium. Dominum « audiamus, inquam, non quidem hoc « de sacramento lavacri dicentem, SED « DE SACRAMENTO SANCTAE MENSAE SUAE, « QUO NEMO RITE NISI BAPTIZATUS ACCE« DIT : *Nisi manducaveritis carnem meam, « et biberitis sanguinem meum, non habe« bitis vitam in vobis.* Quid ultra quaeri« mus ? Quid ad hoc responderi potest, « nisi pertinacia pugnaces nervos adver« sus constantiam perspicuae veritatis in« tendat ? An vero quisquam etiam hoc « dicere audebit, QUOD AD PARVULOS « HAEC SENTENTIA NON PERTINEAT, pos« sintque sine participatione corporis hu« jus et sanguinis in se habere vitam ; « quia non ait : Qui non manducaverit, « sicut de baptismo : *qui non renatus « fuerit* ; sed ait : *Si non manducaveri« tis*, velut eos alloquens, qui audire « et intelligere poterant, quod utique non « valent parvuli ? Sed qui hoc dicit, « non attendit, quia, NISI OMNES ISTA « SENTENTIA TENEAT, ut sine corpore et « sanguine Filii hominis vitam habere non « possint, FRUSTRA ETIAM AETAS MAJOR « ID CURAT. »

Sane de eucharistia loquitur Augustinus ; sane universalem praedicat illius necessitatem ; sane non necessitatem meri praecepti : siquidem primo ad infantes haec nequaquam extendi posse censebitur. Praecepti enim necessitas nulla intellegitur nisi per respectum ad declinandum peccatum inobedientiae : quo nemo nisi rationis compos inquinari potest. *Secundo*, si de necessitate praecepti ageretur, quid valeret istud : frustra ab aetate majore id curari quod infantibus non incumbat ? Immo multa incumbunt officia adultis, quae curanda non sunt parvulis. Non necessitas igitur officii inculcatur, sed medii ; eaque ad omnes pertingens, etiam infantes. Unde multo magis benignitas dominica et eucharistiae virtus commendatur, quam si ad rem nullo ex ordine rerum intrinseco necessariam adigeremur per praeceptum sub interminatione mortis aeternae intimatum.

Doctrinam illam venditat Augustinus, non ut suam, sed ut apostolicam : « Optime « Punici christiani baptismum ipsum nihil « aliud quam salutem, ET SACRAMENTUM « CORPORIS CHRISTI nihil aliud quam vi« tam vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut « existimo, et apostolica traditione, qua « Ecclesiae Christi insitum tenent, praeter « baptismum ET PARTICIPATIONEM MENSAE « DOMINICAE, non solum ad regnum Dei, « sed NEC AD SALUTEM ET VITAM AE« TERNAM POSSE QUEMQUAM HOMINUM « PERVENIRE ? Hoc enim et Scriptura « testatur, secundum ea quae supra dixi« mus. Nam quid aliud tenent, qui bap« tismum nomine salutis appellant, nisi « quod dictum est : *Salvos nos fecit per « lavacrum resurrectionis*, et quod Petrus « ait : *Sic et vos simili forma baptisma « salvos facit ?* Quid aliud etiam, qui « sacramentum mensae dominicae vitam

unitatis unitatem (cf. *ibid.* n. 18). Haec igitur necessaria manducatio, haec demum salutifera, quae pertingat usque ad incorporationem. Quae doctrina Augustini verissima est, nec nisi praepropere inde concludes, posse, judice Augustino, incorporationem cuiquam obtingere, nullo facto per sacramentum transitu, neque in re, neque in voto. Immo contra talem conclusionem reclamant loci alii Augustini nunc recensendi.

« vocant, nisi quod dictum est : *Ego* « *sum panis vivus, qui de coelo descendi ;* « et : *Panis quem ego dedero, caro mea est* « *pro saeculi vita*, et *si non manduca-* « *veritis carnem Filii hominis et sanguinem* « *biberitis, non habebitis vitam in vobis ?* « Si ergo, ut tot et tanta testimonia con- « cinunt, NEC SALUS, NEC VITA AETERNA « sine baptismo ET CORPORE ET SANGUINE « Domini CUIQUAM SPERANDA EST, frustra « sine HIS promittitur parvulis » (*ibid.*, 24, 34, col. 128-129). Perspicue hic dualitas assignatur sacramentorum baptismi et eucharistiae; hujus autem necessitas in apostolicam Ecclesiarum traditionem refunditur, suo modo omnino universalis.

Nec vult se Augustinus praescriptionis illius adversus Pelagianos haberi inventorem, sed appellat, nec semel, auctoritatem Innocentii I (*Epist. ad Patres Conc. Milev.*, n. 5, inter augustinianas, ep. 182. P.L. 33, 785) : « Nonne, inquit « Augustinus, apertissime [Innocentius] de « parvulis loquitur ? Haec enim ejus verba « sunt : *Illud vero, quod eos vestra Frater-* « *nitas asserit praedicare, parvulos aeternae* « *vitae praemiis etiam sine baptismatis* « *gratia posse donari, perfatuum est. Nisi* « *enim manducaverint carnem Filii hominis,* « *et biberint sanguinem ejus, non habe-* « *bunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc* « *eis sine regeneratione defendunt, videntur* « *mihi ipsum baptismum velle cassare, cum* « *praedicant hos habere, quod in eos cre-* « *dimus nonnisi baptismate conferendum.* « Ecce beatae memoriae Innocentius Papa « sine baptismo Christi, ET sine parti- « cipatione corporis et sanguinis Christi « vitam non habere parvulos dicit » (*Contra duas epistolas Pelagianorum* 2, 4, 7. P.L. 44, 576). Rursus : « Sancto Innocentio « vide quid respondeas,... qui denique « parvulos definivit, nisi manducaverint « carnem Filii hominis, vitam prorsus « habere non posse. Huic responde, imo « ipsi Domino, cujus ille antistes usus est « testimonio » (*Contra Julianum* 1, 4, 13. P.L. 44, 648).

Quid rursus sonat aliud Epistula ad Paulinum Nolanum (Ep. 186, 8, 29. P.L. 33, 826), ubi haec leguntur : « Si autem « cedunt [pelagiani] Sedi apostolicae, vel « potius IPSI MAGISTRO ET DOMINO APO- « STOLORUM, qui dicit non habituros vitam « in semetipsis, nisi manducaverint car- « nem filii hominis et biberint sanguinem, « QUOD NISI BAPTIZATI NON UTIQUE POS- « SUNT ; nempe aliquando fatebuntur, par- « vulos non baptizatos vitam habere non « posse, ac per hoc, quamlibet tolerabi- « lius omnibus qui etiam propria peccata « committunt, tamen aeterna morte mul- « tari. »

Non minus hic quam supra agitur de eucharistia ipsa, ut se habente secundum propriam rationem tanquam id ad quod *rite* suscipiendum habilitat baptismus ; non minus de universali ipsius necessitate, etiam parvulos constringente ; non minus de apostolica, immo dominica, hujus dogmatis auctoritate[1].

Quod si in ore Augustini sive Innocentii manducatio illa corporis vel potatio sanguinis nihil aliud sonaret nisi societatem nescio quam cum Christo, praecisam omnino a sacramento corporis ejus et sanguinis, quaenam erat argumenti efficacia ad confutandos Pelagianos ? Nonne Pelagiani

1. Abundant istiusmodi documenta apud Augustinum. Sic in libro primo *Contra Julianum*, 6, 22. P.L. 44, 655 : « Omnino et parvulorum « Salvator est Christus ; omnino, nisi ab illo « redimantur, peribunt : quoniam sine carne « ejus et sanguine vitam habere non possunt. »

Rursus in *Opere imperfecto contra Julianum*, 3, 44. P.L. 45, 1268, cum Julianus, ad excludendum ab infantium anima peccatum originale, Deum non dubitaret inducere dicentem : « Iniquissimum et stolidum est, ut mea res, mea « imago alienis gravetur operibus », reponit Augustinus : « Cur autem non etiam hoc facis « Deum dicere : Iniquissimum et stolidum est, « ut mea res, mea imago per infidelitatem vel « negligentiam parentum vel quorumlibet inter « quos vivit, vel per quamcumque necessitatem, « sine baptismo de corpore exeat, et ad regnum « meum non admittatur ; NEC vita vivat, quia « carnem sanctam non manducavit, nec san- « guinem bibit ? An et contra istam Christi « sententiam disputabis atque clamabis, di- « cens : Prorsus, etiamsi non manducaverit « carnem Christi, neque biberit ejus sangui- « nem, vita vivet ? O VOCEM CUJUS, NISI « ANTICHRISTI ? Vade, dic ista, doce ista :

poterant, constantes suis principiis, respondere facile : parvulos, cum essent sine peccato, jam ante baptismum habuisse pacis societatem cum Christo, ac proinde manducasse corpus et sanguinem Christi, sensu illo prorsus metaphorico. Convincebantur autem tunc demum Pelagiani, si in causa erat incorporatio ejusmodi, quae ex virtute propria eucharistiae flueret ; cum pateret et constaret inter omnes, nonnisi per baptismum patere aditum ad eucharistiam. Interim vero firmissime tenendum est, hac doctrina Augustini (pariterque Innocentii) minime exclusam esse salutem parvulorum cum solo baptismo decedentium[1].

Quin et errant multum, qui putant occasione controversiae cum Pelagianis coeptum denique esse ex necessitate participandi corporis sanguinisve Christi transiri retro ad necessitatem suscipiendi baptismi commonstrandam. Quid enim aliud apud Cyprianum agebatur in libro 3 *Testimoniorum... ad Quirinum* (c. 25, collato potissimum capite 26, ed. Hartel, p. 140-141), ubi ad defendendam necessitatem baptismi ita allegatur *Jo.* 6^{54}, ut tamen manifeste de eucharistia intellegatur, ut constat ex inscriptione continuo subjuncta capitis vicesimi sexti. Caput quippe vigesimum quintum huic demonstrandae thesi inservit : « Ad regnum Dei, « nisi baptizatus et renatus quis fuerit, per- « venire non posse. » Probatio autem haec est : « In euangelio secundum Iohannem : « *Nisi quis renatus fuerit...* etc. Item il- « lic : *Nisi ederitis carnem Filii hominis et* « *biberitis sanguinem eius, non habebitis* « *uitam in uobis.* » Caput autem vigesimum sextum sic continuo inscribitur : « Parum « esse baptizari ET eucharistiam accipere, « nisi quis factis et opere proficiat. » — Ubi tanto certius de eucharistiae sacramento agitur, quanto minus potest contra bonorum operum exhibitionem dividi conjunctio caritatis cum Christo.

Post Augustinum autem, ecce gravior accedit atque vix non irrefragabilis auctoritas Gelasii, Papae ad omnes episcopos per Picenum constitutos scribentis : « Ipse « Dominus Jesus Christus coelesti voce « pronuntiat : *Qui non manducaverit carnem* « *Filii hominis et biberit sanguinem ejus,* « *non habebit vitam in semetipso* : ubi uti- « que NEMINEM VIDEMUS EXCEPTUM, NEC « AUSUS EST ALIQUIS DICERE, PARVULUM « SINE HOC SACRAMENTO SALUTARI AD AE- « TERNAM VITAM POSSE PERDUCI ; sine illa « autem vita in perpetua futurum morte « non dubium est... Dominus, sicut supe- « rius diximus, ait (quod utique nisi bap- « tizatis non convenit) : *Qui non manduca-* « *verit carnem Filii hominis... non habe-* « *bit vitam in semetipso...* De vita autem « aeterna hoc dictum nullus addubitat, « quoniam multi non manducantes hoc « sacramentum, vitam habere videntur « praesentem. Nihil est ergo quod dicant, « quod non renati infantes tantummodo « in regnum coelorum ire non valeant, non « autem perpetua damnatione puniantur : « dum sine baptismate corpus et sangui- « nem Christi nec edere valeant, nec po- « tare, sine autem HOC vitam in semet- « ipsis habere non possint, sine vita vero « nonnisi mortui sint futuri » (P.L. 59, 37-38). Potestne expressior sermo fieri de eucharistiae sacramento (« multi non

« audiant te christiani viri et feminae, audiant « homines mente corrupti, reprobi circa fi- « dem ; audiant te, ament te, honorent te, « pascant te, vestiant, ornent te, et perditum « sequendo perdant et se ! Sed novit Dominus, « qui sunt ejus. »

Item in libro primo *Contra duas epistolas Pelagianorum*, 22, 40. P.L. 44, 570 : « Datis « enim eis [= parvulis] extra regnum Dei locum « salutis et vitae aeternae, etiamsi non fuerint « baptizati... Nec illud cogitatis, eos vitam ha- « bere non posse, qui fuerint expertes corporis « et sanguinis Christi, dicente ipso : *Nisi man-* « *ducaveritis carnem meam, et biberitis san-* « *guinem meum, non habebitis vitam in vobis.* »

1. Quanquam exclusionem istam nonnulli, etiam inter coaetaneos nostros, Augustino imputant : ut puta cl. J. Tixeront (*Histoire des Dogmes*[3], 2, 419) et Rev[mus] P. Batiffol (*Eucharistie*[5], 449-450) ; sed immerito, ut ostendimus in Elucidatione XLVI. At vero, si est iste error Augustino imputandus, eodem jure oportebit ut imputetur etiam Cypriano, Innocentio, Gelasio, etc. Jam autem vide quomodo te expedias a reprobatione Concilii Tridentini (D., 933).

« manducantes hoc sacramentum »), de eucharistiae manducatione et potatione, cujus nonnisi baptizatis fiat potestas; qua deficiente, vita non ingeneretur? Sed age, dic Gelasium, dic Augustinum sub nomine manducationis et potationis eucharisticae intellexisse solummodo conjunctionem cum Christo per caritatem ex eucharistia minime promanantem. Quonam tunc redit illorum argumentum? Huc sane : infantes non habent vitam sine baptismo, quia Christus dixit (apud *Joannem* 6[5]) non obtingere cuiquam vitam nisi conjuncto secum per caritatem. Nonne in promptu erat responsio haereticorum : Sed sine baptismo potest obtingere illis istiusmodi conjunctio cum Christo. Admittimus, quin et defendimus, vitam nullam constare sine conjunctione ad Christum; sed conjunctionem illam, caritatem, justitiam, aut si quid ejusmodi, haberi etiam sine baptismo, ipsissimum nostrum dogma est, quod tu assumebas refellendum. Cujus dum falsitatem adversus nos praesupponis, quid videris nisi in argumentando petere principium? — Quomodo tunc fraenarentur ora haereticorum? Quomodo non seipsos stultificarent Patres? Immo redarguebant haereticos validiore modo, dum dicebant : Neminem nisi baptizatum afficit suo beneficio eucharistia, ut constat inter omnes. Sine beneficio autem eucharistiae nemo vitam habet, testante Domino apud *Joannem* 6 [4]. Ergo infantes sine baptismo decedentes carent vita : quod erat probandum.' — Obturata quippe erant haereticorum ora, ex eo quod de eucharistia accipiebatur dictum, illud *Nisi manducaveritis*, etc. Nec negabant haeretici esse dictum de eucharistia; sed volebant restringi ad adultos. Cui occurrebant effugio Patres, paritatem rationis in adultis et in infantibus notantes. Quomodo autem cum necessitate eucharistiae componerent sufficientiam baptismi, habes supra a Fulgentio traditum.

Eodem ferme tempore ac Gelasius, auctor homiliae saepius jam laudatae *De corpore et sanguine Christi*, 7 (P.L. 30, 274), testimonium idem evangelii, apertissime de eucharistia intellectum, advocat sicut Augustinus, ad defendendam in parvulis necessitatem baptismi : « Quid adhuc de « HAC DUPLICI SPECIE [solida et liquida « eucharistiae] inquirere debeas, ipso Do- « mino attestante, cognosce : *Nisi*, inquit, « *manducaveritis carnem Filii hominis, et* « *biberitis ejus sanguinem, non habebitis* « *vitam in vobis.* Quod testimonium contra « Pelagii blasphemias evidentissimum at- « que validissimum est, qui asserere arrepta « impietate praesumit, non propter vitam, « sed propter regnum coelorum baptis- « mum parvulis conferendum. Sub his enim « Dei verbis, quibus Evangelista pronun- « tiat : *Non habebitis vitam in vobis*, aperte « intelligendum est, quod omnis anima « munere baptismi vacua, non solum gloria « careat, sed et vita. »

Ejusdem aetatis conjicitur esse Joannis Diaconi *Epistola ad Senarium*, ubi de surgentibus e fonte baptismali neophytis dicitur : « Intelligant quia non alii, « sed ipsi qui participes fiunt corporis et « sanguinis Domini, terram repromissionis « accipient » (n. 12. P.L. 59, 405).

Nec segnior fuit in defendenda intrinseca necessitate eucharistiae aetas posterior.

Sexcenta possent testimonia afferri, quibus necessitas eucharistiae praedicatur, nulla facta restrictione; quale est testimonium Leidradi Lugdunensis, scribentis :

« Oportet renovatos per baptismum « MENSAE DOMINICAE applicari... Qui enim « dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* « *et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum* « *coelorum*; dixit : *Nisi manducaveritis car-* « *nem meam et biberitis sanguinem meum,* « *non habebitis vitam in vobis.* OMNES « ISTA SENTENTIA TENET, ut sine corpore « et sanguine Filii hominis vitam habere « non possint... Pro hominum vita caro « Christi data est, quam nisi manduca- « verint, non habebunt vitam aeternam » (*De sacramento baptismi*, c. 9. P.L. 99, 866). At ne aequivocatio fiat, testimonia illa

sunt seligenda, quibus strictius asseritur necessitas quaedam intrinseca[1].

Hanc intrinsecam necessitatem opponebat Dominicus Gradensis Orientalibus negantibus valide in azymo confici eucharistiam. Si invalida est confectio, inquit, ecce tota Occidentalis Ecclesia caret vita, quae nonnisi per eucharistiam contingit : quod tamen viro christiano nefas est cogitare. « Frustra quippe beatissimi « Petrus et Paulus in Italia praedicave« runt, si Occidentalis Ecclesia BEATITU« DINE SEMPITERNAE VITAE PRIVATUR : « ad quam nemo perveniet, nisi particeps « fuerit corporis et sanguinis Christi, sicut « ipse contestatus est : *Nisi comederitis*, « etc. Si ergo infermentati panis oblatio « corpus Christi non est, omnes nos alieni « sumus a vita » (*Epistola ad Petrum Antiochenum*, n 4. P.G. 120, 753-756).

Concionatorem quemdam antiquum percelebrem Radulphum Ardentem Cardinalis Bona in suo *Rerum liturgicarum* libro 2, c. 19, reprehendit, quasi fecerit infantibus sacramentalem communionem absolute necessariam. Scribit quippe ille Radulphus : « Statutum est ut PUERIS « mox baptizatis saltem in specie vini, « tradatur [eucharistia], ne sine NECES« SARIO discedant sacramento » (*Homilia* 51, in die Paschae. P.L. 155 1850). Sed Eminentissimum virum infeliciter fugerunt verba continuo succedentia, ex quibus satis constat, nihil aliud a Radulpho esse traditum, nisi quod a veteribus erat commendatum : eucharistiam esse nobis necessarium vitae principium ; at, deficiente inculpabiliter sacramentali sumptione, sufficere spiritualem. Sic enim pergit Radulphus : « Et quid si discedant ? numquid « damnabuntur ? Non, fratres mei, quo« niam in fide, etiamsi non sua, tamen pa« trinorum salvabuntur. Duo quippe sunt « modi manducandi corpus Christi, unus « sacramentalis, alius spiritualis.... Spiri« tualiter vero accipit corpus bonus, qui, « etsi non sacramentaliter quandoque ac« cipit, tamen fide et caritate in corpore « Christi est... Verumtamen, fratres mei, « omnibus christianis, locum et tempus « habentibus etiam sacramentaliter com« municandum est » (*ibid.*, 1850-1851)[2].

Ex eadem doctrina de eucharistiae virtute procedit admonitio haec Gulielmi a Sancto Theodorico (*De sacramento altaris*, c. 8. P.L. 180, 354) : « De spirituali « manducatione spiritualis [i. e. eucharis« ticae et actualiter vivificae, cf. cap. 6 et « 7] carnis Christi, satis, ut puto, dictum « est : quae, ut multa breviter concludam,

1. Me piget tamen oraculum synodale Gerardi I Cameracensis omittere : « Ad hoc « mysticum et divinum epulum nos Dominus in« vitat, tantamque necessitatem sumendi hujus « alimenti nobis indicat, ut aliter in nobis vitam « habere non possimus, nisi carnem ejus man« ducaverimus et sanguinem biberimus... Pos« sunt quidem homines sine hoc cibo tempora« lem hanc vitam in praesenti saeculo habere ; « aeternam vero vitam habere nequeunt, quae « solis fidelibus carnem et sanguinem Christi « digne sumentibus promittitur » (*Acta Synodi Atrebatensis*. P.L. 142, 1279).

2. Una cum Radulpho insimulat ejusdem erroris Bona *(ibid.)* Walterium Aurelianensem. At mirabilius etiam istud accidit ; nam Walterius nihil aliud habet quam hoc : « Semper eucharistiam presbyter habeat para« tam, ut, quando quis infirmatus fuerit, aut « PARVULUS aegrotaverit, statim eum commu« nicet, ne sine viatico moriatur » (*Capitula*, 7. P.L. 119, 734-735). Porro nemo, credo, jurisperitus ignorat, hanc fuisse sollemnem Ecclesiae mediaevalis sanctionem, ut patet per *Capitularia Caroli M. ab Ansegiso collecta*, 155 (P.L. 97, 532) et *Capitula* Rodulphi Bituricensis, 7 (P. L. 119, 707), quae sunt ejusdem tenoris, nisi quod pro voce *viatico* habetur *communione* ; indeque transiit res ad decretistas, ut Burchardum, *Decr.* 5, 10. P.L. 140, 754 ; Ivonem Carn., *Decr.* 2, 20. P.L. 161, 165. Quae cum dicta sint de duobus viris immerito a Bona reprehensis, tertium adducam, virum mediae inter Walterium et Radulphum aetatis, Bernoldum Constantiensem, vel alium, quicumque est, auctorem opusculi *De Sacramentis morientium infantum* ; qui, data opera, incumbit ut non solum pueris recens baptizatis, sed etiam positis iisdem in discrimine mortis, iterum detur eucharistia. Cujus haec sunt verba : « Sciendum autem, « quod quidam parvulis morientibus viaticum « non putant esse necessarium, cum [=cum « tamen] Dominus generaliter dicat omnibus « ad se pertinentibus : *Nisi manducaveritis*, etc... « Unde B. Augustinus : ...*An*, inquit, *quis« quam hoc etiam dicere audebit, quod ad parvu« los haec sententia non pertineat, possintque sine*

« non est aliud quam PONERE CORDA IN « VIRTUTE EJUS [scil. eucharisticae carnis], « et rem ducere in opus et effectum [h. e. « vitam sacramento concordantem agere] ; « jamque ipse rei ordo videtur exigere, « ut etiam de corporali [h. e. sacramen- « tali manducatione] aliqua disseramus. « Corporalis autem manducatio est cor- « pus Domini corporaliter percipere, sive « digne, sive indigne sive ad vitam sive « ad mortem. Licet enim illa [spiritualis « manducatio] sufficiat, si sic inevitabile « cogat necessarium, tamen et haec [man- « ducatio corporalis] non est omittenda. »

Sufficientiam autem spiritualis communionis, in defectu inculpabili sacramentalis, exponit verbis Fulgentii supra laudatis; illustrat deinde virtutem eucharistiae per verba Hilarii pariter a nobis adducta superius.

Nec contrarius[1] sententiae suorum coaetaneorum mihi videtur Guibertus Novigentinus (*De pignoribus sanctorum*, 1, 1. P.L. 156, 613), dum defendit hominem posse esse christianum, cum baptismo, sine eucharistia : ut fuere, inquit, tam multi martyres sacramento nunquam cibati, et eremitae nonnisi « semel « aut rarissime ». In quo nihil enuntiat, nisi quod apud omnes catholicos constat ; addit interea, eosdem se, citra corporalem sumptionem, eucharistiae tamen incorporasse spiritualiter : « Sancto deinceps « opere SE EI [h. e. eucharistiae] INCOR- « PORANTES », per fidem, « in qua con- « stanter » permanent, rei « summe » necessariae, sic demum « longaeva solitu- « dine sanctificati sunt. »

Ni fallor, Guibertus idem sentit quod nunc nobis traditurus est explicite Rupertus. Qui, amota omni interpretatione metaphorica, vult de proprio Christi corpore eucharistico intellegi locutionem dominicam *Nisi manducaveritis*, etc., atque nihilominus tenet, corpori sacramentali isti proprio communicasse (spiritualiter) infantes post baptismum praereptos morte, atque praeventos a persecutore martyres. « Cunctis figurarum vel similitudinum « nebulis amotis, non corpus quodlibet, « non corpus Christi quod est Ecclesia, « sed illud corpus Domini, quod pro nobis « traditum est, nos manducare, et illum « sanguinem, qui pro nobis fusus est in « remissionem peccatorum, nos bibere in- « dubitanter credimus, et quod fecit ipse; « hoc idem in commemorationem ipsius « scimus, et bene scimus, nos facere, id est, « carnem ipsius manducare et sanguinem « bibere... Igitur *nisi manducaveritis*, in- « quit, *carnem meam, et biberitis sangui-* « *nem meum*, hoc videlicet, quod dicturus « sum, facientes in meam commemora- « tionem, *non habebitis vitam in vobis*. « Sane, qui vel tenerrima cohibentur in- « fantia, priusquam ex hac luce migrent, « quominus[2] manducare aut bibere possint, « vel qui articulo temporis constringun- « tur, sicut nonnulli confessores, quos nec « baptizari aqua persecutionis et mortis « instantia permisit, non praejudicantur « hac sententia veritatis. Nec enim judica- « tur apud Deum non manducasse, nisi « qui manducare noluit, qui non curavit, « qui neglexit. ...Proinde nec parvulos, « quos aetatis impotentia manducare ve- « tat, qui mox ut baptizati fuerint ab « hac luce migrant, aeternae vitae con- « sortes arbitramur ; nec praeventos a « persecutore confessores pios, in sanguine

« *participatione corporis hujus et sanguinis in* « *se habere vitam aeternam* ? Et post pauca : *Si* « *non manducaverint carnem Filii hominis, nec* « *ipsi habebunt vitam*. Unde Romanus Ordo « statim post baptismum illis communionem « dari praecipit : quanto magis in extrema « necessitate, cum de hoc saeculo transire coe- « perint ? » (*De Sacramentis morientium infantum*, 2. P.L. 148, 1273).

Cur mediaevales illi tam sollicite volebant ut communio daretur, nisi quia sciebant, necessitatem quamdam intrinsecam inesse eucharistiae secundum se, pro quanto est fons vitae nostrae totus : quanquam non eos fugiebat, posse ex illo fonte vitam ad fideles, citra omnem suam culpam privatos potu sacramentali, per spiritualem quemdam haustum stillare ?

1. In contrarium legatur Emil Springer, *Die heilige Kommunion, das notwendige Mittel zur Bewahrung der heiligmachenden Gnade*, 1911, p. 54.

2. Sic legendum puto, nec, ut habetur impressum, *migrant, quam*. Ceterum sensus est indubius.

« suo baptizatos, corpori Christi communicasse, vel calicem Domini bibisse, « quod ad aeternam vitam proficiat, dubitamus » (*In Joannem*, l. 6. P.L. 169, 483-484).

Posterius, in tertio suo libro *De Spiritu Sancto*, c. 25 (P.L. 167, 1665-1666)[1], expresse quaestionem movet, cur, valente baptismo ad salutem conciliandam, necessaria tamen sit eucharistia ad vitam adipiscendam; et consentanee ad ea, quae supra (Elucid. XLVI) ex ipso retulimus, respondet : rem ita habere, quia baptismus hominem, originali laesum peccato, aptet et ordinet ad eucharistiam, ex qua demum promanat et salus et vita :

« *Cur utrumque ad salutem necessarium* « *sit, et prius baptizari, et deinde huic sa*« *cramento participare.*

« Quid, inquis, opus erat, postquam « baptismum accepimus in remissionem « peccatorum, sumere cibum in remissio« nem peccatorum ? Imo, utrolibet horum « accepto sacramento, quid alterum ad sa« lutem erat necessarium ?... Quia videli« cet, quod ait : *Qui crediderit et baptizatus* « *fuerit, salvus erit*, tale est, ac si dicat cer« tus medicus de homine semivivo plagis « plurimis a latronibus vulnerato : Si se in « stabulum meum deferri permiserit, sal« vus erit ; dabo enim illi cibum et potum « tantae virtutis, ut integram continuo « sospitatem recuperare possit. — Sic « nempe, cum dicit : *Qui crediderit et bap*« *tizatus fuerit, salvus erit*, subaudiendum « est : corpus enim meum in escam et « sanguinem meum in potum dabo, sive jam « paravi illi, unde refectus, sine dubio sal« vus sit. » Nullum igitur dubium, quin ille, sicut superiores, fructum salutis, ex eucharistia derivet in omnes fideles.

Postquam divisit, modo omnibus veteribus post Augustinum consueto, duas comestiones corporis Christi, unam corporalem, quae « fit ore », alteram spiritualem, quae, sive conjuncta corporali, sive non, « fit corde », deinde Divus Algerus haec, hominibus nostrae aetatis minus familiaria subjungit : « Quamvis igitur spi« ritualis comestio corporis Christi prior « et dignior sit quam corporalis, quia illa « tantum bonis, haec autem communis est « et bonis et malis ; cum UTRAQUE tamen « SIT AD SALUTEM NECESSARIA, et QUAN« TUM AD SUBSTANTIAM DOMINICI CORPO« RIS, VERA : videtur quaerendum, cur « B. Augustinus dixerit, quia tunc erit « unicuique vita corpus Christi, si in ipsa « veritate spiritualiter manducetur ; quasi « non in ipsa veritate corporaliter su« matur, et mali, qui corpus Christi « sacramentotenus tantum sumunt, non « verum illud sumant, quia non spiritua« liter illud capiunt » (*De sacram. corp. et sang. dom.*, l. 1, cap. 21. P.L. 180, 798 ; cf. cap. 20, col. 797). Ubi duo notatu digna occurrunt : 1° quod non solum spiritualis comestio, sed et corporalis, dicitur esse necessaria ad salutem ; 2° quod non solum corporalis comestio, sed et spiritualis, suam habere dicitur veritatem respectu corporis ipsius dominici[2].

Universaliter omnibus hominibus esse eucharistiam necessariam ad salutem Petrus Venerabilis ita districte docet ut nulli relinquat exceptioni locum : non solum in Novo Testamento, sed etiam in Vetere, aiens homines per manducationem spiritualem illius sacramenti demum salvatos. « Dat plane carnem suam, dat sangui« nem suum, non solum ad honorandum, « non solum ad adorandum, sed etiam « ad manducandum et bibendum, Chris« tus hominibus ; ut, sicut absque carnali « cibo et potu nullum mortalium morta-

1. Interim in capite I ejusdem libri haec brevius posuerat : « Sunt autem duo haec sa« cramenta maxima, scilicet baptisma et vivifica « corporis et sanguinis ejus mensa, quae sine « dubio nostrae saluti tam necessaria sunt, ut « absque his NULLI HOMINUM ad vitam vel « regnum Dei aditus pateat » (col. 1641).

2. Agi de individuo corpore Christi, non de ecclesiastico tantum, patet non solum ex subjecta materia, sed etiam ex tenore verborum, quibus ad propositam quaestionem fit responsio : « Astruemus ipsam veritatem : qua scilicet « bonos vere omnino credamus corpus Christi « sumere ; MALOS autem VERE quidem QUAN« TUM AD SUBSTANTIAM, et non vere quantum « ad effectus gratiam » *(ibid.)*.

« lem et miseram vitam posse transigere « cernitur, sic ABSQUE ISTA SPIRITUALI « ESCA ET POTU NEMINEM IMMORTALEM « ET BEATAM ASSEQUI POSSE CREDATUR... « Vitam eum esse hominum sempiternam « discunt homines comedendo... Spiritua- « lem escam et spiritualem potum, hoc « est corpus suum et sanguinem, vitam « aeternam hominibus spiritualiter con- « ferentem, in SACRAMENTO saepe nomi- « nato donavit. QUOD TANTAE VIRTUTIS « FUIT, ut non solum Christum sequentes, « sed etiam ab initio mundi ipsum prae- « cedentes fideles, non quidem corpora- « liter, sicut post illum universi, sed ta- « men spiritualiter (sicut universi *omnes* « *eamdem escam spiritualem manducave-* « *runt, et omnes eumdem potum spiritualem* « *biberunt*, hoc est eumdem salutis effec- « tum, quem post Christum christiani) « eumdem et omnes illi de Christi corpore « et sanguine reportarent. Idcirco, ut jam « dictum est, omnes, tam primi quam « ultimi, ad corpus Christi et ad salutis « aeternae mysterium pertinentes, omnes « omnino eamdem escam spiritualem man- « ducaverunt, et omnes eumdem potum « spiritualem biberunt » (*Tractatus contra Petrobrusianos*. P.L. 189, 816-818).

Sane, si eucharistia creditur principium vitae unum hominibus in Adamo lapsis, debuit retroactis saeculis manducari aliqualiter ab omnibus, quotquot in vitam praeordinati sunt. Hoc autem factum esse, Patres et scriptores ecclesiastici conclamant ; unde non leve additur nostrae thesi auctoritatis praesidium.

Audiantur primo Augustini verba notissima : « *Hic est panis qui de coelo de-* « *scendit*. Hunc panem significavit manna. « ...Sacramenta illa fuerunt : in signis « diversa sunt ; in re, quae significatur, « paria sunt. Apostolum audi : *Nolo enim* « *vos*, inquit, *ignorare, fratres, quia patres* « *nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes* « *mare transierunt, et omnes in Moysen* « *baptizati sunt in nube et in mari, et* « *omnes eamdem escam spiritualem mandu-* « *caverunt*. Spiritualem utique eamdem ; « nam corporalem alteram, quia illi « manna, nos aliud ; spiritualem vero, « quam nos. ...*Bibebant*, inquit, *de spiri-* « *tuali sequente petra : petra autem erat* « *Christus*. Unde panis, inde potus. ...*Hic* « *est* ergo *panis de coelo descendens, ut si* « *quis manducaverit ex ipso, non moriatur.* « Sed quod pertinet ad virtutem sacra- « menti, non quod pertinet ad visibile « sacramentum ; qui manducat intus, non « foris ; qui manducat in corde, non qui « premit dente » (*In Joan.*, tr. 26, c. 6, n. 12. P.L. 35, 1612).

Ante Augustinum, inter Orientales, sanctus Ephraem ausus erat scribere : « Panis azymus figura est panis vitae. « MANDUCAVERUNT ANTIQUI SACRAMENTUM « NOVUM » (*Hymni Azymorum*, 17, str. 5. Ed. Lamy, t. 1, p. 618). Rursusque : « Sa- « cramentum Filii ABSCONDERAT Moyses « IN AZYMIS tamquam PHARMACUM VI- « TAE » (*ibid.*, hymn. 18, str. 15, p. 621)[1].

Atque hodiedum gens sancti Ephraemi, Syro-Maronitae, haec in sua missa cantant : « Dedit Ecclesiae suae mysteria sua glo- « riosa,... ut modo inscrutabili manducet « corpus ejus, quod non comprehenditur, « et bibat sanguinem ejus sine offensione ! « Hoc mysterium DESIDERAVERUNT PRO- « PHETAE JUSTI, et ecce habitat nunc in « Ecclesia pro remissione populorum re- « demptorum ! Moyses et Aaron figura- « verunt aperte mysterium Domini nostri ! « Noe et Abraham simul cum Melchisedech « et Seth et Enos figuraverunt mysterium « corporis et sanguinis Filii Dei, SUSTEN- « TAVERUNT MYSTERIUM, QUOD PRAEPARA- « TUM EST ANTEA, et quod pervenit ad « nos peccatores, qui illo indigni sumus »

1. Undecimo fere saeculo idem profert scriptor quidam Syrus de Adamo : « Tunc *Adam* « mortem gustavit, cum fructum primum gus- « tavit ; et vitam gustavit, cum de arbore vitae « gustavit per crucem. Ipse de arbore vitae « depulsus est, et arbor vitae ad eum venit. Acce- « pit promissum mortis per gustum fructus ; « et PROMISSUM RESURRECTIONIS ACCEPIT PER « GUSTUM CORPORIS ET SANGUINIS » (Anonymi auctoris *Expositio officiorum Ecclesiae* Gregorio Arbelensi vulgo adscripta, tr. R. H. Connolly, *C. S. C. O.*, 91, 70). Non aliter scilicet gustat de arbore vitae vitam, de cruce Christum, nisi in sacramento, per fidem delibato.

(Max Saxoniae, *Missa Syro-Maronitica*, p. 23).

In Occidente, post Augustinum sexcenti nostri doctores idem asseruerunt : fide scilicet venturi Redemptoris et desiderio panis de coelo mittendi veteres manducasse eucharistiam spiritualiter.

Sic Paschasius Radbertus : « Eadem quippe fuit esca, quia manna spiritualiter percipientibus typus fuit escae corporis Christi ; et aqua illa, quae de petra fluxerat, potus et figura sanguinis. « ...Patet quia multum interest, quamvis eadem esca idemque potus ab Apostolo praedicetur, quia idem necdum in re, sed in specie et figura, ubi promissio veritatis inerat : de qua spiritalis intelligentia atque FIDEI SACRAMENTA ILLIS (licet futura) IMPERTIEBANTUR, ita ut nec illis deesset in spiritu quid jam SPE POTARENT » (*Lib. de corp. et sang. Dom.*, 5, 1-3. P.L. 120, 1280-1281).

Pariter Hugo de Sancto Victore vel alius fortasse auctor *Quaestionum et Decisionum in Epistolas Pauli*, 80. P.L. 175, 529 : « Quaedam tamen sacramenta Veteris Testamenti ex sacramentis Novi Testamenti suam virtutem et efficaciam habent : sicut, EX CORPORE CHRISTI, QUOD EST SACRAMENTUM, manna fidelibus sumptum habuit suam VIRTUTEM. »

Eodem sensu Hervaeus Burgidolensis (in h. l. P.L. 181, 908) : « Eamdem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, ipsi manducaverunt in manna, et eumdem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt in petra. »

Robertus autem Pullus tractatum suum de eucharistia sic incipit :

« Domino, ut per stultitiam fidei salvos faceret credentes superbosque confutaret, placuit, sicut per lavacri regenerationem, ita quoque per corporis et sanguinis sui refectionem mundum Patri suo reconciliare. Id utique aliter fecisse noverat ; verum ita suis humilitatem inducere malebat, quatenus id quod humana mens fatuum aestimat, fides, nihil Deo impossibile sciens, veram salutis viam asserat.

« Manducationem corporis Christi manducatio mannae praefigurabat... SACRAMENTA IGITUR CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI veteri in populo praecesserunt, et IDEM credentibus (UT AUCTORES FATENTUR)[1] valuerunt. ...Quomodo idem valuerunt credentibus ? Quid est *idem valent credentibus*, nisi quod futurae rei fides idem valuit antiquis, quod contemporaneis valet fides rei praesentis ?... Nam neque figura neque res quidquam prodest absque fide ; fides autem fructu carere non potest » (*Sententiarum liber octavus*, c. 1. P.L. 186, 960-961).

Cardinalis Jacobus de Vitriaco, perorans de eucharistia : « Haec est esca, inquit, de qua Paulus ait : Patres nostri omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt » (Sermo 2 *In coena Domini*, Antv. 1575, p. 337)[2].

Mirum fortasse atque etiam absurdum alicui videri potest, quod homines, ante institutionem eucharistiae, per fidem et desiderium eucharistiae salvi facti sint. Sed jam minor erit admiratio cogitantis, eucharistiam esse epulum sacrificale cru-

1. Notandum est valde illud *ut auctores fatentur*. In eadem paritate asserenda utebatur Hugo Victorinus *(loc. cit.)* locutione simili *ut volunt*. Ex quibus formulis patet, quantum vulgata fuerit ista sententia.

2. Omnes illi auctores appellant locum Pauli, supra ab Augustino recitatum, 1 *Cor.*, 10^{3-4}. Quo loco respici typice eucharistiam, omnes, quotquot adire potui, commentatores aut expositores veteres unanimiter confirmarunt. Vide Chrysostomum, in h. l. P.G. 61, 191 ; Ambrosium, *De mysteriis*, c. 9, n. 58. P.L. 16, 408 ; Ambrosiastrum, in h. l. P.L. 17, 234 ; Pelagium et Ps. Primasium, in h. l. P.L. 30, 746 et 68, 529 ; Remigium Antissiodorensem, vel alium quempiam putativum Haymonem Halberstatensem, in h. l. P. L. 117, 558-559 ; Rupertum Tuitiensem, *In Exod.*, l. 3, c. 8; *De Spiritu Sancto*, l. 3, c. 19-20. P.L. 167, 659 et 1661 ; etc., etc. Quanquam Rupertus ipse, timens ne ex voce *eamdem* vel *eumdem* accrescat Berengariano errori praesidium, non vult eam intellegi *eamdem* ac nos, sed *eamdem* omnes inter se. In quo se fatetur *(loc. cit.)* a veteribus dissentire.

cis, quo uno particeps fit homo illius unius sacrificii, per quod redempti sumus. Sicut enim necesse fuit ut homo in spe (implicita) viveret verae hostiae ad Deum perventurae[1], sic etiam in ejusdem recipiendae desiderio (implicito). Eo enim proprie colligitur fructus sacrificii, quod sacrificii hostia recipitur, ut centies dictum est.

Secundum igitur fidem suam venturi Christi Redemptoris, veteres salvi facti sunt per virtutem eucharistiae : non quidem proprie causalem, seu efficientem[2], sed finalem, aut intentionalem. Siquidem non illud efficienter agit, quod nondum exsistit in rerum natura ; quanquam, intentum per modum finis, appetitionem jam ciet atque informabit, proindeque et dignificabit. Quae si distinctio ob oculos habeatur, facile mediaevales viri, qui virtutem adscripserunt figuris ex eucharistia derivatam, conciliabuntur cum S. Thoma, qui negavit spiritualiter manducatam a vetere populo eucharistiam : « Antiqui « Patres non manducaverunt spiritualiter « hoc sacramentum, quia nondum erat in« stitutum » (4 D. 9, 1,2, 4, 2m). Non scilicet manducaverunt spiritualiter eodem modo ac nos, qui hoc sacramento, jam instituto, EFFICIENTER vegetamur spiritualiter ; manducaverunt tamen et ipsi suo modo eucharistiam spiritualiter, ut ipse S. Thomas fatetur alibi (3 S. 80, 1, 3m), dum in manna veluti in signo intellexere APPETENDAM eucharistiam. Quare in *Commentario super Primam ad Corinthios :* « *Omnes eamdem escam manducaverunt spi*« *ritalem*, id est corpus Christi, in signo « spiritualiter intellecto... *Et omnes eum*« *dem potum biberunt*, scilicet Christi san« guinem in signo. ...Appetendus cibus « et potus, quia sufficiens, unde dicit : « *Omnes manducaverunt* ; indeficiens, quia « *eumdem.* »

SECTIO II. — TESTIMONIA INDIRECTA, SPECTANTIA AD NOSTRAM SOCIETATEM CUM CHRISTO.

In idem cum superioribus Patribus aut Doctoribus redit, quod asserta est saepe eucharistia medium necessarium incorporationis ad Christum, vel filiationis nostrae adoptivae, aut si quid ejusmodi.

Praeit Hilarius : « Cur gradum quem« dam atque ordinem consummandae uni« tatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre « per naturam divinitatis esset, nos contra « in eo per corporalem ejus nativitatem, « et ille rursum in nobis per sacramen« torum inesse mysterium crederetur ?... « Quam autem naturalis in nobis haec « unitas sit, ipse ita testatus est : *Qui* « *edit carnem meam, et bibit sanguinem* « *meum, in me manet, et ego in eo.* NON « enim QUIS IN EO erit, nisi IN QUO IPSE « fuerit : ejus TANTUM in se assumptam « habens carnem, qui suam sumpserit » (*De Trinitate* 8, 17. P.L. 10, 248)[3].

Resonat inter mediaevales Theodulphus Aurelianensis : « Carnem fide« libus suis edendam tribuit, cum dixit : « *Nisi manducaveritis* etc., *non habebitis* « *vitam in vobis.* Propter hanc vitam adi« piscendam et baptizamur, et ejus carne « pascimur, et ejus sanguine potamur, « quia NEQUAQUAM POSSUMUS IN EJUS « CORPUS TRANSIRE, NISI HIS SACRAMENTIS « IMBUAMUR » (*Liber de ordine baptismi*, c. 17- 18. P.L. 105, 239).

Eloquentius prae ceteris doctrinam veterum Patrum Orientalium nobis edisserit Nicolaus Cabasilas (*De vita in Christo*, l. 4. P.G. 150).

1. Eo homo vivebat in spe implicita sacrificii dominici, quod vivebat in spe redemptionis : siquidem nonnisi in sacrificio futura erat redemptio. Quomodo autem in spe saltem implicita Redemptionis vixerint, ad alium tractatum pertinet explicatio.

2. Ceterum, quanquam ex parte eucharistiae (nondum scilicet exsistentis) nulla potuit respectu Hebraeorum (vel aliorum inter Gentiles Deum timentium) exseri actualis efficientia, tamen istiusmodi efficientia ab illis concupiscebatur, ac proinde apprehendebatur ipsa in voto.

3. Longe plura ejusdem styli ex Hilario lege supra (Elucid. XXXVI) adducta. Haec potissimum adverte : « HAEC ergo vitae nostrae CAUSA « est, quod in nobis carnalibus manentem PER « CARNEM Christum habemus » (*ibid.*, col. 249) : utique ope eucharistiae.

Et primo quidem, hoc uno sacramento nos ait Christo concorporatos : « Quoniam « enim nos ascendere non poteramus, ut « ejus bonorum participes fieremus, ipse « ad nos descendit, ut nostrae conditio- « nis fieret consors ; tamque distincte illis « quae assumpsit coaluit, ut per ea quae, « assumpta ex nobis, nobis reddit, seip- « sum daret participandum, et constantes « carne ac sanguine humano Deum ipsum « susciperemus in animabus nostris, cor- « pus, sanguinem, animam, mentem, vo- « luntatem Dei non minus quam hominis. « ...HOC SOLO MYSTERIO *caro sumus de* « *carne ejus, et ossa de ossibus ejus* » (col. 593).

Secundo, cum incorporatione, per unum hoc sacramentum ait nobis obtingere filiationem divinam. « Quemadmodum « ipse, ut pater noster fieret, possetque « promere illa verba : *Ecce ego et pueri mei,* « *quos dedit mihi Deus*, carnis et sanguinis « nobiscum factus est socius ; sic et nos, « ut adscisceremur filii, NECESSE FUIT, ut « eorum quae ipsius sunt, participes fiere- « mus. Atque hoc modo PER SACRAMEN- « TUM non solum ei membra efficimur, sed « etiam filii. ...Et hoc negotium est prae- « dicandae adoptionis filiorum, non appel- « latione constantis, ut in humanis rebus, « nec isthucusque [demum nos] cohones- « tantis. Inter nos enim adoptati cum « genitis nomine solo communicant, eate- « nusque illis communis est pater, nulla « autem generatio aut partus ; hic autem « generatio est revera, et communio cum « Unigenito non tantum nominis, sed re- « rum ipsarum : sanguinis, corporis, vitae. » Nec solum verior est filiatio illa divina per eucharistiam quam adoptio humana, sed etiam transcendit humanae generationis proprietatem : « Et quid in medium « profero [istam humanam] adoptionem, « cum [nostra divina filiatio] majorem in- « ducat propinquitatem et cognationem « [quam generatio humana], sicque nati « magis sint filii Dei quam parentum « suorum ?... Quid enim est, quod veros « patres nobis facit ? nimirum, quod ex « carne ipsorum hanc habemus carnem, « et ex sanguine ipsorum nobis conflata « est vita. Hoc et apud Salvatorem obtinet : « nam caro ex ejus carne et ossa ex ejus « ossibus sumus. Sed inter utramque com- « munionem magnum est discrimen. Nam « in naturalibus, qui nunc est filiorum « sanguis jam non est parentum, sed pa- « rentum fuit, priusquam esset filiorum ; « hoc enim progeniem facit, quod, qui « sanguis nunc est horum, ante illorum « fuit. Haec autem sacramenti efficacia « est, ut sanguis, quo vivimus, nunc sit « sanguis Christi, et caro, quam nobis « coagmentant mysteria, sit adhuc caro « Christi, et communia nobis sint membra, « communisque vita. Atque haec est vera « communio, cum ambobus idem eodem « tempore adest. Nam si uterque habet, « modo hic, modo ille, non tam communio « est, quam divisio. Deest enim nexus, « quoniam illud non secundum idem adest « ambobus, quod uterlibet non habet nisi « solus ; ... sed imago quaedam commu- « nionis est. ...Inter nos autem et Chris- « tum vera est communio, siquidem cum « ipso semper habemus commune corpus, « sanguinem, membra et omnia hujus- « modi. Quod si hoc filios efficit, nimi- « rum communicare carne et sanguine, « patet nos majorem cognationem habere « cum Christo, ex sacra mensa recepto, « quam cum ipsis parentibus per natu- « ram. » Scilicet non per exsectionem quamdam seu decisionem Christus nobis auctor est vitae, sicut parentes nostri, sed per communicationem carnis, et sanguinis adhuc sui infusionem. Unde sequitur, eum non vitae nostrae esse causam *in fieri* tantum, sed etiam causam *in esse* : conservantem aeque ac originantem. « Rursus non postquam nobis auctor fuit « vitae atque formationis, sicut illi [nos- « tri parentes] se removit ; sed semper « adest et cohaeret : eo ipso quod adest, « vitam nostram originans et formans. Et « sejunctos quidem a parentibus nihil « vetat superesse ; a Christo autem se- « junctis, una superest mors. Et cur non « majus quid dicam ? Consistere in seipsis « non datur filiis, nisi separatis a paren-

« tibus ; immo ipsa separatio efficit, ut « alii genitores sint, alii generati : filiatio « autem, quae innititur mysteriis, in con« junctione et communione consistit, et « idem est dissolvi atque jam non esse. « Igitur, si quam communionem signi« ficat nomen cognationis, et illos, ut « reor, indicat, qui sanguinis communione « sunt conjuncti, sola jam erit communio « sanguinis, sola cognatio et filiatio, ista « secundum quam Christo communica« mus. Propterea et naturalem genera« tionem obscurat, cum ambae in iisdem « hominibus concurrunt. *Quotquot* enim « *acceperunt eum*, inquit, *dedit eis potesta*« *tem filios Dei fieri* : quanquam geniti « sunt, et caro fuerunt genitores, et gene« ratio illa huic praecessit. Sed tantum vi« cit priorem generationem altera, ut illius « neque vestigium neque nomen supersit. « Et sic sacer panis, novum hominem in« troducens, radicitus ejicit veterem. Nam « et istud sacrae mensae est opus ; *qui* « enim *receperunt eum*, inquit, *non sunt* « *nati ex sanguinibus*. Quando autem reci« pimus (λαμβάνομεν) ? Noverimus verbum, « noverimusque cujus occasione mysterii « sit dictum, verbum inquam istud : *Acci*« *pite* (λάβετε). Constat enim ad coenam « nos illo verbo vocari, in qua et Christum « manibus vere accipimus, et ore sumi« mus, et animae admiscemus, et corpori « adunamus et sanguini contemperamus » (*ibid.*, col. 597-601). Quibus verbis credo nunquam esse de eucharistia dictum quicquam pulchrius aut verius. At vide quantum connectat ille filiationem nostram divinam communioni eucharisticae, quamve ab hac dependentem faciat illam. Debetur mensae, debetur coenae illa unio, qua stante vivimus, qua corruente morimur. Debetur inquam eucharistiae, qua copulamur carni et sanguini Christi, ut filii simus ; sicut ipse communicavit per incarnationem nostrae carni et sanguini, ut faceret filios. Recole Hilarium, recole tot et tantos Patres, idem aliis verbis pronuntiantes, et judicabis huic opusculo Cabasilae, quod « doctum ac pium » praedicat noster Pontanus (P.G. 150, 491), atque « ad animos Dei amore inflamman« dos mire appositum » *(ibid.)*, congruere etiam laudem, quam in alterum ipsius opus[1] contulerat pridem Gentianus Hervetus : « Quae sunt in hoc libello[2], « sunt ejusmodi, ut nihil magis pium nec « magis christianum dici aut fingi possit » (P.G. 150, 367). Nec miraberis, quod viro tam pio, quamvis quibusdam suae gentis ac temporis erroribus irretito, datum sit scribere : « VERAM VITAM VIRTUS « SACRAE MENSAE EX BEATO CORDE ILLO « [Christi] IN NOS DERIVAT » (*op. cit.*, col. 596). Quae vox florilegiis testimoniorum de cultu antiquo (XIV s.) Sacratissimi Cordis non immerito adjungetur, insigne testimonium orientale.

SECTIO III. — TESTIMONIA INDIRECTA, SPECTANTIA AD NOSTRAM SOCIETATEM CUM ECCLESIA.

Tertio modo apparebit hoc sacramentum necessarium, si inspiciatur ut sacramentum unitatis ecclesiasticae. Extra enim Ecclesiam nulla salus ; adeo ut, si inculpabiliter careas vinculo socialis (i. e. visibilis) cum corpore ecclesiastico connexionis, necessarium certe tibi sit hujus connexionis atque vinculi votum saltem implicitum. Communionis autem ecclesiasticae cum sit sacramentum proprium eucharistia, ut supra ostensum est[3], inde est quod tibi necessarium est votum sal-

1. *Expositio liturgiae.*

2. Excepto uno de necessitate ac efficacia epicleseos dogmate falso.

3. Recole quae dicta sunt supra (Elucid. XXXVII) de correlatione inter communionem ecclesiasticam et communionem eucharisticam. Pari passu procedit votum communionis ad corpus Christi et votum communionis ad corpus Ecclesiae. Hoc illo continetur ; nec proinde potest homo salvari, nisi ad Ecclesiam pertinens voto saltem implicito. Praeter eos quippe qui visibiliter Ecclesiae adhaerent, alii ad idem corpus Ecclesiae visibile invisibiliter seu spiritualiter tantum adleguntur, secundum vim ac efficaciam desiderii, quo in Christum transeunt, caput Ecclesiae. Hincque axioma *Extra Ecclesiam nulla salus* ; id est, nulla salus extra ipsum Ecclesiae corpus, sive visi-

tem implicitum eucharistiae. Nequit enim quis concupiscere probe effectum, nisi appetat causam. Huc appellari possunt plerique ex patribus aut doctoribus supra in Elucid. XXXVII recitatis; praesertim ex veteribus, Hilarius, et ex mediaevalibus, Honorius Augustodunensis. Juvat etiam allegare verba Alani de Podio, in eucharistia ipsa reperientis *communionem sanctorum* illam, quam in symbolis profitemur : « Possumus tamen « dicere quod in apostolico Symbolo est « mentio de eucharistia, ubi dicitur *sanc-* « *torum communionem* : in hoc enim « spiritualiter communicant sancti, quod « recipiunt corpus Christi, non solum « sacramentaliter, sed etiam spirituali- « ter » (Ad fidem veteris editionis parisiensis, 1512, *Adversus Haereticos et Valdenses, qui postea Albigenses dicti*, p. 139-140. Cf. P.L. 210, 363, *De fide catholica, contra haereticos sui temporis*, l. 1, c. 59, ubi minus fida videtur esse lectio).

Procedebat pariter adversus Wicleffum, « hostem sacrae hostiae », ille praefulgidus eucharistiae defensor, Thomas Waldensis in suo *Doctrinali* (t. 2, *De Sacramentis*, c. 95, incun., fol. 157) : « Sciat « ergo hostis sacrae hostiae, quia fides « omnium mysteriorum ejus ibi contine- « tur in Symbolo, ubi dicitur ore Apo- « stolorum *Credo sanctorum communionem.* « Si enim communicatio christianorum « potissima, sit communicatio sacramen- « torum, quomodo potest abesse eorum « numero, quae est inter omnes prae- « celsa, communio ? »

Magna est sane auctoritas *Catechismi Romani* (1, 9, 25)[1] : ubi *communio sanctorum* intellegitur *communio* omnium Ecclesiae membrorum in fructu *sanctorum*, id est SACRORUM[2], inter quae praecipuum locum tenet eucharistia, utpote efficax illius communionis : « Hac autem Sancto- « rum communione, sacramentorum com- « munionem intelligi debere, Patres in « Symbolo significant illis verbis : *Confiteor* « *unum baptisma.* Baptismum vero in pri- « mis eucharistia, et deinceps cetera sa- « cramenta consequuntur : nam etsi hoc « nomen [communio sanctorum] omnibus « sacramentis convenit,... magis tamen

biliter sive saltem invisibiliter (ab illis scilicet qui inculpabiliter versantur extra visibilem Ecclesiae societatem) occupatum. Quae spiritualis occupatio ecclesiastici corporis nomen dedit apud recentiores *animae* Ecclesiae : cujusmodi nomen, veteribus inauditum, non erit adeo inconveniens, nisi ita opponatur corpori anima, ut ad animam censeatur quis pertinere absque commercio ullo corporis ; cum revera nemo animetur Ecclesiae vita nisi aliqualiter intra Ecclesiae corpus constitutus, ut dictum est. Cave igitur in his rebus amphibologiam et logomachiam, et formam serva verborum sanam ; qua deficiente, facile deflectet sermo ad latitudinarismum, immo et naturalismum. Lege opportunam dissertationem cl. J. V. Bainvel, *Hors de l'Église pas de salut. Dogme et Théologie*, in Periodico *Études*, t. 132, p. 289 sq. Quae dissertatio prodiit in opusculum in-12 p. VIII-62, Parisiis, 1913.

1. Praenotaverat *Catechismus Romanus*, cap. 24 : « UTINAM VERO IN EO [articulo] EXPLICANDO « Ecclesiarum praesides Pauli et aliorum apo- « stolorum DILIGENTIAM IMITARENTUR !... Om- « nia enim ejus rei causa pervestiganda sunt « ac percipienda, ut in hanc tam amplam et « beatam societatem Sanctorum admittamur, « admissique constantissime perseveremus. »

2. Usitatam fuisse illam interpretationem apud mediaevales viros, ut Ivonem Carnotensem, Abaelardum, Alexandrum Alensem, S. Thomam, quibus addi potest S. Martinus Legionensis, *Serm.* 34 *in Festo S. Trinitatis*, (P.L. 208, 1330); vide apud P. Bernard, in D. T. C., art. *Communion des Saints*, col. 444-446. Jampridem videbatur sibi F. Kattenbusch (*Das Apostolische Symbol.*, t. 2, 1900, p. 930-940) posse duplicem istius articuli acceptionem dispertire inter germanicas et romanicas gentes « Es scheint mir dass die « sakramentale Fassung des Ausdrucks beson- « ders in den romanischen Ländern heimisch « war. In den germanischen war die persön- « liche die geläufige » (p. 949). Adverte ceterum, sacramentali acceptione tanquam priore importari etiam personalem tanquam consequentem.

Dum haec cuduntur, occurrit mihi lucubratio exhaustiva clarissimi F. J. Badcock, *Sanctorum Communio as an article in The Creed* (J. T. S., jan. 1920, p. 106-126), in qua exploratis omnibus fontibus quaestionis antiquissimis, concluditur sat firme : *communionem sanctorum* stetisse in primaevis symbolis pro communicatione, seu societate, seu consortio sacramentorum, cum baptismi tum potissimum eucharistiae. Jam igitur recedat admiratio omnis quod Patres in symbolis reticuerint *mysterium fidei*. Non reticuerunt, sed enuntiarunt ea forma quae omnibus esset pervia, quos non lateret quid essent *Sancta*.

« proprium est eucharistiae, QUAE HANC « EFFICIT COMMUNIONEM[1] ».

Etiam olim, per modum unius accipiens et baptismum et eucharistiam, Hincmarus Remensis scripserat : « Nullus ECCLESIAM nisi SACRAMENTIS « DOMINICAE PASSIONIS imbutus INGREDI- « TUR » (*Explanatio in Ferculum Salomonis.* P.L. 125, 827)[2]. Et revera quomodo in Ecclesia vivere queat, qui eucharistiae non aggregetur? « Eucharis- « tia siquidem locum tenet in corpore « Ecclesiae, quam humanum cor in ho- « mine » (Petrus Cellensis, *De disciplina claustrali*, c. 25. P.L. 202, 1136-1137). Corporis autem membrum nullum est, quin influxu cordis regatur. Membrum igitur Ecclesiae nemo erit, nisi agitatus ab eucharistia.

Trinam illam necessitatem Eucharistiae, respectu adquirendae vitae, per incorporationem ad Christum, in Ecclesia, pertractat B. Albertus Magnus in suo *Libro de sacramento eucharistiae*, sicut ipse dicit (dist. 6, tr. 4, c. 3), « utiliter ». Primo quidem, de incorporatione ad Christum. « Rui- « na, inquit, angelorum ex hoc reparatur « sacramento : quia non reparatur nisi de « his qui incorporantur Christo, sicut ipse « dicit : *Nemo ascendit in coelum, nisi qui* « *descendit de coelo, filius hominis, qui est in* « *coelo.* Si autem nemo ascendit nisi filius « hominis, pro certo NEMO ASCENDIT NISI « INCORPORATUS FILIO HOMINIS : NULLUS « AUTEM INCORPORATUR CORPORI MYS- « TICO NISI PER CORPUS VERUM[3] ET SUMP- « TIONEM IPSIUS. Oportet igitur quod « per corpus Christi ruina angelorum « restituatur » (Dist. 3, tr. 4, c. 2). Secundo vero, de communione Ecclesiae : « Per communionem [etiam] Christi sor- « tem omnis gratiae communicamus cum « omnibus sanctis, translati in regnum « omnium sanctorum suorum, per hoc « quod corpori et sanguini ejus commu- « nicamus : quia unitas suorum mem- « brorum ad cor et caput, et una parti- « cipatio Spiritus Christi in omnibus mem- « bris ejus naturalibus signat et causat « totius corporis mystici communionem « et Sancti Spiritus communicationem » (Disp. 3, tr. 4, c. 3). Tertio tandem, de acquisitione vitae. « In nobis per hunc « modum communionis esse voluit, veri- « ficans hoc quod dixit : *Deliciae meae* « *esse cum filiis hominum.* SIC ENIM SUB- « STANTIAE SUAE ET VITAE ET GRATIAE « SUMUS PARTICIPES, QUIBUS CARET QUI « NON COMMUNICAT. *Amen, amen dico vobis,* « *nisi manducaveritis carnem filii hominis* « *et biberitis ejus sanguinem, non habe-* « *bitis vitam in vobis* » (Dist. 6, tr. 1, c. 4). Adeo sine eucharistia homo caret vita et gratia, ut nec Ecclesiae communicet, nec incorporetur Christo, nec partem habere possit in coelo cum angelis sanctis.

Aliunde tamen, sicut omnes catholici doctores, ita Albertus novit, deficiente inculpabiliter sumptione corporali, sufficere spiritualem, sed quae sacramenti necessitatem non evacuet, immo confirmet, affectum devotionis importans erga sacramentum : « Deus sacramentis suis gratiam « non alligavit, quin gratiam suam « sacramentalem, et sine sacramentis, IN « HABENTIBUS fidem et DEVOTIONEM AD « SACRAMENTUM, operetur. Et haec vo- « catur spiritualis perceptio sacramenti. « ...Sicut ille in quo baptismus non

1. Cf. 2, 4, 52, ubi ad necessitatem evincendam voti eucharistiae haec affertur ratio : « EST « ENIM ECCLESIASTICAE UNITATIS AC CONJUNC- « TIONIS SYMBOLUM ; NEQUE EXTRA ECCLESIAM « CONSEQUI GRATIAM ULLUS POTEST. »

2. Ad cujus probationem affert, pro baptismo, illud : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. ; et pro eucharistia, veterum more, alterum Domini oraculum : *Nisi manducaveritis*, etc.

3. Multum, quaeso, pondera quod praenotavit illuminatus Doctor (dist. 3, tr. 1, c. 5) : « Non « enim ratio potest assignari, quare Ecclesia « dicatur et sit corpus Christi, nisi, hoc modo « quo dictum, dando illi corpus suum ; et con- « vertit eam ad se, ut corpus ejus efficiatur, et « singuli sint membra ejus. » Rursus *(ibid.)* : « Haec autem [ratio] non est nisi communio « corporis et sanguinis Christi naturalis et veri, « quod cum influit Ecclesiae, totam Ecclesiam « ad se convertit, et... Ecclesiam facit esse cor- « pus suum spirituale et mysticum. »

« contemptu religionis, sed per articulum « necessitatis excluditur, non amittit fruc- « tum baptismi » (*ibid.*, dist. 6, tr. 2, c. 1). Quo nihil clarius magnus ille Albertus dicere poterat.

SECTIO IV. — AUCTORITAS SANCTI THOMAE.

Digna est sententia S. Thomae, quae specialius in praesente quaestione exploretur.

Et *primo* quidem, praeter illa quae supra (Elucid. XLVII) ex 3 S. 79, 1, 1^{m}, retulimus, ad rem praesentem efficacissima, quaestionem ipse movet et solvit sanctus Thomas in 3 S. 73, 3 : *Utrum eucharistia sit de necessitate salutis.* Ubi mox agit de perceptione *in voto*, mox de perceptione *in re.*

De perceptione *in re* loquitur, cum dicit : « Perceptio baptismi est necessaria « ad inchoandam spiritualem vitam ; PER- « CEPTIO autem EUCHARISTIAE est neces- « saria ad CONSUMMANDAM ipsam, non « ad hoc quod SIMPLICITER HABEATUR[1]. »

At de perceptione *in voto* jam fit sermo tribus his locis.

a) « Ante perceptionem hujus sacra- « menti [in re] potest homo habere SA- « LUTEM EX VOTO PERCIPIENDI HOC SA- « CRAMENTUM, sicut et ante baptismum « ex voto baptismi. »

b) [Ad hoc ut vita simpliciter habeatur] « sufficit eam [h. e. eucharistiam] habere « in voto. »

c) « Ex intentione Ecclesiae desiderant « [parvuli] eucharistiam, et PER CONSE- « QUENS recipiunt rem ipsius. »

Quae verba sunt apprime clara, ut appareant partes, quas in negotio salutis habet eucharistia, quippe quod salus nostra ex voto eucharistiae pendeat.

Secundo, in 3 S. 79, 1, 1^{m}, expresse negat sanctus Thomas, vel ipsam primam gratiam ad nos profluere, nisi ex virtute hujus sacramenti, per votum ipsius. « Nec « aliquis habet gratiam ante susceptio- « nem hujus sacramenti, nisi ex aliquo « voto ipsius. »

Tertio, in 3 S. 79, 3, c., similiter declarat, remissionem peccatorum homini ex eodem fonte per eamdem viam conciliari. « Vir- « tus hujus sacramenti potest considerari « dupliciter : uno modo secundum se ; « et sic hoc sacramentum habet virtutem « ad remittendum quaecumque peccata. » Alio modo, secundum comparationem ad susceptorem : qui, si sciat se aversum a Deo per peccatum mortale, magis inquinatur perceptione sacramentali, quam justificetur. « Potest tamen hoc sacramentum « operari remissionem peccati..., non per- « ceptum actu, sed voto, sicut CUM QUIS « PRIUS JUSTIFICATUR A PECCATO. »

Quarto, in 3 S. 80, 11, c., omnia quasi resumens, diserte haec quatuor asserit : 1° necessariam esse ad salutem hominibus incorporationem ad Christum ; 2° propterea esse necessariam spiritualem eucharistiae manducationem; 3° proinde necessariam esse dicendam appetitionem sacramenti *in re* percipiendi ; 4° propterea, si potestas fiat, necessariam esse omni homini ad salutem perceptionem eucharistiae sacramentalem. « Sicut su- « pra dictum est, duplex est modus « percipiendi hoc sacramentum, scilicet « spiritualis et sacramentalis. Manifestum « est autem quod omnes tenentur sal- « tem spiritualiter manducare, quia hoc « est Christo incorporari, ut supra dictum « est. SPIRITUALIS autem MANDUCATIO « INCLUDIT VOTUM SEU DESIDERIUM PER- « CIPIENDI HOC SACRAMENTUM, ut supra « dictum est. Et ideo SINE VOTO PERCI- « PIENDI HOC SACRAMENTUM NON POTEST « HOMINI ESSE SALUS. FRUSTRA AUTEM « ESSET VOTUM, NISI IMPLERETUR, QUANDO « OPPORTUNITAS ADESSET. »

Adverte, quomodo sanctus Thomas non loquatur solum de manducatione spirituali Christi, sed de manducatione spirituali sacramenti (« modus percipiendi HOC

1. Similiter in 4 D. 9, 1, 1, 2 : « Omne « illud sine quo potest haberi gratia, non est « de necessitate salutis. Hoc autem sacramen- « tum gratiam praesupponit, quia praesupponit « baptismum, in quo gratia datur. »

« SACRAMENTUM spiritualis »). Prior illa manducatio posset intellegi habens nullum ordinem intrinsecum ad sacramentum eucharistiae ; altera autem non ita. Quare, ubi de angelis est sermo, notat sanctus Thomas non posse agi nisi de manducatione spirituali Christi tantum ; ubi autem sermo est de hominibus, vult agi de manducatione spirituali ipsius sacramenti, quae includat desiderium sumendi sacramentaliter eucharistiam. « Dupliciter « ergo contingit manducare spiritualiter « ipsum Christum ; uno modo, prout in « sua specie consistit ; et hoc modo « angeli manducant spiritualiter ipsum « Christum, in quantum ei uniuntur « fruitione caritatis perfectae et visione « manifesta (quem panem expectamus « in patria)[1]... Alio modo contingit spiri- « tualiter manducare Christum, PROUT « EST SUB SPECIEBUS HUJUS SACRAMENTI : « in quantum scilicet aliquis CREDIT IN « CHRISTUM CUM DESIDERIO SUMENDI HOC « SACRAMENTUM ; et hoc non solum est « spiritualiter manducare Christum, sed « etiam spiritualiter manducare sacramen- « tum » (3 S. 80, 2, c. ; cf. 4 D. 9, 1, 2. 5).

Minime praeterea evacuat apud sanctum Thomam necessitatem sacramenti percipiendi *in re*, sufficientia susceptionis *in voto*. Immo spiritualis manducatio non stat (« frustra esset votum ») sine sacramentali, ubi huic locus est : sicut baptismus desiderii nullus foret in fastidiente baptismalem aquam. Proindeque in illo qui rationis compos copiam habet sacramenti, necessaria est communio sacramentalis, adeo ut, si haec deficiat, deficiat eo ipso communio spiritualis in baptismo incepta : voto scilicet, ob defectum sinceritatis, corruente, quo uno connectebatur homo cum virtute fontali et vitali eucharistiae. Adeo prima communio est secundum se quaedam ratificatio necessaria baptismi ! Per se igitur loquendo, puer ad annos discretionis veniens necessitate quadam medii tenetur ad eucharistiam sumendam ; nec vita illi, neglecta eucharistia, inhaerere poterit, nisi laboret ignorantia invincibili circa habitudinem suae vitae ad principium vitale eucharisticum : quae si ignorantia adsit, non laeditur sinceritas voti (impliciti) per dilationem sacramenti.

At non est munus pastorum, regulariter loquendo, ut in populo christiano ignorantiam excusantem foveant, sed omnino cum debita caritate et prudentia discutiant, obedientes ei qui dixit apostolis suis : *Euntes ergo docete omnes gentes,... docentes eos* SERVARE OMNIA QUAECUMQUE *mandavi vobis*. Quare optimo jure scripsit Pius X ad archiepiscopum Coloniensem : « Significas vos [Germanos scil. episcopos] De- « creti Nostri *Quam singulari* exsequendi « gratia statuisse per communem episto- « lam docere populum et admonere quid « generatim fieri oporteat, ut pueri quam « primum mensam eucharisticam partici- « pent. In quo velimus probe intelligant « Christi fideles, non tam illud agi, ut « praecepto Romani pontificis obtempe- « retur, quam ut ejusmodi officio satisfiat, « quod ab ipsa EVANGELII DOCTRINA « SPONTE nascitur, atque adeo ut vetus « et perpetua Ecclesiae consuetudo, ubi

1. Verissime dicit sanctus Thomas, spiritualem manducationem Christi, qualis competit angelis per fruitionem perfectam in visione manifesta, fore aliquando nostram. Eadem quippe erit quantum ad fruitionis perfectionem et claritatem visionis. At non erit eadem tamen sub alio quodam respectu : quia manducatio angelica, sicut excludit desiderium eucharistiae, sic neque ex virtute eucharistiae procedit nisi indirecte, quatenus per sacramentum se obtulit Christus in hostiam sacrificii aeterni, quo sanctificantur angeli (vide supra Elucid. XLI). Nostra autem manducatio gloriosa Christi ita excludit sacramenti cujusvis desiderium, ut tamen eucharistiae sit fructus proprius : pro quanto in eucharistia sola praecesserit hostia crucis apponenda nobis ut epulum sacrificale, quo rursus uno hominibus redemptis ingeneranda esset vita Dei et gratiae gloriaeve sanctitas. Retinebit igitur manducatio nostra gloriosa Christi ad eucharistiae sacramentum ordinem quemdam non adventitium, sed omnino intrinsecum, tanquam ad propriam suam radicem. Et hac de causa poterimus dici in coelo epulari vere de eucharistia, et de eucharistia vere vivere, sicut vivit de suo agro, qui agri fructum comedit, et epulatur de omni ligno ad vescendum suavi, qui pomum carpit in suo tempore.

« intermissa est, ibi revocetur » (31 dec. 1910, *Acta Apostolicae Sedis*, 1911, p. 18)[1].

Item, ne dixeris, ita apud sanctum Thomam esse necessariam sacramentalem manducationem habenti copiam, ut interim gratiam habeat et teneat sine influxu causali eucharistiae. Ut enim olim ex ipso S. Thoma notatum est, « EX EFFICACIA « VIRTUTIS IPSIUS [scil. eucharistiae] est, « quod etiam ex voto ipsius aliquis gra« tiam consequatur » (3 S. 79, 1, 1^{m}). Quia enim cibus ille est spiritualis, efficientiam suam in eo etiam exercere potest, qui spiritualiter tantum ipsum manducat, id est esurit. *Pane suavissimo de coelo praestito* ESURIENTES *reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes (Officium in festo Corporis Christi).*

Neve tandem objeceris, alia sacramenta, puta baptismum et poenitentiam, haberi a sancto Thoma ut necessaria prae sacramento eucharistiae, veluti non necessario.

Inter baptismum quidem et eucharistiam hoc maxime notat S. Thomas distare, quod ab infantibus sufficienter accipitur eucharistia *in voto*, dum baptizantur, nequaquam autem potest baptismus suscipi *in voto*, sed suscipi debet *in re*. « Ex hoc « ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur « per Ecclesiam ad eucharistiam : et sicut « ex fide Ecclesiae credunt, sic ex inten« tione Ecclesiae desiderant eucharistiam, « et per consequens recipiunt rem ipsius. « Sed ad baptismum non ordinantur per « aliud praecedens sacramentum, et ideo « ante susceptionem baptismi non habent « pueri aliquo modo baptismum in voto, « sed soli adulti ; unde rem sacramenti « non possunt percipere sine perceptione « sacramenti. Et ideo hoc sacramentum « [eucharistiae] non HOC MODO est de « necessitate salutis, SICUT baptismus » (3 S. 73, 3, c). Minime negat sanctus Thomas esse eucharistiam necessariam ad salutem ; sed negat esse necessariam modo isto speciali (« hoc modo »), quo baptismus est necessarius : scilicet quantum ad sacramentalem ministrationem in pueris[2]. Cujusmodi discrimen, sicut nec pertinet secundum se nisi ad pueros, sic nec versatur nisi circa modum receptionis, qui relate ad baptismum est in illis unus, geminus autem relate ad eucharistiam[3].

In adultis autem, cum baptismi collatio, tum absolutio sacramentalis, est eatenus magis necessaria quam sacramentalis manducatio eucharistiae, quatenus si solummodo sit attritus adultus, non justificabitur regulariter loquendo[4] ante acceptionem utriuslibet illius sacramentalis remissionis *in re*, quanquam bene ante receptionem sacramentalem eucharistiae. At etiam tunc non justificabitur nisi ex voto eucharistiae, ac proinde ex virtute ipsiusmet sacramenti, ut supra notatum est. Et sic habes, quomodo intellegas 3 S. 65, 4, c. et 2^{m}, ubi, quantum ad sacramentalem receptionem, assignatur quaedam necessitas strictior in baptismo aut poenitentia quam in eucharistia.

Eamdem doctrinam quam S. Thomas profert compendiose *Catechismus Romanus*. « Quod dicitur eucharistia gratiam « tribui,... hoc ideo dictum est, quoniam « PRIMA etiam GRATIA (qua omnes prae« ditos esse oportet, antequam sacram « eucharistiam ore contingere audeant, « ne judicium sibi manducent et bibant)

1. Nec sane excusantur pastores a monendis urgendisve pueris ex hoc solo titulo quod careant hi domesticis aut publicis christianae fidei ac pietatis exemplis ; « nisi forte quisquam conten« derit, non esse ministrum impium, qui tunc « subtrahit ministerium pietati necessarium, « quando magis est necessarium », ut de ipsa ministratione eucharistiae dicit Augustinus (*Epist.* 228, n. 7. P.L. 33, 1016) in causa non admodum diversa.

2. Vide quomodo ipse hanc explicationem suppeditet (3 S. 80, 11, 2^{m}) : « Hoc sacramentum « dicitur non esse necessitatis sicut baptismus, « quantum ad pueros, quibus potest esse salus « sine hoc sacramento, non autem sine sacra« mento baptismi. Quantum vero ad adultos, « utrumque est necessitatis. » Ubi sermo est de receptione corporali sacramenti.

3. Conferatur Toletus infra citandus.

4. Dico *regulariter loquendo*, quia, ut omnes norunt et notat S. Thomas (3 S. 79, 3, c.), attritus potest aliquando justificari receptione sacramentali eucharistiae.

« nemini tribuitur, nisi HOC IPSUM SACRA-« MENTUM desiderio et voto percipiant » (2, 4, 51-52 ; cf. 57).

Fidus in re eucharistica interpres sancti Thomae, Toletus (in 3 S. 73, 3), quatuor *conclusionibus* totam recapitulat doctrinam. « *Prima conclusio.* Eucharistia quan-« tum ad rem significatam est de neces-« sitate salutis. *Secunda conclusio.* Ista « res significata potest haberi non solum « per susceptionem realem eucharistiae, « sed etiam per susceptionem ipsius in « voto. *Tertia conclusio.* Non sic eucha-« ristia est de necessitate salutis sicut « baptismus. *Quarta conclusio.* Eucharistia « pluribus modis potest sumi quam bap-« tismus. » Has duas ultimas conclusiones sic explicat, ut baptismus possit sumi tantum duobus modis, scilicet, vel *in re*, vel *in voto* elicito (quamvis implicito); eucharistia autem tribus modis sumi possit : aut *in re*, aut *in voto* elicito, aut in voto per baptismum sacramentaliter importato. Quare recte adnotat : « Est « igitur NON SOLUM RES SIGNIFICATA, sed « etiam IPSA EUCHARISTIA medium ne-« cessarium et de necessitate salutis; « sed non ut baptismus, qui duobus « modis suscipi potest, eucharistia vero « tribus. Sed simpliciter sumptio UTRIUS-« QUE necessaria est, sive uno, sive altero « modo [1]. »

Ne autem putes litem esse de verbis tantum et non de re, ipse contrarios sibi fatetur duos magnos S. Thomae scholares : « Hic est, inquit, sensus S. Thomae, et « non quem dant Cajetanus et Soto. » Verissime dictum.

SECTIO V. — RATIO INTRINSECA.

Si jam post enumeratas auctoritates, ratio intrinseca necessitatis illius investigetur, apparebit deprompta variis modis ab omnibus nostrae fidei magistris una eademque. Quippe eucharistia continetur principium spiritualis vitae, cui adhaerere et uniri debemus : caro dico Christi passa et vivifica ; immolata nimirum in destructionem mortis, et collata nobis in reparationem vitae ; simul exsistens et pretium redemptionis, et sanctificationis principium. Propitiatio enim pro peccatis nostris fuit Christus per mortem suam, quam in sacramento suae mortis obtulit. Vivificator autem est per corpus suae resurrectionis, tanquam coeleste nobis de cruce convivium a Deo redditum. Neque vivifica illa caro aliter nobis prostat sumenda nisi in eucharistia, ubi latet hostia salutaris panisque vivus et vitalis.

Complexum illum totius divini beneficii intellegebant veteres, cum sexcentis locis passim in decursu hujus tractatus adductis pronuntiavere, in sacrificio Christi, in hostia redemptionis totum esse repositum nostrae liberationis atque sanationis negotium : intellegentes, neque nos repropitiatos nisi per unius verae hostiae sacrificium, neque vivificatos aut sanctificatos nisi per unius veri sacrificii hostiam.

« Haec namque SINGULARITER victima « ab aeterno interitu animam salvat, quae « illam nobis mortem Unigeniti per myste-« rium reparat... Ejus quippe... caro in « populi salutem partitur », ut post Gregorium (*Dial.* 4, 58) concinuere omnes mediaevales.

Non enim somniabantur illi carnem Christi eucharisticam ita esse nostri sacrificii hostiam, ut non esset simul formaliter hostia ipsa ipsius sacrificii dominici. Cui autem repugnans unquam videbitur, quod sacramentum eucharistiae, cum sit unum a coena usque ad consummationem saeculi, unum dico theothytum, una immolatitia caro, unus panis coelestis, etiam sit nobis unus fons et origo omnis beneficii

1. Paulo post Toletum, scribebat Fagundez, S. J. : « 2ª opinio affirmat realem sumptionem « eucharistiae esse medium ac remedium neces-« sarium necessitate salutis... Est COMMUNIS « HODIE ista opinio, licet in nostra Lusitania « multis ex iis qui doctrinam Soarii sequuntur, « non placeat ; qui si vim, rationem, et funda-« menta illius aequata lance expenderint, facile « perspicient et agnoscent veritatem » (*Tractatus in quinque Ecclesiae praecepta*, 3m Eccl. praec., l. 1, c. 3, n. 4. Lugduni, 1632, p. 558. Cf. de parvulis, *ibid.*, c. 4, n. 6, p. 562).

per sacrificium dominicae passionis comparati ? Cui unquam alienum a veritate videbitur, quod Agnus, qui occisus est ut nos redimeret, idem jam vivus atque veluti partiendus integer omnibus omnium aetatum hominibus, per seipsum nobis inserat vitam, quam acquisivit sibi quidem ut capiti, nobis autem ut membris, cohaerentibus sibi per unius corporis sui spiritualis[1] spirituale consortium ?

Cum autem exsistat cibus ille spiritualis, hostia dico clarificata crucis, quanquam verum corpus,tamen per modum principii vitalis, animabus infusuri vitam spiritualem, quid mirum, si, deficiente corporali sumptione, esurientem animam nihilominus reficiat invisibiliter, vere influens in eam omnem succum necessarium divinae sanctitatis et gratiae ? Quicquid enim gaudet conditione spirituali, potest in substantiam spiritualem spiritualem suum effectum exercere spiritualiter. Tali autem (in omnem translatum conditionem divinam) corpus Christi gaudet proprietate, factum in eucharistia convivium hominis redempti. Per vim igitur desiderii ex nobis in ipsam tendentis, potest jam coelestis illa alimonia injicere animae nostrae vitam, sumptione deinde corporali perficiendam. Ideo enim Agnus, qui vitam suam pro hominibus dedit, in mensa altaris jacet hostia aeterni sacrificii, ut theothytam carnem homines sancto desiderio delibantes, vitam habeant, et abundantius habeant corporaliter satiati.

Sectio VI. — Objectionum solutio.

I. — Praecipua objectio contra doctrinam hactenus expositam inde movetur, quod eucharistia non debet illis dari in quibus praecesserit peccatum mortale, nisi per aliud sacramentum sint justificati : hoc est, sive per baptismum, sive per poenitentiam. Unde sequitur, eucharistia nedum dari solitam esse, sed ne posse quidem dari primam gratiam. Prima autem gratia sufficit ad salutem. Ergo non est necessaria eucharistia. Et in hoc ingens est discrimen cum baptismo, qui etsi supervenire potest jam justificatis per caritatem, qua ejus votum includitur, tamen natus est de se conferre primam gratiam iis qui adhuc sint in peccato ; seu est sacramentum mortuorum, dum eucharistia vivorum tantum est.

Respondeo primo breviter : tunc tantum fore contradictionem, si diceremus ipsam corporalem eucharistiae susceptionem aut requiri aut valere regulariter ad dandam primam gratiam. Quod nedum dixerimus, nunquam non negavimus. Contradictio autem nulla adest, dum dicimus requiri ad illum finem perceptionem eucharistiae spiritualem, qualis in voto continetur.

Respondeo secundo : ipsum quod objicitur, nedum adversetur, immo suffragari nostrae doctrinae : quippe quod ex illa consequatur, attento significato formali sive baptismi, sive eucharistiae.

Et primo quidem, facile intellegitur eucharistiam, cum significet incorporationem ad Christum, novum Adamum, non congruere ei qui incorporatus adhuc censeatur veteri Adamo per peccatum originale : nemo enim potest simul utrique esse insertus. Oportet igitur ut incorporatio illa vetus aboleatur per baptismum, quo significatur interemptio prioris vitae qua peccato vivebamus, id est mortui eramus Deo : et pro tanto baptismus est sacramentum mortuorum : mortem in nobis praesupponens, cui moriamur. Mortuis autem non dat vitam, ut diximus, nisi ex suo respectu ad eucharistiam : excisos ab Adamo non inserens Christo nisi per virtutem et ex voto eucharistiae, quae ipsa demum ex sese censetur esse sacramentum vitae[2]. Et pro tanto ita est sacramentum vivorum

1. Spirituale corpus intellegimus ad mentem Pauli et Patrum, clarificatum et vivificum ; in quo convenit cum spiritibus, quanquam retinet corporis essentiam veram realemque.

2. Hic recole quod notatum est supra (Elucid. XLVI), duplicem esse rerum ordinem, prout attenditur aut via exsecutionis seu generationis, aut via intentionis seu appetitionis ; quae viae inversae sunt.

eucharistia, nec mortuorum, quin tamen omnibus vita carentibus desinat esse fons vitae unus. Immo, quia vitam originat, quae attenditur secundum incorporationem ad Christum, ideo nequit sacramentum esse mortuorum, qui sint incorporati Adae. Proinde, nedum pugnent inter se ista duo : eucharistiam esse totius nostrae vitae fontem ; eucharistiam non posse dari nisi regeneratis per baptismum : ambo inter se cohaerent adeo, ut nequeat unum sustineri sine altero.

Similiter ratiocinandum est circa poenitentiam. Quia enim eucharistia est sacramentum unitatis cum Christo, quae est per caritatem, seu amicitiam, inconveniens fuerit illius susceptor, qui offensor exsistat Christi. Ficte enim quis se significaret unitum Christo, aut CERTE AB UNIONE MINIME IMPEDITUM, qui in conscientia sua teneret peccatum, per quod, aversus a Deo cum sit, ab amicitia Christi elongatur, ut explicat sanctus Thomas (4 D. 9, 1, 3, 1 ; 3 S. 79, 3, et 80, 4). Oportet igitur ut obex amicitiae, peccatum, prius removeatur, quam eucharistia accipiatur. Cujusmodi praeparatio fit per sacramentum poenitentiae ; cujus formale significatum importat, ut olim diximus, restitutionem liberi ad eucharistiam accessus : unde jam vita restituitur, quae ex eucharistiae sive susceptione, sive voto praecesserat.

Fictionis autem nulla fraus in eo notatur, qui peccato gravatus accedit ad baptismum aut poenitentiam, dummodo e peccato cupiat resurgere (bonam erga Deum conscientiam, non quidem habens, sed petens : *I Petr.* 3[21]; cf. supra, Elucid. XLVI) : qui enim significat se mori vitae peccati, fatetur eo ipso se habere peccatum cui moriatur ; similiter qui significat se condonationem petere peccati, eo ipso se fatetur implicatum debito, quod condonetur. Ideoque possunt ista sacramenta digne suscipi a peccatoribus, dum peccator eucharistiam indigne manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini : quo ita vita datur non habenti vitam, ut tamen nonnisi vitam habenti dandum sit quo vita datur.

II. — Altera objectio haec est : nullum est votum necessarium nisi necessariae rei. Jamvero semel habita prima gratia, nil amplius requiritur. Ergo eucharistia *in re* non est necessaria. Ergo neque votum ipsius est necessarium.

Respondeo : non fore necessarium votum eucharistiae, si ad primam gratiam habendam nihil conferret eucharistia sumpta in voto. Tunc enim recte procederet argumentum, quod valet contra necessitatem absolutam voti cujuslibet respicientis sive confirmationem, sive extremam unctionem. Aliter autem est in eucharistia, ut dictum est. Etenim, semel habita prima gratia, quae nonnisi per votum eucharistiae sumendae *in re* constat, requiritur amplius ut percipiatur *in re* eucharistia : cujus votum nullum constat, nisi subsequatur, data opportunitate, corporalis sumptio. Est igitur *in re* eucharistia necessaria omnibus valentibus accipere. Et pro tanto nihil impedit quin sit necessaria in voto omnibus simpliciter. Potest enim esse necessarium absolute omnibus votum rei necessariae illis qui possunt accipere : ut patet in baptismo.

III. — Tertia objectio haec est : si nonnisi ex voto eucharistiae quis justificatur, jam non solum post baptismum necessaria erit eucharistiae sumptio corporalis, sed etiam postquam quis a peccato per sacramentum poenitentiae erit absolutus. Quod est inconveniens. Nam fieri potest, ut quis in articulo mortis, post viaticum semel acceptum, novo peccato admisso, confessus absolvatur, sine proposito viaticum iterum suscipiendi. Quo casu justificatur, quin desideraverit eucharistiam (sic fere Suarez, disp. 40, 2, 14).

Primo quidem, ad quaestionem utrum necne homo, post viaticum lapsus in peccatum, teneatur regulariter ad VIATICUM rursus sumendum, merito forsan quis responderit affirmative cum Ballerini-Palmieri (*Op. Theol. Mor.*, *De eucharistia*, 207), contra Suarezium, Lugonem et S. Ligorium.

Sed, hac quaestione omissa, respondeo

generaliter, quanquam sacramento poenitentiae contineatur votum eucharistiae recipiendae, tamen non statim post absolutionem receptam urgere communiter necessitatem recipiendi eucharistiam, sed pro suo tempore, quodcumque illud sit futurum, si tamen futurum sit. Quare ad casum propositum, dicendum, non sine voto eucharistiae iterum accipiendae (cum venerit tempus debitum), justificari illum peccatorem, quanquam fortasse sine proposito iterum recipiendi VIATICI, id est eucharistiae sumendae statim[1].

IV. — Objectiones aliae multae fingi possunt, quae omnes contra baptismum et poenitentiam recurrent pariter. Puta, *primo* : fictitium esse votum eucharistiae in eo qui de eucharistia nihil unquam audierit.

Respondeo : idem valere, si quid valeat, contra votum baptismi vel poenitentiae implicitum. Ceteroquin, ad hoc ut votum sit verum, nec fictitium, sufficere, si contineatur in alio voto : sicut votum medii in voto sincero et absoluto finis, vel in voto effectus votum causae. Recole ea quae supra (Elucid. XLVI) de hujusmodi voto sunt notata.

Secundo objici potest : non quolibet voto eucharistiae trahi ex eucharistia gratiam, sed voto caritate formato. Tale autem votum ex gratia procedit ; igitur non tam trahit vitam, quam praesupponit. Non ergo ad primam gratiam habendam confert quicquam eucharistia, ne in voto quidem suscepta.

Respondeo : idem, si quid valeat, valere contra baptismi vel poenitentiae in voto susceptae efficaciam. Nullum enim, extra baptismi et poenitentiae collationem, justificat votum utriuslibet nisi per caritatem formatum. Nihilominus tamen secundum catholicam doctrinam justificamur voto sive baptismi sive poenitentiae. Cujus ratio est, quia istiusmodi votum inter dispositiones ad gratiam, easque perfectas, debet numerari, quarum proprium est, ut diximus, ut intellegantur secundum quid praecedere ad gratiam, nimirum ut ad finem ordinantes, et secundum aliud consequi, ut ex gratia resultantes (1-2 S. 113, 8, 2^m). Porro nulla major est ex hac parte difficultas in voto eucharistiae, quam in voto poenitentiae aut baptismi. Ex altera autem parte multo facilius intellegitur efficacia eucharistiae per votum exseri, quam efficacia baptismi aut poenitentiae ; immo haec nonnisi in illa realiter (ubi solum intercedit votum) consistit. Etenim neque baptismus neque poenitentia est usquam sacramentum permanens, cujus efficaciam mihi conciliem. Eucharistia autem, dominici sacrificii hostia, nobis convivaliter apposita, est unum idemque sacramentum ab initio christianismi usque ad finem mundi exsistens extra me, in se, integrum et completum. Non enim quam vocamus sacramentalem receptionem, quam autem veteres veriore nomine corporalem, ea pertinet ad constituendum ullatenus sacramentum, sed constituto accedit, sicut cibo esus, quo minime constituitur cibus. Exsistentis autem sacramenti facilius concipitur virtus per votum defluere, veluti per spiritualem apprehensionem ac susceptionem. Et re quidem vera, baptismi quem desidero, nec suscepi, nulla in me virtus proprie derivatur : siquidem non exsistit, sed exsisteret baptismus ille, si baptizarer. Non igitur baptismus influit quicquam in me per votum. Sed tamen se habet coram mente ad modum influentis, in quantum intellegitur initiatio in eucharistiam, cujus virtus per ipsum nata est ad me transmeare ; nec revera virtus eucharistiae agit per eucharistiae votum, nisi cooperante voto baptismi ; pro quanto nemo debite concupiscit vivere Christo,

1. Multo minor est difficultas, quam quis forte inde moverit, quod juxta *Rituale Romanum* praemittenda est viatici ministratio extremae unctioni. Moraliter enim loquendo, quasi simul ambo sacramenta conferuntur ; praeterquam quod olim per decem fere saecula praevaluit usus praemittendi extremam unctionem viatico. (Cf. Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. 1, cap. 7, art. 2, n. 3. Rotomagi, 1700, t. 2, p. 106-107). Sed insuper, et maxime, locus est post extremam unctionem receptioni ulteriori eucharistiae, si vita protrahatur.

nisi paratus mori Adae. Et sic per votum baptismi transit ad me virtus eucharistiae. Severe igitur loquendo, efficaciam eucharistiae multo verius quis quam baptismi aut poenitentiae efficaciam per votum experitur ; multoque verius confert ad primam gratiam habendam eucharistia quam baptismus aut poenitentia, in carentibus utraque remissione sacramentali : eucharistia enim ipsa originat et votum, quod disponit ad gratiam, et gratiam ex qua procedit votum.

§ 2. De iteratione sumptionis ad perseverandum necessaria.

Post eucharistiam sumptam semel sacramentaliter, nullo peccato gravi dehinc admisso, urgeatne, si producatur vita, necessitas aliqua intrinseca eucharistiam rursus sacramentaliter accipiendi : nova exsurgit quaestio ulterius examinanda.

Affirmativam responsionem nobis persuadent non paucae rationes.

Sectio I. — Rationes intrinsecae.

Prima ratio, desumpta ex parte institutionis, haec est : quod, sicut animadvertere passim theologi omnes, instituta est eucharistia sub specie cibi saepe frequentandi : scilicet panis et vini. Sacramentali igitur signo videtur denotari necessitas iteratae sumptionis. Etenim diximus non sine desiderio eucharistiae obtingere homini gratiam primam. Sed desideranda est, qualis est a Christo instituta. Ex sua autem nativa indole, est cibus ad modum communis nostri cibi frequentandus. Desiderio igitur eucharistiae non semel, sed iterum atque iterum accipiendae, homo justificatur. Quod desiderium caret sua sinceritate atque efficacia, nisi homo, data opportunitate, identidem sumat eucharistiam corporaliter, ut argumentatur in hac ipsa causa sanctus Thomas (3 S. 80, 11, c.). Cessans igitur a sumptione, amittit suam spiritualem et perfectam incorporationem ad Christum atque Ecclesiae communionem vitalem. Quare plenus est veritate catholica sermo in Anglia septentrionali popularis, quo designatur homo, officii sui paschalis immemor, tanquam extra Ecclesiam exsistens : « He is « out of his Church. »

Quod autem symbolo docuit Dominus, docuit et verbis, cum in oratione jubet nos postulare sub nomine panis cottidiani eucharistiam : ut ingente consensu semper declaravere rem Patres Ecclesiae et doctores[1], pronuntiavitque nuper *Sacra Congregatio Concilii*, in Decreto suo *Sacri Tridentina Synodus*, (20 dec. 1905) de quotidiana ss. eucharistiae sumptione : cui accessit approbatio Pii X.

Ratio autem intrinseca, ex parte utilitatis desumpta, haec est : quod ex eodem fonte provenit et gratia prima et augmentum gratiae. Vidimus enim, omnem gratiam nostram sanctificantem, quae est gratia unionis ad Christum, ex eucharistia, tanquam propria causa, promanare. Si igitur inveniatur necessarius homini profectus in gratia perpetuus, etiam necessaria est eucharistiae frequentatio assidua.

Porro duplici ex causa homini est intrinsece necessarius profectus in gratia : primo, in quantum est homo ; secundo, in quantum est homo lapsus.

Primo, necessarius est homini, in quantum est homo.

Homo enim non sicut angelus statim perfectus est ab initio, neque quantum ad naturam, neque quantum ad gratiam; sed, secundum ordinationem divinam, ad suam perfectionem debet tendere gradatim : cujus ratio est, quia non utitur intellectu simplici, sed discursivo. Nequit autem quis se huic suae humanae conditionis legi

1. Conferatur Cardinalis Vivès, *Expositio in orationem juxta traditionem patristicam et theologicam disposita* (1903) ; J. B. Bock, *Die Brotbitte des Vaterunsers* (1911) ; Emil Springer, *Unser tägliches Brot gib uns heute* (1912).

totaliter subtrahere EX ANIMI PROPOSITO, quin eo ipso excidat ex gratia : utpote ordinis a Deo naturaliter instituti invasor atque eversor. Quare sapientissime sanctus Franciscus Salesius, de vera et propria obligatione disserens, universos fideles constringente, haec habet : « Les « paroles par lesquelles Notre-Seigneur « nous exhorte de tendre et de prétendre « à la perfection sont si fortes et pressantes « que nous ne sçaurions dissimuler l'obli- « gation que nous avons de nous engager « à ce dessein : Soyez saincts, dit-il, parce- « que je suis sainct. Qui est sainct, qu'il « soit encore davantage sanctifié, et qui « est juste, qu'il soit encore plus justifié ! « Soyez parfaicts, ainsi que votre Père « céleste est parfaict.... Quant aux biens « spirituels, celuy n'en a pas ce qui luy « suffit, auquel il suffit d'avoir ce qui luy « suffit ; et la suffisance n'est pas suffisante, « parce que la vraye suffisance ès choses « divines, consiste en partie au désir de « l'affluence » (*De l'amour de Dieu*, l. 8, c. 8 ; cf. c. 9)[1]. Amor enim sincerus, nec interea omnem tenens nostrarum affectionum principatum aut regimen nostrarum virium obtinens, magna ex parte consistit in desiderio amplioris amoris, usquedum perveniatur ad hoc, ut diligatur Deus ex toto corde, tota anima, tota mente atque virtute : sicut praeceptum est. Qui igitur desiderio amplioris amoris caret, caret et amoris initio. Qui autem apostatat a desiderio, is etiam ab amore excidat necesse est, monente Augustino (*Sermo* 169, cap. 15, n. 18. P.L. 38, 926) : « SI AUTEM « DIXERIS : SUFFICIT, ET PERISTI. »

Secundo, necessarius est profectus in gratia homini, in quantum est homo lapsus.

Homo enim lapsus nequit perseverare in gratia, nisi superatis difficultatibus, ad quas vincendas[2] oportet ut se erigat caritas ejus, inspirationibus Spiritus Sancti aucta atque provecta. Non quod labente tempore semper tentationes occurrant secundum se graviores ; sed quia, ex infirmitate nostrae naturae per peccatum originale sauciatae, deperditur ipso usu, aut extenuatur, aut certe defetiscitur nostra vis moralis, ad tentationes vincendas necessaria. Adeo constantia est quid maxime difficile et perarduum ! Quare ad declinandam eamdem illecebram vel ad eadem mala toleranda, requiritur paulatim major gratia, per intensionem caritatis supplens vires animi fractas. Incremento igitur caritatis et gratiae vita hominis lapsi conservatur[3].

Et sic utrinque est necessarius homini profectus. Priore enim ex titulo : nisi homo proficere intendat, nequit gratiam habere. Ex altero autem titulo : nisi homo

1. Processus S. Francisci est hic : Tenetur homo ad perfectionem mandatorum appetendam ; atqui non potest, in praesente nostro statu, perveniri ad perfectionem mandatorum sine ULLO consiliorum studio. Ergo tenetur homo affici ad consilia, adeo ut aliqua saltem, data occasione, sequatur interdum. Et re quidem vera non sunt consilia, nisi quaedam media ad perfectionem mandatorum assequendam accommodata.

2. Harum victoriam difficultatum proprie in eucharistiam refundebat auctor *Epistulae prioris S. Clementis de Virginitate* (c. 5. F.P. 2, 4). « Si « igitur omnia haec desideras, vince corpus, « vince carnis libidines, vince mundum in « Spiritu Dei ; vince vanas istas praesentis « saeculi res, quae transeunt et atteruntur et « corrumpuntur et finem habent ; vince draconem, vince leonem, vince serpentem, VINCE « Satanam PER JESUM CHRISTUM, QUI TE « ROBORATURUS EST AUDITIONE VERBORUM « SUORUM ET DIVINA EUCHARISTIA ». Hoc est, vinces ope Christi, manducandi cum spiritualiter per fidem, tum sacramentaliter per corporalem eucharistiae sumptionem.

3. Necessitatem eucharistiae ex illo capite ortam pulchre illustrant verba haec Alberti Magni (*Lib. de sacram. euchar.* dist. 3, tr. 1, c. 4) : « Est item [eucharistia] medicina sani- « tatis, sanitatem deperditam restaurando... « Restituendo deperditum in substantia et vi- « gore spiritus, sanitatem restituit deperditam « et reparat vigorem. *Alebat eos omnemque « domum patris sui, praebens cibaria singulis.* « (*Gen.*, 47). Sic alit nos Christus, et omnem « domum, hoc est Ecclesiam, quae est domus « Patris, praebens cibaria singulis in sacra- « mento cibi spiritualis, in quo est medicina « perfectae sanitatis, quo omnia restituuntur « deperdita per inediam antiquae famis » (Cf. *ibid.*, dist. 6, tr. 1, c. 2).

revera proficiat, nequit perserverare in gratia.

Igitur, ex supra dictis, dupliciter necessaria est homini eucharistia, cum ad augendam, tum maxime ad tuendam nostram vitam. Quam duplicem utilitatem attendens *Concilium Tridentinum*, haec pronuntiat : « Sumi autem voluit sacra« mentum hoc tanquam spiritualem ani« marum cibum, quo alantur et confor« tentur » [en incrementum vitae] « et « tanquam antidotum quo... a peccatis « mortalibus praeservemur » [en vitae tutamen] (D., 875).

In summa, eucharistia est suo modo sacramentum perseverantiae, quia est sacramentum profectus. In quantum enim est debiti incrementi principium, in tantum est decrementi remedium necessarium, specialiter ordinatum adversus deperditionem naturalem virium spiritualium.

Interea per se nimis patet, haud secus atque primam sumptionem, posse ulteriores, si desit opportunitas, suppleri voto, quantum ad effectum necessarium omnem vitae ac sanitatis[1].

Sectio II. — Testimonia veterum.

Necessitatem istam iteratae sumptionis, in ordine ad gratiam conservandam, Patres non raro asseruere.

Sic sanctus Joannes Chrysostomus, universaliter exhortans fideles jamdudum initiatos : « Haec autem dico, non « ut ne accedamus, sed ne temere acce« damus. Sicut enim temere procedere, « periculum est : sic mysticis illis coenis « non communicare FAMES EST ATQUE « MORS » (*In I Cor.*, hom. 24, n. 5. P.G. 61, 204-205).

Expressius sanctus Cyrillus Alexandrinus (*In Joan.*, 6^{35}. P.G. 73, 521) : « Quicumque, inquit, sunt baptizati atque « divinam gustaverunt gratiam, si cunc« tanter et vix ecclesias adeant, et PER « LONGA TEMPORUM SPATIA EULOGIAM « QUAE EST PER CHRISTUM, FREQUENTARE « DESINANT, praetexantque damnosam « reverentiam ex eo quod ei mystice « communicare nolint, intellegant profecto « se a vita aeterna excludere seipsos, « dum vivificari renuunt. »

Augustinus autem quam gravibus verbis commonet pastores, ut ne ob vitae quidem discrimen evadendum unquam in hac parte desint necessitatibus fidelium ! « Veniet enim, inquit, lupus, non homo, « sed diabolus, qui PLERUMQUE fideles « APOSTATAS ESSE PERSUASIT, QUIBUS « QUOTIDIANUM MINISTERIUM DOMINICI « CORPORIS DEFUIT » (*Epist.* 228, n. 6. P.L. 33, 1016. Cf. Possidium, *Vita S. Augustini*, c. 30. P.L. 32, 62).

Inter mediaevales vero Algerus idem resonat : « Sanctorum verbis, inquit, « magna nobis indicitur bene operandi « necessitas, ne corpus Domini indigne « sumendo, sumamus judicium, vel su« MERE CESSANDO, HOC MODO ETIAM « ALIENATI A VITA, mortis nihilominus « incurramus periculum. Necessario enim « Agnus sumendus est, ut a vastante « angelo protegamur » (*De sacram. corp. et sang. dom.*, 1, 22. P.L. 180, 804)[2].

Alanus ab Insulis etiam (*De articulis catholicae fidei*, l. 4, c. 3. P.L. 210, 613-614). « Homo per fidem et paeniten« tiam de peccato resurgens efficaci re« medio indigebat, quod GRATIAM PERSE« VERANDI IN BONO CONFERRET. Sed nulla « efficacior erat quam caro Christi. Ergo « necessarium fuit homini carnem Christi « communicare. » Hoc speciali sensu atque titulo, quantum capio ex contextu, dici-

1. Unde verissimum est quod scribit Guntherus Cisterciensis (*De oratione, jejunio et eleemosyna*, l. 9, c. 12. P.L. 212, 187) : « Manifestum est quandoque verius et melius « hunc panem sumere mulierculam in angulo « ecclesiae latitantem, aut etiam AGRICOLAM IN « AGRO LABORANTEM, quam sacerdotem vel « episcopum sacris altaribus assistentem. »

2. Quae verba, tacito Algeri nomine, fecit sua Innocentius III, *De sacro alt. myst.* l. 4, c. 42. P.L. 217, 883.

tur ab ipso alibi eucharistia adultis necessaria : « Eucharistia est sacramentum « necessitatis in adultis » (*Theologicae Regulae*, 110. P.L. 210, 679).

Omisso Sancto Thoma, de quo supra, audiatur inter recentiores Graecos Nicolaus Cabasilas : « VIVERE, ET AB « OPERIBUS MORTUIS IMMUNES ESSE non « possemus, nisi hanc coenam SEMPER fre« quentaremus » (*De vita in Christo*, l. 4. P.G. 150, 597).

Tandem accedit auctoritas ecclesiastica *Catechismi Romani*, Leonis XIII, et Pii X. Habet haec *Catechismus Romanus* : « Parochi partes erunt, fideles crebro « adhortari, ut, quemadmodum corpori « in singulos dies alimentum submi« nistrare necessarium putant ; ita etiam « quotidie hoc sacramento alendae et « nutriendae animae curam non abji« ciant : neque enim minus spirituali cibo « animam quam naturali corpus indigere « perspicuum est » (Pars. 2, cap. 4, n. 60).

Leo autem XIII : « Ut enim corpus, ita « animus cibo saepe indiget suo : alimo« niam autem maxime vitalem praebet « sacrosancta eucharistia » (Lit. Encycl. *Mirae Caritatis*, 28 maii 1902).

Tandem Pius X ad pueros : « Chaque « jour nous demandons à Dieu le pain « qui doit soutenir la vie de notre corps ; « ainsi avons-nous besoin du pain céleste « qui donne la vie à notre âme » (*Acta Apostolicae Sedis*, 1912, p. 264). Ita ipse (ut rursus audiatur) sanctus Augustinus ad competentes olim : «Norunt etiam spiri« tualem alimoniam fideles, quam et vos « scituri estis, accepturi de altari Dei : « panis erit et ipse QUOTIDIANUS, HUIC « VITAE NECESSARIUS (*Sermo* 57, 7. P.L. 38, 389).

Quam saepe autem sit cuique homini necessaria eucharistiae sumptio, nequit determinari stricte simul ac generatim : sicut nec determinari potest, quam latitudinem patiatur in singulis hominibus necessitas cibi corporalis. Attamen spiritualis cibi, sicut et corporalis, potest infallibiliter dici, docente Domino, utilitas omnibus hominibus, quicumque non indigne accedant, cottidiana[1].

Vides quomodo, in hoc spirituali paradiso Ecclesiae, eucharistia illas partes impleat, quae futurae fuissent in vetere propriae fructus ligni vitae : sicut passim nos commonuere doctores, Paschasius Radbertus (*Lib. de corp. et sang. Dom.*, c. 7, n. 2, et c. 9, n. 3. P.L. 120, 1285 et 1295), Algerus (*De sacram. corp. et sang. dom.*, 2, 3. P.L. 180, 822), etc. Vides rursus quomodo occurrat ligno illi alteri *scientiae boni et mali*, purgans nos saeculari experientia boni concupiscibilis et mali admissi, atque implens vitali sensu fidei ac gustu beatae immortalitatis. Quod saepe commemorat Rupertus : « Quem« admodum peritus medicus secundum « morbi naturam, quam novit, antidotum « temperat, et dicit aegrotanti : quia « tale venenum bibisti, vel talem herbam « aut quamlibet rem malam comedisti, « nisi hoc illi contrarium sumpseris, vivere « non poteris ; sic auctor vitae, cum dicit « *Nisi manducaveritis carnem meam et* « *biberitis sanguinem meum, non habebitis* « *vitam in vobis*, hoc per summam justi« tiam intendit, ut quantum homo men« dacio credidit, tantum credat veritati ; « quantum credidit deceptioni superba « praesumptione, tantum credat redemp« tori humili subjectione ; tanta fide com« edat panem et bibat calicem Christi,

1. Certe nulla nisi cottidiana communio respondet ad plenum, regulariter loquendo, instantiae atque importunitati Dei veluti improbae. « PENE IMPROBUM SE NOBIS INGERIT, « dum tamdiu, pene in omni ecclesia, con« vivas exspectat. Adjicit etiam vim et vio« lentiam sumendi, dum praecipiendo dicit : « *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini,* « *charissimi.* Sed et gladio excommunicationis « feriri eos vult, qui tam magnificum, tam « salutare, tam sanctificativum ejusdem con« vivium dixerunt [*forte* : duxerunt] recusan« dum ; adjecturus tandem aeternae gladium « damnationis. Nullatenus enim stillam gratiae « denegare credendus est, qui totum ipsum fon« tem gratiarum tam improbe offert et tam « patenter exponit » (Gulielmus Parisiensis, *De sacram. euchar.*, c. 7. Op. t. 1, p. 449).

« quanta infidelitate comedit fructum veti-« tae arboris: ut de isto credat plus quam « videre possit, qui de illo plus quam vide-« bat, et omnino plus et aliud quam esse « poterat, nulla ratione adductus credidit » (*In Joan.*, l. 6. P.L. 169, 455). Dixerat quippe tentator : *Eritis sicut dii.* Unde « contra cibum illum, qui cibus fuit mor-« tis, dictante ratione namque justitiae, « dari oportebat cibum alium, qui esset « cibus vitae; et simili ordine : ut scilicet « inesse illi mens crederet, quod oculus « non videret; crederet esse cibum et « potum veraciter communicandae divini-« tatis effectivum, carnem et sanguinem « Christi. Quod sentire non possunt sensus « carnis et sanguinis. Per hanc fidem sibi « Deus ab homine satisfactum esse judi-« cat, dum non minus sibi credit, quam « diabolo crediderat » (*De victoria Verbi Dei*, l. 12, c. 13. P.L. 169, 1473)[1]. Adeo nostra salus, per unicam atque aeternam novissimae coenae jugisve missae hostiam capessenda, est ipsum, per antonomasiam dictum, *mysterium fidei*[2].

Non igitur exorbitavit traditiones majorum magnus ille cardinalis Hosius, quondam Concilii Tridentini praeses, cum popularibus suis Polonis haec fidei documenta tradebat : « Cum esu ligni vetiti primus « parens noster prolapsus esset in mortem; « quam una cum peccato propagavit ad « universum genus humanum, seipsum « Christus in novissima coena cibum fide-« libus instituit, PER QUEM IN VITAM « RESURGERE ET ILLAM AMISSAM RECUPE-« RARE LICERET; ut, quemadmodum per « vetitum cibum lethaliter sumus sau-« ciati, ita per hunc, nobis praeceptum, « sanaremur... De illius cibi gustu dici-« tur : *Quacumque die comederitis, morte « moriemini.* Contra vero de hoc : *Si « quis manducaverit ex hoc pane, vivet in « aeternum. Hoc ergo primum* nobis prae-« stat hoc sacramentum, UT VIVAMUS » (*Confessio christianae catholicae fidei*, cap. 42,de effectu sacramenti eucharistiae. Opera omnia, Coloniae 1584, tom. 1, p. 137). Vitam ita praestat ille cibus, ut non solum conservationem vitae alat, ad modum fructus ligni vitae, sed etiam per oppositionem ad lignum scientiae, educat ex morte vitam, id est justificationem et primam gratiam inducat suo modo.

EPILOGUS.

De applicatione alia et alia meritorum crucis.

Noscitur virtus sacrificii crucis applicari per sacrificium missae, ut docet *Concilium Tridentinum* (sess. 22, cap. 1) ; noscitur etiam applicari per sacramenta, quibus hausta ex latere Christi gratia ad nos derivatur. Applicatio igitur ejusdem virtutis utrinque adest, sed alia et alia. In sacrificio enim missae, ACTIVA quaedam appropriatio peragitur litationis salutiferae Christi, et efficaciae propitiatoriae, quam infinitam habuit in remissionem peccatorum. In sacramentis autem, PASSIVA fit receptio bonorum a Deo per Christum nobis pro sacrificio retributorum. Illic applicatur nobis virtus qua Christus pro nobis interpellat Patrem ; hic virtus qua Christus nos vivificat. Porro per hostiam suam interpellat, et per hostiam suam vivificat. Carne ejus immolatitia satisfactio exhibetur; carne ejus immolata gratia infunditur. Stat Christus, EX VIRTUTE

1. Cf. *In Exod.*, l. 3, c. 12 ; *De S. Spiritu*, l. 3, c. 18 et 24. P.L. 167, 662-663 ; 1659 ; 1665. *In Matthaeum*, l. 10. P.L. 168, col. 1547 et 1551-1552 ; etc., etc.

2. Avitae autem infidelitatis sicut mulier fuit nobis instigatrix, sic toti humano generi succurrit exemplum et magistra fidei, nova Eva, Virgo Maria, in quam quis sic peroravit : « Mu-« lier, quam dedit nobis Dominus, dedit nobis « de ligno vitae, et manducavimus, et vivificati « sumus » (Card. Jacobus de Vitriaco, *Sermones in Epistolas*, etc. Sermo 3 in dominica 25 post octavas Pentecostes. Antv. 1575, p. 603). Dedit autem fide. Quem enim tulerat filium credendo, credendo etiam obtulit Deo agnum, et retulit nobis de coelo panem, ut infra (Elucid. L) exponetur.

SUAE CRUCIS, advocatus noster repropitians nobis Deum, et Dei Sanctus nos incorporans sibi atque sanctificans. Quae omnia complentur EUCHARISTIA : quae est sacrificium nostrum unicum et sacramentum principale, quo cetera vegetantur atque cumulantur. Est igitur eucharistia totius virtutis salutaris ex cruce oriundae collectorium : est salutis pretium, est et regenerationis principium. Eucharistia redimis vitam, quae tibi redditur in eucharistia. Oblatum Deo, et hominibus collatum, divinum sacramentum omnia in se recapitulat, quae ad crucifixum Christum, de coelo salvantem, pertinent : in quo omnia constant.

Mirare jam, si possis, quod est nobis illa alimonia coelestis ad salutem necessaria, in qua bonum totum continetur, quod per crucem est partum, nec extra illud ulla homini salus.

Elucidatio L.

Ad reddendam rationem praesentiae realis Christi in eucharistia, est admittenda ejusmodi conversio, qua : panis nullatenus in nihilum reducatur; corpus Christi nullatenus aut producatur, aut adducatur, aut quicquam patiatur; sed tota actio conversiva recipiatur in substantia panis, quae ita positive mutetur in corpus Christi immutatum, ut verus sit nexus ex parte rei inter desitionem panis et praesentiam corporis Christi : pane scilicet desinente in corpus. Qua ex genuina transsubstantiationis ratione sequuntur quaecumque circa Christi praesentiam et conditionem, circa conservationem specierum ac corruptionem, philosophari sobrie possunt.

CAPUT IV.

DE CONDITIONIBUS PRAESENTIAE EUCHARISTICAE.

§. 1. De via qua Christus fit praesens in eucharistia.

Primo examinabuntur tentamina varia solutionum. Secundo verior solutio proponetur.

Sectio I. — De tentaminibus solutionum irritis.

Articulus I. Enumerantur sententiae catholicorum doctorum praecipuae.

Ad reddendam rationem et absentiae panis et praesentiae Christi in eucharistiae sacramento, plures sunt opiniones excogitatae a theologis ; qui omnes quidem ad unum conveniunt in praedicanda transsubstantiatione, seu conversione totius substantiae panis in totam substantiam corporis Christi ; nomen etenim conversionis omnes retinent : at non omnes nomini eumdem conceptum substernunt. Enumerabuntur tantum opinionum capita praecipua.

Prima esto sententia Suarezii, duobus punctis totam rem comprehendentis. *Primo*, actione quadam Dei, de se productiva, ponitur in esse, et quidem sub speciebus panis, corpus Christi [1] ; quod tamen potius inde dicitur de novo conservatum, quam de novo productum aut creatum, cum praeexsistens fuerit (Disp. 50, sect. 4, n. 10, 15, 16 ; sect. 5, n. 7, 9). Quam actionem Lessius (*De divinis perfectionibus*, 12, 119) merito postea reproductionem seu replicationem vocavit. Apud Billuart (Diss. 1, a. 7, r. 3°) autem reproductio haec intellegitur non qualiscumque, sed ex pane.

Secundo. Altera quadam Dei actione separantur a substantia panis ejus accidentia : unde sponte consequitur, quod substantia panis, utpote carens jam conditionibus connaturalibus sui esse, exsistere desinat ; quin tamen dicenda sit a Deo annihilata (Suar., sect. 6, n. 7-8 ; sect. 7, n. 6 sq.) : siquidem non per meram conservationis cessationem, sed vi operationis cujusdam positivae, non quidem panem destruentis, sed solventis compositum ex pane et accidentibus, accidit demum ut panis interiret.

Altera sententia potissimum est Bellarmini, secundum quem : pane eatenus destructo, quatenus desinatur a Deo conservari, jam pro eo subrogatur sub speciebus perseverantibus corpus Christi, adductum actione quadam translativa : nullo tamen loco aut amisso aut pertransito. Quae destructio panis adductioque Christi eatenus efficit unam conversionem, proindeque et actionem, quatenus una intellegitur esse « volitio Dei, qua ipse vult non « conservare panem, ut in ejus locum « ponatur corpus Domini » (*De sacram.*

1. Initiavit quodammodo illam sententiam Soto (4 D. 9, q. 2, a. 4) dum ipse non absolutam quamdam productionem finxit a Deo fieri, sed conditionalem : operatio divina, quae substantiam panis hic convertit, productiva est corporis Christi ; atque adeo illud plane produceret, si alioqui non esset impedimentum.

Euchar., l. 3, c. 18. *Secundo notandum est*, et *Tertio notandum est*)[1].

Tertia denique computetur sententia Lugonis, excludentis, saltem nominetenus, et productionem et adductionem ; opinantisque, conversionem esse ejusmodi actionem in corpus Christi ipsum, qua constituatur sub speciebus (Disp. 7, sect. 6, n. 89), in quantum sustentans accidentia ; non tamen per modum causae materialis, sed causae efficientis (*ibid.*, n. 91)[2]. Ad quod sequitur desitio substantiae panis, utpote jam destitutae suo munere substantiali.

Ad hanc tertiam sententiam tria sunt adnotanda.

Primo. Sententia ista reincidit de facto vel in secundam, vel in primam, prout intellegitur aut necessario Christus alicubi jam praeexsistens, aut non[3]. Si non essentialiter praesupponitur Christus alicubi exsistens, actio haec « constitutiva » est reapse productiva. Sin autem praesupponitur essentialiter, non terminatur jam actio nisi ad aliquam determinationem accidentalem corporis Christi hic vel illic collocandi ; estque proinde adductiva.

Secundo, Commune est punctum omnium praedictarum sententiarum : 1° ut panis revera in nihilum abeat ; 2° ut actio quaedam exerceatur in corpus Christi ; 3° ut nullus detur nexus intrinsecus ex natura rei inter desitionem panis primum et deinde positionem corporis Christi[4].

Tertio. Excepta propria et stricta con-

1. Hanc sententiam praeformaverunt, inter alios, plus minus Toletus, in 3 S. 75, 4, q. 3, *Adverte* 4° ; et antea potissimum Scotus, 4 D. 11, q. 3, n. 23, et q. 4, n. 14-16 (Lugduni, 1639, p. 626 et 666-667). Consonat etiam Vasquez, disp. 181, n. 124, 132 et 147, quanquam multum accedit interea (n. 129-131) ad reproductionem, quam prius tamen (n. 47 sq.) erudite convellerat.

2. Praeformasse videtur aliqualiter hanc sententiam Gregorius de Valentia, cujus haec sunt verba : « Rationem conversionis pro- « prie et formaliter in eo constituimus, ut una « res alteri rei desinenti succedat in aliquo « munere seu habitudine ejus ipsius generis « erga aliquid tertium. » Proinde « satis est, si « incipiat in ea [re quae succedit] esse illa *habi-* « *tudo substantialis* ad tertium, secundum quam « ejusmodi res est terminus novae conversio- « nis » (disp. 6, q. 3, punct. 3). Munus autem illud commune pani et corpori Christi, illo judice, non est substandi accidentibus tanquam inhaerentibus, sed coexsistendi ut substantia intime conjuncta « primo et radica- « liter ». Sustentatio autem accidentium activa nulla a Gregorio tribuitur corpori Christi : in quo remanet citra positionem Lugonis.

3. Lugoni non videtur necessario praesupponenda exsistentia Christi ulla. « Infero se- « cundo, inquit, potuisse, quantum est ex parte « praesentiae, poni corpus Christi sub speciebus, « sicut modo, ante incarnationem factam in « utero Virginis ». « Nec etiam de facto, ex « institutione hujus sacramenti, pendet ne- « cessario praesentia sacramentalis a naturali, « quam habet corpus Christi in coelo » (disp. 5, sect. 8, n. 190-191). Antea, constans sane suis principiis, Suarez (disp. 48, sect. 2, n. 5) scripserat, « potuisse hoc mysterium eucha- « ristiae perfici a Deo, priusquam Christi « corpus in propria specie existens concipe- « retur aut incarnaretur. » Similia apud Vasquezium (disp. 192, c. 1) et Toletum (in 3 S. 73, 5), deincepsque apud Salmanticenses (disp. 6, dub. 3, § 3, n. 37). Mirum sane, quod Scotus ipse, parum tenax conversionis adductivae, haec ante illos omnes pronuntia- « vit : « Ante incarnationem potuit ita vere « eucharistia fuisse sicut et nunc ; et hoc tam « quoad significationem, quantum ad rem « signatam et contentam » (Dist. 10, q. 4, n. 6 ; cf. n. 8. Lugd. 1639, p. 533-534). Quam propositionem late defendit inter alios Mastrius (*Scotus academicus*, t. 11, tr. 2, disp. 1, art. 1, sect. 1, quaest. 4, concl. 2). Timoratior S. Thomas : « Eucharistia... non potuit ins- « titui ante incarnationem » (3 S. 73, 5, 2m). Et revera constabit ex dicendis infra, non posse fieri transsubstantiationem nisi in praeexsistens quid. Quare jam ante S. Thomam Gulielmus Altissiodorensis (*In Quatuor libros Sententiarum* lib. 4, tract. 5. Parisiis 1512, fol. 21) : « Sub formis propriis corpus « Christi est in coelo primo et per se ; sed « in altari est verum corpus Christi, tamen « per quamdam resultationem, sicut superius « dictum est ; unde quasi secundo est in al- « tari. Probabile ergo est, quod, SI NUSQUAM « ESSET PRIMO, NUSQUAM ESSET SECUNDO. » Ubi recolendum est apud veteres scriptores XIII s. idem audire *probabile est* ac *probari potest*.

4. Vid. Suarez, disp. 50, sect. 6, n. 4. Auditus est Bellarminus supra. Conferatur Scotus (*Quodlib.* 10). Vasquez (disp. 181, n. 126-129 et disp. 183, n. 24) tenet quidem desitionem panis sequi immediate ad ipsam positionem corporis Christi, non autem ex natura rei, sed ex vi verborum. Lugo autem (disp. 7, sect. 7, n. 106-111), non ex vi verborum tantum, sed ex natura rei. Neuter autem tenet, positionem corporis Christi sequi ullo modo ad desitionem panis. Lessius dignus est qui audiatur : « Circa substantiam panis et vini primum

versione, de qua infra, nullus potest excogitari processus praeter productivum aut adductivum. « Medium certe non datur ; « poterunt fingi varia vocabula ad denominandam dictam actionem, sed, relictis quaestionibus de nomine, vel erit « actio influens esse substantiale corporis « Christi, vel erit actio qua, citra ullum « influxum esse substantialis, corpus « Christi in coelo praeexsistens, et ibidem « semper manens, acquirit novam determinationem accidentalem quam ubica-« tionem dicunt » (Cardinalis Billot, *De Eccles. Sacramentis* [4], t. 1, p. 340. Cf. S. Thomas, 3 S. 75, 2, c.)[1].

Quarta sententia ergo accedat sancti Thomae (quam genuinam ejus sententiam aliqualiter fatetur Suarez, sed mente eam concipi negat, Disp. 50, sect. 4, n. 8 ; sect. 5, n. 1 ; sect. 6, n. 4 ; Disp. 61, sect. 1, n. 1 et sect. 2, n. 2) : secundum quam neque ullatenus redigitur in nihilum panis, neque corpus Christi ullatenus aut producitur, aut adducitur, aut ullam directe terminat actionem quamlibet ; sed tota actio conversiva recipitur in pane, qui ita positive mutetur in corpus Christi immutatum, ut verus sit nexus ex parte rei inter desitionem panis et praesentiam corporis Christi : pane scilicet desinente in corpus.

Articulus II. Excluditur reproductio.

Argumentum primum, ex necessaria identitate inter Christum coelestem et Christum eucharisticum.

Aut operatio ista reproductiva corporis Christi re ponit aliquem terminum, aut, nullo posito termino, ea est qua poneretur, si opus esset. Si teneas secundum, « nihil de novo habetur a parte « rei, ubi omnia perseverant immota » (Billot, *op. cit.*, p. 406)[2], nec proinde sacramentum est confectum. Si teneas primum, jam productum est aliquid ; sed

primo, NOVUM, et a Christi corpore coelesti
INDEPENDENS, proindeque duplici ex capite res a Christo alia ;
secundo, ab ipso Christo productum, proindeque alter a Christo terminus.

Probatur per partes.

Primo. — *A*) NOVUM. Omnis productio (excepta consubstantiali quasi ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ γεννήσαντος, et non ἐξ οὐκ ὄντων : cujusmodi attenditur intra Trinitatem, sed hic in causa non est)[3], est eductio rei ex NIHILO SUI, etsi forte non ex nihilo subjecti ; importatque, ut talis, in termino producto novitatem essendi. Et in praesente casu, quia est productio ipsius

« miraculum est, quod hae substantiae vi con-« secrationis funditus pereant, et VELUTI ANNI-« HILENTUR : QUAMVIS NON SOLEMUS DICERE « EAS ANNIHILARI, eo quod haec desitio ex in-« tentione divina non sistat in nihilo, sed diri-« gatur ad positionem corporis Christi : VERUM « HOC AD MODUM LOQUENDI SPECTAT... Nam, « quod aliud succedat, non est ex vi illius « desitionis (haec enim solum tendit per se ad « nihilum et non esse), sed alterius actionis « conjunctae, qua ponitur corpus Christi » (*De perfectionibus divinis*, l. 12, n. 109).

1. Sit exemplum sententiae superioribus aequivalentis, etsi aliter sonantis, apud Salmanticenses, qui, exclusa et productione et adductione, adstruunt Christo quemdam modum substantialem exsistentiae spiritualis, indivisibilis, impassibilis, et quasi immensae (disp. 5, dub. 3, § 1), per actionem conversivam directe inductum. Quocumque autem nomine vocitetur ille modus, nequit non esse accidens quoddam praesentiativum : si quidem quicquid accedit rei jam substantialiter exsistenti, eo ipso accedit per modum accidentis. Noli objicere unionem hypostaticam : illa accedit naturae humanae non quasi praevie exsistenti ; immo exsistit natura humana per *esse* Verbi increatum, ad quod unitur unione hypostatica ; nihil igitur impedit, quin sit substantiale quid unio hypostatica.

2. In excludenda cum reproductione tum adductione, eminuit inter omnes theologos Cardinalis Billot, cujus argumenta fere referemus.

3. Eo minus posset quis fingere, in ista doctrina, Christum productum ex Christo, quod asseritur Christus produci aut actione aequivalenter creatrice (Suarez, disp. 50, sect. 5, n. 9), proindeque ex nihilo, aut, ut mavult Billuart, ex pane. Ceterum nemo unquam somniatus est Christum productum de Christo, sicut « lumen de lumine, Deum verum de « Deo vero. »

esse substantialis, importabit novitatem substantialem. Atqui susbstantia noviter exsistens quoad *esse* suum substantiale, non potest esse substantia non noviter exsistens quoad ipsum *esse* substantiale. Ergo corpus Christi reproductum erit aliud a corpore Christi coelesti (cf. Billot, *op. cit.*, p. 338 et 340-341).

B) INDEPENDENS. Patet terminum reproductionis et rem praeexsistentem necessario fore inter se prorsus independentes in esse : ita ut unum possit sine alio esse et desinere. Nam 1° ex una parte, posita ista sententia, cum species corrumpuntur, desinit exsistere corpus reproductum, quin afficiatur corpus praeexsistens ; 2° ex altera parte, ea est vis operationis reproductivae, ut etiamsi minime praeexsisteret corpus Christi, tamen illud poneret : ergo debet etiam posse illud continuate ponere, quamvis forte desierit corpus praeexsistens. Unde etiam sequitur a fortiori : esse inter se corpus praeexsistens et corpus reproductum independentia quoad omnia sua *esse* accidentalia : quorum enim unum sine altero esse potest, a fortiori sine eo modificari potest ; proindeque possunt corpus praeexsistens et corpus reproductum suscipere quaevis praedicata inter se disparata et contraria, ita ut unum calefiat, et simul alterum frigescat ; ut unum moriatur, alterum nascatur, etc. ut fatentur, spectata potentia Dei absoluta, Suarez (disp. 48, sect. 6), Aegidius Coninck (*De sacramentis*, q. 75, a. 4, dub. 3, n. 129)[1], Lessius (*De perfect. div.*, l. 12, n. 119) et reliqui. At nequit UNIUS corporis haberi simul annihilatio et conservatio, vita et mors, dolor et voluptas, aut si quid ejusmodi (quocirca lege nervosam Lugonis disputationem, disp. 7, s. 3, n. 50-52). Ergo sententiae illius auctores non tam multilocant corpus Christi unum, quam multiplicant Christi corpora, eo fere modo quo panes a Domino sunt multiplicati. Nec proinde in eucharistia nobis offerunt, quicquid in contrarium credant, ipsum « verum corpus, natum de Maria Virgine, vere passum, immolatum in cruce pro homine », sed aliud nescio quod, cujus ego non sum doloribus redemptus[2].

Secundo. ALTER A CHRISTO PRODUCENTE TERMINUS.

Magnus Sacerdos Christus, primas, etiam ut homo, tenet in consecratione peragenda, per quam censetur ab adversariis reproduci corpus Christi. Atqui omne productum, in quantum hujusmodi, est realiter distinctum a producente : cujus ratio est, quia productio omnis, ut talis, importat, sive in alterutro, sive in utroque extremorum, relationem realem, quae habet vim extrema inter se opponendi, proindeque et distinguendi, tanquam alium ab alio terminum. Quae oppositio et distinctio relativa, orta ex originis ordine, ne in Trinitate quidem labitur aut extenuatur, in qua totus Filius est alius a toto Patre, sicut uterque totus alius est a toto Spiritu Sancto. Nec proinde Christus eucharisticus posset quin esset alter a Christo coelesti terminus[3] : quod absit !

Quare ex hoc vel solo argumento, spectata necessaria identitate inter Christum eucharisticum et Christum coelestem, velim concludas nequaquam posse ullo modo produci in sacramento, corpus Christi :

1. Qui non dubitat scribere : « Homo ita replicatus posset uno loco comburi ac mori, « peccare, et, si velis, damnari ; et alio frigere, et « pergere vivere, et mereri et salvari, si absolu- « tam Dei potentiam spectemus. »

2. Vide ad calcem hujus articuli *Appendicem I*.

3. Apposite Salmanticenses (disp. 5, dub. 3, § 1, n. 23) : « In primis, cum Christus sit « principium, non solum morale sed etiam physicum hujus conversionis,... aegre aut nullo « modo intelligitur quomodo possit esse terminus productus per talem actionem : neces- « sarium enim est, causam distingui realiter « ab effectu, et principium actionis ab ejus « termino, et quod effectum, sive terminum, « praecedat ordine, sive prioritate naturae : « quae sine distinctione reali salvari non « valent. »

neque ex realitate sui, neque ex realitate alterius rei, puta panis; neque ex nihilo sui et subjecti; neque tandem ullo excogitabili modo, quo censeatur esse ullatenus alicujus actionis effectus : cum quocumque tandem modo illud fingas effectum, a Christo utique effici oporteret.

Argumentum secundum, ex correlativa destructione corporis Christi.

Si praesens est Christus in eucharistia in quantum productus ex actione quae sufficeret ad eum ponendum in esse, nisi alibi praexsisteret, sequitur, desinere eum esse praesentem cessatione illius actionis productivae et conservativae, proindeque vi alicujus destructionis aequivalentis, qua simpliciter e rerum natura auferretur, nisi alibi simul exsisteret. Est proinde aeque destructus Christus corruptione specierum, ac si in coelo ab aliquo occideretur, remanente (ut adversariis placet posse fieri) in mundo praesentia sacramentali. Moritur igitur cottidie Christus[1], aut, quod pejus est, annihilatur opera suorum fidelium eucharistiam sumentium. Quis non videt deicidam fore communicantem[2]?

Attentis igitur rationibus ac momentis hujus et superioris argumenti, non est mirandum, quod sermone utique acri, attamen non iniquo, effatus est noster Gregorius de Valentia (disp. 6, q. 3, punct. 3) : « Minus fuisse necessariam, « imo etiam ineptam videri posse quorum- « dam recentiorum opinionem, qui, lon- « gius multo quam Sotus progressi, ausi « sunt dicere, ipsum corpus Christi per « consecrationem eucharistiae omnino ac « vere produci, non modo secundum illam « habitudinem et praesentiam quam in « sacramento habet, sed in primis etiam « secundum suam substantiam in sacra- « mento. »

Argumentum tertium, ex inefficacia reproductionis in ordine ad praesentiandum corpus Christi sub speciebus.

Aut vi ipsius esse substantialis denuo producti induitur nova praesentia, aut vi alicujus superadditi. Si elegeris primum, nulla ratione, nisi arbitraria valde, explicari potest, cur ipsum *esse* reproductum jam SECUNDUM SE alligetur his vel illis speciebus. Substantiale enim *esse* nullum nisi propriis et necessariis accidentibus conjungitur ex sese. Quod sentiunt adversarii; quare eligunt sponte alterum membrum (Suarez, disp. 47, sect. 1, n. 2-4; sect. 2, n. 9-12). Sed jam, si superaddatur aliquid, quo determinetur corpus Christi ad esse praesens hic vel illic, circa hoc aliquid recurrent omnes difficultates mox contra adductionem afferendae.

APPENDIX I.

De comparatione inter carnem historicam et carnem eucharisticam apud Patres et doctores mediaevales aliosque.

Non carent reproductionistae omni fulcimento traditionis, non dico apud Patres, sed apud mediaevales quosdam.

Patres scilicet nonnisi sermonetenus duplicant carnem Christi, dum opponunt carnem visibilem carni intellegibili. Caro enim Christi una eademque, ubi est praesens naturaliter, est sensibilis; ubi est praesens eucharistice, non est sensibilis. Hoc est, uno loco est objectum visus, tactus, etc.; altero autem est objectum solius intellectus ac fidei : unde per oppositionem ad sensibilitatem carnis naturaliter praesentis, competit carni eucharisticae intellegibilitas. Subest proinde una eademque caro Christi, secundum aliam et

1. Superius vidimus (Elucid. XXIV), quantum adversati sint sancti omni detritioni vel laesioni Christi in confectione sacramenti fingendae. Non, credo, minus inveherentur, si in sacramenti desitione destructio aliqua Christi esset a suis coaetaneis imaginata.

2. Adverte, etsi non effugerit Suarezium illud consectarium de *destructione* Christi, tamen nihil apud eum inveniri, quo efficaciter consequentia discutiatur, etsi rejiciatur (disp. 54, sect. 1, n. 2).

aliam praesentiam praedicatis inter se oppositis : quatenus scilicet una praesentia est sensibilis, altera non. Contrarietas autem secundum modos praesentiae non fert secum contrarias formas Christo intrinsecas, sed superaddit realitati Christi, ut constabit infra, relationes logicas demum ad varias rerum transsubstantiatarum species. Contrarietas ergo quaedam (non secundum rem, sed secundum logicos respectus) oboritur inter carnem Christi naturaliter praesentem et carnem Christi praesentem eucharistice. Et secundum hoc una de altera negatur, non quidem secundum quod ipsa, sed secundum quod substans variis relationibus logicis. Comparatio igitur non est inter duos terminos reales, sed utique inter duos complexus unius termini realis et relationum logicarum diversarum. Pro quanto scilicet spectatur caro Christi reduplicative ut gaudens una conditione, non potest poni gaudens altera. Praeterea caro Christi in eucharistia habet respectu corporis mystici rationem sacramenti, id est et symbolicam et vivificam, quam non habet prout attenditur solum secundum se. Unde rursus dicitur jure meritoque caro eucharistica esse spiritualis prae carne historica ; enasciturque inter unam conditionem et alteram novum dissidium divisionisque argumentum.

Unde habes, quomodo intellegas dicta multa Patrum, ut Augustini (*Enarr. in Psalm.* 98, n. 9. P.L. 37, 1265) : « Non « hoc corpus quod videtis, manducaturi « estis, et bibituri illum sanguinem quem « fusuri sunt, qui me crucifigent. » Pariter Hieronymi : « Dupliciter sanguis « Christi et caro intelligitur : vel spiritua- « lis illa atque divina, de qua ipse dixit : « *Caro mea est cibus ;* vel caro et sanguis, « quae crucifixa est et qui militis effusus « est lancea » (in *Ephes.*, 1⁷. P.L. 26, 451)[1]. In talibus locutionibus nihil est falsi, quanquam duriusculus est sermo. Cujusmodi sermone postmodum sunt decepti quidam mediaevales, ut Ratramnus atque Rabanus Maurus, et, ni fallor, Guibertus Novigentinus.

Etenim videtur pluribus locis admisisse Ratramnus in corpore Christi, pro naturali sua conditione et conditione eucharistica, intrinsecam quamdam differentiam (qua importaretur aut dualitas substantiae aut certe dualitatis nonnulla substantia) : « Non igitur idem sunt » (*De corpore et sanguine Domini*, c. 71. P.L. 121, 158 ; conferantur capita 50, 57, 69, 88, 89, 97, 101). Revera si loci illi omnes per modum unius sumantur stricte ut sonant verba, vix effugi potest conclusio : latitasse in mente Ratramni aliquid haereseos post modum oboriturae, cum berengarianae, tum calvinianae ; adeo ut non formae verborum sanae defensor solum exstiterit S. Paschasius, sed dogmatis ipsius catholici ; et Beata Virgo haereticum errorem proprie interemerit, ex qua natum corpus Christi sub speciebus praedicaretur adesse. Attamen, spectatis nonnullis locutionibus, quibus, etsi ambigua, tamen nonnulla continetur praesentiae realis adsertio, decerni absolute non potest, quae fuerit mens Ratramni. Quare sapienter scribit Darwell Stone (*A history of the doctrine of the holy Eucharist*, 1099, t. 1, p. 233) : « The « present writer has read the book many « times in the hope of being able to form « some clear idea on this subject, and can « only confess his failure to reach a con- « clusion which seems to him to satisfy « all the elements in Ratramn's teaching. » Corpus scilicet Christi, dum adseritur esse vere praesens in eucharistia, tamen negatur esse idipsum quod natum est de Maria Virgine. Estne tunc novum quoddam corpus, confectum in ordine ad speciales fines eucharistiae ? Aut, si novum non est, cur carpendus Paschasius, quod asseruerit esse de Virgine natum : praesertim cum is nullam capharnaitici sensus speciem oggereret ? Nullum, vereor[2], effugium, nisi

1. Exempla ejusdemmodi graeca videas recitata aut indicata supra in Elucidatione XVIII (Append. C).

2. Attamen nihil determinative asserere ausim ego. Interea legi potest in favorem Ratramni non solum Jacobus Boileau, *Dissert. in*

corpus Christi eucharisticum intellegatur esse tantummodo « in sacramento verum » (cap. 57), id est sacramentotenus verum, id est nullam habens veritatem quoad se, sed in imagine tantum, sicut ignis in pictura est verus ignis pictus ; nec proinde intellegatur verum simpliciter (cap. 59, etc.) ; neque verum rursus quoad substantiam carnis per animam vegetatae (cap. 72-77), sed verum tantum quoad effectum vitae in nobis producendum (passim), ad modum fere reliquorum sacramentorum[1]. Qui si sensus praevaleat, ut non paucis visum est, jam utique nulli scholae theologorum catholicorum potest sine summa injuria affigi nomen patrociniumve Ratramni. At, si realitas ab ipso servata sit corporis eucharistici, videas nonne forte compatiatur secum replicationis aut geminationis genus idem, quod apud coaetaneum quemdam ejus, pariter Paschasii adversarium, venit nunc notandum.

Quin ullatenus propenderet in sacramentariorum errorem, Rabanus Maurus radicalem quamdam dualitatem videtur propugnasse, dum vult confectum primo corpus eucharisticum ad verba Domini *Hoc est corpus meum*, deinde, ad precationem *Supplices igitur*, uniri corpori Christi coelesti per propriam Verbi divinitatem[2] : ut inde daretur nobis totus Christus in una alimonia vitali. « Simul tamen non duo « sunt (quod absit) corpora, sed unum » (*Epistola ad Egilem Prumiensem*, n. 3, 4, 7 ; P. L. 112, 1513-1518). *Unum* intellege unitate compositionis, seu unionis, ut ex praemissis patet, et confirmatur adducta comparatione : « Ipsius Domini Christi « est alius, non (quod absit) personaliter, « sed naturaliter, spiritus juxta divinita- « tem, alius naturaliter spiritus juxta hu- « manitatem. Simul tamen non duo, sed « unus est personaliter spiritus propter « unitatem personae » (n. 7, col. 1517-

lib. de corp. et sang. Dom. (P.L. 121, 171 sq.), sed etiam A. Naegle, *Ratramnus und die hl. Eucharistie*, Vindob. 1903, cap. 6, p. 217-294. Aliqualiter anceps videtur remansisse nuperius R^mus D. Cohalan, Episcopus Corcagiensis, *De SS. Eucharistia*, Dublini 1913, p. 227-245. Ceterum Ratramni liber fuit a S. C. Indicis prohibitus usque ad annum 1900.

1. Inter Ratramni asseclas notari debet Aelfricus Abbas, cujus Epistulas saxonice scriptas edidit M. J. Routh (*Scriptorum ecclesiasticorum opuscula praecipua quaedam*, tom. 2, Oxon. 1858, p. 169-177, cf. p. 184-185), meo judicio, haereticas.

2. « Ad illa siquidem verba Domini, *Hoc est* « *corpus meum*, fit corpus Domini ; et suppli- « cante sacerdote, corpus Domini sumptibile « transfertur in corpus Domini natum de Virgine, « quod est penitus inconsumptibile, ut videlicet « vere nobis detur ab ipso Christo pontifice » (*Epistola ad Egilem Prumiensem*, n. 4. P.L. 112, 1514). Superius etiam (n. 3, col. 1513) : « Cog- « noscetis, non quidem (quod absit) *naturaliter*, « sed *specialiter* aliud esse corpus Domini, quod « ex substantia panis ac vini pro mundi vita « quotidie per Spiritum Sanctum consecratur, « quod a sacerdote POSTMODUM Deo Patri sup- « pliciter offertur ; et aliud *specialiter* corpus « Christi, quod natum est de Maria Virgine, in « quod istud transfertur [dum scilicet a sacer- « dote offertur] et aliud *specialiter* corpus Christi, « sanctam scilicet Ecclesiam » (similiter inferius, n. 7, col. 1517-1518). Negat esse *naturaliter* duo, quia dualitatem naturarum excludit unitas illa naturalis, qua conjungitur quis suae carni in unitatem naturae. Quanquam enim, ut ipse notat (n. 7, col. 1517), aliud est homo carnatus, aliud hominis caro, tamen sunt naturaliter unum. Igitur Christus est unum naturaliter cum qualibet sua carne ; proindeque, et cum « carne inconsumptibili » et cum « carne sump- « tibili » : quae igitur et ipsae proinde non duo sunt naturaliter, sed unum, cum sint unum cum aliquo tertio. *Specialiter* duo dicit, quia, ut ipsi videtur, « caro inconsumptibilis » et « caro sumptibilis » non sunt ejusdem speciei (n. 2, col. 1513). Huc adduci potest comparatio, quam etsi non facit auctor, tamen, credo, approbaret. Brachium meum dextrum et brachium meum sinistrum sunt unum naturaliter, sicut omnes partes meae humanitatis ; et unum specialiter, quia sunt ejusdem rationis partes seu membra, ac velut homogenea. Brachium meum et crus meum sunt unum naturaliter, sed duo specialiter, quia sunt partes heterogeneae, seu alterius rationis membra ; non enim est in meo crure ratio brachii, aut e converso. Sic fere « caro sumptibilis » et « caro inconsumptibilis » sunt unum naturaliter et duo specialiter apud Rabanum.

Quae omnia quam longe a veritate aberrent, per se patet. Nec sane mirum si auctori istius figmenti illibatus doctor, S. Paschasius, ejusque assectatores habeantur tanquam « qui- « dam... non rite sentientes » (*Poenitentiale*, seu *Epistola ad Heribaldum*, c. 33. P.L. 110, 493).

Alios viros mediaevales, quoad unionem corporis nescio cujus eucharistici (per verba formalia consecrati) cum corpore coelesti (effectam precatione *Supplices te rogamus*) consentientes Rabano, citavi supra (Elucid. XXI).

1518). Sic, « licet aliud sit specialiter illud, « aliud istud », non tamen duo sunt, sed unum corpus unius Christi. Ex unitate autem istiusmodi, non identitatis, sed compositionis, sequitur profecto, non corpus natum de Virgine a nobis sumi, sed quoddam corpus « sumptibile », unitum quidem corpori nato, passo ac clarificato : unde ad nos tandem transmittitur ac porrigitur[1].

Pariter Guibertus Novigentinus (*De pignoribus Sanctorum*, l. 2, c. 1. P.L. 156, 629-630. Cf. c. 2 et 3), « principaliter « verum » nominat corpus illud Christi historicum, quod, « sicut nascendo de « Virgine, patiendo in cruce, aliquantula « temporum mora praecessit, dedit causas « ALTERI [i. e. eucharistico], quod ad ejus, « ut sic dicam, VICARIAM IDENTITATEM « sub ejus exemplo successit ». Quo « in « altero autem, etsi omnis habenda veri- « tas est, PRINCIPALE tamen NON EST, « quia a principali inflectitur quod est, et « ad id reciprocari semper convenit, cujus « SPECIES AC RELATIVUM est. » Hoc est, corpus eucharisticum est essentialiter relativum ad corpus historicum, sicut ad exemplar et causam suae veritatis. Quae habitudo unius ad alterum adeo est vera et realis, ut nequeat praedicari unum de altero.

Nonnihil igitur affinis est theologia illa inventis recentiorum[2] : quatenus utrinque in quamdam pluralitatem corporum Christi propendetur. Sed omni theologiae istiusmodi obstat illud quod canimus :

« Ave verum Corpus
« Natum de Maria Virgine
« Vere, passum, immolatum,
« In cruce pro homine. »

Non utique stomachandum est supra modum, si veteres illi claudicaverint in servanda unitate corporis eucharistici cum corpore nativo Christi, cum etiam nostra fere aetate vir non solum piissimus, sed etiam apprime literatus, Antonius Rosmini-Serbati, in eumdem scopulum dualitatis alicujus apertius inciderit, cum scribit : « Avvenuta la transustanziazione, « si può intendere che AL CORPO GLORIOSO « SI SIA AGGIUNTO QUALCHE PARTE in « esse incorporata, ed indivisa e del pari « gloriosa » (*L'Introduzione al Vangelio secondo Giovanni commentata*, lez. LXXVII, p. 286). Integer contextus, atque prolixa excerpta parallela ex altero opere, *Antropologia Soprannaturale*, dantur ab auctoris defensore, L. M. Billia, *Quaranta Proposizioni attribuite ad Antonio Rosmini* (Mediolani 1889, p. 376-417). Damnata porro est ista propositio, sic latine versa : « Peracta transsubstantiatione, intelligi « potest corpori Christi glorioso par- « tem aliquam adjungi in ipso incorpora- « tam, indivisam pariterque gloriosam » (D., 1920). Ad istam partem additam tantum corporis dominici vult terminari transsubstantiationem panis, quantum est ex vi verborum : adeo ut reliqua pars substantiae corporis Christi non sit in eucharistia nisi per concomitantiam (ap. Billia, 379-380). Rursus ad eamdem partem tantum vult terminari *ex sese* nostram communionem vitalem cum corpore Christi, quanquam ratione concomitantiae terminetur de facto ad totam substantiam corporis Christi (ap. Billia, p. 378-379 ; cf. prop. damn. rosmin. 29, 30, 31. D., 1919-1921). Insuper in triduo mortis, si exsisteret sacramentum, non fuisset secundum partem illam additam

1. Eodem saeculo nono, apud Syros iisdem terminis agitabatur eadem quaestio, ut patet per Mosen Bar Kepha, virum jacobitam, in opere jam saepe laudato, *Explanation of the mysteries of the oblation* (p. 54) : « It is right « that we enquire whether that bread, which « Christ took and blessed and hallowed and « called His body, is itself the body which « was (taken) from the Virgin, or another « beside it. And we say that it is His body « and His blood which was from the Virgin. » Proceditque deinde ad tuendam suam solutionem contra objectiones.

2. Quibus fortasse dubitari potest nonne patrocinetur Albertus M. in *Libro de sacramento eucharistiae*, dist. 3, tr. 1, c. 6, n. 6. Lege locum. At, si inde te converteris ad locum alium posteriorem, dist. 3, tr. 3, c. 1, n. 11, videbis hic prioris loci locutiones difficiles quasdam (quasi excludentes ab eucharistia propriam Christi staturam ac dimensionem omnem) emolliri adeo, ut dicatur Christus « SINE CONTRAC-

mortuum unquam corpus Christi eucharisticum ; sed maneret vivum, quantumvis mortuum esset corpus naturale in semetipso (Lez. 88, p. 288). Quare superius scripserat (Lez. LXXIII) : « Cristo può « esser dunque morto della sua vita « naturale, ma non della sua vita eucaristica. ...Il corpo naturale di Cristo « era venuto dalla terra perchè composto del sangue della Vergine, e però « fu potuto abbandonare alla morte : ma « il corpo eucaristico ha un essere soprannaturale, che viene unicamente « dal Cielo, e però è vivente e vivificante : « niuno lo può distruggere » (p. 236-237). Ubi tandem inducitur quaedam vera et realis dualitas corporis eucharistici et corporis nativi ex Virgine tracti.

Interim, saeculo XVIII, apparet etiam in Gallia quosdam catholicos finxisse nescio quod sacramentale corpus Christi aliud ab historico et coelesti, immo innumera illiusmodi corpora pro multiplicatione numerica κλασμάτων ; contra quos scripsit Duguet suum opusculum, quod inscribitur *Traité dogmatique sur l'Eucharistie* (Paris, 1727), ubi illorum sententia (tacitis tamen nominibus) sic recitatur propriis verbis ipsorum : « [Rien n'empêche un catholique de « croire] que Jésus-Christ n'ait pas donné « à ses apôtres, lorsqu'il institua l'eucharistie, le même corps qui fut livré le « lendemain à la croix pour le salut des « hommes ; que le pain qui est offert sur « l'autel soit changé en une chair qui n'est « pas celle que Jésus-Christ a dans le ciel ; « qu'il y ait autant de corps de Jésus-« Christ réellement distingués en nombre, « qu'il y a d'hosties consacrées ; que Jésus-« Christ ne soit pas seulement uni à la « chair qui a été formée dans le sein de la « Vierge, qui a été attachée à la croix, est « ressuscitée, est montée dans le ciel : mais « qu'il s'unisse chaque jour à une infinité « de chairs, dont le fond n'a jamais été « dans le sein de la Vierge, et dont aucune « n'a été mise à la croix, ni dans le tombeau » (*op. cit.*, p. 2-3)[1]. Cui vesaniae auctor inter multa alia hoc potissimum opponit : « C'est une double erreur de « penser qu'une chair qui est unie seulement à l'âme de Jésus-Christ, mais qui « n'a point satisfait pour nous, puisse nous « communiquer ce qu'elle n'a pas mérité, « et nous le communiquer de telle sorte « QU'ELLE NOUS DISPENSE DE NOUS UNIR « A LA CHAIR QUI A ÉTÉ L'HOSTIE D'EXPIATION DE NOS PÉCHÉS, ET QUI EST MORTE « POUR NOUS DANS LES TOURMENTS. ON « N'A JAMAIS RIEN FAIT DE TEL DANS « LES SACRIFICES QUI N'ÉTAIENT QUE DES « FIGURES. On n'a jamais séparé la communion de l'oblation. ON N'A JAMAIS « SUBSTITUÉ A UNE HOSTIE IMMOLÉE UNE « AUTRE QUI NE L'EUT PAS ÉTÉ. Et il est « étrange qu'on s'efforce de déshonorer la « vérité la plus auguste par une substitution qu'on n'eût pu souffrir dans la « figure » (*ibid.*, p. 265). Hic habes tandem argumentum contra omnem quamlibet pluralitatem dominicorum corporum, ductum non jam ex repugnantia metaphysica, sed (quod theologo antiquius est) ex relligione ipsa sacrificiorum, cujus perfectionem omnem obtinet nostrum corporis et sanguinis Christi sacrificium. Cujusmodi argumentum patenter ipse Dominus corroborabat, cum diceret : *Hoc est corpus meum*, non qualecumque, sed *quod pro vobis datur*, utique ad mortem; *sanguis meus*, non nescio quis aliunde emendicatus, sed ipse *qui funditur in remissionem peccatorum* : ipsa hostiae caro, cruor ipse victimae, ipsum salutis nostrae pretium. Sicque nexus apparet inter theologiam transsubstantiationis et theologiam sacrificii, qualis tam multis commendata est supra (Elucid. XIX et XX) testimoniis Patrum et Doctorum, asserentium offerri ac participari a nobis immolatitiam ipsam carnem crucis. Quibus alia addi possint, ad rem praesentem accommodata satis, sive patristica, sive scholastica. Utputa, ex oraculis Patrum, illud

« TIONE SUAE CORPOREAE QUANTITATIS... in « tam parvo loco contineri sicut est hostia. » Proprie autem invocare possunt fortasse auctoritatem Ruperti, ut indicatum est supra (Elucid. XXIV).

1. Cf. etiam Pressy, *Instr. Past.*, 1769, p. 36.

S. Gregorii Magni, quo perhibetur Christus eo consilio deditus morti, ut corpus ejus et sanguis in nostram transirent alimoniam : « Bonus Pastor pro « ovibus suis animam suam posuit, UT « in sacramento nostro corpus suum et « sanguinem verteret, et oves quas re- « demerat, carnis suae alimento satia- « ret » (*Homil.* 14 *in Evangel.*, n. 1. P.L. 76, 1127). Pariterque ex scholastica sapientia, monitum hoc Joannis Driedo : non fore nobis utilem carnem Christi in eucharistia, nisi eadem sit, in qua fuerit passus. « Dum non habemus quod « illi [Deo Patri] dignum offerre valeamus « pro omnibus quae retribuit nobis, acci- « pimus calicem Salvatoris, id est pas- « sionem ejus, praesentantes Deo Patri « opus nostrae redemptionis, ut illius sa- « crificii semel in cruce pro nobis immolati « participes facti, maneamus et vivamus « in ipso per ipsum. Proinde et ipse Cy- « prianus, quod celebrando quotidie offe- « rimus, dicit esse Christi passionem... « Et IDCIRCO (inquit) haec caro, in qua « Christus solvit pretium pro peccatis « totius mundi, prodest per omnem mo- « dum omnibus credentibus » (*De Scripturis ecclesiasticis et dogmatibus.* A. D. 1533. Opera, Lovanii 1554, tom. 1, fol. 251 b). Idcirco ; nec aliter : sublata enim causa tollitur effectus. Causa utilitatis est unitas immolatitia ; quam dum destruit dualitas corporum, aufert utilitatem. Caveamus igitur ab omni intellectu transsubstantiationis, quo inferatur istiusmodi dualitas corporis historici et eucharistici. Non enim satis est theologo dualitatem illam negare, nisi etiam videat nonne ex principiis, quae posuit ipse, istud sequatur, quod negat.

ARTICULUS III. EXCLUDITUR ADDUCTIO, SEU PRODUCTIO ALICUJUS NOVAE DETERMINATIONIS LOCALIS.

Argumentum primum, ex lege ipsius adductionis.

Nulla in corpore alicubi locato producitur jam determinatio localis nova, nisi per derelictionem loci prioris, successivamque locorum interjacentium acquisitionem. Nihil enim est istiusmodi productio nisi reductio potentiae ad actum in ordine ad locum. Non autem potest eadem potentia simul actuari per duos actus inter se contrarios : sed oportet ut prior actus alteri cedat, qui illi succedat. Et quia corpus est in potentia ad locum per suam mobilitatem, in qua attenditur ratio alicujus continui, sicut et quanti, ideo oportet ut primum partialiter cedat prior locus, et partialiter succedat alter : quae est locorum interjectorum acquisitio successiva. Et haec est ratio, cur sanctus Thomas in hoc ipsissimo negotio (3 S. 75, 2, c.), neget posse corpus ullum fieri praesens ubi non erat (excepta conversione alterius in ipsum) nisi per verum motum localem.

Porro patet, duplici ex causa repugnare ut praesentia Christi eucharistica explicetur per motum localem : primo, quia non deserit priorem locum Christus ; secundo, quia non transit per loca intermedia.

Ergo neganda est adductio.

Argumentum secundum, ex unitate numerica corporis Christi.

Diversae determinationes locales important distantiam inter affectum determinatione una et affectum determinatione altera. Distantia autem separat : « nam si A sit constitutum sub mensura « hujus loci, si B sit constitutum sub « mensura hujus alterius loci, si denique « hos locos dividat spatiorum intercapedo, « evidens est quod A separatur a B. » (Cardinalis Billot, p. 321). Realis autem distinctionis rerum corporalium nullum efficacius est principium aut signum manifestius, quam actualis separatio : qua importatur oppositio secundum situm. Situs autem intrat ipsam rationem quantitatis. Situali igitur oppositione dividitur quantitas a quantitate secundum rationem ipsam quantitatis. Ordo vero intrinsecus ad diversas quantitates induit numericam ipsarum materiarum pluralitatem, proindeque et formarum.

Quare recte sanctus Thomas (4 D. 44, 2, 2, 3, 4) : « Esse in pluribus locis simul, « inquit, repugnat individuo ratione ejus « quod est indivisum in se ; sequeretur « enim quod esset distinctum in situ. »

Argumentum tertium, ex incommodis ubicationis intrinsecae.

Praenotanda.

Secundum sententiam Aristotelis et Sancti Thomae, corpus est in loco per contactum propriarum dimensionum ad superficiem primam corporis continentis immobilem. Unde fit ut locus semper accipiatur a Philosopho et Angelico Doctore tanquam realitas aliqua extrinseca, et determinatio localis tanquam relativa quaedam attributio (vide *Physic.* 4, lect. 6 ; *Metaph.* 5, lect. 9 et 17 ; *Quodlib.* 6, q. 1, a. 3). Quo posito, Christus in eucharistia nulla intellegitur auctus determinatione locali, ut qui nullum acquisierit contactum dimensivum.

Adversarii vero, quanquam deficit contactus dimensivus, tamen volunt Christum in eucharistia auctum et ditatum quadam determinatione locali, cum nonnisi per ipsius acquisitionem censeant eum esse praesentiatum. Ergo debuerunt excogitare et locum quemdam, alium a superficie continente contiguas corporis inclusi dimensiones, et quamdam praesentiam corporis in loco citra contactum dimensivum veram et propriam. Quare finxerunt esse aliquid praesens alicubi per quemdam sibi intrinsecum modum, quo determinetur ad certam occupandam partem spatii cujusdam absoluti.

Spatium illud absolutum, immensum, aeternum, pervadens omnia loca, atque continens superansque in infinitum, concipitur quasi receptaculum quoddam omnis creationis realis et possibilis ; at interea nihil est reale, sed merum ens rationis. In quo spatio irreali collocantur corpora per realem illum modum ipsis inhaerentem, qui dicitur ubicationis. Qui ubicationis modus ita singulis rebus inhaeret independenter a ceteris, ut si, toto mundo sublato, solus ego servarer, forem tamen alicubi, immo ibidem, ubi prius fueram (nisi forte moverer localiter)[1] ; et si pro priore mundo alius mihi circumdaretur, totaliter diversus et specie et mole et relativa ad me dispositione, tamen, (nisi motus interim essem) dicendus forem esse ibidem ubi prius eram. Adeo nos intrinseca et absoluta donat locatione modus ille ubicationis, ad rem nullam habens respectum praeter inexterminabile ens rationis.

Jam vero, sicut praesentia in loco habetur per talem nobis inductum modum, sic mutatio loci fit per modi mutationem, et multilocatio per multiplicationem modorum. Sicque fit ut Christus, quamvis praeditus suo connaturali modo ubicationis in coelo, possit, sine discessu e priore loco, sine locorum intermediorum pertransitu, per solam acquisitionem novarum ubicationum, fieri praesens in singulis sacramenti locis, immo in partibus sacramenti singulis. Videatur Suarez *Disputationes Metaphysicae*, disp. 51, sect. 1. Lugo, disp. 5, sect. 4, n. 85 sq., praesertim n. 103 ; sect. 5, n. 123, 125, 140-144 ; sect. 6 ; sect. 7, n. 157 ; disp. 7, sect. 3, n. 60. T. Pesch, *Institutiones Philosophiae naturalis*, n. 243 (de modis), n. 431-432 (de ubicatione), n. 462 (de spatio). Lahousse, *Praelect. Metaphysicae specialis*, th. 13, n. 232.

Quibus praenotatis, videntur jam nobis multiplici incommodo laborare istiusmodi ubicationes eucharisticae.

Primo, ex parte spatii absoluti.

Spatium absolutum cum nihil sit, in illo locari nihil est. Fatente Lugone, « dicere « enim quod ubicatio constituitur realiter « in spatio ficto, vel quod haec ubicatio « distinguitur ab illa per ordinem quem « habet ad diversum spatium fictum, vel « denique quod mea ubicatio hodierna « habet ordinem ad idem spatium fictum « ad quod habebat ordinem ubicatio hes-

1. Non quod nos sane admittamus pro tali hypothesi possibilitatem intrinsecam alicujus motus (non magis quam admittimus in praesente pro universo mundo globatim spectato) ; sed exponimus sententiam aliorum.

« terna, et aliae similes propositiones non « sunt magis verae in rigore, quam si dicas « ubicationem realem dicere ordinem ad « chimaeram, vel constituere me realiter « in chimaera » (disp. 5, sect. 6, n. 152)[1].

Difficultatem tamen putat Lugo posse evadi, si revocetur sermo de spatio ad modum loquendi. Cum enim, inquit, fingitur ubicatio se habere ad spatium, « nihil « aliud est quam concipere aliquod *ubi* « possibile, in ordine ad quod reliquae « praesentiae habent talem, vel talem « relationem distantiae vel propinqui- « tatis ; et quia aliae sunt praesentiae « possibiles, a quibus magis distat meum « *ubi* quam a reliquis praesentiis, quae « de facto dantur, consideramus ultra « coelum empyreum spatia quaedam « imaginaria latissima, quae nihil aliud « sunt quam praesentiae possibiles infi- « nitae syncategorematice, a quibus magis « et magis posset distare mea praesen- « tia » (sect. 6, n. 148). Quo jam posito, « respondetur, inquit, ex dictis : non « intendi a nobis explicari ordinem ad « spatium fictum ; sed nomine spatii « imaginarii intelligi talem vel talem clas- « sem ubicationum possibilium... Quando « dicimus hanc ubicationem constituere « me in tali spatio, significamus hanc ubi- « cationem pertinere ad talem classem ubi- « cationum possibilium diversam a classi- « bus aliarum omnium... Quia tamen non « habemus nomina ad significandam diffe- « rentiam propriam hujus classis, quam « volumus denotare, hinc est quod re- « currimus ad aliquam ubicationem magis « notam, per quam significamus classem « ubicationum possibilium de qua loqui- « mur. Cum enim auditores cognoscant « jam ubicationem hujus cathedrae, dico « Petrum heri fuisse in hoc eodem spatio, « in quo ego sum : hoc est, habuisse « ubicationem ejusdem classis et simi- « lem huic ubicationi quam ego habeo » (sect. 6, n. 153).

Sed vereor ne nulla sit solutio. Nam in ista sententia ubicatio quaevis est intellegibilis per comparationem demum ad aliam ubicationem magis notam. Sed haec aut est intellegibilis per illam, aut per tertiam (aut tandem per spatium absolutum). Si primum, circulatur vitiose. Si alterum, proceditur in infinitum. In neutro ergo casu ubicatio intellegibilitatem habet (nisi forte per spatium absolutum, unde te extricare volebas).

Talis autem circulus aut processus in infinitum vitari non poterit, nisi cum Aristotele et S. Thoma (4 *Physic.* lect. 1-14), in explicando loco et praesentia locali, deveneris ad assignandum aliquod ultimum, quod non sit in loco, sed sit caeteris rebus principium locationis : et hoc est mundi corporei superficies extrema, quae ipsa non suscipit praedicamentum *ubi*, sed caetera per respectum ad ipsam suscipiunt. Sed interit eo ipso intrinseca absolutaque ubicatio ; nec restat nisi relativa ad dimensiones circumscriptas.

Secundo, ratione modi intrinseci.

Modus intrinsecus, nec relativus, ineptus est ad constituendum aliquid alicubi. Dicitur enim aliquid esse hic vel illic ex coaptatione quadam sua ad hunc vel illum locum, ubi esse dicitur ; « sicut esse « vestitum, ex adaptatione vestium ad « corpus. Quemadmodum igitur evidenter « fabulosus est intrinsecus modus vesti- « tionis, quo quis formaliter vestitus « evaderet, ita et modus ubicationis » (Cardinalis Billot, *op. cit.*, p. 407-408. cf. p. 344).

Tertio, spectata modi inductione.

Si per productionem atque inductionem modi istius intrinseci res constituitur praesens, quaero ubinam modus ingeneretur. Ubi praeexsistebat res, an ubi ea

1. Scripserat tamen antea : « Infero primo : « *ubi* non habere respectum intrinsecum et « essentialem ad corpus extrinsecum, sed solum « ad spatium imaginarium. Haec illatio constat « ex omnibus argumentis, quibus nostra sen- « tentia probata est » (sect. 5, n. 140). « Una « restat difficultas, quia si tota essentia hujus « praesentiae est non in ordine ad locum « realem, sed in ordine ad spatium imagina- « rium, quod respicit : cum hoc spatium sit « aliquid fictum et merum nihil, respectus « etiam, ad illud terminatus, non poterit esse « realis » (*ibid.*, n. 144).

fit per modum illum praesens ? Si hoc *alterum* eligis, jam 1° supervacat modus ; nam praeintellegitur a te res jam ut praesens sua nova praesentia, sine interventu modi istius[1] : prius est enim esse hic vel illic, quam hic vel illic pati, i. e. recipere motionem agentis. Superest autem explicanda praesentia ista praeinducta. 2° Ponis absurdum : nam quotiescumque in aliquem agitur, ibi illum attingit actio, ubi ipse erat. Actio igitur ubicativa (seu modi inductiva) in Christum exercetur coelo locatum. Eligis ergo *primum*. Sed, si modus ubicationis recipitur ibi ubi praeexsistebat corpus Christi, quidni in aeternum ibi permaneat : cum sit ipsa ubicatio secundum se immobilis ? Et, si non permanet, qua arte jam aut qua via intellegetur ipsa itinerare, aut corpus Christi transmittere ad novum locum ? (cf. Cardinalis Billot, p. 408).

Quarto, ex modorum numero.

Non solum Christus praesens est in singulis sacramenti toto orbe confecti speciebus, sed etiam in singulis singularum partibus. In quavis enim parte designabili Christus est praesens totus jam actu ante divisionem partium (non enim in parte ulla designabili potest dici adesse pars tantum Christi. Adest tamen Christus. Ergo totus). Sed infinitae numero partes designari possunt. Ergo infinitis actu ubicationibus plenus est Christus. Quod vix concipi potest.

Quinto, ex ubicationum omnium compraesentia.

Ubicumque Christus adest, ibi adesse debent omnia quaecumque illi sunt intrinseca, hoc est REALITER ET ABSOLUTE inhaerentia[2]. Porro ejusmodi sunt omnes istae ubicationes. Ergo hic, Andegavi, debet Christus gaudere ubicatione parisiensi. Unde exsurgunt quaedam mira.

1° Quomodo ubicatio parisiensis potest extra Parisios vagari ?

2° Si Christus hic habet secum suam ubicationem parisiensem, quomodo non dicitur hic esse Parisiis ? Quid enim in sententia adversariorum est esse Parisiis, nisi habere in se ubicationem parisiensem ? Eam habet vere hic exsistentem atque, ut ita dicam, ubicatam. Ergo in hoc angulo mundi reperiuntur omnes praesentiae Christi ad omnia eucharistiae loca, immo ad ipsum coelum. Et quia idem est esse praesentem alicui loco et habere locum illum sibi praesentem, ergo Christus hic habet proxime sibi praesentes terrae plagas omnes et coeli polos : qui igitur etiam Andegavi adsunt. Quod rursus vix concipi potest.

3° Ubicatio A fundat certam quamdam distantiam ab ubicatione B. Cum autem utraque ubicatio hic Christo insit, dicendus erit Christus, exsistens hic, distare a seipso hic exsistente. Quis omnia haec, aliave ejusdemmodi multa unquam intelleget ?

Articulus IV. Excluduntur conjunctim reproductio et adductio.

Post distincta argumenta rationis contra singulas sive reproductionis sive adductionis hypotheses procedentia, sequuntur communia contra ambas simul, petita potissimum ex fontibus magisterii ecclesiastici.

Argumentum primum ex veritate salvanda conversionis.

Inculcata est a Conciliis et Summis Pontificibus vera conversio panis in corpus et vini in sanguinem (Trid. sess. 13, cap. 4 et can. 2 ; prof. fid. trid. ex Bulla Pii IV *Injunctum nobis* ; const. Pii VI *Auctorem fidei*. D., 877, 884, 997, 1529). Veritati autem conversionis parum concordant reproductionis vel adductionis placita, pro quanto in singulis reperitur, quoad rem[3],

1. Videsis apud Lugonem, disp. 7, sect. 3, n. 53 sq., longam hujus conclusionis evasionem, at irritam : non enim attendit Doctor ille vim rationis, quae hic specialiter valet, et adnectitur a nobis continuo.

2. Ratio est, quia nequit una eademque res subesse simul et non subesse eidem formae, aut subesse simul formis contrariis.

3. Recole confessionem Lessii supralaudatam : « Non solemus dicere eas [substantias

termini recedentis annihilatio vera. Veram quippe involvi annihilationem, ex eo constat, quod utrobique panis et vinum desinunt proprie non in aliud quid, sed in nihilum : non autem aliud est annihilari, nisi in nihilum abire, sive subtractio conservativi influxus intendatur statim per se (ut apud Bellarminum et Lessium), sive consequatur ad actionem positivam circa aliud, puta circa accidentia separanda et sustentanda[1] (ut apud Suarezium), vel circa corpus Christi inducendum (ut apud Vasquezium et Lugonem). Jam vero repugnare conversioni annihilationem, patet dupliciter : spectato scilicet et termino recedente et termino succedente.

Primo, ex parte termini recedentis. Quod annihilatur non convertitur. Abit enim in nihilum ; nihilum autem nec terminat ullam conversionem, nec rursus in aliud quid convertitur.

Secundo, ex parte termini succedentis. Annihilationi enim prioris termini, respondet posterioris creatio vel adductio. Sed creatio rursus nullam terminat conversionem aut mutationem proprie dictam : immo excludunt inter se mutatio et creatio, sicut inter se excludunt esse et non esse : nam creatio est transitus EX NON ESSE in esse, mutatio autem est transitus EX ALIQUO ESSE in aliud esse. Adductio vero rei unius in locum alterius nullam facit mutationem hujus in illam. « Dicesne aquam transire in vinum, quia « loco ejus in eadem lagena vinum poni- « tur ?» (Cardinalis Billot, p. 349). Ergo omni ex parte repugnat annihilationi conversio : sicut, paucis Scotistis aut nominalibus exceptis, omnes professi sunt fere doctores. Quoad rem ergo, judicanda est repugnare conversio adductioni vel productioni.

Argumentum secundum ex distinctiore definitione transsubstantiationis.

Constat ex damnatione a Pio VI lata in Pistorienses, non sufficere ad expositionem dogmatis christiani integrandam haec tria puncta : 1° panem cessasse ; 2° accidentia remanere ; 3° Christum

panis et vini] annihilari... verum hoc ad modum loquendi spectat. » Suarez, quanquam cautior et sermone et sententiis, tamen aegre fert quod annihilatio sit a Soto notata ut erronea : immo vult eam haberi ut probabilem (disp. 50, sect. 7, n. 2). Sed non solus Sotus istiusmodi notam inusserat ; etiam Toletus haec habet : « Ista [negatio annihilationis] est « contra Scotum. Est autem conclusio ista « certior opinione ; non enim tutum est con- « cedere panem annihilari in sacramento ; et « vix a temeritate saltem excusari potest « talis assertio » (In 3 S. 75, 4). Post Sotum et Toletum, alii etiam gravi usi sunt censura, quos enumerant Salmanticenses (disp. 5, dub. I, n. 9). Nec praetereundum est quod Waldensis (*De sacramentis*, c. 68) testatus erat Wicleffitas et Husitas coaetaneos suos solitos esse imaginari malitiose in dogmate catholico assertionem annihilationis, ut exinde conversionis repugnantiam arguerent. Quod et protestantes deinde, quod refert Vasquez (disp. 183, c. 1, n. 7), similiter egerunt : « Quocirca praedicta opinio de annihilatione « panis et vini adversariis nostrae fidei arma « ministrasse videtur » (Vasquez, *ibid.*). Ut simplicior, ita tutior fides veterum erat, dum scribebant : « Ad hoc autem, quod objicitur, « quod fit ibi mutatio panis de esse panis in « non esse, dicendum quod hoc penitus falsum « est » ; siquidem « tunc penitus annihilaretur « in sacramento substantia panis : quod FI- « DES CATHOLICA NON ADMITTIT » (Albertus M., *Liber de sacram. euchar.*, dist. 6, tract. 2, cap. 1, n. 10).

1. Multum hoc Suarezii effugium carpit Vasquezius (disp. 183, n. 12-23), inter alia haec scribens : « Contendere autem de panis et « vini desitione et separatione accidentium, « quaenam sit prior et causa alterius, utrum « ratione separationis accidentium desitio sub- « stantiae panis et vini habere non possit « rationem annihilationis : frivolum sane, et « indignum non solum tanto mysterio, sed « etiam quod inter theologos disputetur. » Sed miror, quod oculatissimus Doctor non perspexit, posse etiam facile suum occludi effugium, aliaque similia omnia. Nam, quod reductio panis in nihilum consequatur ad actionem inductivam corporis Christi, quomodo per hoc removetur annihilatio ? Non removetur, sed tantummodo importatur per praeviam actionem positivam : ita ut sint duae actiones divinae, una positiva primum, qua statuitur corpus Christi ; altera deinde negativa, qua in nihilum sinitur labi panis. Annihilatio autem nunquam removebitur, nisi ostendatur e converso positionem corporis Christi sequi ad mutationem panis, et quidem ita ut haec sit vera realisque via ad illam. Tum enim apparebit, tumque demum, quomodo panis non desinat in nihilum, sed in aliquid.

adesse ; sed requiri amplius quartum punctum, veluti distinctum articulum fidei, nimirum transsubstantiationem, seu conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem[1] (D., 1529). Igitur tria praedicta nondum integrant formaliter ex sese conceptum catholicum conversionis transsubstantiativae[2]. Quid autem, quaeso, praeter illa tria, auctores sive reproductionis sive adductionis nobis proponunt ad transsubstantiationem pertinens, nisi merum nomen ? Neutri enim assignant ullam extremorum successionem nisi, quantum est ex parte rei, se habentem mere materialiter. Siquidem nequaquam volunt adhiberi ab auctore conversionis mutationem unius termini tanquam MEDIUM ad inductionem alterius. Quicquid autem superinducunt ab extrinseco connectens ambas partes, puta intentionem divinam, vel si quid ejusmodi, nullam habet vim mutandi realem conditionem istius consecutionis, quae est mera successio et nulla conversio (cf. Cardinalis Billot, *op. cit.*, p. 329 et 339).

Praeterea, si ad istum modum esset intellegenda transsubstantiatio, cujusnam utilitatis gratia praedicari eam oporteret fidelibus praeter tria illa puncta supra-recensita ? Nonne amandanda esset ad quaestiones mere scholasticas, quibus obrui vix decet ingenia fidelium ? At hoc ipsum reprobat Pius VI in decreto praelaudato[3]. Quae reprobatio vix intellegi potest, nisi transsubstantiatio addat super illa tria puncta aliquid intrinsece conducens ad ipsorum veritatem atque intellegentiam : quatenus, exclusa annihilatione, desitio unius substantiae sit idipsum quo procuratur nobis sub speciebus altera : ita ut sit unum re opus transsubstantionis, quamvis, pro diversitate respectuum ad duos terminos, sit duplex ratione (cf. Cardinalis Billot, p. 350).

Argumentum tertium ex comparatione inter accidentia et extrema conversionis.

Specialius contra eos qui putant elementum formale transsubstantiationis, praeter successionem duarum substantiarum, reperiri in habitudine quadam communi utriusque ad tertium : sive substantiali, seu statica, secundum copulationem ad accidentia (Valentia) ; sive activa, seu dynamica, in ordine ad sustentanda accidentia (Lugo).

Et primo quidem, consideratio habitudinis dynamicae reducitur in casu ad considerationem habitudinis staticae. Nam 1° prius est corpus Christi adesse, quam sustentare accidentia. Porro non adest nisi per transsubstantiationem. Ergo jam habetur transsubstantiatio, priusquam attendi possit sustentatio. 2° Transsubstantiatio est aliquid quod fit a sacerdote. Sustentatio autem activa accidentium, si qua procederet a Christo eucharistico, esset quoddam ipsius agere : quod non operatur sacerdos. Ergo nulla est pars transsubstantiationis. Superest ergo consideranda solum habitudo statica.

Jamvero dico realem habitudinem substantialem terminorum binorum ad accidentia nullum esse elementum formale aut constitutivum transsubstantiationis. Nam in tantum foret, in quantum acci-

1. « Quam velut articulum fidei Tridentinum « Concilium definivit, et quae in solemni fidei « professione continetur. » Cujus si mentio omittatur, « notitia subtrahitur tum ARTICULI « AD FIDEM PERTINENTIS, tum etiam vocis ab « Ecclesia consecratae ad illius tuendam pro- « fessionem adversus haereses, tenditque adeo « ad ejus oblivionem inducendam, quasi age- « retur de quaestione mere scholastica » (*ibid.*). Adverte, non solum vocis jacturam, sed etiam articuli notari in iis qui tribus supradictis punctis sint contenti.

2. H. e., tria ista possent sustineri ab eo qui negaret conversionem : etiamsi haec sequatur logice ex illis, atque vice versa. Sicut sunt qui negent immutabilitatem Dei, quamvis agnoscant probe Dei exsistentiam, tanquam causae primae supramundanae, seu Creatoris increati : qua in notitia clauditur implicite immutabilitas.

3. « Doctrina Synodi, qua parte tradere in- « stituens fidei doctrinam de ritu consecratio- « nis, remotis quaestionibus scholasticis circa « modum quo Christus est in eucharistia, a « quibus parochos docendi munere fungentes « abstinere hortatur » etc. « Quasi ageretur de « quaestione mere scholastica ».

dentia haberentur tanquam elementum quoddam permanens commune utrique termino totali a quo vel ad quem fit transitus, sicut in mutationibus formalibus materia. At non ita res habet. Terminus enim totalis transsubstantiationis non est ex doctrina conciliorum compositum ex substantia et accidentibus, sed ut tota, ita SOLA substantia, cum panis, tum corporis Christi (quamtum est ex vi verborum). Hoc est, coincidit terminus totalis termino formali. Manent igitur accidentia omnino extra ambitum terminorum transsubstantiationis, simpliciter immota[1], longe secus ac materia in formalibus mutationibus, aut etiam substantia in alterationibus. Nec proinde per comparationem ad ipsa potest formaliter definiri nexus vigens proprie inter extrema istius conversionis (Cardinalis Billot, p. 356) : etsi forte accidentium conservatio potest esse ex alio titulo conditio necessaria ad transsubstantiationem, ut infra exponetur.

Argumentum quartum, ex consectario circa desitionem corporis Christi inviso.

Procedit contra eos saltem auctores sive *reproductionis* sive *adductionis*, qui, secus atque Valentia aut Lugo[2], in habitudine terminorum ad species permanentes nullum collocant formale elementum conversionis. Apud ipsos dicenda foret, dum corrumpuntur species, habere locum transsubstantiatio quaedam altera corporis Christi in materiam succedentem : non enim tum deest connexio extrinseca inter desitionem corporis Christi et novae materiae subrogationem : sive ideo recedat unus terminus ut succedat alter, sive quia succedit ; atque rursus, sive id fiat per destructionem unius alteriusque creationem, sive per abductionem et adductionem, proportionaliter ad singula cujusque de conversione sacramentali placita. Porro transsubstantiationem vel conversionem admittere corporis Christi in aliud, quid est nisi errori stercoranistarum (si qui unquam fuerunt) aperire locum (Cardinalis Billot, *op. cit.*, p. 348)? Qualiter autem se ab ista difficultate expedire satagant adversarii, vide apud Suarezium, disp. 54, sect. 3.

Omni igitur ex parte adigimur ad consentiendum *Catechismo Concilii Tridentini* (pars. 2, c. 4, n. 37) : « Si est verum Christi « corpus sub panis et vini specie post « consecrationem, omnino necesse est, cum « ibi antea non esset, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in « ipsum conversione factum esse. At vero « fieri non posse constat (ut corpus Christi « in sacramento sit) quod ex uno in alium « locum venerit : ita enim fieret ut a coeli « sedibus abesset, quoniam nihil movetur, « nisi locum deserat a quo movetur. Creari « autem corpus Christi minus credibile est, « ac NE IN COGITATIONEM QUIDEM CADERE « HOC POTEST : relinquitur ergo (ut in sacramento sit corpus Domini) quod panis « in ipsum convertatur. » Cujusmodi conversio autem « ita fit, ut tota panis sub« stantia, divina virtute, in totam corporis « Christi substantiam, totaque vini sub« stantia in totam sanguinis Christi sub« stantiam, SINE ULLA DOMINI NOSTRI « MUTATIONE convertatur » (ibid., n. 39) : ut mox est exponendum.

1. Omne elementum commune mutationum accipitur ut mutatione ipsa affectum : verbi gratia, in alterationibus substantia modificatur secundum quamdam sui affectionem accidentalem ; in mutationibus formalibus materia mutatur secundum quamdam sui conditionem substantialem. Hic autem accidentia omnino immutata manent servanturque a Deo. Non sunt ergo ullatenus mutationis subjectum, aut quasi subjectum, aut tandem conversionis terminus etiam partialis. Nec proinde dicendum aut putandum est, compositum ex pane et accidentibus mutari in sacramentum, tanquam in compositum quoddam ex accidentibus iisdem et corpore Christi.

2. Quanquam ipse Lugo (disp. 7, sect. 10, n. 173) sponte docet, nec satis caute, converti compositum ex corpore Christi et speciebus in compositum subsequens : ut opinor, ea de causa, quia quantitas saltem censetur perseverare eadem. Antea tamen (sect. 9, n. 154, sq.) ea, qua par est, severitate castigaverat Arriagam, dicentem : corpus ipsum Christi mutari in substantiam subsequentem. Quod vel cogitatu est horribile.

Sectio II. — Verior solutio proponitur.

Cum neque productione neque adductione constitui possit praesens corpus Christi in eucharistia, superest omnino, ut per conversionem habeatur proprie dictam[1]. Etenim, si nullius *esse* in Christo (neque substantialis neque accidentalis) productione haec praesentia nova obtineri potest, nec tamen potest obtineri sine ulla mutatione in rerum naturam inducta, sequitur, mutationem hanc non esse corporis Christi, sed alterius rei in corpus Christi immutatum.

Circa quam mutationem panis in corpus Christi immutatum, duo veniunt statuenda :

1° Nullam mutationem in aliquid immutatum dari posse nisi transsubstantiationem ; neque vicissim transsubstantiationem ullam dari posse nisi in rem immutatam, proindeque praeexsistentem.

2° Transsubstantiationem esse de se aptam ad praesentiandum terminum conversionis, loco termini conversi, sub hujus speciebus.

Articulus I. Convertuntur inter se mutatio rei in rem immutatam et transsubstantiatio.

Primo quidem, nulla mutatio rei in rem immutatam dari potest nisi per transsubstantiationem.

Etenim rem in aliquid immutatum mutari, dicit in termino conversionis nihil novi haberi. Atqui hoc importat, nullum commune elementum assignari posse panis transmutati et corporis Christi eucharistici. Etenim, si quod elementum conversi panis in corpore Christi eucharistico reperiretur, certissime inesset huic corpori aliquid novi, minime in ipso praeexsistens, foretque corpus, secundum novitatem illius elementi, mutatum. Jam autem, si nihil in termino conversionis superest termini conversi, oportet ut hujus mutatio facta sit non secundum partem tantum, puta formam, remanente materia, sed secundum totam substantiam, nulla ejus parte remanente : quae est transsubstantiatio. Recte igitur Scotus (4 D. 11, q. 3) : « Est impossibile transsubstantiationem partialem [i. e. mutationem formalem] esse in praeexsistens : quia « illa est mutatio per quam potentiale « recipit actum quo prius caruit ; et, per « consequens, compositum ex illo potentiali et ex illo actu novum est, quia « succedit privationi illius. » Intellege ergo : nulla erit mutatio in praeexsistens, nisi totius substantiae in totam substantiam.

Secundo : Reciproce transsubstantiatio nequit dari ulla nisi in terminum immutatum.

Probatur 1°.

Etenim, si terminus transsubstantiationis esset, prout talis, mutatus, id est reductus de potentia in actum, esset secundum novum illum actum productus. Secundum igitur quod ille actus foret aut actus essendi simpliciter, aut actus essendi tale (sive substantialiter sive accidentaliter), foret ille terminus productus vel ex nihilo sui et subjecti, vel ex nihilo tantum sui, non autem subjecti. Sed prior casus est creationis, seu transitus ex non ente in ens, qui nullam, ut diximus, potest ingredi conversionem, seu transitum de ente in ens. Ad alterum autem casum quod spectat, quandocumque actus, vel substantialis vel accidentalis, producitur per viam conver-

1. « Nihil potest incipere hic esse, cum prius « non fuerit, nisi per motum aut mutationem « propriam, vel ALTERIUS TERMINATAM aliquo « modo AD IPSUM » (S. Thom., 4 D. 11, 1, 2). Hinc sequitur falsitas et impanationis Christi, et annihilationis panis. Sanctus Thomas rursus : « Relinquitur ergo dicendum quod verum cor- « pus Christi esse incipiat in hoc sacramento « per hoc quod substantia panis convertitur « in substantiam corporis Christi, et substantia « vini in substantiam sanguinis ejus. Ex hoc « AUTEM APPARET FALSAM esse opinionem tam « eorum qui dicunt substantiam panis simul « cum substantia corporis Christi in hoc sa- « cramento exsistere, quam etiam eorum qui « ponunt substantiam panis in nihilum redigi » (Cg. 4, 63).

sionis, id in conversionis termino fit ex proportionali desitione actus contrarii in termino converso : pro quanto generatio unius est corruptio alterius. Habetur igitur hujusmodi conversio secundum duas formas inter se succedentes in eadem materia vel subjecto ; proindeque importat consubstantialitatem partialem terminorum : quae in transsubstantiatione locum habere non potest. Nequit igitur transsubstantiatio dari in ullum terminum conversione ipsa mutatum.

Aliis verbis, quia terminus formalis *ad quem* (ut aiunt) conversionis productivae est pars demum compositi, etiam pars fuerit necesse est compositi terminus formalis *a quo :* permanebitque compositi altera pars, communis utrique extremo (Cardinalis Billot, *op. cit.*, p. 356).

Probatur 2°.

Mutatio unius in alterum non ex ipso conceptu dicit in HOC altero mutationem ullam, sed tantum in priore ILLO, quod dicitur mutatum. Quaerenti enim quid sit mutatum, ex ipsa phrasi respondendum est : ILLUD esse mutatum ; utique in HOC. De hoc autem quid ? Ex ipsa phrasi minime habetur HOC esse mutatum, sed esse id in quod mutatum sit ILLUD.

Quod igitur terminus conversionis inveniatur per ipsam conversionem mutatus, hoc est per accidens in conversione, spectata in quantum hujusmodi. Provenit enim ex eo quod termino converso contingit terminum conversionis esse plus minus consubstantialem : nimirum ratione communis subjecti, quod, cum sit ipsius mutationis subjectum, necessario in termino conversionis invenitur mutatum[1].

Ubi deficit igitur subjectum commune, deficit tota ratio mutationis in termino conversionis ; nec proinde ulla ejusmodi mutatio tunc per viam conversionis dari potest. Unde sequitur, transsubstantiationem, si qua detur, non dari ullam nisi in rem penitus indemutatam, proindeque praeexsistentem.

Aliis verbis, actio conversiva non dicit de se actionem productivam. Potest dari conversio productiva (et hujusmodi sunt omnes conversiones naturales) ; sed adhuc manet ratio conversionis, etiamsi desit ratio productionis. Actioni enim conversivae respondet formaliter conversionis passio, quae est in termino converso. Spectata igitur ratione conversionis secundum se, quidquid obtinetur circa terminum conversionis, id non per actionem in ipsum obtinetur, sed per actionem in terminum conversum. Quod agatur etiam in terminum conversionis, id solummodo debetur consubstantialitati terminorum, ut dictum est.

Quare sanctus Thomas sexcenties : « Hoc in quod terminatur conversio « [transsubstantiativa], nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solum panis, qui convertitur » (4 D. 11, 1, « 3, 1 ; cf. 4 D. 1, 1, 4, 1, 6m ; 4 D. 8, 2, 3, 5m ; 3 S. 78, 4, 2m)[2]. Idem dicebat Albertus M. : « Substantia panis et « vini, sine mutatione vel additione, vel « innovatione corporis Domini, transsub- « stantiatur in corpus quod prius erat, et « panis per istam transsusbtantiationem « desinit esse panis, cum prius esset « panis ; non tamen simpliciter transit « in non esse vel in nihil, quia in cor- « pus Domini transsubstantiatur. Et hoc « idem tenendum est de vino ad sangui- « nem. Mutatio enim supernaturalis, quae « vocatur transsubstantiatio, tota est in « substantia panis et vini, et secundum

1. Tunc enim de potentia in actum novum transiit subjectum amissione actus veteris : est proinde terminus conversionis mutatus quantum ad acquisitionem actus : seu ex nihilo sui (non subjecti) motus ad sui realitatem vel actualitatem : dum est terminus conversus, per actus prioris recessionem, redactus de sui realitate vel actualitate ad sui (non subjecti) nihilum. Tota igitur mutatio termini succedentis habetur ratione subjecti communis.

2. Ita intellegi a S. Thoma transsubstantiationem, ut nulla actio recipiatur nisi in pane, fatetur ipse Suarez, nec semel (disp. 50, sect. 4, n. 8 ; sect. 5, n. 1 ; sect. 6, n. 4 ; disp. 61, sect. 1, n. 1 ; sect. 2, n. 2) ; quanquam ipse omnino aliter, ut vidimus, transsubstantiationem intellegit ac exponit.

« nullum modum alterationis vel augmenti vel generationis attingit corpus « Domini » (*Liber de sacram. euchar.*, dist. 6, tr. 3, cap. 1, n. 5). Superiusque (dist. 6, tr. 2, cap. 1, n. 10) : « Illa supernaturalis mutatio tota est in pane, et « nullum habet terminum [*intellege* : mutationi subjectum] in corpore dominico » ; sed solummodo habet in corpore dominico terminum mutationis illius cui subjectus est panis. Lege integrum caput. Antea vero divus Algerus (*De sacram. corp. et sang. Dom.*, l. 1, c. 9. P.L. 180, 766) admirabiliter : « In sacramento autem, « mutata substantia, non forma, panis et « vinum non fit nova caro aut novus « sanguis, sed exsistens substantia panis « et vini mutatur in coexsistentem[1] sub- « stantiam corporis Christi : ita ut no- « vitate sua nihil in ipso innovet, mu- « tatione sua nihil immutet. »

Advertas exinde sequi tria.

1º Transsubstantiatio est inter omnes conversiones purissima : utpote quae rationi conversionis unius in alterum nihil addat quasi forinsecus emendicatum, ac deturpans sive conversionis terminum sive conversionem. Quemadmodum enim agens ut agens non patitur, ita terminus conversionis, ut talis, non mutatur. Non reperitur autem istiusmodi puritas nisi in transsubstantiatione.

2º In Trinitate, Deus Filius propter perfectam consubstantialitatem cum Patre, ex quo oritur totaliter incommutato, nullatenus intellegitur mutatus, quanquam totus est productus.

In eucharistia, corpus Christi propter carentiam omnimodam consubstantialitatis cum pane, in ipsum totaliter mutato, nullatenus est productum, sicut nullatenus est mutatum.

In creatione, terminus propter suam totalem[2] oppositionem ad *non esse*, ex quo transit ad *esse*, simul est et totaliter productus et totaliter mutatus.

In operibus autem agentium naturalium omnis actio conversiva simul est et productiva partialiter, et partialiter termini producti mutativa : propter partialem hujus termini consubstantialitatem cum illo ex quo oritur partialiter mutato.

3º Posita praesentia Christi sacramentali, repugnat ut nulla habeatur Christi praesentia alia naturalis[3]. Ex praedictis enim sequitur, praesentiam sacramentalem pendere ex naturali praesupposita : siquidem nonnisi in praeexsistens immutatum fieri potest panis transsubstantiatio. Unde concludas quam absurde putetur a nonnullis Christus posse in eucharistia contineri et conservari[4], quin extra eucharistiam ullatenus conservetur ; immo, quam absurde putetur eucharistia potuisse confici ante incarnationem.

1. Hac voce *coexsistentem* nequaquam coexsistentiam corporis Christi et panis in sacramento designat Algerus, quam late impugnat (*op. cit.*, c. 6, col. 755). Sed intellegit pani CONVERTENDO coexstitisse jam corpus Christi, in quod converteretur. Nihil aliud igitur sonat illic *coexsistens* quam apud nos *praeexsistens*. Corpus enim, coexsistens pani, praeexsistit conversioni.

2. Adverte, in transubstantiatione non esse totalem oppositionem inter extrema : conveniunt enim in ratione entis ; cujus communis rationis ergo fit, ut et conversio locum habere possit, nec tamen possit fieri nisi ab eo cui subjicitur ens in quantum ens, ut opportune notat S. Thomas (3 S. 75, 4, 3m). Cujus ratio est, quia idem potest in ens ut tale, qui potest in omnem materiam : siquidem materia est in corporalibus communissimum principium seu initium entis.

3. Vide igitur quousque consentiamus Cardinali Billot (*op. cit.*, p. 473) scribenti : « Posset quidem Christus non esse sub ulla « reali dimensione extrinseca, eodem modo ac « mundus in toto suo complexu sumptus ; « posset etiam contineri solum in loco coe- « lesti, imo solum SUB DIMENSIONE SACRA- « MENTI. » Ultima verba eatenus salvari possunt, quatenus, facta quadam hypothesi irreali, at non metaphysice repugnante, intendatur casus quo in rerum natura nihil jam inveniretur praeter Christum ipsum, eucharistia cibatum. Tunc enim Christus secundum praesentiam naturalem sub nulla esset dimensione ; secundum praesentiam autem sacramentalem esset sub dimensione sacramenti. Esset igitur Christus *sub nulla dimensione nisi sacramenti*, quanquam gauderet praesentia simul et sacramentali et naturali. Sed haec censeantur dicta jocose.

4. Cf. dicta supra, p. 622, sub litera *B*.

Articulus II. Transsubstantiatio est apta ex sese ad praesentiandum.

Hic duo sunt praestanda.

Primo, ostendendum, cur necesse sit reddere rationem praesentiae Christi per ipsam conversionem.

Secundo, ostendendum, qualiter conversio rationet praesentiam.

Primo quidem, necesse est ut per conversionem reddatur ratio praesentiae Christi.

Induci per ipsam conversionem praesentiam termini posterioris ibi, ubi affuit terminus prior, aperte supponitur a sancto Thoma, ubi de tribus excogitabilibus modis disserit, quibus corpus Christi constituatur praesens. Sed potuerit quis opponere illi assumpto, non reddi rationem praesentiae per conversionem, etiamsi detur conversio : nam panis, hic praesens, forsan potuerit ab omnipotente Deo converti in corpus Christi, prout in coelo solo exsistens[1]. Ergo conversio substantiae in substantiam non reddit rationem praesentiae eucharisticae.

Respondebis fortasse : posset quidem panis transsubstantiari in corpus Christi prout in coelo locatum, si corruerent species. At remanentibus speciebus, intellegitur transsubstantiatione ipsa praesentiari corpus Christi sub illis.

Dico : haec responsio est insufficiens ; nam sequeretur ex ea, potuisse, etiam remanentibus accidentibus, panem mutari in corpus Christi dissitum. Fac enim potuisse id fieri sublatis speciebus : quomodo impediretur Deus, quominus idem faceret, per hoc solum quod eligeret simul servare species ? Non enim per corpus Christi, ut terminum demum conversionis, conservat species : siquidem corpus Christi, sub hac formali consideratione, nulla intellegitur mutatione affectum, nec proinde auctum causalitate ulla respectu specierum[2].

Repones fortasse, praesentiam corporis Christi ad species sequi tandem ex verbis formae. Optime quidem : in hoc enim omnes consentimus : ex verbis formae deduci posse Christi praesentiationem. Quod enim significatur per formam, etiam per formam efficitur. At semel concesso, potuisse (seclusa consideratione formae) per omnipotentiam divinam transsubstantiari panem in corpus Christi semotum a speciebus, sequitur, praesentiam Christi ad species, quantumvis per formam inducatur efficienter, non tamen induci formaliter ipsa transsubstantiatione : non enim uno inducitur formaliter alterum, si absque hoc illud reperiri potest, quasi indifferens ad ejus positionem. Restat ergo, praesentiam Christi induci formaliter aliquo effectu verborum alio praeter transsubstantiationem. Sed tunc adverte 1° : in casu corruere etiam omnem rationem pro transsubstantiatione. Unica enim ratio pro transsubstantiatione erat : quia non posset praesens reddi corpus Christi sub speciebus demonstrantibus, nisi aut productione, aut adductione, aut conversione. Jam, si conversio et ipsa est ex sese inefficax ad praesentiandum, abeat cum reliquis[3] ! Adverte 2° : nullum jam restare medium praesentiativum. Exclusis quippe omnibus viis productivis et adductivis, ostensum est, unam jam tentari

1. Est haec sententia Scoti (4 D. 10, 1), quem sequuntur plurimi, inter quos Toletus (3 S. 75, 4, q. 3, *adverte* 4°). Sed contradicit, et quidem merito, Capreolus, 4 D. 11, art. 3, ad 1m et 3m Scoti contra 1am solutionem, p. 237 et 239.

2. Immo, ut postea constabit, per species servatas intellegitur Deus conservare praesens corpus Christi. Secundum hoc igitur servatio specierum accipitur ut prior ad praesentiam Christi, nec ab ea dependet : quemadmodum etiam in ceteris sacramentis *signum tantum* est prius ad *rem et signum*.

3. Semel enim, modo isto nescio quo, acquisita speciebus relatione continentiae ad Christum, sufficit annihilari panem, ut verificetur forma. Neve dicas, conversionem adhuc requiri eo quod forma non significet annihilationem, seu negativum, sed positivum. Nam respondeo : positivum illud, quod directe significat forma, est Christus ut demonstratus per species ; nonnisi indirecte vero est conversio, pro quanto scilicet haec est necessaria ad Christum nobis procurandum sub speciebus loco panis praesentem ; et ideo forma significat terminum ut *in facto esse*, et non *in fieri*, quia directe, non conversionem, sed praesentiam denotat. Semel autem admisso, transsubstantiationem nihil formaliter conferre ad praesentiationem, et praesentiam alia via induci, jam ne indirecte

posse viam propriae et strictae conversionis. Si haec igitur non per se sufficiat, non habes jam quo extra eam confugias.

Conclude ergo, transsubstantiationem, si quid valeat ad praesentiandum, per seipsam valere, non per aliud additum, quo traheretur corpus Christi, terminus transsubstantiationis, ad *esse hic*. De ista enim tractione rursus exsurgeret problema : quo genere processus consisteret : productivi, adductivi, an conversivi ? Quod si autem transsubstantiatio est, ex suis propriis, termini praesentiativa, jam patet, nullam posse haberi aut concipi unquam, nisi praesentiativam termini ; nec proinde sine contradictione admitti poterit hypothesis rei transsubstantiatae in rem prout alibi solum exsistentem.

Secundo jam determinatur unde transsubstantiationi insit vis praesentiandi suum terminum.

Porro dico : haec proprietas est communis transsubstantiationi cum omnibus conversionibus. Omnis enim conversio inducit ex sese continuationem praesentiae inter terminum conversum et terminum conversionis. Quod sic patet :

Conversio omnis aut est productiva, aut non est productiva.

Si est productiva, duplici ex capite constat ea induci continuationem praesentiae.

1° Quia corruptio termini conversi fit certe ubi erat ipse. In conversionibus autem productivis, generatio unius est corruptio alterius. Ergo ibi generatur terminus conversionis, ubi fuit terminus conversus.

2° Quia, ut supra est ostensum, importat conversio productiva permanentiam subjecti utrique communis.

Si non est productiva, nihilominus importat continuationem praesentiae quasi duplici ex capite.

Primo quidem, ex parte conversionis passive spectatae.

Secundo, ex parte ipsius actionis conversivae.

1° *Ex parte conversionis passive spectatae.*

Res conversa desinit in terminum conversionis. Ubi sunt duo consideranda.

Primo, res quae desinit, DESINIT UBI FUIT. Quomodo enim desineret ubi nunquam fuisset ? *Secundo*, desinens autem in alteram, DESINIT UBI ERIT ALTERA. Ergo ibi est altera, ubi fuit prior.

Non enim desitionis istius fingendae sunt duae terminationes : una veluti intrinseca, altera extrinseca ; quarum una forte ab altera disjungi atque discontinuari posset. Quod enim desinit per conversionem sui in alterum, non in ultimo quodam instante sui *esse* desinit (quale instans ultimum in iis quae convertuntur nullum datur[1]), sed in primo instante sui *non esse*, quod est primum instans alterius *esse*. Non igitur alicui terminationi intrinsecae prioris *esse* succedit prout terminatio extrinseca alterum *esse*. Sed una est terminatio prioris *esse* : *esse* alterum ; quod igitur ita terminat realitatem prioris, ut continuet.

Uno verbo : desitio unius est alterius realitas, spectata pro isto instante, quod concludit durationem priorem. Vel brevius : desitio unius est positio alterius. Unde idem quod supra.

Quae cum ita sint, vide, quam necessario asseratur inter extrema conversionis verus NEXUS realis, utique pani desinenti intrinsecus, eodem modo quo intrinseca est passio conversionis ; nec solum se tenens ex parte ordinationis divinae, extrinsece referentis recessum unius extremi ad alterius accessum.

2° *Ex parte ipsius actionis conversivae.*

In conversione non productiva potissi-

quidem significatur transsubstantiatio ; sed cum praesentia Christi significabitur annihilatio panis, pro quanto per haec verba *Hoc est corpus meum*, datur intellegi : hoc non est panis. Et sic sufficienter forma significaret annihilationem, proindeque et efficeret.

1. Si quod enim daretur ultimum instans, illud quod convertitur, in ultimo sui, adhuc foret ipsum ; in primo autem alterius, jam transiisset in non ipsum. Sed inter ultimum sui et primum alterius, nullum foret intervallum : immo ista duo forent unum idem-

mum, ut superius est ostensum, ACTIO commutativa tota quanta recipitur in eo quod convertitur ; nec nisi quatenus in illo recepta, invenitur habere pro terminatione sua, non quidem intrinseca, attamen vera, id in quod fit conversio. Non autem istud terminat vere actionem, nisi continuetur ei in quo uno recepta est actio.

Aliis verbis. Actio conversiva, quanquam non mutat nisi unum extremorum, tamen mutatione ipsa illius pertingit ad alterum. Non autem actio hic demum efficax pertinget ad aliquid hic numquam exsistens.

Ergo omnis actio conversiva unius in alterum aut simpliciter hoc ponit loco illius, aut saltem, si agatur de re quanta, ejusque mutatione secundum locum, continuationem eam praesentiae inter extrema motus inducit, per quam excludatur omnis terminorum discretio.

Sciendum est enim, in iis quae sunt secundum se extra praedicamentum quantitatis, qualis est substantia (etiam corporea) secundum se, aut forma, continuationem nullam praesentiae dari posse, nisi per replicationem praesentiae identicae ; in iis autem quae pertinent ad quantitatem, eamve sequuntur, aut ea afficiuntur, continuationem praesentiae aliquam attendi secundum positiones locales diversas ita inter se excipientes, ut una altera terminetur, nec proinde actio motiva disjungatur a termino motus. Sed istud ultimum infimumque genus continuationis, ut patet, non potest habere locum in mutationibus illis, quae nullum claudunt in sua ratione motum localem.

Corollarium de transentatione.

Conclude ex praemissis : nullam, etiam divinitus, fieri unquam posse conversionem totius substantiae cum sua quantitate sensibili in totam aliam substantiam cum nova sensibili quantitate : quam vocant transentationem. Deficeret enim inter terminum conversum et terminum conversionis continuatio quaevis praesentiae. Quod sic patet. Ex una parte, transentatio ista fieri deberet in immutatum praeexsistens quid, propter easdem rationes, quae de transsubstantiatione allatae sunt. Ex altera autem parte, non posset aliquid praeexsistens, immutatum, fieri per transentationem praesens loco rei transentatae. Primo quidem, non sub specie aliena : cum hic, ex suppositis, deficeret aliena species, species dico rei transentatae. Immo deberet fieri praesens in propria specie, siquidem quantitas sensibilis contineretur in termino formali istius conversionis. Oporteret igitur terminum conversionis adesse jam non per modum solum substantiae, sed per modum rei quantae : proindeque circumscriptive. Sed praesentia hujusmodi donari aliquid praeexsistens *immutatum* non potest, sine multilocatione circumscriptiva, quae ob rationes superius[1] factas repugnat. Ergo omnino transentatio haberi non potest[2].

Ostenso per transsubstantiationem praesentiari corpus Christi, superest quaerendum, cujusmodi praesentia per transsubstantiationem donetur.

§ 2. De genere praesentiae quo per transsubstantiationem donatur in eucharistia corpus Christi.

Sectio I. — Praesentia eucharistica diffinitur.

Habes probatum ex analysi conversionis, ut talis, importari inter substan-

que instans. In eodem igitur instante aliquid esset adhuc ipsum et jam non ipsum : quod repugnat. Non igitur datur ultimum instans ejus quod convertitur, sed solummodo ultimum tempus (S. Thom. in 6 *Phys.*, lect. 7, et 3 S. 75, 7, 1m ; 4 D. 11, 1, 3, 2, 2m et 3m). Uno verbo, *id quod demonstrant species* ne per unum quidem instans potest esse simul et panis et corpus Christi. Ergo nullo intrinseco instante concluditur duratio panis, sed solo extrinseco illo, quod est primum corporis Christi.

1. In argumento secundo contra Adductionem.

2. Consentiunt quoad conclusionem Suarez, disp. 50, sect. 10, n. 16 ; Lugo, disp. 7, sect. 10. In contrarium videsis Salmanticenses, disp. 5, dub. 2, n. 10.

tiam panis et substantiam corporis Christi continuationem praesentiae. Induitur ergo substantia corporis Christi eadem praesentia ad species qua secundum se gaudebat substantia panis. Videndum est igitur quali.

Non equidem induitur ea praesentia, qua gaudebat substantia panis prout affecta ipso accidente quantitatis, id est ut quanta. *Primo*, quia terminus conversus non fuit substantia ut quanta, sed substantia per se solam sumpta. *Secundo*, quia nullatenus per quantitatem panis fit quanta ipsa substantia corporis Christi, nec ea ullatenus afficitur, cum sit, in quantum terminus transsubstantiationis, immutata. — Non igitur est praesens loco localiter, id est, per specierum panis, quasi sibi inhaerentium, comparationem ad dimensiones externi continentis (puta aeris vel pyxidis) ; sed tantum ad ipsas species est praesens.

Nec rursus ad eas est praesens per contactum propriarum dimensionum, cum non id substantiae panis competeret ; sed est praesens eo modo, quo substantia secundum se (i. e. non ut quanta, sed ut substantia) erat praesens ad species.

Substantia autem si comparetur ad dimensiones specierum, non in quantum facta est quanta per ipsas, sed solum in quantum est substantia, non est assignare unde possit ipsarum divisibilitatem sortiri : cum nulla substantia divisibilitatem sortiatur nisi quantitatis qua afficiatur. Est ergo substantia corporis Christi ad species divisibiles praesens modo non divisibili. Nec proinde pars est sub parte, sed, ut sub toto, ita sub parte, est totum.

Cum autem audis praesentiam ad species, noli rursus intellegere aliquam realem habitudinem corporis Christi ad species sacramentales, cum omnino ea caruerit ante consecrationem corpus Christi, et sit post consecrationem immutatum[1]. Intellege ergo habitudinem specierum ad corpus Christi. Nec rursus hanc, quantumvis realem, intellegas tanquam novum quid realiter et intrinsece acquisitum speciebus : cum ipsa accidentia sint totaliter extra ambitum terminorum conversionis, nec proinde in seipsis mutentur, sed prorsus immutata serventur a Deo, efficienter supplente vices subjecti sustentantis. Qua substitutione nulla mutatio contingit speciebus nisi extrinseca, consistens videlicet in absentia subjecti SUSTENTANTIS et MODIFICATI (quin interea tollatur ordo naturalis accidentium ad hujusmodi subjectum, quanquam simpliciter frustratur)[2]. At insuper considerandus est ordo accidentium naturalis ad substantiam sibi CONJUNCTAM UT DEMONSTRABILEM per ipsa[3]. Qui nec ipse sublatus est per conversionem, sed nec frustratus : cum sit ei per conversionem assignatus novus terminus : substantia scilicet corporis Christi. Et sic inest speciebus realis habitudo ad corpus Christi sibi conjunctum, ut demonstrabile per ipsas, quin sit realiter acquisita habitudo, sed tantum ejus terminus divinitus in alterum mutatus. Mutatio igitur panis in

1. « Secundum regulam de relativis datam, « erit ista RELATIO ordinis hujus successionis « secundum rem quidem in ipso pane, qui mu- « tatur, non autem in corpore Christi vero, NISI « SECUNDUM RATIONEM, QUIA IPSUM IMMU- « TATUM MANET » (4 D. 11, 1, 3, 1, 3m). Eadem de causa excluditur a corpore Christi relatio realis ad species.

2. Hinc etiam sequitur mutationem accidisse circa *esse* quo sunt, ut explicabitur infra. Naturale enim accidentium *esse* est *inesse*. Porro jam non insunt. Ergo non habent suum naturale *esse in alio*, sed quoddam supernaturale *esse non in alio*. Habent igitur *esse* per modum substantiae. Retinent tamen suum ordinem transcendentalem ad naturale *esse* suum, quod est *inesse pani*.

3. Substantia tripliciter comparatur ad quantitatem sensibilem, cui subest.

1° Continetur quantitate sensibili, tanquam aliquid per ipsam demonstrabile. Quae comparatio est compraesentiae.

2° Sustentat eam, tanquam in suo *esse* radicans ipsius *esse*. Quae comparatio est activa.

3° Modificatur per eam, ut fiat quanta, atque, mediante ipsa, possit fieri qualis. Quae comparatio est passiva.

Sublata autem comparatione activa et passiva, manet adhuc ob oculos mentis prima : quae sola attenditur in speciebus termini transsubstantiati respectu termini transsubstantiationis.

corpus est ipsum demum fundamentum relationis compraesentiae, quam habent accidentia ad corpus Christi, ut demonstrabile per ipsa supernaturaliter.

Sectio II. — Excluditur distantia inter corpus Christi ut localiter exsistens in coelo et corpus Christi in sacramento praesens.

Distantia sequitur quantitatem. Nominat enim inter duas res extensas distantia longitudinem interjectorum spatiorum, seu corporum inter extremam utriusque superficiem contentorum. Duae igitur substantiae corporeae sunt ratione suarum dimensionum, ut locatae, ita et distantes.

Alia autem, secundum se inextensa, possunt tamen inter se distare, non quidem ratione quantitatis seu molis propriae, qua carent, sed ratione molis et quantitatis in quam aliquid principiant, causalitate sive efficiente sive formali. Ut formalis causa, anima adest corpori. Ut efficiens causa motus, angelus adest mobili. Inter animam autem meam et tuam distantia adest ratione corporeae molis informatae et distantis. Inter angelos duos, virtutem suam diversis corporibus admoventes, intercedit distantia ratione mobilium distantium.

Quod si autem anima separata vel angelus nulli rerum corporearum parti suam virtutem applicet, jam tibi concedam corruere inter hujusmodi omnem distantiae aut indistantiae rationem. Sunt enim tales substantiae, in casu, non solum expertes secundum se quantitatis, sed etiam relationis omnis ad eam. Versantur proinde extra omnem categoriam sicut extensionis, ita et distantiae. Quare neque distantes dici possunt, neque rursus indistantes eo positivo sensu, qui importet compraesentiam.

Distantia ergo concipitur sive ratione contactus quantitativi ad dimensiones interjectas, quo gaudent res extensae, sive ratione contactus virtualis, quo gaudent res inextensae ad duo corpora distantia.

Advertendum autem est, corpus Christi in eucharistia esse per modum substantiae secundum se consideratae ; id est consideratae secundum ea quae illi competunt ut est substantia, non autem secundum alia, quae forte competunt ipsi ut est quanta, vel si quid ejusmodi. Jam vero pro tali modo praesentiae, substantia neque ullum secum fert contactum quantitativum ad accidentia, neque contactum virtutis ullum, cum nihil in illa influat, ut dictum est. Ergo, pro istiusmodi praesentia ad species, nondum habet substantia relationem distantiae vel indistantiae ad res creatas alias.

Quae cum ita sint, non solum excluditur distantia inter corpus Christi exsistens totum in una parte hostiae et corpus Christi similiter in altera parte exsistens (sicut excluditur inter angelum unum eumdemque latentem in hac parte sui mobilis et in illa, vel inter animam meam in pede totam et totam in capite vigentem); sed insuper distantia excluditur inter corpus Christi in una particula Romae exsistens, et in altera Parisiis.

Angelus quidem a seipso distaret (quod repugnat), si extra sphaeram, quam movet suae virtuti adaequatam, amplius alibi operaretur et versaretur. Cujus ratio est, quia finitae ipsius virtuti finitus campus respondet : cui si applicet se, nequit simul exsistere alibi, cum nequeat esse actuosus ultra suam virtutem.

At hujusmodi ratio prorsus deficit in corpore, quodcumque per modum substantiae demum exsistat sub speciebus alienis. Etenim, cum neque ratione suae quantitatis, neque ratione virtutis alicujus aut motivae aut informativae adsit, sane nulla datur ratio proportionis, veluti limitativae, inter quantitatem specierum et talis corporis quantitatem vel virtutem. Proindeque, sive res conversa fuerit majoris sive minoris quantitatis, sive quantitatis concretae sive discretae, parum refert ad corpus Christi pro isto modo praesentiae. Quemadmodum quippe sub parva, ita sub magna quantitate, quemadmodum sub continua, ita sub

divisa, indifferenter aderit Christi corpus, prout terminus conversionis : latitudoque et multiplicatio praesentiae a rei conversae mole et numero solummodo pendebit.

Deficiente igitur, ex parte termini transsubstantiationis, ratione restrictionis ad *esse hic*, poterit simul et hic et alibi versari; pendebitque numerus praesentiarum a numero rerum conversarum : quin relatio ulla oppositionis inducatur inter Christum ut hac et ut illa praesentia eucharistica gaudentem ; vel inter Christum ut gaudentem suis praesentiis eucharisticis et ut coelo locatum : quippe quia neque directe neque indirecte in eucharistia Christus commensuratur aut ulla ratione proportionatur ad varias rerum conversarum quantitates : nec proinde ulla nova relatione induitur cujus ratione sibimetipsi, ut ita dicam, opponatur, vel a seipso dividatur.

Sectio III. — Enumerantur concomitantia sub speciebus corpori vel sanguini Christi.

Quanquam sola substantia vel corporis vel sanguinis Christi adest vi verborum, tamen concomitantur ei omnia, quibus deficientibus foret aliud in eucharistia ac in coelo.

Etenim, cum non mutatum sit corpus (aut sanguis) Christi per transsubstantiationem, oportet ut tale inveniatur in eucharistia, quale in coelo exsistit. Porro in coelo non est corpus indimensionatum aut incoloratum, sed et quantitate et qualitatibus atque universim accidentibus variis intrinsece afficitur. Iisdem igitur afficietur in eucharistia[1]. Proinde in eucharistia habet omnia accidentia sibi in coelo realiter inhaerentia ; habet qualitates suas omnes ; habet quantitatem seu tres suas dimensiones : non quidem ratione sui praesentes, sicut ratione sui sunt praesentes in coelo, ubi substantia ratione ipsarum adest ; sed sunt in eucharistia praesentes ratione substantiae, quae hic adest ratione sui. Et sicut in coelo substantia, praesens ratione quantitatis, adest per modum proprium quantitatis, id est circumscriptive, sic in eucharistia dimensiones, cum sint praesentes ratione substantiae, adsunt per modum substantiae proprium, id est, ut totae sub tota particula, ita totae sub unaquaque parte, absque ulla commensuratione, aut habitudine ulla activa vel passiva, ad quantitatem panis. Illum enim modum praesentiae sortiuntur, quem eis elargitur substantia, cujus praesentiam sequuntur (S. Thom., 4 D. 1, 2, 3, 2^m ; praeter 3 S. 76, 4, et locos parallelos)[2].

Neque rursus in coelo corpus Christi est exsangue aut inanime, sed animatum

1. Quibus nisi afficeretur, adeo esset aliud, ut non posset esse idem corpus ac in coelo : siquidem nequit idem corpus esse simul dimensionatum et indimensionatum, etc., seu subjacere realiter praedicatis contrariis vel contradictoriis.

2. S. Thomas ita aperte affirmat integras Christi dimensiones, amplitudinem, staturam, figuram, aut si quid ejusmodi, reperiri in eucharistia, ut vix intellegatur quomodo ejus auctoritas in dubium vocari potuerit. Porro non solus ex veteribus illud affirmavit. Sufficiat hoc loco adduxisse Chrysostomum (*In Hebr.*, hom. 17, n. 3. P.G. 63, 131) : « Unus ubique Christus, qui et hic est plenus, « et illic plenus. » Evolvit Ps. Primasius (P.L. 68, 748) : « Nec nunc quidem aliud mag- « num, aliud minus, aliud hodie, aliud cras « offeremus ; sed semper idipsum, aequam « magnitudinem habens... Unus ergo ubique « est, et hic plenus exsistens et illic : plenum « unum corpus ubique habens. » Inter coaetaneos S. Thomae, scribit Innocentius V (B. Petrus de Tarentasia) : « Ut est « sub speciebus, quamvis sit quantum, non « tamen per modum quanti » (4 D. 11, 2, 6, 1). Necnon postea Scotus (4 D. 10, 1, Lugduni 1639, n. 13, 14, 16, p. 504-506) veritatem absolutam dimensionum inhaesitanter tradit, solam excludens commensurationem unius dimensionati ad alterum. Et hoc, inquit « non est « aliud nisi absolutum conservari sine respectu « extrinsecus adveniente » (Cf. 4 D. 10, 5, n. 2 et 6, p. 547 et 550). Sententiam illorum veterum « communem » defendit Toletus in 3 S. 76, 4. Quod autem posteriores doctores sat multi disputarunt de duplici effectu formali intrinseco quantitatis, uno primario, altero secundario, videntur, limites ab antiquitate positos transgressi, non tam sapuisse supra magistros, quam a sapientia sibi tradita defecisse.

atque sanguini concretum. Item sanguis Christi in coelo est sanguis carnis. Non erit igitur in eucharistia corpus Christi sine anima aut sanguine, nec sanguis sine carne vel corpore[1]. Tandem corpus Christi in coelo exsistit per *Esse* Verbi, quod est ipsum Verbum. Est ergo Verbum praesens in eucharistia.

At hic dubium oritur, utrum Verbum sit praesens per meram concomitantiam, annon potius vi verborum. Etenim dixit Christus : *Hoc est corpus meum. Meum* dixit : Ergo corpus Verbi. Nullum enim est *Ego* in Christo, nisi *Ego* Verbi. Cum igitur dicit *meum*, idem est ac si dicat, corpus *mei*, qui sum Deus Verbum. Per verba ipsa igitur significatur corpus Verbi. Unde quidam cum Bellarmino (*De Eucharistia*, l. 4, c. 24) sic arguunt : « *Vi verborum* « est in specie panis corpus non quodlibet, « sed Filii Dei, et proinde corpus subsi- « stens divina Verbi subsistentia, et conse- « quenter unitum divinitati. » Sed parum congruit doctrina *Tridentini*, sess. 13, cap. 3 (D., 876), divinitatem assignans extra numerum eorum, quae *ex vi verborum* insunt. Quare Vasquez, ob reverentiam Concilii, nolens divinitatem adesse *vi verborum*, negavit (disp. 185, cap. 2) voce *meum* referri corpus ad Verbum, sed tantum putavit referri ad naturam humanam, quam gestabat Verbum : quasi per figuram sermonis personificaretur natura humana. At obstat, quod secundum dogma catholicum, ut dictum est, unum *Ego* potest a Christo proferri : *Ego* Verbi.

Quanquam igitur extreme inter se discordant Vasquez et Bellarminus quoad rationandam praesentiam Verbi, omnino inter se concordant circa istud suppositum : Si *Meum* referatur ad Verbum, Verbum est praesens ex *vi verborum.* Haec autem conditionalis falsa est, ut sensere postea *Salmanticenses* (disp. 7, dub. 3, n. 30) ; at infeliciter falsitatem arguere ex eo quod per vocem *Meum* Verbum consignificetur corpori et sanguini non in recto, sed in obliquo tantum. Sed, sive in obliquo sive in recto consignificetur Verbum, ad rem ex sese non refert. Id enim adest ex *vi verborum*, sine cujus positione non posset in ulla hypothesi sensus verborum verificari. Semel igitur concesso, fore INCONDITIONATE falsa verba formae, nisi substans corpus exsistat per *Esse* Verbi, sequitur Verbum (quantumvis in obliquo designatum) esse praesens *vi verborum*, ut ad sui *Esse* consortium trahens corpus et sanguinem. Igitur melius dicendum est : quamvis per vocem *meum* connotetur Verbum, tamen verificari adhuc posse verba, etiam cessante unione hypostatica. Nominans enim Christus corpus suum, significat id quod est corpus suum. Porro id quod est corpus Christi, maneret idem, etiam si mutaretur id quo est[2]. Maneret scilicet idem specifice et numerice corpus, quod nunc est Christi, etiamsi jam non esset

1. Negasse inter catholicos scriptores concomitantiam illam, unum memini Folmarum, praepositum Petrae Stillantis. Cujus haec fuit vesana sententia : « In sacrosancto mysterio, « sicut spiritualis uvae meracissimum sangui- « nem sub vini sapore ac specie bibere me « quidem, sed solum et purum, sine carne non « dubito : ita solam et puram carnem Christi, « sine ossibus, sine membris corporalibus, imo « et sine humani corporis plenitudine, sub pa- « nis sapore ac specie manducare me credo : « nec me Filium hominis, sed carnem Filii « hominis manducare confiteor » (*Epistola Folmari ad Eberhardum Salzburgensem.* P.L. 194, 1481). Adversus Folmarum, non quidem solus (cf. Epist. anonymi cujusdam Salzburgensis. P.L. 194, 1482 sq.), sed utique acerrimus surrexit Gerhohus Reichersbergensis (*Epist.* 7. P.L. 193, 496 sq.). Cujus querelis commotus Eberhardus Babergensis Folmari quamdam palinodiam elicuit (*Epistola Eberhardi Baberg. ad Eberhardum Salzb.* P.L. 193, 500 sq.). Quam legesis in epistula Folmari ad Episcopos Bavariae et Austriae (P. L. 194, 1485 sq.). Vix mentione dignus est theologus ille Concilii Tridentini, Amantus, vel Amans, qui peroravit, sanguinem ne ex corporis concomitantia quidem contineri sub specie panis, propterea quod sanguis (ut est opinio Cajetani) nulla sit pars humanae naturae (Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.*, l. 17, c. 6, n. 6, — ex Sarpio —).

2. Juxta doctrinam enim nobis probatissimam, quae est S. Thomae, in tantum corpus vel humanitas est Verbi, in quantum exsistit per proprium Verbi *Esse* increatum.

Christi[1]. Igitur, habita ratione solorum verborum[2], nihil obstaret quominus post semel factam consecrationem, maneret corpus illud praesens in eucharistia, etiamsi in coelo a Verbo dimitteretur, et inciperet exsistere per *esse* creatum suppositi connaturalis. Non est igitur illic ex vi solorum verborum corpus Verbi, ut Verbi.

Quod et aperte docet sanctus Thomas quodam loco (*In Joan.*, 6^{52}, lect. 6), minus, ut videtur, theologis illis obversato : « Corpus, inquit, est ibi ex vi conversionis, divinitas vero et anima per naturalem concomitantiam. Dato enim per impossibile, quod divinitas separaretur a corpore Christi, jam non esset in sacramento divinitas. »

Sectio IV. — Concluditur circa conditionem specierum et durationem praesentiae Christi.

Species panis vel vini, cum manserint extra ambitum rei conversae vel mutatae, manent immutatae ; proindeque perseverant simpliciter, quamvis sine substantia (3 S. 77, 1).

Perseverant autem eodem ordine mutuo, quo in pane gaudebant inter se. Corporibus autem qualitates sensibiles non insunt nisi mediante quantitate ; potest enim in corpore esse dimensio sine colore, non autem color sine dimensione. Non igitur substantia suscipit colorem nisi in quantum extensa : ita ut mediante dimensione sustentet in *esse* colorem. Rursus in corporibus quantitas intellegitur affici et modificari qualitatibus. Est enim sensibile commune, quod non percellit singulos nostros sensus, nisi ipsorum sensibilibus propriis auctum atque perfectum : puta non cernitur, nisi sit coloratum. Duplici igitur ex capite quantitas se habet ut subjectum respectu qualitatum : primo, tanquam veluti sustentans ; secundo, tanquam veluti modificata. Conversa ergo substantia panis, quantitas adhuc subjectat reliqua accidentia. Nec proinde in speciebus habetur aut separatus color, aut separatus calor, aut separatus sapor, sed coloratum, calidum, sapidum : exsistentibus qualitatibus in quantitate. Quantitas autem in nullo jam est. Nec tamen est substantia, siquidem secundum id quod est, remanet immutata[3], ut dictum est. Mutatio tamen accidit secundum id quo est, siquidem naturale accidentis *esse* est *inesse*, nec jam inest quantitas. Non jam igitur habet suum naturale *esse*, sed supernaturale *esse non in alio*. Quanquam igitur est accidens, exsistit ad modum substantiae, nec ad modum cujuslibet substantiae, sed substantiae panis, siquidem exsistit et sustentat accidentia in *esse*, quasi esset panis[4].

Rursus, quia secundum id quod sunt, accidentia non sunt per transsubstantiationem mutata, ideo remanent, ut fuerunt antea, mutabilia seu alterabilia. In cujus alterationis termino amittunt (sicut amisissent olim) ordinem suum naturalem ad substantiam panis. Cum autem corpus Christi per transsubstantiationem non sit iis praesens nisi loco panis, ad quem habeant ordinem naturalem, sequitur, corruente ordine, corruere praesentiam. Quae conclusio non minus claret, si ex consideratione causae formalis transeatur ad causam efficientem praesentiae domini-

1. Sensus enim verborum est specificativus : *Hoc est corpus* quod est *meum* ; non autem reduplicativus : *Hoc est corpus* in quantum *meum*.
2. Dico habita ratione solorum verborum, quia, attenta institutione, nequit, ut notatum est in Elucidatione XVII, eucharistia subsistere nisi dependenter a sacerdotio Christi, quod ipsum corrueret, corruente unione hypostatica.
3. Cf. 3 S. 77, 2.
4. « Dimensionibus illis est datum ut substent, et subsint et illi *esse*, quod est conforme *esse* priori substantiae, et terminationi quantitatis [i. e. figurae], et omnibus aliis accidentibus » (4 D. 12, q. 1, a. 2, s. 4). Per totam ceterum quaestionem primam distinctionis 12 inculcat S. Thomas, quantitatem jam sortitam esse novum modum existendi, qui erit non *inesse*, sed *sine subjecto exsistere*. Vide potissimum articulum primum. Conferatur Innocentius V (B. Petrus de Tarentasia) 4 D. 12, q. 3, a. 2, 4^m : « Species hac habent modum substantiae. »

cae, scilicet formam consecrationis. Significabat enim forma consecrationis : *Hoc* (quod videtur esse panis) *est corpus meum*. Semel igitur atque non videtur esse panis, jam non est corpus : cum forma nihil efficiat, nisi quod significet. Desitio igitur praesentiae eucharisticae sequitur, sicut ipsa praesentia, ad vim formae.

§ 3. De succedentibus praesentiae eucharisticae.

Sectio I. — Assignatur terminus corruptionis specierum.

Ad corpus autem Christi sequitur id quod ad panem secutum fuisset. Etenim, cum forma nihil efficiat, nisi quod significaverit, sequitur, cessante eo quod erat per formam significatum, ut omnia jam illum cursum teneant, quem tenerent si forma nunquam prolata esset. Si autem forma nunquam prolata esset, in termino corruptionis specierum haberetur ea substantia, in quam panis esset naturaliter conversus. Eadem igitur habetur, cessante praesentia dominica.

Ex limitatione igitur ipsius sensus formae sequitur redintegratio ordinis naturalis, quantum ad substantiae subsequentis conditionem. Noli tamen somniari corpus Christi in substantiam succedentem mutatum : cum ex vi formae non sit corpus Christi sub speciebus nisi ut terminus transsubstantiationis : cujusmodi conditio nullam in eo potest importare mutationem vel minimam (ut demonstratum est supra), multoque igitur minus conversionem sui in aliud quid. In substantiam igitur subsequentem non mutantur nisi accidentia panis aut vini. Quod qualiter fiat, nunc est videndum.

Sectio II. — Resolvitur qualiter mutentur accidentia in substantiam.

In principio motus alterativi erat complexus quidam ex quantitate (velut subjecto) et qualitatibus (velut informantibus). Complexus igitur ille corrumpitur, id est dissolvitur, per alterationem. Non tamen corrumpitur ratione quantitatis, sed ratione qualitatum. Statimque ac alteratae sunt qualitates, terminata est ista corruptio. Quod autem in termino illo corruptionis non sit solum quidam complexus ex quantitate et novis qualitatibus, hoc inde est quod in sacramento, ut dictum est superius, quantitas panis habebat *esse* ad modum substantiae[1], nec qualiscumque substantiae, sed substantiae panis. *Esse* autem est ultima actualitas rei, et actus κατ' ἐξοχήν. Actuabatur igitur illud accidens ad modum entis substantialis ; adeo ut tantum ibi vigeret actualitatis, quantum si exsisteret panis. Non igitur mirum, quod in termino corruptionis tanta habeatur actuatio quantum sufficiat substantiae, et quidem substantiae

1. Attende quod dicitur : quantitas non evaserat substantia ; quanquam enim exsistebat ad modum substantiae, tamen remanebat accidens, immo accidens prorsus immutatum. Sed aliud est quantitas, aliud *esse* quo est. Jam vero illud *esse*, quo quantitas exsistebat prius ad consecrationem, non transiit quidem per consecrationem in aliquod *esse substantialiter*, i. e. in aliquod *subsistere* sive panis sive alterius cujuspiam substantiae ; immo remansit *esse* accidentis, proindeque accidentale. Attamen mutatum est aliqualiter, pro quanto prius ad consecrationem illud *esse* erat actualiter *inesse*, et jam post consecrationem non est actualiter *inesse*. Non enim quantitas jam inest, quanquam utique est ; est quippe, quin insit. *Esse* igitur, quo est quantitas, subiit quamdam mutationem, pro quanto factum est non quidem *subsistere*, sed *esse* ad modum alicujus *subsistere*. Quod omnes omnino concedere debent. Cur vero omnes nihilominus negant, *esse* illud esse quoddam *subsistere*, quanquam sit ad modum alicujus *subsistere* ? Quia, cum sit et remaneat *esse* accidentis, servat suam intrinsecam habitudinem et ordinationem ad aliquod *subsistere* (scilicet panis), unde pendeat, et cui accedat. Per illam essentialem et inexterminabilem exigentiam cujusdam alterius *esse* substrati, manet *esse* quantitatis quoddam *esse* accidentale. Quanquam interim eodem modo se habet, quo se haberet *esse* panis ; ac proinde actuatur accidens separatum ad modum panis. Agit autem omne ens ratione suae actuationis. Agel igitur accidens eucharisticum ad modum substantiae. Recole dicta supra, in Elucidatione XLI.

eidem, in quam mutatus esset panis. Naturaliter autem omnis actuatio fert secum illud cui sufficit : puta actuatio ad gradum usque accidentalem naturaliter importat accidens ; et actuatio gradus substantialis connaturaliter quoque importat substantiam, ad cujus mensuram est. Nec est plus realitatis aut perfectionis in actuatione simul cum proprio actuato, quam in actuatione sola, puta ad modum substantialem sine substantia : cum quicquid est perfectionis in actuato sit ipsa actuatio. Igitur generans actuationem proportionatam alicui substantiae, satis generat ipsam substantiam, quae connaturaliter proinde necesse est ut sit. Ex corruptione igitur specierum naturaliter (semel praesupposito miraculo transsubstantiationis) generatur substantia. Et est vera conversio, cum positio novae substantiae sit ipsa desitio prioris compositi ex quantitate et qualitatibus.

Perpulchre hac in re Innocentius V (B. Petrus de Tarentasia) : « Accidentia eucharistiae nutriunt sui in substantiam mutatione : quamvis enim sint « accidentia, habent tamen VIGOREM et « NATURAM substantiae[1] : unde quamvis « a principio sumptionis sint accidentia, « convertuntur tamen in fine in eosdem « humores in quos fieret ipsius substan- « tiae conversio. Tamen hic non est novum « miraculum, quia totum pendet ex mira- « culo conversionis praecedente. »

CONCLUSIO

Haec oportuit disputare, ut constaret ex ratione philosophica, nullum posse per transsubstantiationem induci in Christo statum internum novum ; unde confirmatur, quod accepimus ex fontibus theologicis : nulla immolatitia proprietate vera affici Christum per nos. Quod si igitur in

1. *Vigorem* intellege quantum ad *esse*, quo sunt eodem pacto ac substantia ; *naturam*, quantum ad vim activam, qua, consequenter ad novum *esse*, pollent eadem ac substantia ; quin tamen ullatenus accidentia habeant substantiae essentiam. Similem usum vocis *naturae* videsis apud Robertum Pullum (*Sententiarum* lib. 8, c. 5. P.L. 186, 966-967) : « Nares olfactu, pala- « tum gustu, utriusque [panis et vini] naturam « [in sacramento] perpendunt ». « Post mutatio- « nem utriusque substantiae [panis et vini] non « mutatur qualitas naturae. »

Credo eodem sensu esse intellegendum, quod negavit Rupertus (*In Exod.*, l. 2, c. 10. P.L. 167, 617-618), « substantiam » panis corrumpi, destrui, aut mutari. Nam *primo*, ibidem sermonem coarctat ad « substantiam panis et vini se- « cundum exteriorem speciem quinque sensibus « subactam » ; *secundo*, aliis locis, qui notantur in *Histoire Littéraire de la France*, t. 11, p. 550 (cf. P.L. 170, 781), expresse asserit conversionem. Lege potissimum in Libro 3 *de S. Spiritu*, caput 21 : « Panem communem accepit, sed, « benedicendo, longe in aliud quam fuerat, « transmutavit... Item vini substantiam acce- « pit, sed itidem, gratias agendo vel benedi- « cendo, sic in aliud vertit, ut diceret veritas, « quae non mentitur : *Hic est sanguis meus* » etc.

Si XII° atque XIII° saeculo, poterat adhuc genuina Ecclesiae doctrina ejusmodi formulis contineri, quibus praedicaretur permanere panis et vini natura, atque competere speciebus natura seu vigor substantiae, quid mirum, quod V° saeculo, cum, sive apud Graecos, sive apud Latinos, minus polita usu atque elimata esset vocabulorum acceptio, et Theodoretus (*Eranistes* 2. P.G. 83, 165-167) et Gelasius Papa (Ed. Thiel, p. 541-542) naturam substantiamve rerum sensibilium asseruerint in sacramento perseverare ? Verba Gelasii (« Esse « non desinit substantia vel natura panis et « vini », quamvis « in divinam transeant, sancto « Spiritu perficiente, substantiam, permanentes « tamen in sua proprietate naturae ») videsis lucide exposita a J. Lebreton, *Le dogme de la transsubstantiation et la christologie antiochienne du* v*e siècle. Études*, t. 117, p. 489-491. Apud Theodoretum quanquam nec respondent vocabula iisdem categoriis ac apud Robertum Pullum aut Innocentium V, tamen affine quid videtur intellegendum. Omissis enim aliis doctrinae punctis, quae tangit Theodoretus, distinguit in sacramento duplex elementum ; unum metempiricum, soli intellectui vel fidei obvium ; alterum empiricum, cujus negat naturam affectam per consecrationem mutatione ulla. Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως · μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν · νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται (*loc. cit.*; cf. *Eranistes* 1, col. 53-56). Quibus verbis nihil nisi verissimum dicit : natura (φύσις) enim et essentia (οὐσία) symboli sensibilis, i. e. signi sacramentalis, mansit incommutata : quod signum sive symbolum nonnisi nuncupative et typice dicitur corpus Christi ; magis autem proprie vocatur panis, siquidem habet *empiricam naturam* panis ; et vocatur panis vitae, quia continet vitam, quae nos vivificat. Οὐ γὰρ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄρτος ζωῆς ὀνομάζεται *(ibid)*.

hostia nostri sacrificii est tamen vera quaedam proprietas immolatitia, haec debuit provenire aliunde. Necesse est ergo, ut « missae sua e cruce suppeditet immo-« latio »; necesse est etiam, ut victimalis conditio illinc orta nunquam interciderit. Unde sequitur, sacrificium, quod a nobis offertur, esse sacrificium crucis, sacrificium coeli : sacrificium scilicet Christi semel Deo traditi, semperque Deo adscripti. Quod litatum olim a Christo in *mysterio fidei*, cottidie etiam a nobis in *mysterio fidei* litatur, donec vanescat fides, et mysterium evacuetur, clareatque Agnus, per seipsum nos illuminans in regno suo, traditos secum Deo et Patri : quae erit sacrificii perfectio atque consummatio, *res* tandem eucharistiae ultima et aeterna. Sic calix, sic panis coenae, sufficit implendae aeternitati (sicut et locupletandae Ecclesiae omnium saeculorum) ex bonis nostrae hostiae unius et sempiternae. Hunc igitur require, hunc meditare, in quo totum habes quod est credendum, id est salutem nostram per Christum, et totum quod est sperandum, id est vitam aeternam cum Christo, et totum quod est diligendum, id est Christum in se et in suis. Secundum quod scripsit quidam : « Summa « autem fidei nostrae haec est : cognos-« cere Christum in Patre, Christum in « carne, Christum in altaris participatione. « Omnia autem fidei mysteria ad hanc « summam colliguntur » (Balduinus Cantuariensis, *Lib. de sacram. altar.* P.L. 204, 695). Colliguntur autem ad ista tria per modum unius : ut ad unum scilicet « mysterium sincerissimum mundissimum, « non hellenici erroris aut ebrietatis, « sed excelsum ac divinum supernoque « donans splendore[1] », ad « sacrosanc-« tam mystagogiam in sublime feren-« tem[2] », cujus « mystagogus[3] » ipse Christus, Dei Filius incarnatus, initiatis nobis per baptismum, atque per exomologesim purgatis, expandit cottidie beneficium suae mortis, et virtutem ingerit suae resurrectionis, per arcana verba, quorum vim commisit Ecclesiae sacerdotibus, deferendam pani nostro et calici, ad demonstrationem corporis et sanguinis, cujus invisibili sanctificatione ac salubri perceptione perpetuum agitur et decurrit christianae *Mysterium Fidei*.

EPILOGUS

De Virgine Mediatrice.

Redemit nos Christus oblato sacrificio redemptionis. Hoc igitur fuit ei nos redimere : sacerdotem agere sui sacrificii.

Porro universam Ecclesiam in partem recepit illius sacerdotii, faciens nos sibi subordinatos in terris oblatores hostiae suae consummatae in coelis per gloriam aeternam. Universam igitur Ecclesiam adscivit pro tanto sibi conredemptricem[4], pro quanto redemptionis beneficium non comparamus nobis nisi subofferentes redemptionis pretium : adeo ut eo magis sit conredemptrix Ecclesia, quanto largius est redempta ; non uberiorem percipiens fructum salutaris sacrificii, quam ipsa sibi conciliat ac comparat.

Quia autem tota agit per modum unius corporis sancta civitas, in qua omnes offerunt pro me egoque pro omnibus, sic conredemptores sumus inter nos.

Sed magis ille est conredemptor, qui magis est redemptus ; et perfectissime est conredemptrix omnium nostrum Virgo Maria, quae ita plene fuit redempta, ut a peccato, cujus debito tenebatur obnoxia, semper servaretur immunis. Nil igitur praejudicat, quin dicatur et credatur *Conredemptrix* Beata Virgo : non tamen aliter

1. Gregor. Nazianz., *Or.* 39, 1 sq. P. G. 36, 336 sq.

2. Gregor. Nazianz., *Or.* 17, 12. P.G. 35, 980. Cf. Ps. Dionys., *Eccl. Hier.*, 1. P.G. 3, 372.

3. Clem. Alex., *Strom.* 4, 25. P. G. 8, 1372. Cf. Origen., *In Joan.*, tom. 13, c. 49. P. G.14, 488. — De sacerdotibus autem ministerialibus ut mystagogis, vid. Origen., *Contra Celsum*, 3, 60. P.G. 11, 1000.

4. De nobis « conredemptoribus » legesis assertionem planam Cani in Concilio Tridentino, apud Theiner, *Acta Genuina*, 1, 609.

quam per sacrificium redemptionis ; cujus oblationi, sicut et nos, sed gradu incomparabiliter excellentiore, est aggregata atque consociata per sacrificium ecclesiasticum corporis et sanguinis Christi. Non enim, sublata potestate Ecclesiae sacrifica in pane et vino eucharistiae, ipsa Virgo offerret (quamvis adstans cruci) salutis hostiam, nisi metaphorice et improprie. Obtulit autem proprie et vere, quatenus partem habens in litatione, quam frequentat Ecclesia secundum mandatum dominicum : *Hoc facile.*

Et eodem modo praedicata est a rectoribus populi christiani beata Maria *Virgo Sacerdos*[1] : quatenus prae reliquis christianis obtinuit *sacerdotium regale*, quod totius Ecclesiae est commune. Totum enim corpus Sacerdotis factum est sacerdotale[2] : sed eminentius pars nobilior, propius conjuncta capiti et ceteris membris praesidens. Nullum tamen *sacerdotium* habuit nisi respectu corporis et sanguinis Christi per totam Ecclesiam indivisim offerendi[3]. In quo, quoad potestatem ministerialem cessit hierarchiae sacerdotali secundum traditionem ordinis institutae ; sed praecelluit plebi et sacerdotibus per sinceritatem summam summamque offerendi devotionem, pro sua et gratiae plenitudine et eximia cum Domino conjunctione et singulari passionum communicatione. *Ave, gratia plena, Dominus tecum*, Regina nostri sacerdotii, et populi redempti Mediatrix praecipua apud Mediatorem unum Jesum ! Ita tamen, ut neque Sacerdos neque Conredemptrix salutanda foret, seclusa in-

1. Vide Pii IX Epistulam (25 August. 1873) ad O. van den Berghe ; atque etiam Epistulas ad eumdem Cardinalis Dechamps, Cardinalis Pie, et Cardinalis Mermillod, apud ipsum Rev^mum^ O. Van den Berghe, *Marie et le Sacerdoce*³ (p. v-xviii), ubi multae auctoritates veterum Doctorum in eumdem sensum allegantur; quibus addendi sunt, ex coaetaneis nostris, Rev^mus^ A. M. Lépicier, O. S. M., *L'Immaculée Mère de Dieu Corédemptrice du genre humain,* 1906, p. 95 sq., et *Tractatus de B. V. M. Matre Dei*⁴, 547-548 ; atque cl. E. Hugon, O. P., *La Vierge Prêtre*³, 1912, qui etiam exhibet textum precationis jussu Pii X concinnatae, ac indulgentiis ditatae die 6° Maii 1906 (p. 43, coll. p. 13).

Doctrina, quam supralaudati hierarchae nuncupatione Virginis Sacerdotis commendarunt, verissima est ; habetque nuncupatio unde doctrinae congruat. At alia est quaestio, sitne sana locutio, a sobriis sobrie accepta ; alia, possitne in Ecclesiae universalis usu publico ac proprie liturgico vindicare sibi locum. Quae posterior quaestio eadem fere de nomine Conredemptricis recurrit. Solutio autem ejus pendet ab hoc dubio ulteriore solvendo : qualem talia vocabula sortitura sint interpretationem apud plerosque fidelium non cultiores, sed rudiores. Cujus dubii solutio jam non ad theologicam sapientiam pertinet, sed ad prudentiam pastoralem. *Divisiones* enim *gratiarum sunt.*

2. De collectivo sacerdotio Ecclesiae videsis inter alios Justinum, *Dial. cum Tryph.*, 116-117. P.G. 6, 745; et recole multa a nobis superius allegata aut disputata de sacerdotio laicorum inchoativo, praesertim in Elucid. XXVI et XXVII.

3. Rationi autem illi intrinsecae *sacerdotii regalis* possunt jam in Beata Virgine adnumerari duae, una praeambula, altera consectaria. Aggregationi enim ejus ad litationem Christi praecessit pars quam habuit in ipsius ordinatione sacerdotali, seu consecratione pontificali. Ordinatio namque Christi in incarnatione facta est : pro quanto humanitas Christi a Deo uno et trino uncta est divinitate Verbi. Tunc enim Verbum, dum fit caro, etiam fiebat Christus, quia erat et chrisma. Sicque mediator constitutus est, Deus et Homo, cujus esset et sanctificare nostrae reparationis oblationem, et expiatos sacrificio sanctificare. Talis autem sacerdotalis ordinatio, seu pontificalis consecratio, facta est consentiente Beata Virgine his verbis : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum ;* ipsaque et unctionis subjectum ministravit ex se conceptum ; et praebuit consecrationi hospitium ac templum sui uteri virginalis. Quia autem omnis character, sive baptismi, sive ordinis, inter nos est participatio quaedam potestatis sacerdotalis Christo innatae, ideo etiam omne sacerdotium Ecclesiae, veluti in fontem quemdam suum, redundat in Beatam Virginem, ex qua originatum est, ut diximus, consentiente, ministrante, receptante. Et haec est connexio Beatae Virginis cum Sacerdotio, praeambula, ut dictum est, suae consociationi in litando.

Consectaria autem attenditur altera, quae comparatur sacrificio, tanquam *rei et sácramento res tantum.* Omne enim sacrificium signum est invisibilis cujusdam et internae immolationis : quae in Beata Virgine tanto verior exstitit, quanto magis non solum seipsam abnegavit, sed et Filium suum, cumque Deum, quem incomparabiliter supra seipsam diligebat, permisit interficiendum, ac postea regnante in coelis passa est propter nos in terris carere. In quo sinceritas oblationum suarum symbolicarum apparuit summa prae ceteris ὑπερβαλλόντως.

stitutione eucharistiae, per quam unam in consortium trahimur dominici sacerdotii respectu unicae hostiae, quae est hostia passionis.

Si vis autem scire, quanto magis praecellat ceteris in officio suo Mediatricis Beata Virgo Maria, recole quantum conjuncta sit Christo, ut Mater Filio : quae obtulerit hostiam UT SUAM, tanquam per se partam ac cohaerentem sibi unice ; et talem eam receperit, qualem obtulit : singulariter dico suam, suisque omnibus proinde elargiendam communicandamque. Quo fit, ut sit nobis sub Christo dispensatrix omnium gratiarum illa « magni « hujus sacrificii radix, et genitrix, atque « causa[1] » : siquidem in communione ad Christum mortuum ac redivivum omnia continentur consummanturque Dei dona.

« Laus Mariae, quae est gloria omnium « nostrum, et quae protulit nobis Eucha- » ristiam[2] ! »

1. Symeon Thessalonicensis, *De sacra liturgia*, c. 94. P.G. 155, 284.

2. Conclusio *Canonis Universalis* Aethiopum (R. 1, 522). Translatio romana (A. D. 1549) editionis Tesfā Sion habet : « Gloria sit divae « Mariae, quae est gloria nostra, et quae parturiit nobis sacrificium » (PL., 138, 928).

Non reperitur jam haec laus Beatae Mariae Virginis in *hodierna* Liturgia Aethiopum, qualem nobis edidit nuper A. B. Mercer, *The Ethiopic Liturgy*, Milwaukee 1915, p. 370-373.

L. J. C.

INDEX ONOMASTICUS

Abaelardus, 603.
Abbaudus, 437.
Adam (K.), 40, 257.
Adelmannus Brixiensis, 169.
Aelfricus abbas, 625.
Agobardus, 410, 439, 452, 453, 461, 467.
Alanus de Insulis, 161, 486, 614.
Alanus de Podio, 290, 603.
Albaspinaeus, 400.
Albertus Magnus, 45, 85, 124, 134, 149, 247, 248, 425, 435, 436, 441, 455, 524, 604, 613, 626, 632, 636.
Alcuinus, 50, 88, 252, 538.
d'Alès (A.), 220, 221, 574, 581.
Alexander II, 414.
Ps. Alexander, 336.
Alexander Alensis, 124, 128, 425, 603.
Algerus, 246, 278, 290, 300, 310, 311, 402, 403, 406, 407, 413, 418, 423, 426, 445, 478, 486, 507, 539, 552, 597, 614, 615, 637.
Ps. Algerus, 435.
Alulphus, 27.
Amalarius, 41, 45, 70, 134, 145, 258, 376, 377, 435.
Amantus, 614.
Ambrosiaster, 94, 559, 599.
Ambrosius, 20, 47, 70, 94, 97, 99, 123, 127, 148, 155, 162, 163, 168, 171, 173, 211, 223, 242, 246, 265, 281, 296, 341, 385, 386, 407, 408, 439, 449, 470, 497, 560, 563, 567, 599.
Amicus (F.), 298, 455, 457.
Ammonius Alexandrinus, 497, 590.
Andersen (A.), 35, 189, 191.
Andreas Caesariensis, 157, 272.
Angelus, 459.
Angliae episcopi, 111.
Anselmus, 94, 95, 98, 99, 539.
Anselmus Havelbergensis, 537, 539.
Anselmus Laudunensis, 157, 290, 436, 497.
Anselmus Lucensis, 405, 416.
Antoninus, 449.
Aphraates, 13, 42, 43, 90, 99, 121, 402.
Apollonius Romanus, 226, 227.
Arbiol (Antonius), 460.
Arethas, 157.
Aristides, 227, 228.
Aristoteles, 629, 630.
Armitage Robinson J., 35.
Arnobius, 163.
Arnobius Junior, 28, 69.
Arriaga, 634.
Asterius Amasenus, 288.
Athanasius, 56, 68, 101, 136, 144, 149, 231, 232, 261, 288, 402, 408, 446, 452, 470, 491, 492, 495, 536.
Ps. Athanasius, 120.
Athenagoras, 227, 228, 229.
Augustinus, 5, 6, 7, 8, 19, 21, 25, 26, 28, 38, 40, 49, 60, 72, 124, 136, 138, 141, 148, 150, 153, 160, 173, 199, 203, 211, 231, 234, 243, 244, 255, 257, 260, 283, 296, 311, 328, 330, 340, 345, 346, 372, 373, 376, 377, 378, 379, 385, 386, 389, 403, 407, 408, 411, 416, 417, 420, 426, 428, 434, 439, 458, 470, 478, 482, 485, 488, 504, 505, 507, 522, 534, 538, 541, 560, 561, 563, 568, 582, 583, 590, 591, 592, 593, 594, 595, 597, 598, 599, 607, 613, 614, 615, 624.
Ps. Augustinus, 44, 135, 138, 279, 289.
Aureolus, 502, 503, 545.
Aversa A. Sanseverino (Raphael), 298, 327.
Azorius, 298, 437.
Babin (Franciscus), 252, 271.
Bachmann (P.), 197 .
Badcock (F.-J.), 603.
Bagotius, 475, 498.
Bailly, 493.
Bainvel, 603.
Balduinus Cantuariensis, 61, 62, 291, 435, 440, 510, 540, 648.
Balleriniani, 228.
Ballerini Palmieri, 164, 610.
Balthasar (Basilius), 252.
Baluze, 335, 411.
Bandinus, 279, 311, 424.
Barnabae epistola, 20, 162, 228.
Barnes (A.), 85.
Bartholomaeus a Medina, 170.
Barton (G.-A.), 11.
Bassaeus, 437.
Basilius, 33, 96, 228, 240, 448, 562, 563.
Batiffol (P.), 35, 53, 106, 164, 184, 186, 211, 231, 255, 291, 335, 347, 377, 396, 398, 444, 536, 537, 566, 593.
Beatus, 161, 335.
Becanus, 298.
Beda, 45, 61, 69, 88, 133, 134, 135, 141, 153, 173, 279, 333, 434, 437, 497, 537, 569,
Beletiius (Joannes), 156, 160, 345, 435, 462,
Bellarminus, 10, 230, 304, 316, 323, 324. 366, 376, 388, 395, 538, 541, 545, 548, 551, 619, 620, 632, 644.
du Bellay (Eust.), 114.
Benedictus XIII, 439.

Benedictus XIV, 139, 142, 381.
Berengaudus, 161.
Bernard (P.), 603.
Bernardus, 94, 99, 157, 158, 280, 288.
Bernardus de Parentinis, 279.
Berning, 35, 55, 119, 126, 184, 193, 536.
Bernoldus, 403, 411, 415, 417, 422, 595.
Bérulle, 86.
Bessarion, 436, 540, 569.
Biel (Gabriel), 330, 331, 429, 436.
Billia (L.-M.), 626.
Billot (Em^mus^ Card.), viii, 10, 60, 96, 234, 305, 312, 314, 316, 317, 505, 545, 546, 548, 582, 621, 622, 628, 630, 631, 632, 633, 634, 636, 637.
Billuart, 6, 22, 316, 382, 388, 545, 551, 619, 621.
Bishop (Edmund), 50, 59, 219, 345, 439, 450.
Bock (G.-B.), 612.
Boehmer (H.), 424.
Böhtlingk (Arthur), 190.
Boileau (Jacobus), 624.
Bona, 595.
Bonacina, 437.
Bonaventura, 24, 28, 124, 128, 425, 429, 455.
Bonifacius IX, 412.
Bossuet, 347.
Bousset (W.), 189.
Bouvier (F.), 17.
Brancatus de Laurea (Laurentius), 460, 503, 546.
Brandt (W.), 35, 186, 192.
Brightman, 140, 380.
Brinktrine (Joannes), 207.
Bruno Astensis, 61, 123, 498.
Bruno Carthusiensis, 71, 169, 198, 272, 297.
Bruno Herbipolitanus, 50.
Bruno Signiensis, 160, 416, 539.
Bucceroni (G.), 366, 379.
Buchwald, 282.
Burchardus, 595.
Butler, 189.
Cabasilas (Nicolaus), viii, 23, 36, 108, 153, 164, 167, 229, 242, 276, 300, 332, 333, 337, 436, 438, 450, 482, 496, 514, 571, 576, 600, 615.
Cabrol (R^mus^ F.), 273, 280, 282, 343, 346, 381, 471.
Coelestinus, 373, 375.
Caesarius Arelatensis, 341, 561.
Cagin (Dom), 273, 283, 333, 456, 535.
Cajetanus, 28, 29, 79, 89, 146, 267, 268, 350, 351, 352, 353, 354, 360, 455, 459, 518, 519, 541, 545, 608, 644.
Calmes (Th.), 85, 89.
Calmet (Dom), 85.
Canisius, 115, 238, 252.
Canus (M.), 109, 250, 296, 304, 433, 518, 519, 523, 648.
Capisuccus, 455.
Capreolus, 502, 503, 545, 638.
Cassianus, 7.
Cassiodorus, 49, 71.
Cassius Narsiensis, 8.
Catharinus, 438, 440.
de Caylus, 252.
Cayré (F.), 140.
Chemnitius, 54.
Chevalier (U.), 75.
Christophorus de Capite Fontium, 438, 440.
Chromatius, 560, 567.
Ciasca, 79.
Cicero, 53.
Cienfuegos, 105, 115, 178, 204, 307.
Claudius abbas, 141, 168.
Claudius Apollinafris, 120.
Claudius de Sainctes, 81, 588.
Claudius Taurinensis, 69.
Clemen (C.), 35, 189.
Clemens Alexandrinus, 55, 120, 161, 219, 224, 225, 226, 227, 228, 229, 230, 231, 232, 233, 334, 255, 469, 492, 537, 566, 648.
Clemens Romanus, 6, 20, 211, 215, 217, 223, 224.
Clingius (Conradus), 269.
Cochlaeus, 510.
Codrington (H.-W.), 329.
Cohalan (R^mus^ D.), 625.
Colonienses Canonici, 108, 250, 338, 470.
Combefisius, 216, 441, 471.
Condamin (A.), 19.
Condren (C. de), 141, 142, 176, 177.
Coninck (Aegidius), 622.
Connolly (R. H.), ix, 329, 346, 452.
Contarenus (Gasparus), 251.
Corblet (J.), 165, 437, 548, 552, 588.
Cornelius papa, 397, 399.
Cornelius a Lapide, 197, 199.
Cornely, 19.
Cosmas Hierosolymitanus, 59.
Cosmas Indicopleustes, 133.
Coustantius, 59, 289.
Crampon, 76, 172, 559.
Curtiss (S. I.), 10.
Cyprianus, 23, 68, 121, 127, 163, 207, 208, 217, 219, 238, 239, 246, 255, 289, 319, 335, 340, 341, 343, 355, 396, 397, 398, 399, 402, 408, 448, 450, 452, 469, 534, 536, 537, 538, 588, 593, 628.
Cyriacus Antiochenus, 121.
Cyrillus Alexandrinus, 8, 13, 19, 21, 24, 25, 33, 41, 42, 79, 85, 88, 89, 90, 93, 95, 97, 99, 101, 134, 137, 138, 145, 149, 157, 160, 173, 203, 229, 242, 261, 262, 271, 286, 287, 288, 289, 402, 409, 469, 481, 482, 491, 493, 497, 519, 524, 525, 526, 553, 562, 563, 589, 614.
Cyrillus Hierosolymitanus, 239, 240, 332, 343, 438, 445, 446, 452, 476, 482, 561, 563.
Daniel (H. A.), 259.
Darwell Stone, 624.
Dausch (Petrus), 497.
Dechamps, 649.
Dehaut, 85.
Delarue (C. et C. W.), 158.
Deusdedit, 411, 416, 417.
Dibelius (Fr.), 35, 184, 191.

Didache, 224, 225.
Didymus Alexandrinus, 26, 172, 211, 233.
Dietrich (A.), 189.
Dietrich (J.), 424.
Dillmann (A.), 7.
Döllinger, 10, 13, 14, 15, 16, 163.
Dominicus Gradensis, 539, 595.
Dorsch (Aemilius), 197, 223, 227.
Drews, 190.
Driedo (J.), 628.
Duchesne (L.), 134, 212, 220, 243, 273, 275, 281, 340, 377.
Duguet, 627.
Dupinius, 400.
Durand (Alfred), 88, 89.
Durandus Meldensis, 430, 501, 502, 518, 519.
Durandus Mimatensis, 7, 279, 435, 545.
Durandus Troarnensis, 507.
Durengues, 140.
Ps. Dyonisius, 121, 272, 436, 492, 563, 575, 576, 585, 648.
Dyonisius Alexandrinus, 344, 345.
Dyonisius Bar Salibi, 101, 120, 121, 156, 164, 198, 272, 344, 436, 494.
Dyonisius Carthusiensis, 85.
Eberhardus Babergensis, 644.
Eckius, 54.
Egbertus, 502.
Egerton Beck, 412.
Ehses (S.), 113.
Eligius Noviomagensis, 62.
Ephraem, 20, 29, 40, 42, 43, 57, 58, 68, 90, 99, 121, 140, 150, 155, 162, 261, 314, 440, 479, 498, 567, 598.
Epiphanius, 21, 134, 139, 144, 155, 183, 228, 445.
Epistola ad Diognetum, 227, 228.
Ermengaudus, 214.
Ernaldus Bonaevallensis, 173, 494, 497, 509, 525.
Estius, 175, 198.
Etherius, 161, 263, 335.
Eugippius, 123.
Eusebius Caesariensis, 3, 8, 28, 33, 120, 167, 230, 231, 239, 296, 341, 344, 397, 399, 470, 496, 588.
Eusebius Emesinus, 30.
Eustathius Antiochenus, 445.
Euthymius Zigabenus, 59, 70, 121, 125, 183.
Eutychius Constantinopolitanus, 121, 134, 135, 436, 437, 537, 563.
Faber (Philippus), 460.
Fabri (Joannes), 250, 269.
Fagundez, 331, 339, 608.
Faëns (Joannes), 124.
Faustus Rejensis, 245, 405.
Férotin (Dom Marius), 444, 468.
Ferrusius, (Jacobus), 114.
Firmicus Maternus, 288.
Firmilianus, 219, 399, 402, 469.
Flodoardus, 260.
Floremundus Raymundus, 252.
Florus Diaconus, 199, 246, 346, 410, 435, 461, 467.
Folmarus, 644.
Fortescue (A.), 282, 345, 377, 567.
Fossanus (Hieronymus), 64, 250.
Foucart (G.), 7, 11.
Franciscus Salesius, 26, 613.
Franciscus a Victoria, 337, 350, 360.
Franz (A.), 388.
Franz (J.-T.), 176, 449.
Franzelin. 21, 22, 29, 67, 95, 96, 170, 288, 306, 308, 313, 314, 317, 541.
Fulbertus Carnutensis, 74.
Fulgentius, 61, 405, 406, 521, 568, 569, 570, 594, 596.
Funk, 200, 451.
Gabriel a S. Vincentio, 305.
Galenus Vestcapellius (Matthaeus), 108, 183, 199, 251, 299, 312, 338, 339, 396.
Galtier, 320, 351.
Gardner (P.), 189.
Gasparri (E^{mus}), 383, 391, 393.
Gaudentius Brixianus, 243, 257, 534, 538, 560, 563.
Gebhardt, 35, 79.
Gelasius, 283, 593, 594, 647.
Gelasius Cyzicenus, 229, 493.
Génicot, 390.
Gentianus Hervetus, 602.
Georgius Arbelensis, 42, 216.
Gerardus I Cameracensis, 183, 595.
Gerhohus Reichersbergensis, 48, 70, 146, 160, 260, 272, 278, 397, 411, 414, 416, 420, 421, 422, 461, 462, 507, 534, 644.
Germanus Constantinopolitanus, 140.
Gerson, 203, 459, 467.
Gezo, 277.
de Ghellink (J.), 419.
Gihr, 22, 29.
Goetz (K. G.), 37, 55, 110, 191, 197, 198, 199, 536, 411, 434, 435.
Goguel, 35, 119, 186, 187, 188, 189, 192, 477.
Gonetus, 306, 316, 545.
Gordonus Huntlaeus (Jacobus), 280.
Gotti, 382.
de Grandmaison (L.), 154.
Grassi (J.), 368.
Gratianus, 203, 336, 346, 402, 411, 423, 435, 507, 569, 574.
Gregorius Magnus, 8, 141, 146, 148, 160, 168, 170, 179, 245, 277, 278, 281, 341, 376, 408, 416, 434, 449, 462, 470, 608, 628.
Gregorius III, 389.
Gregorius VII, 414, 415, 539.
Gregorius XVI, 367, 389, 391.
Gregorius Arabum episcopus, 329.
Gregorius Eliberitanus, 140.
Gregorius Nazianzenus, 41, 93, 123, 135, 144, 159, 167, 173, 216, 219, 228, 229, 240, 297, 386, 445, 496, 562, 567, 648.
Gregorius Nyssenus, 43, 87, 107, 219, 251, 314, 286, 439, 470, 491, 524, 562, 589.
Gregorius de Valentia, 355, 467, 505, 545, 548, 551, 577, 620, 622, 633, 634.
Grimal, 7, 175.
Grimm, 19, 559.
Grivet (J.), 437.
Gropper (J.), 108, 249, 250, 268, 305.

Grotius (H.), 85, 222.
Gry (L.), 79.
Gualterus a S. Victore, 437.
Guerricus abbas, 346.
Guerrier (L.), 134, 173.
Guibertus Novigentinus, 173, 278, 309, 596, 624, 626.
Guigo Carthusiensis, 232.
Guitmundus Aversanus, 143, 173, 310, 311, 445, 486, 508, 511, 564.
Gulielmus Antissiodorensis, 425, 620.
Gulielmus Parisiensis, 7, 8, 10, 13, 14, 15, 16, 110, 111, 247, 267, 297, 328, 331, 399, 425, 428, 615.
Gulielmus a S. Theodorico, 169, 212, 232, 259, 308, 429, 436, 494, 509, 595.
Guntherus Cisterciensis, 614.
Habert (Ludov.), 252.
Harnack, 185, 207, 407.
Hartzheim, 426.
Haupt (Erich), 35, 184.
Haymo Halberstatensis, 169, 486, 599.
Hefele, 134, 413, 455.
Heissius (Sebastianus), 101.
Heitmüller (W.), 191.
Helinandus, 279.
Henriquez (Henricus), 298, 339, 437, 455, 457.
d'Herbigny (M.), 20.
Herbornus, 249.
Heribertus, 161.
Herigerus, 277, 310.
Herissonius, 280.
Herveus Burgidolensis, 168, 599.
Hesychius Hierosolymitanus, 46, 47, 121, 124, 126, 134, 137, 140, 154, 155, 159, 198, 199, 234, 262, 272, 333, 439, 522.
Hieronymus, 67, 69, 122, 123, 127, 135, 211, 219, 233, 243, 272, 328, 336, 345, 377, 401, 402, 408, 423, 470, 495, 497, 560, 567, 624.
Hieronymus de Montefortino, 461.
Hilarius, 21, 28, 60, 93, 97, 99, 122, 124, 163, 228, 289, 371, 408, 447, 479, 480, 486, 497, 559, 560, 563, 567, 596, 600, 602, 603.
Hilberg (Isidorus), 61.
Hildebertus Turonensis, 277.
Hincmarus Remensis, 162, 168, 258, 263, 604.
Hippolytus, ix, x, 56, 119, 120, 121, 215, 220, 221, 233, 283, 450, 452.
Hiquaeus, 298, 338, 425, 429, 460.
Histoire littéraire de la France, 308.
Hoffmann (J.), 185, 186, 187, 188, 189, 477.
Hoffmann (R.-A.), 35, 184, 189, 190.
Holtzmann, 35, 37.
Honorius Augustodunensis, 98, 123, 124, 127, 173, 272, 415, 418, 435, 486, 564, 603.
Hoppe (L. A.), 273, 447, 448.
Horner (G. H.), 346.
Hort, 33, 35.
Hosius, 616.
Hury (J.), 189.
Huck, 55.
Huetius, 158.
Hugo Ambianensis, 260, 311, 319, 361, 397, 419, 420, 422.
Hugo Lingonensis, 277.
Hugo a Sancto Victore, 290, 418, 599.
Hugon (E.), 316, 649.
Humbertus, 70, 435, 436, 437, 539
Hummelauer, 56.
Hurter (H.), 55, 204, 250, 267, 270, 329, 337, 460.
Huyghe (C. H.), 67, 131, 136.
Ignatius, 157, 161, 163, 203, 215, 216, 217, 219, 233, 255, 271, 281, 285, 398, 408, 451, 469, 485, 492, 536, 567.
Ps. Ignatius, 161, 451.
Ignatius de Loyola, 4.
Innocentius I, 342, 346, 401, 413, 592, 593.
Innocentius III, 272, 290, 320, 329, 355, 367, 385, 393, 424, 428, 435, 440, 441, 455, 462, 463, 467, 486, 494, 497, 501, 509, 510, 511, 535, 538, 539, 540, 614.
Innocentius V (cf. Petrus de Tarentasia).
Irenaeus, 10, 55, 59, 107, 119, 126, 135, 157, 159, 163, 207, 208, 209, 210, 211, 212, 228, 271, 275, 285, 324, 328, 330, 446, 452, 458, 492, 496, 537, 538.
Isaacus Armenus junior, 47, 120.
Isaacus de Stella, 107, 266, 278.
Isidorus, 61, 69, 73, 245, 258, 381, 435, 470.
Isidorus Pelusiota, 564.
Ivo Carnotensis, 290, 411, 435, 507, 574, 595, 603.
Jacobus Edessenus, 121, 344.
Jacobus de Graffiis, 455.
Jacobus Sarugensis, 43, 275.
Jacobus de Vitriaco, 259, 291, 436, 525, 599, 616.
Jacquier (E.), 190.
Jansen, 211.
Janssens (R^{mus}), 95.
Jeannotte (H.), 399.
Jensen, 190.
Joannes Cornubiensis, 141.
Joannes Chrysostomus, 7, 13, 19, 29, 37, 58, 71, 72, 76, 89, 90, 94, 95, 99, 102, 121, 125, 132, 134, 140, 143, 144, 145, 147, 150, 163, 172, 179, 196, 198, 200, 240, 241, 244, 245, 247, 261, 262, 297, 300, 309, 328, 333, 336, 337, 343, 372, 375, 377, 385, 386, 387, 408, 434, 438, 439, 449, 452, 477, 482, 485, 488, 491, 493, 497, 535, 554, 558, 559, 562, 563, 565, 567, 570, 589, 599, 614, 643.
Joannes Damascenus, 48, 136, 200, 229, 242, 262, 300, 409, 430, 439, 440, 441, 445, 450, 482, 485, 487, 496, 561, 563.
Ps. Joannes Damascenus, 120.
Joannes Diaconus, 141, 594.
Joannes Fisher, 54.
Joannes de Friburgo, 455.
Joannes Jejunator, 216.
Joannes a Jenstein, 261.
Joannes Mauburnus Livricensis, 45.
Joannes Moschus, 345.
Joannes Philoponus, 120.
Joannes Rotomagensis, 41, 45, 435.

Joannes Rusbrochius, 54, 248.
Joannes a S. Thoma, 360.
Joannes Teutonicus, 203, 204, 465.
Joannes a Via, 269, 279.
Jodocus a Ravesteyn, 54, 337.
Joly de Choin (Ludov. Alb.), 141, 252, 271, 280.
Johnston (S.), 203.
Jülicher (Ad.), 35, 110, 184, 185, 186.
Justinianus, 345.
Justinianus (Benedictus), 199.
Justinus, 20, 55, 107, 215, 218, 219, 220, 224, 226, 228, 281, 344, 345, 439, 447, 448, 469, 472, 559, 649.
Kalthoff, 190.
Kattenbusch, 207, 603.
Kelly (W. J.), 304.
Knabenbauer, 37, 79, 85, 88, 89, 119, 123, 497.
Kramp (J.), 208.
Labourt, 344.
Lactantius, 137, 161, 163, 219.
Lagrange, 6, 7, 14.
Lahousse, 629.
Lamiroy (H.), 207.
Lancicius, 323.
Lanfrancus, 198, 272, 310, 435, 437, 445, 507, 508, 511.
Larfeld (W.), 35.
Latomus (Jacobus), 248.
Lebreton (J.), 37, 53, 184, 189, 193, 647.
Le Brun, 124, 345, 347, 441.
Leclercq (Dom H.), 134, 163, 215, 229, 281, 340, 341, 413, 414, 415, 588.
Le Grand, 24.
Leidradus Lugdunensis, 563, 594.
Lejay, 282.
Lehmkuhl, 390.
Leo Magnus, 8, 9, 21, 23, 28, 60, 69, 87, 90, 99, 162, 179, 257, 346, 404, 405, 420, 482, 561, 563.
Leo IX, 539.
Leo XIII, 288, 463, 487, 495, 535, 542, 615.
Leontius Byzantinus, 288, 497.
Lépicier (Alexius-Maria), 304, 390, 393, 649.
Lepin, 141, 176, 177.
Le Quien, 441, 471, 538.
Lesêtre, 14, 56, 85.
Lesleus, 380, 468.
Lessius, 316, 619, 620, 622, 631, 632.
Ligorius (Alphonsus), 353, 354, 388, 610.
Livius, 53.
Loisy (Alfred), 17, 35, 79, 85, 89, 189, 190, 193.
Lombardus (Petrus), 198, 272, 279, 311, 423, 426, 437, 511.
Lorichius Hadamarius (Gerardus), 280, 329.
Ludolphus Cathusiensis, 55.
Lugo, 3, 10, 24, 175, 203, 205, 305, 306, 307, 317, 327, 329, 343, 360, 365, 368, 374, 379, 388, 457, 466, 504, 505, 516, 518, 530, 541, 545, 547, 551, 552, 577, 610, 620, 622, 629, 630, 631, 632, 633, 634, 640.
Lumper (Gottfridus), 493.
Lutherus, 55, 124, 184.
Lutz (O.), 589.
Mabillon, 376, 452.
Macarius Magnes, 211, 493.
Macedo (F.), 455.
Mac Cullock, 11.
Mac Donald (Alexander), 75, 106.
Madureira, 22.
de Maistre (J.), 38.
Maldonatus, 77, 79, 81, 503, 547, 548.
Mandonnet P., 267.
Manegoldus, 54, 290, 415.
Mangenot, 53, 54.
Manning, 304.
Manriq (Thomas), 204, 465.
Mansi, 411.
Maranus (Dom), 448.
Marius Victorinus, 376.
Martène, 340, 341, 537, 548, 611.
Marti, 11.
Martinus Legionensis, 73, 260, 290, 340, 559, 576, 603.
Massiot (Dom Léonard de), 280.
Massuet (D.), 211, 232.
Mastrius, 461, 620.
Mathoud (Dom Hug.), 548.
Max Saxoniae, 48, 50, 64.
Maximus, 574.
Maximus Taurniensis, 177, 244.
Mearns (J.), 74, 259.
Meletius, 120, 538.
Menardus (Hugo), 87, 588.
Mercati (A.), 161.
Mercer (A. B.), 650.
Mermillod, 649.
Michaud, 252.
Milligan, 178.
Minutius Felix, 163, 227, 228.
Miranda (Bartholomaeus), 146.
Morin (Dom G.), 140.
Moses Bar Kepha, 36, 121, 156, 329, 626.
Moulton (J.-W.), 56.
Moulton, 37.
Moureau, 588.
Muratorius, 49, 75.
Naclantus (Jacobus), 546.
Naegle (A.), 625.
Narsai, 329, 439.
Nestle, 35, 79, 452.
Newman, 40.
Nicephorus Constantinopolitanus 1, 108, 439.
Nicolaus I, 341.
Nicolaus II, 414, 416.
Nicolaus de Ausmo, 426.
Nicolaus de Cusa, 233.
Nicolussi, 589.
Nilus, 233, 590.
Noldin, 390.
Novatianus, 398.
Odo Cameracensis, 277, 278, 281, 435, 440.
Ps. Oecumenius, 94, 198.
Oesterley, 398.
Optatus Milevitanus, 163, 377, 399, 400, 401, 428, 452, 470, 494, 567.

Olier (J.-J.), 141, 176, 177.
Origenes, 56, 122, 123, 127, 135, 137, 148, 158, 159, 161, 163, 197, 207, 208, 213, 214, 215, 219, 232, 233, 335, 402, 445, 446, 450, 452, 469, 485, 495, 497, 559, 648.
Orsi, 276.
Pachymeres (Georgius), 272, 575.
Padovani (A.), 67, 150.
Pallavicini, 113, 204, 644.
Paquet (R^mus A. A.), 304.
Parisot, 538.
Paschalis I, 411, 412.
Paschasius Radbertus, 62, 73, 90, 99, 123, 217, 246, 256, 258, 272, 276, 277, 278, 285, 309, 310, 311, 332, 410, 411, 434, 437, 445, 450, 463, 467, 494, 497, 537, 538, 599, 615, 624, 625.
Pasqualigo (Zacharias), 3, 165, 204, 316, 339, 352, 360, 362, 388, 456, 460.
Paulinus Aquileiensis, 168.
Paulinus Nolanus, 592.
Paululus (Robertus), 108, 435.
Paulus Diaconus, 470.
Payva Andradius (Dieghus), 55.
Peeters (P.), 58.
Pelagius I, 406, 486.
Pelagius, 168, 599.
Pelbartus de Temesvar, 459.
Pell, 176.
Persico (P.-A.), 388.
Petavius, 21, 68, 95, 130, 158, 167, 221, 222, 341, 516, 518, 519.
Petrus Alexandrinus, 120.
Petrus Antiochenus, 120.
Petrus Cellensis, 424, 604.
Petrus Damianus, 279, 328, 329, 335, 342, 346, 397, 411, 412, 413, 426, 435.
Petrus de Gorham, 198.
Petrus Mansur, 439, 440.
Petrus Pictaviensis, 124, 128, 203, 279, 286, 311, 424.
Petrus Siculus, 183.
Petrus de Tarentasia (Innocentius V), 124, 198, 272, 643, 645, 647.
Petrus Venerabilis, 6, 28, 184, 246, 261, 288, 310, 491, 597.
Philippus Eleemosynarius, 28.
Philo, 135.
Phoebadius Aginnensis, 140.
Photius, 120, 183.
Pie (Card.), 649.
Pitra (Card.), 61, 216, 441.
Pius IV, 631.
Pius VI, 354, 631, 632, 633.
Pius VII, 439.
Pius IX, 649.
Pius X, 375, 439, 487, 606, 612, 615, 649.
Plowden (Franciscus), 252.
Plummer, 35, 37, 192.
Pohle (J.), 27, 354.
Polycarpus, 20, 161.
Poncius, 461.
Pontanus, 602.
Portalié, 256, 408.
Possidius, 614.
Pouget (F.-A.), 252.
Pourrat (P.), 511.
Prat (F.), 150, 151, 172, 179, 286.
Preuss (A.), 27.
Primasius, 498.
Ps. Primasius, 49, 50, 168, 245, 296, 599, 643.
Probst, 282, 377.
Procopius Gazaeus, 8, 44, 134, 135, 137, 138, 149, 215, 261, 590.
Prosper, 171, 404, 408.
Pullus (Robertus), 260, 290, 418, 419, 546, 599, 647.
de Pressy, 627.
de Puniet (P.), 354, 452.
Quarti (Paulus-Maria), 204.
Quesnellus, 141.
Quodvultdeus, 45, 162, 258, 408, 561.
Rabanus Maurus, 50, 124, 126, 153, 277, 290, 310, 346, 435, 538, 624, 625.
de Rada (Joannes), 459.
Radulphus Ardens, 246, 595.
Radulphus Bituricensis, 595.
Radulphus Flaviacensis, 272, 419.
Rahmani, 344.
de Rastignac, 252.
Ratramnus, 624, 625.
Rauschen, 184, 377, 442, 453.
Raymundus de Pennafort, 423.
Raynaudus (Theoph.), 305, 306, 307, 308, 317, 333.
Raynerius de Pisis, 565.
Reatz (A.), 229.
Reinach (S.), 189, 190.
Reitzenstein, 189.
Remigius, 260.
Remigius Antissiodorensis, 168, 278, 328, 329, 342, 345, 346, 435, 461, 467, 486, 599.
Renaudot, 441.
Renz, 7, 16, 37, 43, 161, 178, 213, 214, 220, 237, 244, 304, 425.
Resch (A.), 201.
Réville (J.), 35, 189, 536.
Richardus a S. Victore, 157.
Richardus Weddinghusanus, 141, 266, 435.
Richeome (L.), 252.
Riggenbach (E.), 197.
Rivière (J.), 20, 22, 53.
Robertson, 192.
Robertson Smith, 11, 13.
Ropes (J. H.), 201.
Rosmini-Serbati, 587, 626.
Routh (M. J.), 625.
Ruch (R^mus C.), 35, 184, 192, 355.
Rufinus Aquileiensis, 128, 485, 560.
Rupertus Tuitiensis, 27, 44, 45, 47, 62, 73, 74, 77, 85, 88, 89, 101, 124, 134, 137, 139, 230, 246, 259, 290, 296, 308, 416, 419, 508, 561, 590, 596, 599, 615, 627, 647.
Ruteus (Antonius), 298.
Sabatier, 398, 399.
Liber de Sacramentis, 156, 200, 202, 281, 449.
Saddler (M. F.), 85.
Salaville, 76, 273, 281, 438, 439, 450, 471.

Salmanticenses, 102, 147, 295, 305, 327, 353, 360, 371, 379, 380, 387, 388, 455, 457, 530, 545, 551, 587, 620, 621, 622, 632, 640.
Salmeron, 199, 459.
Saltet (L.), 396, 397, 399, 407, 408, 421, 423.
Samonas Gazensis, 300, 440.
Sanday, 33, 35.
Sasse (J. B.), 313, 388.
Scannell (T. B.), 16, 39, 156, 265.
Schaumburg (Adolphus III de), 114.
Scheeben, 156, 179, 265.
Schegg, 126.
Schepens (Prosper), 162, 408.
Schmidt (Carolus), 134.
Schultzen, 35.
Schürer (Aemilius), 134.
Schwartz (E.), x.
Schweitzer (A.), 185, 189.
Scotus, 28, 297, 298, 323, 330, 338, 395, 425, 426, 429, 437, 455, 459, 460, 463, 464, 503, 518, 519, 620, 632, 635, 638, 643.
Scrivener, 35.
Sedulius Scotus, 71.
Serapion Thmuitanus, 150, 319, 342, 371, 376, 444, 451, 452, 470, 479, 525, 535, 536.
Severianus Gabalitanus, 386, 562.
Sicardus Cremonensis, 45, 173, 272, 435.
Sigebertus Gemblacensis, 414.
Smelingus (Tilmannus), 45.
Smend (R.), 10, 14, 53, 172.
Socrates, 215.
von Soden, 35.
Sonnius (Franciscus), 114, 146, 170.
Sophocles, 216, 226.
Sophronius Hierosolymitanus, 58, 261.
Ps. Sophronius, 140, 209, 242.
Sotus (Dominicus), 304, 350, 501, 503, 545, 551, 608, 619, 632.
Sozomenus, 215.
Spitta, 35, 110, 185, 186.
Springer (E.), 487, 588, 596, 612.
Stagefyr (Nicolaus), 249.
Stentrup, 95.
Stephanus (Henricus), 273, 451.
Stephanus Augustodunensis, 246, 440, 444.
Stöckl (A.), 30, 175.
Struckmann (A.), 220, 231, 566.
Summa Sententiarum, 397, 424, 440, 463.
Suarez, 5, 6, 7, 10, 11, 16, 24, 28, 29, 30, 96, 110, 123, 146, 148, 167, 183, 205, 295, 297, 299, 305, 307, 321, 322, 323, 327, 336, 338, 343, 354, 359, 362, 379, 380, 388, 426, 428, 429, 433, 436, 455, 466, 501, 503, 505, 510, 516, 521, 530, 541, 545, 552, 557, 610, 619, 620, 621, 622, 623, 629, 632, 636, 640.
Surius (Laurentius), 248, 268.
Swete (H. B.), 224.
Sylvius (Franc.), 382.
Symeon Thessalonicensis, 145, 262, 300, 436, 438, 450, 469, 577, 650.
Tapperus (Ruardus), 170, 270.
Tatianus, 79.
Tena (Ludovicus), 199.
Ten Hompel (Max), 176.
Tertullianus, 20, 33, 55, 59, 60, 121, 135, 137, 161, 162, 163, 172, 215, 219, 220, 221, 222, 223, 229, 340, 344, 371, 399, 469, 559.
Thalhofer, 175.
Thaner (F.), 411.
Theil, 53.
Theiner (A.), 113.
Theodulphus Aurelianensis, 70, 561, 600.
Theodoretus, 13, 21, 68, 72, 94, 101, 164, 167, 172, 183, 228, 229, 230, 297, 345, 562, 647.
Theodorus Andidensis, 94, 229, 436, 448.
Theodorus Cantuariensis, 164, 502.
Theodorus Mopsuestenus, 50.
Theodorus Studita, 409, 430, 487.
Theophilus Alexandrinus, 132, 133, 232.
Theophylactus, 61, 121, 200, 590.
Thomas Aquinas, passim.
Thomas ab Argentina, 426.
Thomas a Chaves, 337, 360, 361.
Thomas Herenthalinus, 249.
Thomas a S. Victore, 576.
Thomas Vercellensis, 198, 272.
Thomas Waldensis, 45, 248, 279, 300, 308, 355, 459, 461, 464, 501, 511, 603, 632.
Thomassinus, 8, 67, 68, 134, 136, 138, 167, 172, 178, 286, 290, 516.
Thurston, 471.
Tischendorf, 35, 79.
Toletus, 27, 79, 231, 503, 515, 516, 545, 548, 569, 577, 584, 607, 608, 620, 628, 643.
Tournely, 388.
Touttée (Dom), 441.
Turmel (J.), 256.
Turrianus, 493.
Tyrer (W. J.), 219, 446, 450.
de Ulloa (J.), 307.
Urbanus II, 417.
Vaccari (A.), 46, 62.
Valesius, 215.
Vasquez, 5, 6, 10, 24, 109, 110, 111, 124, 167, 179, 197, 298, 307, 314, 343, 353, 354, 355, 359, 362, 371, 373, 374, 377, 388, 391, 392, 436, 466, 479, 501, 505, 530, 545, 547, 551, 620, 632, 644.
Verecundus Juncensis, 199, 257.
Vergilius, 38.
Vernet (F.), 256.
Vincentius Ferrerius, 576.
Viteau, 37.
Vivès (Card.), 612.
Walafridus Strabus, 50, 61, 124, 157, 198, 272, 290, 340, 353, 435, 559.
Waleramnus Naumburgensis, 417.
Walter (A.), 388.
Walterius Aurelianensis, 649.
Watterich (Joannes), 440.
Weiss (B.), 35, 179, 197.
Weiss (J.), 189.
Weizsäcker, 35, 185.
Wellhausen, 11, 14, 15, 53, 127, 172.
Wernz, 382, 390.
Westcott, 33, 35, 53, 163, 197, 215, 216.

Wibertus (Antipapa Clemens III), 417.
Wicelius (Georgius), 148, 269.
Wicleffus, 184.
Wido Aretinus, 411, 412.
Wido Ferrariensis, 413.
de Wied (Hermann), 249, 471.
Wieland, 207, 208, 209, 210, 212, 213, 217, 218, 220, 223, 225, 226.
Wilhelm (J.), 16, 39, 156, 265.
Wilmers, 389.
Wolphelmus Brunwillerensis, 511.
Xiberta (Bartholomaeus), 574, 581.
Zahn, 35, 135,
Zegerus (Nicolaus), 249.
Zeno Veronensis, 20, 136, 163, 228, 229, 560, 563.
Zill (L.), 180.
Zorell, 37, 559.

INDEX ANALYTICUS

ea tantum complectens quae non expresse in Indice Systematico aut in Elucidationum Serie enuntiantur

Acceptatio divina sacrificii, 12 sq., 137-149, 173-179, 205, 285, 291, 321 sq., 330, 395 sq., 443, 452.
Adoratio in spiritu et veritate, 229.
Altare manufactum non semper necessarium, 164.
Altare nostri sacrificii Christus, 164, 197, 207, 212, 215, 242, 271 sq., 447.
Altare sui sacrificii Christus, 11, 153 sq., 197, 242.
Altaris partes in sanctificanda hostia, 11, 153 sq., 276, 477.
Anamnesis, 142, 201.
Angeli neque re neque voto sacrificant, 361.
Angeli non habent votum eucharistiae, 526, 606.
Angelorum ministerium in sacrificio, 274, 277, 278, 281, 448 sq.
Angelus sacrificii Christus, 277, 279, 280, 281, 447 sq.
Antitypa, 444.
Beati non offerunt nostra sacrificia, 361.
Bonitas Dei rationat sacrificia, 4.
Caritas proximi est *res* eucharistiae, 488.
Chirographum Decreti, 150.
Christi annihilatio eucharistica secundum quosdam, 306 sq., 313, 622, 623, 637.
Christi corpus signum vel eminens vel adaequatum sui significati, 510, 511.
Christi corpus spirituale, 210 sq., 229, 233 sq., 286, 609.
Christi *esse* qualiter unum vel duplex, 514.
Christi exinanitio in incarnatione qualis, 171, 177.
Christi immunitas a debito peccati, 25.
Christi incarnationem cumulat acceptatio divina sacrificii, 178.
Christi incarnationem cumulat resurrectio, 171, 286-289.
Christi sacerdotium fidele, 148.
Christi sacerdotium nativum, 23, 649.
Christi sacerdotium qualiter aeternum, 136, 137, 139, 175.
Christi sacerdotium ratum divinitus, 136 sq.
Christi sanctificatio immolatitia, 27, 89, 226. Vide : Sanctificatio.
Christi satisfactio adaequata ex parte caritatis, 26.
Christi satisfactio adaequata ex parte poenae, 523.
Christi satisfactio non proprie poenalis, 26.
Christi scientia qualem nescientiam compatiatur, 171.
Christi scientia quare a principio perfecta, 515, 519.
Christus factus in resurrectione Dominus, 172, 286.
Communio commensalitatem divinam importat, 14, 126, 127, 142, 196.
Communio ecclesiastica et eucharistica indivisae, 485.
Communionis significatio respectu beatitatis, 125, 135, 142, 285 sq., 475, 491 sq.
Communionis significatio respectu sanctitatis, 15 sq., 126, 231, 282, 285, 475, sq.
Communionis significatio respectu unitatis, 15, 127, 475, 485 sq.
Communio sanctorum, 603.
Concelebrationis ratio et modus, 354.
Consecratio eucharistica sacerdotum improborum secundum Doctores omnes valida, 335, 396, 398, 411, 413 sq., 419, 420, 422, 423.
Diptychorum vis, 380, 381, 386.
Doloris et mortis partes in propitiando, 3, 9, 24, 27, 523, 524.
Domini et Christi proprietas in resurrectione cumulatur, 172, 286.
Ecclesiae corpus occupandum necessitate medii, 603.

Eucharistia analogum princeps in sacramentis, 498.
Eucharistia haereticorum haeretica, 409, 430, 487.
Eucharistia lignum vitae, 615.
Hymni eucharistici, 40, 42, 45, 49, 58, 74, 140, 155, 162, 240, 259, 260, 261, 498, 598, 626.
Latria importat eucharistiam et impetrationem, 4, 319, 359.
Maria Conredemptrix, 648.
Mariae immaculata conceptio quale compatiatur debitum peccati, 25.
Mariae intercessio diversa ab intercessione Christi, 170.
Mariae pars in quantificando valore missarum suo tempore celebratarum, 331.
Mariae sacerdotium quale, 649.
Mariae virginitas arcet a prole debitum peccati, 25.
Maria origo eucharistiae, 616, 650.
Maria qualiter obtulerit sacrificia, 359, 649.
Missa commemorat coenam cum passione, 56, 64.
Missae et coenae discrimen, 75, 83, 103 sq., 115, 195, 290, 295, 299.
Missa nonnisi post Christi clarificationem et Spiritus Sancti adventum celebranda, 203 sq., 289 sq., 331 sq.
Mysterium christianae fidei, 17, 189, 616, 648.
Nomen super omne nomen, 172.
Oblatio laica alia et alia, 221, 222, 339 sq., 343 sq., 349 sq., 359 sq., 365 sq.
Oblatio per Spiritum aeternum, 76, 452.
Oblatio sacrificii sita in cruentatione altaris, 11, 39, 155.
Opus operatum aliud in sacrificiis ac in sacramentis, 319 sq., 336, 353.
Opus operatum sacrificii est variabile, 330, 335 sq., 349 sq.
Paschae christianae argumentum, 134.
Poenitentia est *res* sacrificii, 10, 24, 109.
Profectus spiritualis votum necessarium ad salutem, 612 sq.
Propitiatio distincta a satisfactione, 9, 319, 380.
Propitiatio includit latriam, eucharistiam et impetrationem, 10, 11, 319.
Redemptio cur requiratur aeterna, 147.
Sacerdotii rati et irriti distinctio, 13, 136 sq.
Sacerdotium laicorum, 328, 268, 559, 581, 649.
Sacramentorum efficacia in voto, 565 sq., 568, 599 sq., 611.
Sacramentorum efficacia qualis et unde, 127, 128, 143, 529, 530, 540, 541, 546, 557, 558, 569, 575, 577, 578, 582 sq.
Sacramentorum singulorum gratia sacramentalis, 574 sq.
Sacramentorum singulorum *res et sacramentum*, 581.
Sacramentorum subordinatio ad eucharistiam, 143, 498, 557 sq., 573 sq., 609, 617.
Sacrificamus prece, 199, 208, 213, 217 sq., 223, 225, 453, 469 sq.
Sacrificii cruenti et incruenti distinctio, 12, 303.
Sacrificii elementum duplex, visibile et invisibile, 7, 23 sq., 213, 229, 244, 403.
Sacrificii rati et irriti distinctio, 12 sq., 136 sq., 205, 322, 398 sq., 443.
Sacrificii *sacramentum* et *res*, 9, 36, 82, 102, 106, 110, 135, 143, 208, 315, 443.
Sacrificii significatio duplex, moralis et mystica, 7, 9, 110, 241, 143, 244.
Sacrificium est contractus cum Deo, 13 sq., 53, 99, 147 sq., 456.
Sacrificium est oblatio hostiae aut immolatae aut immolandae, 12, 25, 33, 103, 115, et passim.
Sacrificium panis et vini excluditur, 106 sq., 110, 208, 212, 228, 242, 422.
Sacrificium spirituale, 155, 162, 223, 227 sq., 381, et passim.
Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, 7, et passim.
Sanctificatio hostiae, 7, 12, 15, 17, 27, 127, 136, 143, 148, 153, 159, 258, 285, 286, 336, 476.
Specierum eucharisticarum partes in sacrificio, 36, 109, 238, 303, 313, 475, 505, 529.
Species eucharisticae apud Irenaeum, 210.
Suffragia Ecclesiae, 381, 382, 386.
Testis passionum Jesu, 451.
Trinitariae processiones et rerum productio, 637.
Vota intelleguntur aliquando sacrificia, 199, 272, 341, 382.
Votum sacrificandi includitur in baptismo, 328, 367.
Votum sacrificandi intellegitur dupliciter, 368.
Vulnera naturæ lapsæ sananda per eucharistiam, 522, 524, 575, 613.

INDEX SYSTEMATICUS

Praefatio VII
Post–Scriptum. IX
Elucidationum Series XIII

LIBER I. — DE SACRIFICIO DOMINICO

Caput I. — De sacrificio in genere.

§ I. *De ratione sacrificii latreutica* 3
Sectio I. Primum assertum 3
Sectio II. Secundum assertum 4
§ II. *De ratione sacrificii propitiatoria* . 9
Sectio I. Cruentorum sacrificiorum vindicatio 9
Sectio II. Oblationis et immolationis proprietates distinctae 11
§ III. *De acceptatione sacrificii* 12
Sectio I. De necessitate acceptationis divinae. 12
Sectio II. De significatione externa divinae acceptationis 13
§ IV. *De participatione sacrificii* 14
Sectio I. Participationis vindicatio 14
Sectio II. Oblati sacrificii et convivii parati rationes distinctae 15

Caput II. — De sacrificio in passione peracto.

§ I. *De veritate hujus sacrificii* 20
§ II. *De intestina ratione illius sacrificii.* 23
Sectio I. De elemento invisibili 23
Sectio II. De elemento visibili 25
Articulus I. De victima 25
Membrum I. Materialis consideratio hostiae. 25
Membrum II. Formalis consideratio hostiae. 27
Articulus II. De immolatione 27
Articulus III. De oblatione 28

Caput III. — De oblatione passionis peracta a Christo in coena.

§ I. *De comparatione inter coenam et passionem.* 34
Sectio I. Ex Scriptura 34
Sectio II. Idem argumentum ex Traditione 39
Articulus I. Testimonia indirecta 40
Articulus II. Testimonia directa 46
§ II. *De comparatione inter coenam et foedus antiquum antiquumque pascha.* 53
Sectio I. Ex Scriptura 53
Sectio II. Idem argumentum ex Traditione 57
§ III. *De comparatione inter coenam et sacrificium Melchisedech* 67
Sectio I. Testimonium Epistolae ad Hebraeos 67
Sectio II. Testimonium patristicum 68
Articulus I. Testimonium de indole coenae melchisedecica 68
Articulus II. Testimonium de paritate inter oblationem Melchisedech et hostium crucis 70
Articulus III. Testimonium de communitate melchisedecica coenae et passionis 71
Epilogus. De *Hebr.*, 9^{14} 76
§ IV. *De comparatione inter coenam et promissionem eucharistiae* 79
Epilogus. De momentis quibusdam theologicis hujus disputationis 82
§ V. *Confirmatio ex circumstantiis coenae.* 85
Sectio I. Confirmatur ex prima circumstantia coenae, quae fuit proditio Judae 85
Sectio II. Confirmatur ex altera circumstantia coenae, quae fuit Christi oratio sacerdotalis 88
Sectio III. Confirmatur ex tertia circumstantia coenae, quae fuit profectio ex coenaculo in hortum 89
Appendix A. De habitudine Christi ad obligationem moriendi 93
§ VI. *Conclusio triplex* 101
Sectio I. Cujusmodi unitas vigeat inter coenam et passionem 101
Sectio II. Qualis unitas exsurgat apparentis sacrificii ex pane et vino et sacrificii veri de corpore et sanguine Christi. 106
Sectio III. Qualiter oblatio mortis in coena postulet praesentiam Christi in eucharistia 109
§ VII. *Documenta Tridentina* 113
Sectio I. Historia diffinitionis 113
Sectio II. Tenor diffinitionis 115

Caput IV. — De cibatione Christi eucharistica.

§ I. *Testimonia* 119
§ II. *Ratio intrinseca* 125

CAPUT V. — DE CONTINUATIONE COELESTI SACRIFICII CHRISTI.

§ I. *De Christo ut hostia coelesti* 131
Sectio I. Testimonium Scripturae...... 131
Sectio II. Testimonia Patrum......... 132
Articulus I. De connexione sacrificii cum resurrectione.............. 132
Membrum I. De hostia per resurrectionem perfecta............. 132
Membrum II. De sacerdotio per resurrectionem divinitus rato..... 136
Articulus II. De connexione sacrificii cum Ascensione............... 139
Articulus III. De perennitate sacrificii Christi. 142
Sectio III. Ratio theologica 146
Articulus I. Justificatio nostra evincit aeternitatem sacrificii dominici.. 146
Articulus II. Sacrificium missae evincit aeternitatem sacrificii dominici.. 151
§ II. *De Christo ut altari aeterno* 153
Sectio I. Sitne Christus altare sui sacrificii......................... 153
Sectio II. Sitne Christus sui sacrificii altare post resurrectionem suam. 156
Sectio III. Quaenam sit altaris theandrici ac coelestis habitudo ad reliqua quaecumque solent altaris nomine insigniri............... 161
§ III. *De Christo ut intercessore perpetuo.* 167
Sectio I. De oratione............... 167
Sectio II. De adoratione.............. 171
Sectio III. De stigmatibus passionis... 172
§ IV. *Conclusio de diversis sententiis ad sacrificium coeleste spectantibus..* 175

LIBER II. — DE SACRIFICIO ECCLESIASTICO.

CAPUT I. — DE INSTITUTA A CHRISTO OBLATIONE CORPORIS ET SANGUINIS SUI SACRIFICALI NOSTRA.

§ I. *De institutione ritus*.............. 183
§ II. *De institutione ritus ut sacrificalis.* 195
Sectio I. De oblatione nostra dominicae passionis....................... 195
Articulus I. Ex verbis institutionis res declaratur.. 195
Articulus II. Idem confirmatur ex doctrina Pauli et idolothytis.... 196
Articulus III. Comprobatur rursus sermone Epistolae ad Hebraeos de altaris nostri participatione... 197
Sectio II. De nostra oblatione hostiae coelestis. 200
Epilogus. De inconcessa apostolis potestate litandi per triduum mortis dominicae 203

CAPUT II. — DE SACRIFICIO CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI ECCLESIASTICO APUD PRIMOS PATRES.

§ I. *De Irenaeo et Origene*............ 208
Sectio I. De Irenaeo.................. 208
Sectio II. De Origene................ 212
§ II. *De Ignatio, Justino, Hippolyto, Tertulliano* 215
Sectio I. De Ignatio................. 215
Sectio II. De Justino............... 218
Sectio II. De Hippolyto............. 220
Sectio IV. De Tertulliano........... 220
§ III. *De reliquis ejusdem aevi Patribus aut scriptoribus*................ 223
Sectio I. De Clemente Romano. 223
Sectio II. De Doctrina duodecim apostolorum...................... 224
Sectio III. De Clemente Alexandrino.: 225
Sectio IV. De quorumdam apologetarum dictis.................... 227
Epilogus. De *Joan.*, 4^{23}.... 229
Appendix B. De communione ad Christum per contemplationem et eucharistiam una indivisaque apud Patres atque imprimis Clementem 230
Appendix C. De participando in eucharistia cruore passionis dominicae apud Clementem......... 233

CAPUT III. — DE HABITUDINE MISSAE AD SACRIFICIUM DOMINICUM.

§ I. *De habitudine missae ad passionem.* 238
Sectio I. Adscritur passio offerri in missa........................ 238
Sectio II. Adseritur sacrificium cruentum participari a recipientibus eucharistiam 255
§ II. *De habitudine missae ad sacrificium coeleste*......................... 265
Sectio I. De directa connexione inter sacrificationem Ecclesiae et hostiam coeli.................... 265
Articulus I. Adseritur offerri a nobis coeleste sacrificium........... 265
Articulus II. Adseritur sacrificium nostrum perfici in altari coelesti, Christo. 271
Membrum I. Documenta theologorum......................... 271
Membrum II. Documenta liturgica. 273
Epilogus. De antiquitate et integritate orationis *Supplices te rogamus*........ 280
Sectio II. Adseritur cibo eucharistico participari sacrificium coeleste.. 285
Epilogus. De quadam comparatione inter paulinam et johanninam communionis eucharisticae praedicationem............... 291
§ III. *De habitudine missae ad oblationem dominicam*............... 295

CAPUT IV. — CONCLUSIO CIRCA VARIAS DE SACRIFICIO MISSAE SENTENTIAS.

§ I. *De veritate nostrae oblationis*...... 304
§ II. *De proprietate nostrae hostiae*..... 306
Sectio I. De peccantibus per excessum. 306
Sectio II. De peccantibus per defectum. 314
Sectio III. De peccantibus utroque simul modo 316

Caput V. — De fructu sacrificii legitimi

§ I. *Diffinitur opus operatum sacrificii.* 319
§ II. *De quantitate propitiationis per missam inductae.* 322
Sectio I. De interventu offerentium generaliter spectato 322
Sectio II. De Ecclesia ut offerente 327
Epilogus. De inconcessa apostolis potestate litandi ante diem Pentecostes 331
Sectio III. De iis qui specialiter offerunt 335
Articulus I. De sacerdote ut offerente 335
Articulus II. De stipem dante, in quantum offerente 339
Articulus III. De adstantibus, ut offerentibus 343
Sectio IV. De computatione fructus 349
Articulus I. De fructu unius missae ab uno fideli demandatae 349
Articulus II. De obligatione intrinseca celebrandi tot missas quot sunt accepta stipendia 350
Membrum I. De fructu per comparationem ad stipendia singula plurium fidelium. Examinatur sententia Cajetani 350
Membrum II. Examinatur sententia aliorum quorumdam doctorum de fructu missae per comparationem ad plura unius fidelis stipendia 353
Appendix D. De concelebrantium sacerdotum stipendiis 354
§ III. *De qualitate percipientium fructum.* 359
Sectio I. De fidelibus vivis et defunctis. 359
Sectio II. De infidelibus aliisque extra visibilem Ecclesiae societatem versantibus 365
Articulus I. De ipsorum inhabilitate ad procurandum sibi per erogationem stipendii missae fructum 365
Membrum I. De infidelibus 365
Membrum II. De haereticis et schismaticis 366
Membrum III. De catechumenis 367
Articulus II. De acatholicorum habitudine ad percipiendum fructum missae per modum suffragii 371
Membrum I. De acatholicis vivis 371
Particula I. Ex jure divino 371
Particula II. Ex jure ecclesiastico. 380
Membrum II. De mortuis 385
Particula I. De catechumenis 385
Particula II. De infidelibus, haereticis et schismaticis 385
Particula III. De excommunicatis resipiscentibus, post mortem absolutis 393

Caput VI. — De missa sacerdotis ab Ecclesia praecisi aut exauctorati.

§ I. *Quaestionis ratio, momenta ac fines.* 395
§ II. *Solutiones catholicorum doctorum.* 397
§ III. *Solutio quaestionis theologica* 426

Caput VII. — De effectione Sacrificii Missae.

§ I. *De consecrationis sufficientia* 433
§ II. *De effectione consecrationis* 437
Sectio I. De epiclesi 438
Articulus I. Excluditur epicleseos efficacia aut necessitas 438
Articulus II. Defenditur epicleseos congruitas 442
Membrum I. Congruitas quoad locum 443
Membrum II. Congruitas quoad invocati numinis personam 446
Sectio II. De verbis consertis 455
Articulus I. De verbis formalibus 455
Articulus II. De verbis narrativis 459
Articulus III. De verbis interpellativis 468

LIBER III. — DE SACRAMENTO.

Caput I. — Sitne eucharistia sacramentum.

§ I. *De incorporatione nostra ad Christum.* 476
Sectio I. Probatur nostra incorporatio. 476
Sectio II. Declaratur nostra incorporatio 478
§ II. *De incorporatione nostra ad Christum caput corporis ecclesiastici* 485
§ III. *De incorporatione ad Christum caput corporis ecclesiastici in coelis congregandi* 491

Caput II. — Quale sacramentum sit eucharistia.

§ I. *Examinantur absolute singula elementa eucharistiae* 491
Sectio I. De eo quod est *signum tantum* 491
Sectio II. De eo quod est *res et signum* 507
Sectio III. De eo quod est *res tantum* 513
Articulus I. De gratia eucharistica in quantum est gratia 513
Appendix E. Gratia sanctificans est connaturalis humanitati assumptae 514
Appendix F. Gratia sanctificans est perfecta dispositio, non antecedens, sed consequens, in ordine ad unionem hypostaticam 517
Appendix G. Gratia Christi est absolute summa 518
Articulus II. De gratia eucharistica in quantum est gratia Redemptoris 522
Epilogus. Quam aliter Christus sit hominum caput atque angelorum 525
§ II. *Comparantur elementa eucharistiae inter se* 529
Sectio I. De ordine causae inter *signum tantum* et *rem et signum* 529
Sectio II. De ordine causae inter *signum tantum* et *rem tantum* 533
Articulus I. In *signo tantum* attenditur quidam symbolismus directus respectu *rei tantum* 533

Articulus II. Istius symbolismi indoles sacramentalis non constat.... 536
Articulus III. Excluditur ista sacramentalis indoles.............. 539
Sectio III. De habitudine unius speciei ad alteram ut consignificantem.. 545
Appendix II. De numerali computatione eucharistiae............. 551
§ III. *Comparatur eucharistia cum aliis sacramentis*..................... 557
Sectio I. Comparatur eucharistia specialiter cum baptismo............ 557
Articulus I. Quomodo se habeant inter se mors et vita in significatione baptismali 557
Articulus II. Ordo baptismi ad eucharistiam...................... 563
Membrum I. Baptismalis mors assumitur ob desiderium vivificationis eucharisticae.............. 563
Membrum II. Vita in baptismo captatur ex desiderio eucharistiae.. 565
Particula I. De efficacia desideratae eucharistiae......... 565
Particula II. De sacramentali desiderio per baptismum importato 565
Particula III. De desiderio eucharistiae in baptizatis parvulis 568
Articulus III. Discrimina consectaria inter baptismum et eucharistiam. 569
Membrum I. Quoad *rem et sacramentum*..................... 569
Membrum II. Quoad *rem tantum* et usum sacramenti 570
Sectio II. Comparatur eucharistia generaliter cum reliquis sacramentis. 573
Articulus I. Comparatio quantum ad effectum..................... 573
Membrum I. Non causant reliqua sacramenta gratiam nisi ex ordine suo ad eucharistiam....... 573
Membrum II. Nec eucharistia causat gratiam sine aliis sacramentis administris.................. 577
Articulus II. Comparatio quantum ad genus causalitatis........... 581

CAPUT III. — DE NECESSITATE MEDII EUCHARISTIAE INSITA.

§ I. *De necessitate eucharistiae universali in ordine ad vitam et salutem*..... 589
Sectio I. Testimonia directa Patrum... 589
Sectio II. Testimonia indirecta spectantia ad nostram societatem cum Christo...................... 600
Sectio III. Testimonia indirecta spectantia ad nostram societatem cum Ecclesia..................... 602
Sectio IV. Auctoritas sancti Thomae.. 605
Sectio V. Ratio intrinseca........... 608
Sectio VI. Objectionum solutio....... 609
§ II. *De iteratione sumptionis ad perseverandum necessaria*........... 612
Sectio I. Rationes intrinsecae......... 612
Sectio II. Testimonia veterum......... 614
Epilogus. De applicatione alia et alia meritorum crucis 616

CAPUT IV. — DE CONDITIONIBUS PRAESENTIAE EUCHARISTICAE.

§ I. *De via qua Christus fit praesens in eucharistia*................... 619
Sectio I. De tentaminibus solutionum irritis....................... 619
Articulus I. Enumerantur sententiae catholicorum doctorum praecipuae...................... 619
Articulus II. Excluditur reproductio. 621
Appendix I. De comparatione inter carnem historicam et carnem eucharisticam apud Patres et Doctores mediaevales aliosque...... 623
Articulus III. Excluditur adductio, seu productio alicujus novae determinationis localis. 628
Articulus IV. Excluduntur conjunctim reproductio et adductio..... 631
Sectio II. Verior solutio proponitur.... 635
Articulus I. Convertuntur inter se mutatio rei in rem immutatam et transsubstantiatio............. 635
Articulus II. Transsubstantiatio est apta ex sese ad praesentiandum.. 638
§ II. *De genere praesentiae quo per transsubstantiationem donatur in eucharistia corpus Christi*......... 640
Sectio I. Praesentia eucharistica diffinitur.......................... 640
Sectio II. Excluditur distantia inter corpus Christi ut localiter exsistens in coelo et corpus Christi in sacramento praesens................ 642
Sectio III. Enumerantur concomitantia sub speciebus corpori vel sanguini Christi..................... 643
Sectio IV. Concluditur circa conditionem specierum et durationem praesentiae Christi............. 645
§ III. *De succedentibus praesentiae eucharisticae*.................... 646
Sectio I. Assignatur terminus corruptionis specierum................ 646
Sectio II. Resolvitur qualiter mutentur accidentia in substantiam....... 646
Epilogus. De Virgine Mediatrice 648

INDEX ONOMASTICUS.................. 651
INDEX ANALYTICUS.................. 658
INDEX SYSTEMATICUS 660

EX TYPIS SOCIETATIS VULGO « IMPRIMERIE DE L'EST » VESONTIONE

IMPRESSUM VESONTIONE
PRO GABRIELE BEAUCHESNE
COMMORANTE PARISIIS
ANNO DOMINI MCMXXI
DIE VIII SEPTEMBRIS